R. P. DIDACI
DE BAEZA,
PONFERRADIENSIS,
SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

OMMENTARIORVM ALLEGORICORVM,
& Moralium de CHRISTO *figurato in veteri Teſtamento,*

TOMVS QVINTVS:

COMPLECTENS

Hiſtoriam Salomonis, Abſalonis & Caini.

lice quadruplici locupletatus: Priori continetur Librorum, Capitum, & Paragraphorum ſeries; Altero ſumma Concionum totius anni ad vſum Concionatorum maximè vtilis; Tertio ſacræ Scripturæ loca; Poſteriori demùm Res ſelectiores indicantur.

ad Perilluſtrem D.D. PETRVM CARRILLO de Acuña, Archidiaconum de Bribieſca, Catholici Regis à Conſiliis, & in ſacra Rota Auditorem, &c.

EDITIO NOVISSIMA.



LVGDVNI,
Sumptibus Laurentij Aniſſon, & Soc.

M. DC. XLIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO,

AC

REVERENDISSIMO DOMINO,

DOM. PETRO
CARRILLO
ET ACVNHA,

Archidiacono de Bribieſca, S. D. N. Vrbani VIII. Pont. Max. Capellano, & ſacræ Rotæ Auditori, à Conſiliis Catholicæ Majeſtatis PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis, olim apud Valliſoletanos inſignis Collegij S. Crucis Alumno, & in eadem Vniuerſitate primario legum Interpreti.

NON VS iſte labor noſter tuo nomine inſcribitur (INTEGERRIME AVDITOR) non quòd tantillam rem (etſi multa & attenta lectione, multa etiam formatam opera) amori meo ſatis reſpondere arbitrer, aut hoc eſſe tandem putem, quod tantæ virtuti, fortunæque debeatur. Verùm vt opus ipſum Salomonis ſacramento, quàm mole fœliciùs admoneret, ſapientiæ me candidatum eſſe, & ſi quidquid hactenus elaboraumus,

fœlici interpretatione in tui obſequium deflecteres. Et quidem hoc ſolùm pacto deſiderio noſtro ſatisfacies tu ipſe, ſi iſta, vel ſimili ratione conceſſeris; vniuerſa ſtudia noſtra tandem compendio aliquo in tui honorem ceſſiſſe. Debes hunc affectum tibi ipſi, Vir ornatiſſime, debes moribus, durabitque non dico me quamdiu ames, ſed quamdiu nobilitatis tuæ doctrinæque fulgor obuerſetur oculis. Amaui equidem te, (patere affectum iſtum adhuc liberum, & præceptor in ſcholis noſtris erudiui iuuenem. Nulli in illa lubrica ætatis ſtatione, cupiditatum fluxus, nulli errorum anfractus, qui affectum retardarent, ſed quæ acuerint, vitæ probitas, par comitas, rara & ſupra ætatem eruditio; ſolumque virtutibus tuis facilis annorum computatio fidem inuideret. Ita ſcilicet non ſimplici gradiebantur itinere, etſi omnes ad eumdem gloriæ exitum ferebant, maturioremque inſtituebas curſum, vt qui moram conſiderandi itineris non haberes. Ergo his animi dotibus eximiè probatus in maximum ſanctæ Crucis Collegium accitus, ſic te inter purpuratos illos proceres geſſiſti, vt opem omnem, quam de te conceperant, maiori opere cumulares. Hinc prima fœlicitatis ſemina largiſſimè iaciebas, & quaſi ex editiſſimo facinorum tuorum theatro deſpiciebas, non quod poſſes, ſed quod primum aggredi liberet. Attamen pro negotij modo animoſa virtus tua ex obuia gloriæ ſegete materiam laudis metens, in facilioribus propè ad ſecuritatem remiſſa, in mediocribus modicè intentior, vbi denique magna venerunt iuxta magnitudinem aggrediendi operis erigebatur. Itaque in florentiſſimæ Valliſoletanæ Academiæ gremium adoptatus, per omnes gradus ad vltimum perueniſti, breui Cæſarei iuris Veſpertinus Anteceſſor; paulo poſtmodum te legum primarium Interpretem numeroſa diſcipulorum ſuffragia declararunt. Dehinc in Canonicum Pœnitentiarium electus primos etiam ibidem honores meruiſti, prorſus ſiquidem totius Epiſcopatus Vicarius Generalis, & ordinarius plurimorum Præſulum apud ſanctæ Inquiſitionis Tribunal, necnon pluries in eadem Regia Cancellaria Cantabrorum iudex deputatus extitiſti. Ex his omnibus illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, donec tandem audiretur vox tonitrui tui in Rota, in qua per ſeptennium, & quod excurrit, iuris publici & priuati leges tueris, inter diuerſas totius orbis nationes. Enim verò eſt hoc nobiliſſimæ tuæ familiæ proprium, non vni Ordinum, ſed Reipublicæ Heroës ſufficere, quibus etiam nunc Hiſpani orbis non minor pars nobilitatur. Quippe antiquiſſima Carrillorum familia, quæ à notioribus olim ſæculis in Tordomarenſem domum conceſſit (quæ veſtræ gentis primaria eſt,) quamuis ſedem mutauerit

tauerit germanam, ſcilicet cum Hiſpana, non tamen amplitudinem, quia diſpari licèt ſtatione, parem nihilominus prodigit ſplendorem. Poſſem ſatis longa maiorum veſtrorum ſerie liberare fidem, ſed vetat epiſtolaris breuitas. Satis ſint (vltra nobiliſſimas Principum familias, quæ Hiſpanicum orbem aut moderantur, aut nobilitant, de quibus cum nihil dico, ſatis me dixiſſe arbitror,) tot viri eruditiſſimi non ſolùm togati apud Salmanticenſes aſciti ad quatuor maiora Collegia, & poſtea in ſupremo Prætorio iuſtitiæ & Cameræ collocati; ſed etiam ſtrenui milites, qui militarium ordinum ſtemmatibus inſigniti feliciter dimicarunt. Qui omnes non modicum claritudinis ſuæ ſplendorem in veſtræ gentis originem regerunt, quibus tu ipſe Vir clariſſime addendus eris ſtirpis tuæ floridiſſima gloria, vtpote qui ſingulari fœlicitate & ſpe colligis, quidquid præclariſſimæ familiæ tuæ decoris accreſcere poterat. Verùm mihi animus non eſt modeſtiam tuam altiùs premere. Donariolum tantùm iſtud qua me ſoles humanitate ſuſcipias velim, deinceps maiora melioráque fortaſſis accepturus, dignum ſcilicet aliquid virtutibus tuis, dignum meritis, dignum etiam fortunæ, quam in dies auctiorem cum annis opto. VALE.

DIDACVS DE BAEZA.

ã 3 CENSV

CENSVRA

Doctoris Franciſci Fernandez de Torres Arroyo; emeriti Canonici Pallantini, modò Magiſtralis à concionibus ſanctæ Eccleſiæ Cathedralis Valliſoletanæ.

EX commiſſione illuſtriſſ. Domini, ac Domini mei, D. Fr. Gregorij de Pedroſſa, Præſulis Valliſoletani, Catholicæ Majeſtatis à Conſiliis, eiuſdemque Concionatoris, vidi, legi, & iucundiſſimè perlegi Reuerendi Patris Didaci de Baeza è Societate IESV, *Prædicantium Magiſtri, mihi in amicitiis coniunctiſſimi, Moralis expoſitionis Tomum quintum, tribus diſtributum libris. Quorum primus repræſentat Ieſum, qui de ſe ipſo Matth. 12 fatur,* Ecce plus quàm Salomon hic, *adumbratũ in Dauidico Salomone, eo tempore quo diuinæ fuit ordinationi ſubiectus. Secundus apprimè demonſtrat Abſalonem eiuſdem Dauidis Regis filium, ſui regni & honoris parricidam typum fuiſſe proditoris Iudæ, cùm vterque ſuæ obligationis oblitus machinatus fuerit contra ſuum Dominum magnificam ſupplantationem, teſte eodem Regio Vate Pſalm. 40. Tertius liber in fratricida Caino delineat Iudaici populi inuidioſam rabiem in Ieſum fratrem ſuum, fratrem (inquam) qui non confunditur Iudam eorum ducem vocare amicum, Matth. 26. Et eos (licèt perditiſſimos peccatores, vt vel ſic eos lucrifaceret) vocare fratres Hebr. 2. Hæc autem tria ſuæ Moralis expoſitionis argumenta, quæ accuratè perſequitur, verborum claritate & ſtyli facilitate ſic temperat, vt altiſſima myſteria & profundiſſima ſacramenta, quæ in eis tractas, etiam à rudioribus facillimo negotio valeant comprehendi. Sic etiam altiſſimarum conſiderationum faſtigium ad noſtrorum morum inſtitutionem accommodat, vt rectum Chriſti cultorem vel hic ſolus liber valeat efformare; immò & in via ſpiritus ad ſummum vſque gradum ſubleuare, & vndequaque hominem perfectum efficere. Hominem (inquam) perfectum, qualem illum inſtituere exoptabat magnus ille concionator, qui ſic adhortatus eſt Eccleſ. cap. 12.* Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo. *Lector ergo chariſſime, librum iſtum tanti magiſtri (vt verbis vtar Doctoris maximi, ad Latam ſcribentis pro libris B. Hilarij) poteris inoffenſo pede percurrere, & abſque vlla labis ſuſpicione perlegere, & ex eo, ſi voles, poteris (crede mihi) vberrimos fructus exhaurire, & capeſſere ad tuæ ſpiritualis vitæ incrementum. Non ſolùm ergo, illuſtriſſime Domine, hic liber eſt ab omni macula & neuo, quo poſſit in publicum abſque vllius detrectatoris ſuggillatione prodire; verùm & toti Chriſti Reipublicæ erit perutile, vt tua bona venia typis mandetur. Sic ſentio, ſic cenſeo, Valliſoleti Calendis Octobris, anno à partu Virginis Matris, abſque vllius peccati labe conceptæ, 1640.*

Doctor FERNANDEZ DE TORRES Arroyo.

Facultas Prouincialis Caſtellani Societatis IESV.

EGo Ildefonſus del Caño Prouincialis Societatis IESV in Caſtellana Prouincia, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. Mutio Vitelleſcho, Præpoſito noſtro Generali, facultatem facio, vt quintus Tomus *de Chriſto figurato*, à P. Didaco de Baëza, noſtræ Societatis, compoſitus, eiuſdemque Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus, in noſtro Vallifoletano Collegio D. Ignatij 24. die Februarij, anno 1641.

ILDEPHONSVS del Caño.

Cenſura Operis.

NOs infra ſcripti teſtamur, nihil nobis in hoc Opere, cui titulus eſt, *P. Didaci de Baëza Societatis* IESV, *Commentariorum de Chriſto figurato, Tomus quintus*, prorſus occurriſſe à bonis moribus, & Catholica fide, Theologorúmque placitis alienum. In cuius rei fidem hoc teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum dedimus, Lugduni die 10. Aprilis 1642.

IOSEPHVS GIBALINVS.

CAROLVS DV LIEV.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunenſi.*

IOANNES Gayetus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij, 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimant: Permitto Laurentio Aniſſon, Bibliopolæ Lugdunenſi, vt librum, qui dicitur, *Tomus quintus de Chriſto figurato*, *à R. P. Didaco de Baeza, noſtræ Societatis*, compoſitum, & à duobus eiuſdem Societatis Patribus recognitum, ad decem proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni 11. Aprilis 1642.

IOANNES GAYETVS.

Summa.

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate ſancitum eſt, ac præſentibus literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo, & ratione conetur librum, qui inſcribitur: *R.P. Didaci de Baeza, Societatis* IESV *Theologi, Commentariorum de Chriſto figurato, Tomus quintus*, præter LAVRENTIVM ANISSON, Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem authoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quenquam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti LAVRENTII ANISSON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Lugduni, die 31. Auguſti, 1642.

De mandato Regis

Signatum,

FAVVRE.

SERIES

SERIES
LIBRORVM, CAPITVM, & Paragraphorum.

LIBER NONVS.

Salomon, ſiue IESVS *triumphans Hieroſolymis.*

CAPVT I.

Salomonis & Ieſu ſymbola in triumpho Hieroſolymitano. pag.1.col.1

PARAGRAPHI.

A *Chriſto pax.* ibid.
2 *Tributa non poſſunt facere Principem conſpicabilem populis: vt in Salomone, & Ieſu.* 1.2
3 *Vt Salomonis, ſic Chriſti gloria ſingularis.* 2.1
4 *Religio & in Salomone, & in Ieſu libentiſſimum nudat populum.* ibid.
5 *Propheta halant regnum Ieſu.* ibid.
6 *Hac eſt ſapientia Salomonis, & Ieſu, qua faciat hominem popularibus accepium.* 3.1
7 *Salomonis & Chriſti gloria ab obedientibus ſubditis.* ibid.
8 *Patrum antiquorum virtutibus reſpondere ſumma eſt laus, vt in Salomone, & Ieſu.* 3.2
9 *Ieſus ornatus ferculis vt gaudet, inſtar Salomonis.* 4.1

CAPVT II.

Natiuitas, & educatio Salomonis, ibid.

MORALIA.

Sapien.7. Sum quidem & ego mortalis homo, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 A *Temporalibus, terreniſve bonis nunquam non mors gignitur.* 4.2
2 *Humilis propria vilitatis cognitio firmum gratiarum excipiendarum firmamentum.* ibidem.
3 *Ille ſolus ſcit aliquid, qui mortis extrema nouit.* 5.1
4 *Te generi diuino adiungit humilitas.* 5.2
5 *Vel Chriſti vmbra te diuino generi adiungit.* ibid.
6 *Hic eſt ordo rerum mundialium, vt carnales primas referant.* 6.1
7 *Humanum eſt, non niſi per profectum venire ad palmas.* ibid.
8 *Nil adeò vile, & abiectum eſt in vno iuſto, quod non veniat in gloriam eius.* 6.2
9 *Nihil eſt adeò vile, in quo non poſſis inuenire aliquid, quo excedaris.* 7.1
10 *Communis vſus nullo pratextu immutandus à ſapiente moderatore.* ibid.
11 *Magnis rebus ſtruendis moroſior, & diuturnior debetur praparatio. Vbi de mortis praparatione.* 7.2
12 *Vita humana ſomnus.* 8.1
Sap. 7. Et ego natus accepi communem aërem, *&c.*
13 *Conformari debemus loco, & ſtatui noſtro.* 8.2
14 *Ventoſa vanitatis paſtum numquam non loquitur caſus, & perditio.* 9.1
15 *Vnus Deus pracipuè ſpectatus tenet hominem, ne inter mundialia negotia labatur.* 9.2
16 *Illa compunctionis lachryma vera cenſentur, qua non facilè admittunt riſum inanem.* ibid.
17 *Non niſi magnorum criminum rei in cladibus communibus admittunt lætitiam.* 10.1
18 *Multum hebeſcit cladium acies, ſi videatur omnibus communis.* ibid.
2.*Reg.*12. Quæ genuit filium, & vocauit eum Salomon, *&c.*
19 *In dilectis ſuis nihil Deus vacuum relinquit.* 10.2
20 *Pacificus Principis animus efficaciſſimus ad hoſtiles incurſus tollendos.* 11.1
21 *Auſpicata ſolet eſſe pueri natiuitas inter felicia contingens.* 11.2
*Sap.*8. Puer autem eram ingenioſus, *&c.*
22 *Virilis atatis facinora ſolet Deus in hominis pueritia pramonſtrare.* ibid.
23 *Sapientia ſigna cum puritate, & ſanctitate vita coniuncta.* 12.1
Prouerb 4. Ego filius fui patris mei, *&c*
24 *Domeſtica, & quieta ſub prudenti matre educatio vtiliſſima Principi.* 12.2

CAPVT III.

Salomonis inauguratio in Regem. 13.1

MORALIA.

3. *Reg.* 1. Adonias autem filius Haggith eleuabatur, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *NVnquam non animaduertendum in praproperam ſolicitudinem de habẽda dignitate.* 13.2
2 *Ambitionis elatio lethalis.* 14.1
3 *Ambitioſi non tam verbo, quàm opere coërcendi.* 14.1
4 *Ambitioſus de ſua gloria agit, etiam cum contemptu Dei.* 14.2
5 *Mundiales Principes ſuos in perditionem, Deus ſolus in ſalutem ducit.* 15.1
Ibid. Immolatis ergo Adonias arietibus, *&c.*
6 *Sacrorum abuſus lethalis.* 15.2
7 *Certiſſima eſt ruina illis, qui præſtantes virtute viros in malum prouocat.* 16.1
Ibid. Dixit autem Nathan, *&c.*
8 *Conſilium Dei vel de minimis proſperatur.* ibid.
9 *Ad felicitatem hominis pertinet, quod vni Deo debeat promotionem ſuam.* 17.1
10 *Stabilis ſedes à Deo non in ambientes, ſed humiles venit.* 17.1
11 *In promotione non eſt nudè ſpectandum, quod ad poteſtatem facit, ſed magis, & prius, quod facit ad ſalutem animæ.* 17.2
Ibid. Ingreſſa eſt itáque Bethſabee, *&c.*
12 *Virginitas efficaciſſima ad impetrandum.* 18.1
13 *Maximè extollitur paterfamilias in concordia domeſticarum fœminarum.* 18.2
14 *Nemo non magis afficitur ad promouendam rem operis ſui.* 19.1
15 *Iuramenta pro illis ſolum emittenda, quæ in tua vnius poteſtate ſunt.* 19.2
16 *Iuramenti violatio lethaliſſima eſt domibus, vrbibus, regnis.* ibid.
17 *Vxoris affectio maximè virum emollit.* 20.1
18 *Felices Chriſti aſſeclæ, cuius vel in morte habent gloriam, & vitam.* 20.2
Ibid. Et nuntiauerunt Regi, *&c.*
19 *Ad celſitudinis munera non præcurrendum.* 21.2
20 *In conuiuiis maximè cauenda ſunt pericula. Vbi de Euchariſtia.* 21.2
21 *Quaſi ſimilem ſe effingat potentibus in ſententiis, qui illos trahere amat in bonam frugem.* 22.1
Ibid. Et reſpondit Rex Dauid, *&c.*
22 *Nullo prætextu fœmina virorum non caueat congreſſum.* 22.2
23 *Mala temporalia bonorum temporalium abſorbent commoditates.* 23.1
24 *Sapientis Principis eſt fœmineis votis non moueri.* ibid.
Ibid. Dixit quoque Rex Dauid, *&c.*
25 *Religio fundamentum regnorum, & totius proſperitatis.* 23.2
26 *Non omnia ab vno occupanda, ſed locus aliis dandus.* 24.1
27 *Qui hominum ingeniis proſpicè amat vti, eorum ſequatur indolem.* 24.2
28 *Fœlix, cui cœleſtis ros ſuppetit, quò carnis ardores temperentur.* 25.1
29 *Ille ſingulariter ſedem Deo præbet, qui caſtitatis puritate præfulget.* ibid.
Ibid. Audiuit autem Adonias, *&c.*
30 *Fœlix cui ſtricta iuſtitia Dei tuba non in medio fœlicitatis temporalis, ſed in fine intonat.* 26.1
31 *Honor exhibitus maioribus fratribus ex ſe laudabilis.* ibid.
32 *Calamitas mediis gaudiis immiſſa acerbior eſt.* 26.2
33 *Natura cognatio efficaciſſima eſt, vt trahat ſiue ad bonum, ſiue ad malum.* ibid.
34 *Puſilli, & infirmi animi eſt triſtibus nuntiandis accurrere.* 27.2
Ibid. Hæc eſt vox, quàm audiſtis, *&c.*
35 *Crux Chriſti, & paſſio Reges facit.* 27.2
36 *Ab vnius Ieſu nomine latiſſima venit poſteritatis amplificatio.* 28.1
Ibid. Territi ſunt ergo, *&c.*
37 *Si vel paruum Dei pro te habeas, ſuperas maximas mundi poteſtates.* 28.2
38 *Quod mendaciter tibi à creaturis promittitur, id veraciter in vno Deo inuenis.* 29.1
39 *Semel fallaci, & duro tibi ne te committas, vbi quod non credamus, nos mundo, nec vitiis.* 29.2
40 *Quæ Deo credimus, iam certiſſimè tenemus.* ibid.
41 *Remiſſio ſceleris paruum eſt beneficium, vbi mens peccatoris non ſanatur.* 30.1
42 *Externas operationes virtutum, etſi aſperas, facilius amplexamur.* 30.2

CAPVT IV.

Secunda Salomonis inauguratio. 30.2

MORALIA.

1. *Paral* 28. Conuocauit igitur omnes Principes Iſraël, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *PRincipum magiſtri puritate caſtitatis conſpicui ſint.* 31.1
2 *Alacritas mentis interna ſolet corporis infirmitatem ſuperare.* 31.2
3 *Non parua celſitudo ab humilitate venit.* ibid.
4 *Bonorum propoſitum executioni mandare, præſtantiſſimi viri eſt.* 32.1
Ibid. Sed elegit Dominus Deus Iſraël, *&c.*
5 *Non limitatæ poteſtatis, ſed infinitæ eſt præfixos rerum ordines immutare.* 32.2
6 *Efficacius perſuadet rem, qui eam vſitatam probat.* 33.1
7 *Nunquam Deus non profuſior in ſuos.* 33.2
Ibid. Tu autem Salomon fili mi, *&c.*
8 *Præcellenti perſonæ ſingularis habendus eſt honos.* 33.2
9 *Quicquid bonum maiorum noſtrorum eſt, peculiari honore colendum.* 34.1
10 *Qui claris oculis Deum noſcit, facilè deſpicit vanitates mundiales.* 34.2
11 *Illud in te præcipuum, quod ſpontaneum, & voluntarium eſt.* 35.1
12 *Quales nos ſumus Deo, talem ſe nobis exhibet Deus.* 35.2
13 *Magno virtutis robore indiges ne ſub præpropera, & ſubita dignitate euaneſcas.* ibid.
14 *Vnus Ieſus perfectionem dat rebus ſanctis.* 36.1

15 Chriſtia

Digitized by Google

15 *Chriſtianorum epulæ à cælis.* 36.1
16 *Præſules Eccleſiæ non ſolùm ſpiritualia, ſed & temporalia ſubſidia debent ſuis.* 36.2
Ibid. Dixit quoque Dauid Salomoni filio ſuo, *&c.*
17 *Id enixè curandum, quòd internè Deo fiat, quod illi in externis operibus exhibes.* 36.2
1. *Paralipom.* 29. Salomonem filium meum, *&c.*
18 *Non annorum ætas æſtimanda apud Deum, ſed virtus.* 37.1
19 *Vita nouitas Ieſu placet.* 37.2
20 *Deus non ſic ſuperbam templorum magnificentiam, vt intimam cultorum deuotionem, æſtimat.* ibid.
21 *Sanctiſſimi non plus pro Deo faciunt, quàm mundiales pro mundo.* 38.1
22 *Feliciores, qui in vno Ieſu nituntur,* 38.2
23 *Spontanea dona lætitiam afferunt donatori.* ibidem.
Ibid. Et comederunt, & biberunt coram Domino, *&c.*
24 *Ad non ignobile ieiunium pertinet, quòd non comedas niſi ex præſcripto Dei.* 39.1
25 *Vnitas, & concordia requirenda, vt Dei dona adoleſcant, & affectum habeant.* ibid.
26 *Qui ad Dei poſſeſſionem pertinent, benedictionibus cæleſtibus implentur. Non ſic alieni.* 39.2

CAPVT V.

Adoniæ, & Ioabi mors. 40.2

MORALIA.

3. *Regum* 2. Salomon autem ſedit ſuper thronum Dauid patris ſui, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *Per Mariam veri Salomonis matrem omnia ſalutaria.* 41.1
2 *Validiſſima vis ad perdendum, quæ per ſimulatoria blanditiarum ſigna.* ibid.
3 *Vnus diuini Spiritus eſt, quod ſciat cedere, & velle vinci.* 41.2
Ibid. Precor, vt dicas Salomoni, *&c.*
4 *Ingenuus & præcelſus animus ex quo aliquid accepit non poteſt non & ipſe præſtare.* 42.1
5 *Glorioſior quis in dato, quam in accepto.* 42.2
6 *Nil honoris & gloriæ datur à mundo, quod non præſtandum ſit à Deo ſuis cumulatiſſimè.* 43.1
7 *Plus contulit nobis Dominus ſe nobis donans in Euchariſtia, quàm faciens nos aſſidere ſibi.* ibidem.
Ibid. Reſponditque Rex Salomon, *&c.*
8 *Fœminarum virtus elanguet vbi Chriſtus appuret.* 43.2
8 *Sæcularis pompa regni affectati ſymbolum.* 44.1
10 *Nullum malum non timetur, vbi apparet laſciuia.* 44.1
11 *Qui habenas regni tenuit, idoneus ad regnum inuadendum.* 44.2
12 *Nuptiæ luctibus propinquiſſimæ.* 45.1
13 *Sæculi dignitates via triſtiſſima ad mortem.* ibidem.
14 *Non eſt patientia humana iteratas offenſas præterire.* 45.2

Ibid. Abiathari quoque Sacerdoti dixit Rex, *&c.*
15 *Vt in præſtantioribus perſonis, minus ſunt diſſimulanda delicta.* 40.1
16 *Salus noſtra in Maria tutiſſimè, & ſecuriſſimè cuſtodita.* 46.2
17 *Non qui viſu tantùm, ſed qui & paſſionis experientia percipit labores Chriſti, is felix.* ibid.
Ibid. Venit autem nuntius ad Salomonem, *&c.*
18 *Miſerè falluntur impij, dum ſibi præſumunt ventura bona, quæ aliis euenere.* 47.1
19 *Militares animi vbi metuunt Deum ſpectant.* ibid.
20 *Vnus Ieſus tegit, & protegit in vitam eos, qui ſub illo ſunt.* 48.1
21 *Impius nihil videt in ſacris niſi facinora ſua, ſub quibus pereat.* 48.2
22 *Pœnitentia in finem vitæ dilata ſuſpecta ſit.* ibidem.
23 *Honor habendus reo, qui religioſè, & piè occumbit.* 49.1
Ibid. Miſit quoque Rex, *&c.*
24 *Præſtantiſſimorum hominum contentio de honore nociuiſſima religioſæ familiæ.* 49.2
25 *Ex auaritia certiſſimus laqueus in ruinam.* ibidem.
26 *Maledici lingua omni gladio lethalior.* 50.1
27 *Auaritia impellit in mortem neſcientes.* 50.2
28 *Væ quos peccata non ſinunt eſſe in intimis Eccleſiæ.* ibid.

CAPVT VI.

Sapientiæ conquiſitio. 51.1

MORALIA.

3. *Regum* 3. Dilexit autem Salomon Dominum, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *Dilectione Deus trahitur.* ibid.
2 *Nullo magis parentes familiæ ſplendorem æternant, quam dum filios erudiunt in amore, & timore Dei.* 51.2
3 *Principis eſt virtutibus hærendum.* 52.1
4 *In filiis ſuis caſtigat Deus vel minutiſſima, vt probetur amor eorum.* 52.2
5 *Culpæ quæ aliquod virtutis ſpecimen præbent magis ad veniam pertinent.* ibid.
6 *Maria humilibus maximè fauet.* 53.1
7 *Omnia magna Mariæ adſcripta.* 53.2
Sap. 9. Deus patrum meorum, *&c.*
8 *Dei religio totam hominum antecedit originem.* ibid.
9 *Sordes generis virtutum floribus obteguntur.* 54.2
10 *Chriſtiani præſtantia, quod nihil habeas tuum præter Deum.* ibid.
11 *Solus creator poteſt mentes humanas ab omni errore, & ignorantia cuſtodire.* 55.1
12 *Sub diuinæ Trinitatis auſpicio nihil non bonum plaudit.* 55.1
13 *Summa præſtantia in eo, quod primi opificis lineamentis inſiſtas.* 55.2
14 *Quod ſemel Deus bonum in homine fecit, id iterum in eodem reficere non grauatur.* 56.1

15 *Dei ſedes inde noſcitur, quòd nunquam ab illa vera abſit ſapientia.* 56.1

Ibid. Et ſi quis erit conſummatus, *&c.*

16 *Omnia euaneſcunt, niſi in ſapientia, quæ Deum ſpectat, fundantur.* 56.2

17 *Præſules nihil ſuum in ſubditis reſpiciant.* 57.1

18 *Non mirer, ſi dominetur terræ, qui inuexit in illa religionem.* ibid.1

19 *Inde tota ſapientiæ præſtantia, & firmitas, quòd cæleſtia in primis reſpiciat. Quæ Princeps debet pollere.* 57.2

Ibid. Mitte illum de cælis ſanctis tuis, *&c.*

20 *Parentes plus à filiis, quàm à ſeruis otia arceant.* 58.2

21 *Quo maior ſapientia eſt, eo in arumnis doloris aculeos magis acuit.* 58.2

22 *Sapienti inimicum otium, labor amicus.* 58.2

23 *Tunc cæleſtis Pater integro filiorum numero certius gaudet, cùm eius filius hominibus adiungitur.* 59.1

24 *Labor Deo, & mihi communis expetibilis fit.* 59.2.

25 *In omnibus certa moderaminis leges ſeruandæ.* ibid.

26 *Honoris zelus non parum proficit ad firmandum hominem in virtute.* 60.1

27 *Non naturæ, nec nomini, ſed operibus fidendum, vt parentum dignitatibus adſcribamur.* 60.2

28 *Corpus ſapienti non eſt domus, ſed hoſpitium.* ibid.

29 *Spiritus opus eſt, quòd terrenis non hareas, nec carnalibus.* 61.1

30 *Ab vnius Spiritus ſancti lumine res manifeſtantur, ſicuti ſunt.* 61.2

3. Reg.3. Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium, *&c.*

31 *Dum ſe magis occulit Deus in via, ſolet magis inflammare implere humana corda. Vbi de Euchariſtia.* 62.1

32 *Dona temporalia vel dormienti largitur Deus, ſpiritualia autem regni cæleſtis, non niſi laboranti ſtrenuè.* 62.2

33 *Eo Deus efficacior oſtenditur in tranſmutando homine, quo magis ex animo & corde ab homine recipitur.* 63.1

34 *Deus non permanet niſi in Sanctis.* ibid.

35 *Nil magnum niſi in Chriſto Ieſu.* 63.1

36 *Bona noſtra æſtimabiliora fiunt, de aliorum viſis malis.* 64.1

Ibid. Et nunc Domine Deus tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo, *&c.*

37 *Neſcit Deus vocare ad munus hominem, ad quod omnia conuenientia non tribuat.* 64.2

38. *Nil magis regium, quam id, quod populi vtilitati conducit.* 65.1

39 *Præſtantiſſimum Principem decet populares ſuos, non ſolum ad temporalia, ſed ad æterna ducere.* ibid.

Ibid. Dixit Dominus Salomoni, *&c.*

40. *Supra homines eſt, qui à propria voluptate, & vtilitate abſtinet pro aliis.* 65.2

41 *Qui pro bonis proximorum orat, & quæ ſibi non petit, accipit ex Deo.* 66.1

42. *Diuinorum vel vmbra hominem implent.* 66.2

43 *In animi gratitudine multa bona fundantur.* 67.1

Capvt VII.

Fæminarum lis de filio. 67.2

MORALIA.

3. Reg.3. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *TRiumphalis ſapientiæ ſpecimen maximè datur in victoria de carnali voluptate.* 68.1

2 *Non tam in blandis, quàm in duris & aſperis firmatur virtus.* ibid.

3 *Ablatis humani cordis idolis, quàm facilè itur ad Chriſtum.* 68.2

Ibid. Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte, *&c.*

4 *Vere matris affectus nec à filio ſeparatur defuncto.* 69.1

5 *Perditionis ſpiritus eſt, quòd deſpectis propriis totus feraris ad extraneos.* 69.2

6 *A Chriſti luce venit; quòd mortalia hac vt aliena abiiciamus.* 70.1

3. Reg.3. Tunc Rex ait, *&c.*

7 *Diuina ſapientia ex nullo alio, quàm ex virtute commendanda.* 70.2

8 *Diuinus Spiritus eſt abſtruſa quæque manifeſtare.* 71.1

9 *Filij Ieſu doloribus non potuerunt non correſpondere viſcera Mariæ.* ibid.

3. Reg.3. Dixit autem mulier, *&c.*

10 *Paſſio Chriſti in Maria omnes alios dolores proprios ſedauit.* 71.2

11 *Nunquam de paternis viſceribus perditio filij venire ſolet.* 72.1

12 *Quid non ſibi acquirat compaſſio in proximum.* 72.2

13 *Mariæ Virginis lachrymæ meruerunt filium tenere rediuiuum.* ibid.

Capvt VIII.

Salomonis nuptiæ, & familia. 73.1

MORALIA.

3. Regum 3. Confirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *VIrtus, quæ in externis etiam operibus conſpicitur, ſtabilior eſt.* 73.2

2 *Regium eſt vel hoſtes in amicitiæ fœdere admittere.* 74.1

3 *Ille rectè perpendit Deo illatas iniurias, qui ſcit earum ſimiles in ſe ſentire.* 74.2

4 *Qui indigna, & indecora propter peccatores pertulit, acrior fiet in illos, niſi reſipiſcant.* ibid.

Cantic. 3. Egredimini, & videte filiæ Sion, *&c.*

5 *In primis virtutum floſculis non parua iam ſeges fructuum ſentitur.* 75.1

6 *Mariæ matri adſcribendæ omnium iuſtorum coronæ.* 75.2

7 *A caſtitatis triumphis maximè conſpicabilis quis ſit.* 76.1

8 *Inter paſſionis ſuæ vulnera neſcit Deus non propitius apparere ſuis.* ibid.

9 *De paſſionis Chriſti conſpectu vel infirmiſſimi vires accipiunt, vt alios acquirant Chriſto.* 76.2

10 *Chriſti paſſi conſpectus maximè tenet hominem, ne exorbitet.* ibid.

11 *In vno Ieſu bonorum ſoliditas inuenitur.* 77.1

3. Regum 9. Pharao Rex Ægypti aſcendit, *&c.*

12 *Quæ à Dei manu veniunt, in æſtimatione ſunt magna apud virum ſapientem.* 77.2

13 *Antiqua peccatorum clades facilè abſconduntur in præſentanea quadam fœlicitate, non ſic recentes.* 78.1

14 *In mundialibus bonis non poteſt non apparere finis.* 78.2

15 *Chriſti ſponſis à cineribus præſtantiſſima fœcunditas exurgit.* 79.1

16 *Qui Chriſto adiungitur, nil aliud ſpectet niſi Chriſtum.* 79.1

17 *Præſtantem Dei ſponſam dedecent, quæ mundialibus ſunt communia.* 79.2

18 *Præſtantis virtutis ruina in gloriam proficiunt.* 80.1

3. Reg. 4. Erat autem Rex Salomon regnans ſuper omnem Iſraël, *&c.*

19 *Regaliſſimi Principis eſt in principatu, & honore conſortes habere.* 80.2

20 *Fœlicitas ſumma Principatus, quem pacifici & quieti extollunt.* 81.1

21 *Clariſſimorum Principum eſt amicitiam colere etiam cum ſubditis.* 81.2

22 *Regum amicis ſpecialis honor deferendus.* ibidem.

Ibid. Habebat autem Salomon duodecim Præfectos, *&c.*

23 *Maximè extolluntur Apoſtolici viri propter paratum diuinum conuiuium.* 82.1

24 *Nullibi refectio vitalis, niſi vbi Apoſtolorum affulget doctrina.* 82.1

Chriſtus Ieſus verè cibus eſt Principum. 82.2

25 *Cœleſtis panis ex ſe nulli non abundat.* 83.1

26 *Nouitas vitæ neceſſaria ei, qui cœleſtes cibos tractat.* ibid.

Ibid. Iuda & Iſraël innumerabiles ſicut arena maris, *&c.*

27 *Seruus ſatur domini gloria eſt; vbi de Euchariſtia.* 83.2

28 *Princeps ne ſit partiarius in fœnendis ſubditis.* 84.1

29 *Subditorum vtilitas quaſi propria habetur à bono Principe.* ibid.

Ibid. Habitabatque Iuda & Iſraël abſque timore vllo, *&c.*

30 *A ſolo Ieſu verum fructum poſſumus percipere.* 84.2

31 *Feriſſimi quique capiuntur, & tenentur pabulo.* 85.1

Ibid. Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, *&c.*

32 *Quantus in vitiis amplectendis fuiſti, tantus ſis in virtutibus conſequendis.* 85.2

33 *Quæ à Ieſu venit ſapientia omnem mundialem ſapientiam ſuperat.* 86.1

34 *De diuina ſapientia venit, quòd nullis malorum, bonorúmve incurſibus frangaris.* 86.2

35 *Sapientis eſt non alligari vnius magiſtri placitis, in rebus: quæ ad fidem non pertinent.* ibid.

Ibid. Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas, *&c.*

36 *Qualis cultura ſermonis habenda in componendis humanis moribus.* 87.1

37 *Altiora ſapientiæ myſteria non niſi ſapientibus dicenda.* 87.2

38 *Omnium ſenſuum cuſtodia præualeat in eo, qui amat Deo maximè placere.* 88.1

39 *Paſſio Chriſti mundiſſimis labiis prædicanda.* 88.2

40 *Ieſu myſteria non tam intellectu, quàm affectu capere ſtude.* ibid.

41 *Sapiens nec viliſſimum contemnit.* 89.1

Capvt IX.

Salomon ad Hiram. 89.1

MORALIA.

3. Regum 5. Miſit quoque Hiram Rex Tyri, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *Beneficium ſemel acceptum nullis aliis debet obliterari incommodis.* 89.2

2 *Ieſu gloria inde præſtantior, quòd non acquiſita, ſed innata.* 90.1

Ibidem. Miſit autem Salomon ad Hiram, *&c.*

3 *Proprio muneri maximè quiſque ſtudeat, nec ſe aliò diuertat.* 90.2

4 *Reſtauratio gratiæ perditæ per peccatum laborioſior debet eſſe.* 91.1

5 *Principum nobiliumque religione ornatur Eccleſia tempore pacis.* ibid.

Ibid. Præcipe igitur, vt præcidant mihi, *&c.*

6 *In correctione proximorum, maximè potentium, magna dexteritas, & ſapientia neceſſaria.* 91.2

7 *Præſtantes viri maximè diuino verbo capiuntur.* 92.1

8 *Vnius diuinitatis opus eſt, quòd tibi bonus ſucceſſor accidat.* 92.2

Ibid. Itaque Hiram dabat Salomoni, *&c.*

9 *Imputribilis caſtitatis pretium in Euchariſtico cibo.* 93.1

10 *Diuini Spiritus eſt, nec paleam accipere ſine remuneratione.* 93.2

Ibid. Elegitque Rex Salomon operarios, *&c.*

15 *Præſtantior Dei ſedes non tam multitudine, quàm vel in paucorum deuotione.* 93.2

12 *Ieſu propria ſedes ab vnitate, & concordia.* 94.1

13 *Nuſquam non labor, & onus homini, vel in vitiis, vel in virtutibus.* 94.2

14 *Meditationis ſeceſſus aptiſſimus vt Chriſti Domini cognitionem indat.* 95.1

Series, Librorum, Capitum,

CAPVT X.

Salomonis templum. 95.2

MORALIA.

3. *Regum* 6. Factum eſt ergo quadringenteſimo, &c.

PARAGRAPHI.

1 *IN Chriſto ſingulis horis, & momentis tota nobis cæleſtis ſurgit ædificatio.* ibid.
2 *Diuinæ epulæ maximè in nobis Deo habitaculum parant.* 96.1
3 *Maius negotium facit Deo peccatorum noſtrorum ſuſtinentia, quàm mortis tolerantia.* ibidem.
Ibid. Fecitque in templo feneſtras obliquas, &c.
4 *Vel minimum Dei præceptum ingentem carnis mortificationem indicit.* 97.1
5 *Apoſtolica virius eſt, quòd non totum virtutis, quod habes, manifeſtetur extrinſecus.* ibid.
6 *Sincera doctrina à ſanctorum Patrum ſcriptis haurienda.* 97.2
7 *Sanctorum vitas inſpiciat, qui amat in virtute proficere.* 98.1
Ibid. Domus autem cùm ædificaretur, &c.
8 *Eccleſia Christi non ferro, ſed voce ædificatur.* 98.2
9 *Capita populi, & Principes hoc propriiſſimum habeant, quòd iniuriarum, aut errorum ſubditorum nec minimum ſeruent veſtigium.* ibidem.
Ibid. Et factus eſt ſermo Domini; &c.
10 *Ne ita fidas templorum à te ædificatorum magnificentiæ, vt non magis ſtudeas vitæ ſanctitati.* 99.1
11 *Vbi Deus præſens, ibi maximè ſuos firmat.* 99.2
Ibid. Et ædificauit parietes domus, &c.
12 *Mundo mortuus Ieſus maximè ſalutaris.* 100.1
13 *Christi Spiritus eſt, vt nudemus peccata noſtra in ſalutem.* 10.2
Ibid. Oraculum autem in medio domus, &c.
14 *Deus de præſtantiſſimis operibus ſecuriùs requiritur.* 101.1
15 *Præſtantiſſimi viri non niſi de magnis charitatis operibus cenſentur apud Deum.* 101.2
16 *Ex auri contemptu verum aurum naſcitur in Christi Eccleſia.* ibid.
17 *Bona temporalia ſine auaritiæ macula tenentur per timorem Dei.* 102.1
Ibid. Et fecit in oraculo duos Cherubin, &c.
18 *Facillimè poteſt quis in ſortem Angelorum tranſire.* 102.2
19 *Miſericordia eſt vita cæleſtium virtutum.* ibidem.
20 *Vbi vel vmbra Christi: ibi & ſplendet victoria eius per lignum.* 103.1
21 *In ſcientia Scripturarum validiſſimum Eccleſiæ tutamen eſt.* 103.2
22 *Non terrenis hæreat, ſed ſuperius aduolet, qui in conflictu chriſtiano victoriam ſpectat.* ibid.
3. *Reg.* 7. Miſit quoque Rex Salomon, &c.
23 *Magiſtri bonorum operum non immeritò cenſentur parentes noſtri.* 104.1
24 *Laudabile in Principe, quòd in familiaribus ſuis potius naturæ, gratiæque dotes, quàm fortunæ ſpectet.* 104.2
25 *Vt ciuile, & ſacerdotale munus difficile poſſit ab vno rectè adminiſtrari.* 105.1
26 *Chriſtianum eſt non tam loqui, quàm agere.* 105.2
27 *Non paruus ornatus Eccleſiæ eſt in linguarum variarum notitia.* 106.1
28 *Mundialia bona cauenda.* ibid.
29 *Sumptus facti ob temporalia, ruinam pariunt, facti ob æterna, te Deo non abſimilem efficiunt.* 106.2
30 *Præſtantiſſima illa gloria, quæ non nititur externis, ſed intima homini eſt.* 107.1
31 *Laſciuia non vincitur, niſi à multitudine virtutum congregatarum.* 107.2
Ibid Fecit quoque mare fuſile, &c.
32 *Pro tollendis peccatis pœnitentia non parua, ſed magna procuranda.* ibid.
33 *Nequit Deus in occulto eſſe, quin aliquando & perſpicuus fiat.* 108.1
34 *Ex quo cœpit confeſſio, maximè per illam peccata leuantur.* 108.2
35 *Chriſtiani ſacramenti ſonus vniuerſum peruadit orbem.* 109.1
36 *Munus Eccleſiaſticum, vt in illo labores, non vt in illo delicieris.* ibid.
37 *Præſtantiſſimis viri facinoribus infirmiora eius debent obtegi, & diſſimulari.* 109.2
38 *Si extremi iudicij ratio attentis oculis inſpiceretur, nullus eſſet, qui vellet in Eccleſia dominari.* 110.1
Ibid. Et fecit decem baſes æneas, &c.
39 *Correctionis ſeueritas fauoribus eſt circummollienda.* 110.2
40 *Chriſtiana ſacramenta non ſolùm vulneribus medentur, ſed & nos in ſalutem portant.* 111.1
41 *Dei miſericordia in nos moras abrumpit, præueniens nos.* 111.2
42 *Peccata commiſſa licèt ſemel, & iterum ad confeſſionem deducta ſemper ſunt metuenda.* ibid.
43 *Qua per homines electio adminiſtratur, nunquam non capit dignos, & indignos.* 112.1
44 *A chriſtianis ſacramentis animalis homo Angelis æquatur.* 112.2

CAPVT XI.

Dedicatio templi. 113.1

MORALIA.

3. *Regum* 3. Tunc congregati ſunt omnes maiores natu Iſraël, &c.

PARAGRAPHI.

1 *TOta regnorum fortitudo ex religione.* 113.2
2 *Templorum ædificator & ſe & alios in viam trahit ſalutis.* 114.1
Ibid. Rex autem Salomon, &c.
3 *Maxima omnium lætitia ab vno Ieſu.* 114.2
4 *Sapientiæ ſermo Eccleſiæ firmitudo, & animarum.* 115.1
5 *Deum lethaliter alicui æquat creatura.* 115.2
Ibid. In arca autem non erat aliud, &c.
6 *In Chriſto Ieſu non ſola ſeueritas.* 116.1
7 *In ſolo Chriſto Ieſu lux, in aliis tenebræ.* ibid.

8 *Qualis*

8 *Qualis fueris, talem ſe tibi Deus exhibere ſolet.* 116.2
9 *Solùm ibi benignitas Dei ſplendet, vbi Maria eſt.* 117.1
Ibid. Conuertitque Rex faciem ſuam, *&c.*
10 *Propinqui iuſtorum vniuerſas eorum glorias participant quaſi ſuas.* 117.2
11 *Ad apertum & ſingulare colloquium ſoli admittendi, qui præſtantia, & virtutis ſimilitudine emineant.* 118.1
12 *Honori glorieque ducitur, quòd infimas perſonas in familiare colloquium non admittas.* 118.1
13 *Gratia acta Deo in tribulationibus, illum faciunt nobis aſſidere.* 118.2
14 *Prius in corde faciendum eſt, quidquid externè Deo facis.* 119.1
Ibid. Qui cuſtodiſti ſeruo tuo, *&c.*
15 *In vno Deo miſericordia, & iuſtitia non ſe mutuò impediunt.* 119.2
16 *Non niſi à magna ſanctitate prouenit, quòd quis promiſſis ſtet.* 120.1
17 *Nullum bonum durabile niſi in Deo.* 120.2
18 *Nomen Dei nuſquam ſine re virtutis.* 121.1
Ibid Si peccauerit homo in proximum ſuum, *&c.*
19 *A multis, & honeſtis cauendum, vt magis lapſus in illicita caueatur.* 121.2
20 *Chriſtiana perfectionis eſt, proximis peccandi occaſiones abripere, vel proprio incommodo.* 121.2
21 *Salutare, eſt ſaltem in calamitate reſipiſcere.* 122.1
Ibid. Si clauſum fuerit cœlum, *&c.*
22 *Plures, & frequentiores ſunt, qui à malis ad Deum veniant, quàm à bonis.* 122.2
23 *Pœnitentia potens eſt, & ingentia mala temporalia tollere.* 123.1
Ibid Factum eſt autem cùm compleſſet, *&c.*
24 *Ex Deo habet Princeps quòd nihil ſibi retineat, ſed ſolùm ſe impendat pro vtilitate ſubditorum.* 123.2
25 *Princeps ille inuincibilis, qui per ſe inſtituit populares.* 124.1
26 *Per Mariam habemus, quod parentum virtutibus addamus, & in maiora eamus.* 124.2
27 *Orationi inſtandum.* 125.1
Ibid. Igitur Rex, & omnis Iſraël, *&c.*
2. *Paral.* 7. Cùmque compleſſet Salomon, *&c.*
28 *Princeps ſubditorum forma eſt.* 125.1
29 *Qui charitate ardet, externos vix ſentit ignes.* 125.2
3. *Reg.* 8. Fecit ergo Salomon in tempore illo, *&c.*
30 *Non ſolis lapidibus, ſed & virtutum exemplis templa ſunt Deo conſtruenda.* 126.1.

CAPVT XII.

Regia & thronus Salomonis, & claſſis. 126.1

MORALIA.

3. *Reg.* 17. Domum autem ſuam, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *QVæ ad Deum pertinent, in primis, & de primis fine.* 126.2
2 *In nullo minus, quàm in Chriſti rebus laboras.* 127.1
3 *In caſtitatis virtute certa ſunt menſuræ, certique limites minimè excedendi.* 127.1
Ibid. Porticum quoque ſolij, *&c.*
4 *Integritas iuſtitiæ integritati virgineæ ſimilis ſit.* 128.1
5 *Eſculenta, & poculenta non parum iuſtitiæ officiunt.* 128.1
6 *Vt cauendum à profanis.* 128.2
7 *Ad Dei præſentiam vel licitus fugiendus amplexus.* 129.1
8 *Quod ſibi habet decorum Ieſus, id ſuis præſtat.* 129.1
9 *Tota triumphantis, & militantis Eccleſiæ domus ſingulariter eſt Mariæ data.* 129.2
10 *Maria vt in corporis incorruptione poſt mortem debuit filio aſſimilari.* 130.1
11 *In accepto officio manifeſtè oſtenditur qualis debeat eſſe remuneratio.* 130.1
3. *Reg.* 10. Fecit quoque Rex Salomon, *&c.*
12 *In iudice præfulgeat caſtitas.* 130.2
13 *Legiſlatoris & principis ea fortitudo ſit, quæ tranſgreſſores minimè relinquat impunitos.* 131.1
14 *In virginitatis puritate materies eſt præſtantiſſimis omnium operibus efficiendis.* 131.2
15 *In Principe patentiſſimus animus ſit, vt omnes excipiat amplexeturque.* 132.1
16 *Ille Deum ad ſe trahet, qui omne impedimentum de gratiæ auxilio abiecerit.* 132.2
17 *Beata Maria nullam nouit maculam originalem.* 133.1
18 *Maria omnium maximè proxima diuinitati.* 133.2
19 *Maria in conceptione præcipua Dei cuſtodia, ne labem incurreret.* 133.2
20 *A Maria Apoſtoli Ieſu robur, & virtutum acceperunt,* 134.1
21 *Per Mariam vel infirmiſſimi homines habent acceſſum ad Deum, quem habent validiſſimi ſpiritus.* 134.2
22 *Prouinciæ ruina eſt, quando in ſuis nihil aliud requirit Princeps, quàm obedientiam.* ibid.
23 *Totum aurum abſumatur neceſſum eſt, in ſui defenſionem.* 135.1
3. *Reg.* 9. Ædificauit ergo Salomon, *&c.*
24 *Non ſic, quæ in externis eſt, vt quæ in internis eſt infirmitas præcauenda.* 135.2
Ibid. Vniuerſum populum, *&c.*
25 *Felix, qui in aliorum periculis ipſe cauet.* 136.1
26 *Seruitus fugienda viro ingenuo ſupra omnia temporalia.* 136.2
Ibid. Filia autem Pharaonis, *&c.*
27 *Continentia validiſſimum munimentum eſt aduerſus hoſtes.* 137.1
28 *Externarum operationum pretium de robore intimarum virtutum ſumitur.* 137.2
Ibid. Claſſem quoque fecit Rex Salomon, *&c.*
29 *Baptiſmus, & Pœnitentia lachrymæ nos in perfectiſſima quæque obtinenda deducunt.* 137.2
30 *Non ſæcularibus, ſed cœleſtibus inhiandum bonis.* 138.1
31 *Humana auaritia nullis terminis concluditur.* 138.2
32 *Auaritia in magnanimis largitatem æmulatur, vt in puſillanimis frugalitatem.* 138.2
3. *Reg.* 10. Claſſis Regis per mare, *&c.*
33 *Nullum facinus non æmulatur & patrat auri amator.* 139.1
34 *Inutilitas auri ad verum, & ſolidum hominis bonum ponderatur.* 139.2
35 *Diuitiæ vt fugaciſſima.* 140.1

36 *Ea ſunt bona temporalia, quorum progreſſus nunquam non ſordidiſſimos fines habeant.* 140.1
37 *Diuitiæ ducunt hominem in mollem luxum.* 140.1

Capvt XIII.

Deus ſecundò apparet Salomoni. 140.2.

MORALIA.

3. Reg. 9. Factum eſt autem, cùm perfeciſſet, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 AD *Euchariſtia frequentiam magna puritas neceſſaria.* 141.1
2 *Virtutum opera vſque ad vltimam perfectionem deducenda.* 141.2
3 *Dei cura ſingularis, & præcipua, non temporalia, ſed ſpiritualia reſpicit.* 142.1
4 *Non tam in externis parietibus, quàm in internis noſtris animis ſanctificandus eſt Deus.* 142.1
Ibid. Tu quoque ſi ambulaueris, *&c.*
5 *Non tam in ambitioſo cultus ornatu, quàm in puritate intentionis, ſibi Deus complacet.* 142.2
6 *Longa dona exhibita Deo, minimè afferant licentiam peccandi.* 143.1
7 *Nihil ſic Deus æſtimat, quàm id, quod vel poteſt præſtari à pauperrimo.* 143.2
Ibid. Si autem auerſione auerſi fueritis, *&c.*
8 *Labores validiſſimi vt homines reducant ad Deum.* 144.1
9 *Vna vita puritas potens eſt nos in altis firmare.* 144.2

Capvt XIV.

Reginæ Saba aduentus. 145.1

MORALIA.

3. Reg. 10. Sed & Regina Saba, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 VBi *nomen Domini, nulla audet laſciuia.* 145.2
2 *In vera ſapientia via infirmiſſimus quiſque proficit.* 146.1
3 *Non deſidibus, ſed laborantibus ſapientiæ ſalutaris ſecreta aperiuntur.* 146.1
4 *Virtutum proprij effectus in quocumque illi ſint, inueniuntur.* 146.2
Ibid. Videns autem Regina Saba, *&c.*
5 *Qui verè ſapit, non viſibilibus his, ſed inuiſibilibus bonis magis capitur.* 147.1
6 *Magnitudo ſeſe coarctans, & anguſtans in paruo, efficacius rapit corda humana.* 147.1
7 *Tranſitoria bona vt nocent humanis cordibus.* 147.2
8 *Fœminea, & leuiſſima ſapientia eſt ſolos externos verborum ſplendores attendere.* 148.1
Ibid. Beati viri tui, *&c.*
9 *Magnæ, & præſtantis virtutis indicium, quòd in temporali fœlicitate conſtitutus non cadas.* 148.2
10 *Melius eſt ire ad Chriſtum etiam cum periculo cadendi, quàm ſtare in mundo.* 149.1
11 *Tunc bona temporalia non nocent, quando præcipuè Deus ſpectatur in illis.* 149.2
12 *Sapientiæ ſtudio laborantes nunquam primas non teneant in Politia Dei.* 150.1
13 *In Mariæ Deiparæ manibus non poſſumus non admitti à Deo.* ibid.
14 *Maria Deipara petenti nil nouit Deus denegare.* 150.2
Ibid. Magnificatus eſt ergo Rex Salomon, *&c.*
15 *Cœleſtes animi non niſi ad diuina mouentur.* 151.1
16 *Sola quæ à Deo virtus eſt, poteſt vniuerſam terram peruadere.* 151.2
17 *Magnificatio firmior hominis nō tam in temporalibus bonis, quàm in humilitate conſiſtit.* 151.2
18 *Gloria Principis non in congerendis diuitiis, ſed in communicandis.* 152.1

Capvt XV.

Salomonis lapſus. 152.2

MORALIA.

3. Reg. 11. Rex autem Salomon adamauit mulieres, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 SVperbia *comes laſciuia.* 152.2
2 *Totum aularum negotium circa amores fœminarum.* 153.1
3 *Luxuria peccatum nunquam inueniri ſolet ſine aliis plurimis.* 153.2
4 *Per plura voluptuoſa obiecta homo vagatus facilius perit.* 153.2
5 *Luxuria ignis ardentiſſimus eſt, qui homines adurit.* 154.1
Ibid. Fueruntque ei vxores quaſi Reginæ, *&c.*
6 *Impiorum multitudini rarus obſiſtit, quin rapiatur ad facinora.* 154.2
7 *Idololatria coniunctiſſima libidini eſt.* 154.2
8 *A parentum virtutibus degeneres filij maximè Deo odioſi.* 155.1
9 *Monſtroſa filiorum facinora nullam notam parentibus inurunt.* 155.2
Ibid. Igitur iratus eſt Deus Salomoni, *&c.*
10 *Crebra, & aſſidua impugnatio vel validiſſimum animum infirmat & expugnat.* 156.1
11 *Subitæ, & extemporaneæ tentationes excuſabiliter vel validiſſimum abripiunt.* 156.1
12 *Nulla præuentio, aut admonitio ſufficit, ne à cœleſtibus cadas, vbi fœmina interuenit.* 156.2
13 *In corrigendis potentibus te ipſorum Deum exhibebis.* 157.1
14 *Parentis virtutes vt proſunt etiam filiis malis.* 157.2
15 *Sola virtus vales bona in nobis æternare.* 157.2
16 *Diuini cultus ſtudium, & impenſa valde homini in ſalutem proficua.* 158.1
17 *Pretioſæ, & ſpecioſæ veſtes non parum impediunt mentis contritionem.* 158.2

Capvt XVI.

Rebellio Adad, & Razon. 158.2

MORALIA.

3. *Reg.* 11. Suſcitauit autem Dominus aduerſarium, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *Peccatum notum omnium in ſe trahit odium, & iram.* 159.1

2 *Nullum adeò tibi inferiorem æſtimes, qui non poſſit ſupra te, quamprimum eſſe.* 159.2

3 *Virtutis Chriſtianæ cultor nunquam non reuireſcit à malis.* 159.2

Ibid. Et inuenit Adad gratiam coram Pharaone, *&c.*

4 *Apud vnum Deum ſola natura hominis æſtimatur, non alij reſpectus temporales.* 160.2

5 *Non niſi abiecta terra præualebis apud Chriſtum Dominum.* 160.2

6 *Iuſtis viris ingens gaudium ex cœleſtibus nuptiis venit.* 161.1

7 *Eò nobis ſpectandum eſt, vt ad priſtinam paradiſi patriam regrediamur.* 161.2

Ibid. Suſcitauit quoque ei Deus aduerſarium Razon, *&c.*

8 *Principes nunquam ſoli pereunt.* 162.1

9 *Nil aſperius Principi, quàm ſuorum perditio.* 162.1

10 *Vbi impietas regnat, nullum malum deficit.* 162.2

11 *Impiorum vnitas cauenda.* 162.2

Capvt XVII. & vlt.

Rebellio Ieroboam, & mors Salomonis. 163.1

MORALIA.

3. *Reg.* 11. Ieroboam quoque filius Nabath, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *In vno Deo ſemper & patrem & matrem habemus.* 163.2

2 *Effœminati, & molles, quamprimum in Deum inſurgunt.* 163.2

3 *Perditiſſimæ ingratitudinis eſt, quid acceptis donis abutaris in damnum donatoris.* 164.1

Ibid. Factum eſt igitur in tempore illo, *&c.*

4 *Laſciuia exſuperans omnia bona hominis perdit; abſumit.* 164.2

5 *Ad leuamen pertinet, quòd mala non inuiſim, ſed per partes ſubeantur.* 165.1

6 *Malum, ſeu vitium diuiſim, & per partes ſumptum facilius perditur.* 165.2

7 *Qui ſpiritu Dei aguntur, in rebus fictis, & ludicris nihil pati volunt, ſed in veris.* 165.2

8 *Temporalia bona pauciſſimis dantur à Deo, æterna innumeris.* 166.1

9 *Sciſſuræ in bonis temporalibus opportunæ ſunt ad ſalutem.* 166.2

10 *Labor pro temporalibus euanidus, & irritus apud Deum.* 167.1

Ibid. Non auferam omne regnum de manu eius, *&c.*

11 *Nunquam non datur à Deo aliquid veniæ temporalis reo, ob priſtinas virtutes, vel ipſius, vel parentum eius.* 167.2

12 *Diuina magnitudo clarè elucet in benefaciendo hoſtibus.* 167.1

13 *Res ſuas alienis tradit Deus, quando illarum melior conditio non ſperatur apud ſuos.* 168.1

Ibid. Si igitur audieris omnia, *&c.*

14 *Tota firmitas principatus à religione veri Dei.* 168.2

15 *Difficilius homo fertur ad opera præcepta, quàm ad ſpontanea.* 169.1

Prouerb. 4. Tanquam ager vir imprudens, *&c.*

16 *Quò diutius quis in peccato exſiſtit, eo ad pœnitentiæ fructus difficilior.* 169.1

17 *Pereat, neceſſum eſt, cui eripitur Chriſtus, à cuius conſpectu vita.* 170.1

18 *Pœnitentia nimis ſera ſuſpecta.* 170.1

19 *Pœnitentia feſtinata multum ſaporis, & dulcedinis habet.* 170.2

20 *Pœnitentiæ luctus, ſeu lachrymæ acuunt oculos, vt videant diuina.* 171.1

21 *Magna hominis ſapientia in luctu pœnitentiæ eſt.* 171.2

22 *Qui exemplis fratres ædificat, quaſi Sol ſtat diuinorum bonorum author.* 171.2

23 *Summa poteſtas excuſabilem facit hominem in facinoribus.* 172.1

24 *Temporalia regna felicius citò exuuntur.* 172.2

25 *Ab vno parente Deo & immortalitas, & incorruptio inducitur.* 172.2

26 *Nihil ſolidum in bonis temporalibus.* 173.1

LIBER DECIMVS.

De Abſalon, ſiue de Iuda proditore Chriſti.

Capvt I.

Iudæ & Abſalonis ſymbola, 174.1

PARAGRAPHI.

1 *Avaritia pondus grauiſſimum.* 174.1

2 *Eccleſiaſticorum auaritia omnium peſſima.* 174.2

3 *Duriora ſunt quæ per chariſſimos nobis mala inferuntur.* 175.1

4 *Irrationale murmur de magiſtris, aut Prælatis exitiale.* 175.2

5 *Feliciſſima eſt domus in qua vnus filius perditionis ſolus eſt.* 176.1

6 *Fauorabilia omnia deſerunt impium, dum pergit ad ſupplicium.* 176.1

7 *Iuſto omnia fauorabilia prohabita comitantur etiam in periculo.* 176.2

Capvt

CAPVT II.

Thamari vis illata. 177.1

MORALIA.

2. *Reg.* 14. Porrò ſicut Abſalon vir non erat pulcher, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *NOn aduentitius, ſed natiuus decor æſtimandus plurimi.* 177.2
2 *Bonorum temporalium cumulus, aut defectus nihili ſunt apud Deum.* 178.1
3 *Mundialis ſuperfluitas, & vitioſa; prorſus tollenda eſt, vbi datur locus Chriſto.* 178.2
4 *Impius nihil habet, quod perdere debeat metuere.* 178.2
5 *Spiritualia bona quæ plura, eo nos magis eleuant in ſublimia.* 179.2
6 *Præſtantia bonorum ſpiritualium notior ex receſſu.* 179.2

2 *Reg.* 13. Factum eſt autem poſt hæc, *&c.*

7 *Poſt Ieſu œconomiam viſam nullus æſtimandus temporalis ſplendor,* 180.1
8 *Laſciuus ardor pietatis nomina abſumit.* 180.2
9 *Laſciuia plus deſæuit in nobilibus, & principibus.* 181.1
10 *Laſciuus ſui ipſius interemptor eſt.* 181.2
11 *In re libidinoſa maximè facit caſum imaginatio.* 181.2

Ibid. Erat autem Amnon Amicus, *&c.*

12 *Iniquis amicis & conſiliariis damnoſè vteris.* 182.1
13 *Mundiales dignitates, & ſplendores nihil intrinſecus boni ponunt, ſecus cœleſtes.* 182.2
14 *Laſciuus animus maximè in ſuperbiam abiit, imò in ſuperbiam caſtigandam.* 183.1

Ibid. Accubuit itaque Amnon, *&c.*

15 *Nil temporale magnum, ſed & paruum, & leuidenſe.* 183.2
16 *Bona delectabilia mundi non mandi, ſed ſorberi debent vt amara purgationis potio.* 184.1
17 *Impio peccata inſtar conuiuij ſunt.* 184.1
18 *Temporalia bona ne cerdi ſint, ſed diuina.* 184.2
19 *Virgineo pudori timendum vel ab officiis debitis.* 184.2

Ibid. Dixitque Amnon: Eiicite vniuerſos à me, *&c.*

20 *Nec in minimis à cautela legibus excedat, qui nolit culpa implicari.* 185.1
21 *Æquè periculoſa ſunt virgini: quæ dat viro dona, quàm quæ accipit.* 185.2
22 *Inde animi bona ſola æſtimanda, quia nobis per vim eripi nequeunt.* 186.1
23 *Non parum pudicitiæ ſuæ detrahit, qui temperatè ſe gerit in petitorem impudicum.* 186.1
24 *Ad brutam ſtultitiam pertinent facinora laſciuiæ.* 186.2
25 *Totus ſplendor virginei pudoris in intima voluntatis integritate poteſt conſeruari.* 186.2
26 *Virginitatis affectus validus adeo eſt, vt vix vinci poſſit.* 187.1

Ibid Et oppreſſit eam, *&c.*

27 *Voluptates mundiales ſæpiſſimè in contraria vertuntur.* 187.2
28 *Impiorum non mediocre ſupplicium eſt, quod à contrariis in contraria currant.* 187.2
29 *In re laſciuia nè dormias, niſi ſpoliari ames, & perdi.* 188.1
30 *Peccaminoſa materia odium non mediocre iuuamen ad virtutem.* 188.2
31 *Afflictiones, & ærumnæ non parum conducunt, vt à peccatis exeamus.* 188.2
32 *De cinerum humanæ corruptionis conſpectu caſtitas magis affulget.* 189.1

Ibid. Manſit itaque Thamar, *&c.*

33 *In vno patre Deo habemus omnium malorum remedia.* 189.2
34 *Afflictiones, & luctus pro temporalibus infructuoſi; pro ſpiritualibus autem valdè vtiles.* 190.1
35 *Carnalis amoris affectus, vt facit parentes conniuere ad errores filiorum; ſic illis exitialis eſſe ſolet.* 190.1
36 *Rarum, & inauditum eſt quòd medius iniuriis quis bilem prorſus contineret.* 190.2

CAPVT III.

Abſalon occidit Amnonem. 191.1

MORALIA.

2. *Reg.* 13. Factum eſt autem poſt tempus biennij, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *PAſtoris optimi gloria non ex tondendis, ſed ex paſcendis ouibus.* 191.1
2 *Feſta paſtorum, & deliciæ armari ſolent in Dei filium.* 191.2
3 *Dum ablatis extrinſecis notis, magis ſeruatur intrinſecus peccati virus, in maiora mala exurget.* 192.1
4 *Deplorati eſt hominis, quod non vereatur publicè peccare.* 192.2
5 *Grauiſſima pœna parentis, quod ſub eius conſpectu filij interimantur.* 193.1

Ibid. Feceratque Abſalon conuiuium, *&c.*

6 *Qualia ſumit peccator arma aduerſus Deum, talia opponit Deus, vt illum perdat.* 193.1
7 *In re virtutis exceſſus nimius damnoſiſſimus eſt.* 193.2
8 *Peccatorum confeſſio ſalutaris.* 194.1

Ibid Fama peruenit ad Dauid, *&c.*

9 *In charioribus animi pignoribus pœna peccatori debita fundari ſolent.* 194.1
10 *Præſtet in ſe Princeps, quidquid vult à ſubditis præſtari.* 194.2
11 *Prudentis eſt non exaggerare, ſed minuere iniuriarum illatarum mala.* 195.1

Ibid. Dixit autem Ionadab ad Regem, *&c.*

12 *In vnius innocentis vindictam ſolet tota regni vniuerſitas flagellari à Deo.* 195.1
13 *Exitiale eſt homini, quod in proximi clade, non quod luctuoſum, ſed quod lucroſum aſpiciat.* 195.2
14 *Caſtitatis vindex, validiſſimus pro victoriis reportandis.* 196.1
15 *Nullus temporalis boni reuerentia ſeruatur, vbi pudicitia vindicatur.* 196.2
16 *Filiis Dei illata mala inde contemnenda, quia finem habent.* 196.2

CAPVT

Capvt IV.

Abſalonis reditus agitur. 197.1

MORALIA.

2. *Reg.*14. Intelligens autem Ioab filius Saruiæ, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *Peccatoris reſtitutio in vitam vt per Mariam.* 197.1
2 *Amicitia cum Deo renouari debet, & luctu, & lachrymis intercedentibus.* 197.2
3 *Peccator per lachrymas accedere ad Deum debet.* 198.1
4 *Apud Deum abſconſa pulchritudo, & gratia efficacior.* 198.1
Ibid Itaque cùm ingreſſa fuiſſet mulier, *&c.*
5 *Parentes nihili æſtimant omnia præ filiorum vita.* 198.2
6 *Non ſub luctuoſo, ſed ſub glorioſo ornatu fœminarum lethalis dolus eſt.* 199.1
7 *Ab vno Chriſto amor in fratres, imò in hoſtes.* 199.1
8 *Veniabilior eſt culpa, quæ fit in ſolitudine.* 199.2
9 *Stultorum iudicium eſt, quod vt ſimplex malum collat, admittit duplicatum.* 200.1
Ibid. Qui ait: Viuit Dominus, *&c.*
10 *Capitalium legum rigores temperandi ex circunſtantiis.* 200.2
11 *Optimo Principi, non mediocri dolori ſint ſuorum peccata.* 200.2
12 *Quæ neceſſariò ventura ſunt mala, parui pendendum eſt, quòd citius veniant.* 201.1
13 *Corporis mortem parui pendet Deus, non ſic animæ mortem.* 201.2
14 *Stabilitas, & firmitudo in virtute Dei amica, & ſocia.* 202.1
15 *Deum verum abnegabit, qui aura populari mouetur.* 202.2
Ibid. Vt verterem figuram ſermonis, *&c.*
16 *Quam ſententiam dederis tu alienis, eamdem in tuis dabis.* 203.1

Capvt V.

Abſalon reducitur. 203.1

MORALIA.

2. *Reg.* 14. Surrexit ergo Ioab, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *Reproborum eſt nimium admirari bona temporalia, ab illiſque ſolidum aliquid ſperare.* 203.2
2 *In Dei, virtutiſque obtinendæ cauſa, affectibus humanis non cedendum.* 204.1
3 *Peccatoribus pœna non ſolet omnino tolli ſed in aliam mutari.* 204.2
4 *Præſtantiſſimum eſt homini, quòd alieniſſimus fiat impius.* 204.2
5 *Vt voluptas eſt, vbi fœmina, ſic & mors, & interitus adeſt.* 205.1
6 *Multò ſordet ad imperium familia, in qua fœmina præcellit.* 205.2
Ibid. Miſit itaque ad Ioab, *&c.*
7 *Impij nil citius peſſundant, & deſtruunt, quàm ſuarum cupiditatum fomenta.* 206.1
8 *Etiam maximè amicos trahit Deus ad ſe flagellis.* 206.1
9 *Parui pendenda ſunt mala quæ maioribus ſunt bonis reſarcienda.* 206.2
Ibid. Et reſpondit Abſalon ad Ioab, *&c.*
10 *Durius ipſa morte eſt, à Deo non admitti, ſed deſpici.* 207.1
11 *Mariæ interceſſio non ceſſat, vſque dum nos in perfecto afferat.* 207.1
12 *Vna, quæ a Deo venit ſanitas, totum implet hominem.* 207.2
13 *Per pudorem confitentis peccata ſua, maximè peccata tolluntur, & eorum reiteratio cauetur.* 208.1

Capvt VI.

Abſalon coniuratio. 208.2

MORALIA.

2. *Reg.* 15. Igitur poſt hæc fecit ſibi Abſalon, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *Non perituri triumphi magis à contemptu temporalium bonorum affulgent.* 209.1
2 *Quæ nos bona tempore felicitatis ornant, in aduerſitate vertuntur in inſtrumenta exitij.* 209.1
3 *Non creaturarum multitudo, ſed vnus Deus ante oculos poſitus nos firmat in bono.* 209.2
4 *Seruus fiat multorum, neceſſum eſt, qui tenetur ambitione culminum.* 210.1
5 *Ambitioſus homo æquè ſubſcribit mendacio potentis, ac veritati.* 210.2
6 *Vbi ambitio regnat, diuina non ſuſtinentur dignitates.* 210.2
7 *Mendacium adulatorium corda humana aufert ab obligationibus ſuis.* 211.1
Ibid. Poſt quadraginta autem annos, *&c.*
Ambientium affectibus non fidendum, vt qui facilè rapiantur in contraria. 211.2
8 *Ambitores nihil prius ſolent concutere, quàm ſuæ exaltationis principia.* 211.2
9 *Non ſic virtus, vt ambitio homines mundiales rapit ad labores.* 212.1
10 *Nullus dolus potentior ad habendos homines, quàm qui religionem prætendit.* 212.2
Ibid. Miſit autem Abſalon exploratores, *&c.*
11 *Non locus extrinſecus, ſed interna animi virtus facit hominem triumphare.* 213.1
12 *Non parum leuantur iuſti in calamitatibus videntes ſuorum tyrannorum fines.* 213.2
13 *A ſacris nequiter peractis in horrenda crimina ruitur.* 214.1
14 *Vbi vitium, & malitia viget, ibi ſequacium magna multitudo.* 214.2
15 *Nunquam virtus non malè olet apud ſceleſtos.* 214.2
Ibid. Et ait Dauid ſeruis ſuis, *&c.*
16 *Sapientis eſt in externorum bonorum perditione agnoſcere diuinam manum, & ſibi cauere, antequam in ſe malum experiatur.* 215.1
17 *Ruinas internæ mentis & ſequuntur, & comitantur ruinæ externæ in bonis temporalibus.* 215.2

18 *Blanditiarum*

18 *Blanditiarum obſequia nunquam non exhibenda humanæ infirmitati.* 216.1
19 *Duriſſimum, & luctuoſiſſimum homini ſub illo domino eſſe, qui in miſeria ſit.* ibid.
20 *Vt iniqui timere ſibi debent à Sanctorum conſortio.* 216.2

Capvt VII.

Chuſai cum Abſalone. 217.1

MORALIA.

*2.Reg.*15. Cùm aſcenderet Dauid ſummitatem, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *ORatione mala conſilia hoſtium diſſipantur, bona conſilia trahuntur.* 217.1
2 *Vanè de Ieſu amicitia gloriatur, qui eum in paſſione videns, nil in ſe paſſionis aſſumit.* 217.2
3. *In Ieſu pœnis timeat homo ſuas, quas dabit Deo.* 218.1
4 *Dolor non minuitur, ſed augetur amicorum, dilectorúmve doloribus.* ibid.
5 *Vnum Deum ſpectanti oneroſa ſunt temporalia leuamina.* 218.2
6 *Blandimenta verborum validiſſima ad perdendos homines.* 219.1
Ibid. Habes autem tecum Sadoc, *&c.*
7 *Etiam hoſtes honorificis vocabulis tractandi.* ibid.
8 *Magnarum rerum certitudo tunc omnibus innoteſcit, quando tranſmittitur per eos, qui Deo ſunt adiuncti.* 219.2
Vbi alicubi oritur virtus, ferè nunquam non oritur & vitium iuxtà. 220.1
9 *Parum, quòd ex Deo habeas, ad magnum perueniet.* 220.1
10 *Ambitioſi nunquam non inueniunt ſectatores.* 220.2
2. Reg. 16. Abſalon autem, & omnis populus eius, *&c.*
11 *Terrenis bonis minimè fidendum, vt quæ neſciant diu ſuos retinere.* 221.1
12 *Placentia inconſultiſſimè creduntur ab hominibus.* ibid.
13 *Nullo magis inflantur impij, quàm vbi ſe Deo propinquos audiunt.* 221.2
14 *Temporalia decora potius ad ludibrium hominum, quàm ad eorum gloriam faciunt.* 222.1

Capvt VIII.

Achitophelis conſilia. 222.1

MORALIA.

2.Regum 16. Dixit autem Abſalon ad Achitophel, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *CAuendum ſemper ab illo, cui aliquando fuiſti iniurius.* 222.2
2 *Vbi fœmina adeſt, facili negotio vniuerſa & natura, & religionis leges contemnuntur.* 223.1
3 *Peccatum aptius ad perdendum, quam ad roborandum hominis ſtatum.* 223.1
4 *Poſt peccati pœnam in aliis viſam, qui peccat, maiori, & certiori tenetur ſupplicio.* 223.2
5 *Quod ab alio ebibiſti malum, raro in te non augetur.* 224.1
6 *Iniuria à filiis, ſeu fratribus illata non omnino intolerabilis eſt.* 224.2
7 *Adulter alienarum coniugum, propria coniugis adulteris publicus ſolet puniri.* 224.2
2. *Reg.*17. Dixit ergo Achitophel ad Abſalon, *&c.*
8 *Optimus conſiliarius, qui difficilia dati conſilij ſibi exequenda aſſumit.* 225.1
9 *Diligentia feſtinata in re virtutis etiam, nunquam caſſa.* 225.1
10 *Ibi triumphus virtutis: vbi inuaſio, vel violentia reperitur.* 225.2
11 *Sub Chriſti vexillis non ſolum in proſperis ſed & in difficillimis ſeruiendum.* 226.1
12 *Iuſtus in ſumma etiam deſolatione regium ſeruat ſplendorem.* ibid.
13 *Qui vulnere ſuo ſalutem inferat populis, non ſeruilis natura, ſed regia eſt, nempe Ieſus.* 226.2
14 *Qui Deum habet, etſi ſolus ſit, de mundo triumphat, & inferno.* 227.1
15 *Vbi Princeps populi à Deo tenetur, facili negotio vniuerſos populares ad ſe trahit.* 227.1
Ibid. Ait autem Abſalon, *&c.*
16 *Nouitatis ſpecies maximè humana corda rapit.* 227.2
17 *Vnus Deus nouit ſuis in opportunitatibus adeſſe.* 228.1
18 *Virtutis, Deive cauſa facit homines & fortes, & audentes ad magna.* 228.2
19 *Luctus pœnitentiæ præualet hoſtium incredibili multitudini.* ibid.
20 *Vigilantis animus difficilia quæque ſuperat.* 229.1
21 *Oratio valentior armis.* 229.2
22 *Siniſtrum initium vel fortiſſimorum corda infirmat.* ibid.
Ibid. Sed hoc mihi videtur rectum, *&c.*
23 *Quò maior creaturarum multitudo te occupauerit, clarior apparebit perditio tua.* 230.2
24 *Tyrannos animos magis permulcet, quo maior fuerit profuſio ſanguinis.* 230.2
Mundiali pricipi maximè cordi eſt, quòd ſolus in honoribus ſit. 231.1
Ibid. Dixit abſalon, & omnes viri Iſraël, *&c.*
25 *Validiſſima quæque diſparent ad Dei nutum.* 231.2
26 *Indignitatibus quæ à Deo non veniunt, nihil vitæ præualet.* 232.1
27 *Religio bonum regni auſpicium.* ibid.
Ibid. Ionathas autem, & Achimaas, *&c.*
28 *Vnius diuinæ potentiæ eſt, maxima quæque per fœminam perficere.* 232.2
29 *Ab vndis Baptiſmi fœlix auſpicium humanæ vitæ.* 233.1
30 *Quæ vni aliquando Deus dedit, eadem aliis ſimilibus ſolet præſtare.* 233.1
31 *Maria cibum protulit, quo nos à morte protegeret.* 233.2
32 *Virentia carnis in nobis deſiccanda ſunt prius, vt inde pergamus in vitam.* 234.1
33 *Sub Maria fames nulla.* 234.1
34 *Felix, qui extra Deum in nullo immoratur ſine bono, ſine malo.* 234.2
35 *Vel de abyſſi profundo per Mariã exibimus.* 235.1

36 Ma

36 *Maria nobis liberum ad Deum facit acceſſum.* 235.2

Ibid. Surrexit ergo Dauid, &c.

37 *Ab inimicis maximè protegimur per Baptiſmum.* 235.2

38 *Exundantibus triſtitiæ fluctibus maximus quiſque poteſt penitus abſorberi.* 236.1

39 *Mundialis ſapientia honoris imminutionem credit eſſe inter intolerabiles calamitates, non ſic cœleſtis.* 236.2

40 *Mundialis ſapientia nihil nouit æſtimare præter hæc præſentia temporalia.* 237.1

41 *Summum dedecus eſt quod in propriis accidit.* 237.1

Ibid. Dauid autem venit in caſtra, &c.

42 *Idem corpus, & ſanguis fiunt cum Ieſu, qui cum illo tribulationes patiuntur.* 237.2

43 *Vnanimitas in virtute inuicicibilis, triumphatrix eſt.* 238.1

44 *Peccantium multitudo magis ad ſupplicij accelerationem facit.* 238.2

45 *Amicitia temporalis rarò non detrimentoſa homini.* 238.2

46 *Inæqualitas fauorum erga ſubditos excuſabilem facit eorum malitiam.* 239.1

CAPVT IX.

Exercitus aduersùs Abſalonem. 239.2

MORALIA.

2. *Reg.* 18. Igitur conſiderato Dauid populo, &c.

PARAGRAPHI.

1 *MVlta vtendum eſt conſideratione in ſpirituali militia ſuſcipenda.* 239.2

2 *Non omnia prudenti conſideranda, ſed multa Deo permittenda.* 240.1

3 *Ordinata, prudentiſue poteſtatis non eſt, omnia à ſuo nutu velle immediatè pendere.* 240.2

4 *Vt Sacerdos ſæcularis militiæ negotiis turpiter præficitur.* 241.1

5 *Peccatorum præteritorum occaſiones qui fugit, ſe à peccatis exiſſe oſtendit,* 241.2

Ibid. Et reſpondit populus: Non exibis, &c.

6 *Vna Maria ſufficit loco totius Sanctorum collectionis aduersùs diabolum.* 241.2

7 *Non regium, ſed pecuinum eſt pro libito, & appetitu proprio omnia moderari.* 242.1

Ibid. Stetit ergo Rex iuxta portam, &c.

8 *Vbi iuſtitia, & virtus, mala non perſeuerant.* 242.2

9 *Qui primi venenum peccati experti ſunt, ſolent primi præſentire remedium.* 243.1

10 *Adoleſcentum culpa veniabiles.* 243.1

11 *Certum eſt excidium filiis, qui in parentes peſſimi ſunt.* 243.2

12 *Parenti optimo vna filij vita ſufficit.* 243.2

13 *In patris iudicio nihil eſt ad ſalutem non conducens.* 244.1

CAPVT X.

Abſalonis ruina. 244.1

MORALIA.

2. *Reg.* 18. Itaque egreſſus eſt populus, &c.

PARAGRAPHI.

1 *VIctoria non penes eum, qui valentiorem, & numeroſiorem exercitum habet, ſed penes eum, qui habet ſibi Deum.* 244.2

2 *Diſcordiam, diuiſionemve qui cauſant, diuiſione, diſcordiàve peribunt.* 245.1

3 *Terra maximè aduerſatur factionariis, & ſeditioſis.* 245.2

Ibid. Accidit autem, vt accurreret, &c.

4 *Pulchritudo temporalis brutorum cibus.* 246.1

5 *Ad maiorem patientis pœnam facit nouum, & inuſitatum genus mortis.* 246.1

6 *Vel inſenſibilia armantur in impios.* 246.2

7 *Crimina in animo veteraſcentia hominem in pœnam præcipitant.* 246.2

8 *Quæ iuſtis fauent creaturæ, exitiales ſunt impiis.* 247.1

9 *Impij eò deuenire ſolent, vt vel facilè, & promptum remedium accipere nolint, ſed attoniti hæreant.* 247.2

10 *Ea habetur reuerentia miſeris Principibus, quæ certius pereant.* 247.2

11 *Vera hominis fortitudo in repellendis bonis temporalibus.* 248.1

Ibid. Ait Ioab: Non ſicut tu vis, &c.

12 *Vnus Dei radius cordi affulgens hominis, eum excitat in ſalutem.* 248.2

13 *Viri miſericordis eſt non omnibus parcere.* 249.1

14 *Potentia virtus maximè ex longanimitate claret.* 249.2

15 *Impiorum perditio riſum facit, & bonis, & dyſcolis.* 249.2

16 *Qui conſanguinitatis iura confringit, nunquam non dat pœnas Deo.* 250.1

17 *Mundiales plauſus auidè ſibi venantes, nunquam non in ruinis confunduntur.* 250.2

18 *Proſperitas de cognatorum malis orta nunquam non vertitur in confuſionem.* 251.1

19 *Non qui ſe oſtentat, ſed qui ſe abſcondit, cœleſtis patris bonis gaudet.* 251.1

20 *Non ab homine, ſed à Deo veniunt, & gloria, & triumphi.* 251.2

21 *Præſtantis viri eſt, ea perficere, quæ non ab homine, ſed à Deo videantur fuiſſe.* 252.1

22 *In operibus maximè ſolet repræſentari operantis virtus.* 252.2

23 *Vel inter mortis fauces ſaluus ſolet eſſe peccatoribus pra manibus.* 253.1

24 *Non hominis, ſed Dei manus interſit, vt exitialia mala propulſentur.* ibid.

25 *In nullo glorіatur vanè homo, quod ei non deficiat tempore periculi.* ibid.2

26 *Vna Dei manus regnum parat homini.* 359.1

LIBER VNDECIMVS.

Caini, ſiue Ieſu perſequutor.

Capvt I.

Caini, & Iudæorum ſymbola. 255.1

PARAGRAPHI.

1 DEfectus ſubditorum in Prælatis puniuntur. ibid.
2 Miſerum eſt per ea perdere rem, per quæ poſſes magnum lucrum acquirere. 256.1
3 Ibi ſolùm vita eſt, & mors adeſt, vbi Chriſtus eſt. ibid.
4 Potentiores exitiales ſunt Sanctis. ibid.2
5 Non paruum ſcelus eſt, quòd Deum ignorare velis. 257.1
6 Incolumitas impiorum à Deo prouidetur, vt proficiat iuſtorum ſaluti. ibid.

Capvt II.

Caini ſacrificium. 257.2

MORALIA.

Geneſ. 4. Adam verò cognouit, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 ILla præſtantior virtus, quæ communi ſeruit ſaluti. 258.1
2 Cum virgineo pudore nullum verbum comparatur, quod Venerem oleat. ibid.
3 Virginitas vix ſeruari poteſt cum aliis peccatis. ibid.2
4 Id maximæ æſtimationis, & fœlicitatis eſt bonum, quod non ab alio habetur, quàm à Deo. 259.1
5 Dei dona ſtabilia, & firma. ibid.
6 Qui ad ſalutem pertinet vehementiſſimè cruciatur in venturi Dei expectatione. ibid.2
7 Id veriùs tuum putas, in quo obſequium Deo præſtas. 260.1
8 Illa ſecurior, & laudabilior virtus, quæ nullo fauore nititur humano. ibid.
9 Studium laborioſa induſtria & fundamentum, & ſtabilimentum Republicæ eſt. ibid.2.
Ibid. Factum eſt autem, *&c.*
10 Vt vnius peccati actus poteſt hominem perdere, ſic vnicus virtutis actus valet hominem ſaluare. 261.1
11 Quæ Dei ſunt in primis habita, ſalutaria, & auſpicata ſunt. ibid.2
12 Obſequia Deo commendabilia ſunt, non ex alio, quàm ex affectu præſtantis. ibid.
13 Moroſitas affectata maximè deprimit opus virtutis. 262.1
14 Maior conatus adhibendus eſt, vbi ſecuriùs ad Deum accedimus. ibid.2
15 Quæ per vim illatam, & coactionem acquiruntur lucra, aliena ſunt à Deo. 263.1
16 Nullum opus Deo commendabile, in quo non affulget Agni immaculati Chriſti ſanguis. ibid.
17 Auaritia nullum non parit malum. ibid.2

Capvt III.

Caini parricidium. 264.1

MORALIA.

Geneſ. 4. Iratúſque eſt Cain, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 SVb vmbra crucis Chriſti proſperitas plaudit, & fælicitas. ibid.
2 Diabolicum eſt dolere, & iraſci in bonis alterius hominis. ibid.2
3 Peccatori quanto citiùs adhibenda correctio ſalutaris. 265.1
4 Ea blanditia corripiendus, & monendus eſt peccator, quia illi nec vulnus ſuum nec diſcrimen abſcondatur. ibid.2
5 Conſcientia morſus intolerabilis. ibid.
6 Peccatum nequit eſſe ſolùm, ſed multa alia & maiora parturit. 266.1
7 Perditio eſt, vbi prima poſtponuntur ſecundis. ibid.2
8 Fraterna vnio, & charitas maximè ad ſalutem conducit. ibid.
9 Mundialia bona, & gloria mundialis, feris, & irrationalibus abſumenda dantur. 267.1
Ibid. Dixítque Cain ad Abel, *&c.*
10 Humana rabies dæmonibus effranatior. 267.2
11 Mariæ patrocinium erga ſuos nullibi deeſt. 268.1
12 Meliùs, & tutiùs agitur cum iuſto, qui è vita eripitur. ibid.
13 Nec ſe iniquis Deus aliquando iudicare detrectat. 268.2
14 A Maria venis, quo velare, & operire peccata poſſimus. 269.1
15 Summa in Deum reuerentia habenda. ibid.2
16 Qui in Deum iniquus eſt, & in fratres erit iniquus. ibid.
17 Inuidia morbus ægrè, & difficulter tollitur. 270.1
18 Inuidi nolunt agnoſcere, & ſcire, ea ipſa, quæ agnoſcunt, & ſciunt. 270.2
19 Dominatus, & gubernatio Dei in aperto, & manifeſto modo procedendi cum ſubdito, ſiue ad damnationem, ſiue abſolutionem. ibid.
20 Chriſtus Dominus in ſuis patitur. 271.1
21 Saniora, & magis conformia diuinis ſolent eſſe plebeiorum iudicia, quàm iudicia potentium. ibid.2
22 Vnus ſanguis Chriſti Domini nuſquam non veniam, & miſericordiam clamat. ibid.

Capvt

Capvt IV. & vlt.

Caini ſupplicium, & mors. 272.1

MORALIA.

Geneſ. 4. Nunc igitur maledictus eris, *&c.*

PARAGRAPHI.

1 *INuidus indignior venia.* 272.1

2 *A ſanguine Chriſti accepto benedictionibus implemur.* 272.2

3 *Durius caſtigantur, qui poſt nota aliorum ſupplicia adhuc peccant.* 273.1

4 *Supplicium, quod in tremore, & metu conſiſtit, non tam damnationem, quàm medelam ſolet parere.* 273.1

Ibid. Dixitque Cain ad Dominum, *&c.*

5 *Peccati defenſio lethalis.* 273.2

6 *Solus Ieſus facit, ne importabilia ſint peccata.* 274.1

7 *Vbi confeſſio deeſt, peccata ſunt irremediabilia.* ibid.

8 *In Chriſti vulneribus peccatoribus contritis, & pœnitentibus ſecuritas,* ibid.2

9 *Qui Ieſu firmiter adhæret, iacula inimicorum non timeat.* 275.1

10 *Gemitus contriti cordis ſaluti, & vita eſt.* ibid.

11 *Summa malitia nec apud mundiales ſecura.* ibid.2

Ibid. Dixitque Dominus: Nequaquam ita fiet, *&c.*

12 *Peccatorum breue ſpatium pœnitentia ſibi præſcribat.* 276.1

13 *Signum crucis ad vitam & ſalutem.* ibid.

14 *Peccatori vnicum ſignum vita pœnitentia.* ibid.2

15 *Nullum eſt malum, de quo bonum haurire non poſſumus.* 277.1

16 *Nulla eſt vera quies niſi in bonis ſpiritualibus.* ibid.

Ibid. Cognouit autem Cain, *&c.*

17 *Peccatum facit hominem in terrenis radicari.* ibid.2

18 *Impij vbique circumdantur hoſtibus.* 278.1

19 *Peccatum homines ad leuiſſima inaniſſimaque captanda impellit.* ibid.2

20 *Deſperati hominis eſt, terrenis his, & caducis bonis immergi.* ibid.

21 *A laſcivia homicidia, & cædes.* 279.1

22 *Signum ſalutis ex Deo maximè debet cordi eſſe.* ibid.2

INDEX CONCIONATORVM.

Prior numerus paginam, poſterior paragraphum indigitat.

Dominica 1. *Aduentus.*

Lucæ 21.

ERVNT *ſigna in Sole, & Luna,* &c. Ecce tibi quot ſigna, in cœlo, & in terra, & in elementia præparantur hominea ad diem iudicij. Sic pro magnis rebus habendis magna debet eſſe præparatio. pag. 7. paragraph. 11

Areſcentibus hominibus præ timore. Non miror, quòd in tanto metu homines areſcant, illud magis mirandum, quòd non moriantur homines præ timore. Et cur non magis moriantur præ timore? Erit illud malum commune & aſtria, & elementis, & animalibus, & hominibus, & quæ autem clades communia eſt, multum hebeſcit in ſenſu. 10.18

Tunc videbunt filium hominis, &c. Expende illud, nimirum: *Tunc videbunt*, tunc enim cum aſtra fuerint obſcurata, cùm elementa turbata, cùm omnia mundi bona fugerint, & ſolus timor, & tremor adfuerit, tunc parebit iudex. Felix enim eſt, cui iudicij tuba non in medio fœlicitatis, ſed in fine intonat. 26.30

His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra. Non ſolùm tunc reſpicere, ſed & leuare iubemur caput, qui enim ſerò accedit, multa faciat, vt ſalutem teneat. 262.13

Dominica 2. *Aduentus.*

Matthæi 11.

C*Vm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos ex diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es?* In vinculis conſtitutus Ioannes ſolicitus eſt de inueniendo Ieſu, ſine quo nihil viuidum eſt, & cum quo omnia etiam mala ſuauiantur. 256.3

Tu es qui venturus es? Diligenter curat noſſe Ieſum, magnum enim ſcelus eſt velle ignorare Deum. 257.5

Item, *Ioannes in vinculis* Regis laſciuis Ioannem in vincula coniecit, paulo pòſt morti eumdem daturus, à laſciuia enim & cædes, & homicidia. 279.21

Euntes renuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis, &c. Non ipſe renunciat, quis ſit, ſed id aliis permittit renuntiare, chriſtianum enim eſt de ſe minimè loqui. 251.19

Dominica 3. *Aduentus.*

Ioannis 1.

M*Iſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem.* Mittunt Iudæi ad Ioannem, ſed vt nihil non temporale aſpiciunt in illa miſſione, tam qui mittunt, quàm qui mittuntur, inaniter laborant. Eſt enim labor pro temporalibus euanidus. 167.10

Confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Humilis cognitio tui firmum eſt gratiarum excipiendarum fundamentum. 4.2

Ego vox clamantis, &c. Interrogabant illi de Verbo vitæ, Ioannes reſpondit ſe non Verbum eſſe, ſed vocem; & vox quidem cognatiſſima eſt Verbo; quando autem adeò humilem ſe oſtendit Ioannes, meritò ſe cognationi adſcribit diuinæ. De humilitate enim venit, quod adſcribamur diuinis. 5.4

Medius autem veſtri ſtat, quem vos neſcitis. Hoc ad confuſionem Iudæorum dicitur, qui circa ſe habentes Ieſum, nullam inde vtilitatem recipiebant, quando propinqui bonorum, eorum glorias participant. 117.10

Dominica 4. *Aduentus.*

Lucæ 3.

A*Nno quintodecimo Imperij Tiberij,* &c. *Sub Principibus Anna,* &c. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem*, &c. Non dignitas, non reſpectus temporalis, ſed natura hominis reſpicitur à Deo. 160.4

In deſerto. Fugiendum tibi eſt ab omni mundiali requie, ſi vis apud Deum valere. 178.3

Prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ. Baptiſmus, & pœnitentia nos in perfectiſſima quæque obtinenda deducunt. 137.29

Parate viam, &c. Vide 7.11

Omnis vallis implebitur. Non parua celſitudo ab humilitate venit. 31.5

Pro Quadrageſima.

Feria 4. *Cinerum.*

Matthæi 6.

EXTERMINANT *facies ſuas.* In conſequenda vana gloria facies exterminant, nunquam enim

enim veroſa vanitas non parit exterminium, & perditionem. 9.14

Vt appareant hominibus ieiunantes. De ieiunio volunt vaniſſimam gloriam acquirere, quod valde nocinum eſt. Virtutum enim factatum abuſus eſt lethaliſſimus. 15.6

Tu autem cùm ieiunas, &c. Meritò homini commendatur ieiunium, quia virtus, quæ in externis etiam operibus conſpicitur, ſtabilior eſt. 73.1

Sed patri tuo, qui videt in abſcondito. Docemur in operibus noſtris vnum cæleſtem patrem ſpectare, & meritò; vnus enim Deus præcipuè ſpectatus tenet hominem, ne labatur. 9.15

Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi. Vt Deus gaudet abſcondito, ſic & abſcondita virtutum trahit tandem in lucem. 142.4

Feria 5. Cinerum.

Matthæi 8.

ACcedens ad eum Centurio, &c. A malis plures veniunt ad Ieſum. 122.22

Matth.8. *Puer meus iacet in domo paralyticus.* Dolet pater filium paralyſi teneri; parentum enim eſt inactuoſam, & otioſam vitam in filiis cauere. 58.10

Ego veniam & curabo eum. Quam facilem acceſſum ſuum promittit Deus, vt temporalem ſalutem Centurionis filio præbeat. Quippe temporalia de facili largitur Deus, non ſic æterna. 61.32

Non ſum dignus, &c. Chriſtiana diſciplina ab humilitate. 151.17

Homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, &c. Hoc mirandum quòd homo in poteſtate conſtitutus non inſoleſcat, non cadat. 148.9

Feria 6. Cinerum.

Matthæi 5.

EGo autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. Diuina magnitudo claret in benefaciendo hoſtibus. 167.12. & 74.2

Ego autem dico, &c. Hoc dicitur à capite noſtro Ieſu; Principum enim proprium ſit, vt obliuiſcantur iniurias. 98.9.& 74.2

Ego autem dico, &c. A Chriſto venit dilectio in fratres, imò in hoſtes. Vide 199.7

Vt ſitis filij patris veſtri, &c. Meritò pro iniuriis obliuiſcendis introducit cœleſtis patris memoriam. In vno enim Patre Deo habemus omnium malorum remedia. 189.33

Ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, &c. Pulchritudo latens efficacior apud Deum. 198.4

Sabbatho Cinerum.

Ioannis 6.

IEſu ſolus in terra. Vt Ieſus ſolus vnum Deum ſpectabat, ſic ſolus in terra ſtabat, quando cæteri fluctuabant in mari. Ille enim ſolus firmitudinem habet, qui Deum ſpectat. 203.1

Laborantes in remigando. Qui in Thabore Ieſu luce quieti fruebantur, modò ſub eiuſdem Ieſu oculis remigando laborant. Sic ſub Ieſu vexillis non ſolùm in proſperis, ſed & in aduerſis ſeruiendum. 226.11

Circa quartam vigiliam noctis venit, &c. Vbi tandiu vigilantes in remigando vidit, acceſſit Ieſus & ſuccurrit. Vigilantis enim animus à difficillimis liberatur.

Ego ſum nolite timere. Ad Dei nutum validiſſimum quæque mala diſparent.

Dominica 1. Quadrageſ.

Matthæi 4.

DVctus eſt à ſpiritu in deſertum, vt tentaretur à diabolo. Vt manus cum hoſte conſerat, deſertum petit, ne quem alium præter Deum ſpectet. Non enim ab alio, ſed ab vno Deo victoriæ veniunt. 251.20

Dic vt lapides iſti panes fiant. Pro dapibus buccellam panis porrigit: ſunt equidem omnia bona mundi parua, & exilia. 183.15

Vt lapides iſti panes fiant. Non addit, & manduca, bona enim mundialia ea ſunt, quæ non mandi poſſunt. 184.16

Angelis ſuis mandauit de te, &c. Conſilium erat diaboli, quòd Angelorum manibus vteretur in præcipitio vitando. Sed non tam in gloriæ oſtenſione, quàm in contemptu vita eſt. 203.1

Oſtendit illi omnia regna mundi; & dicit Lucas cap.4, quòd illi regna oſtenſa ſunt *in momento temporis.* Nec miror, terrena enim bona neſciunt diu ſuos tenere. 221.11

Si procidens adoraueris. Regna mundi offert, vt ſeruitutem extorqueat. Ambitio enim rapit homines ad labores. 210.4

Feria 2. à Dominica 1.

Matthæi 25.

CVm venerit filius hominis in maieſtate ſua. Mitaris Filium hominis etiam ad nos deſcendentem ſemper oſtendi in tota ſuæ maieſtatis ſublimitate. Quod nequiret fieri, ſi aliqua fuiſſet infectus peccati macula. Sola enim puritas vitæ in altis nos valet firmare. 144.9

Angeli eius cum eo. Maieſtatis ſublimitatem dicuntur ſecuti Angeli, non homines; ad trahendos enim homines efficacior eſt magnitudo ſe anguſtans in paruo. 147.6

Poſſidete paratum vobis regnum. Verè dicitur Ieſus veniſſe in maieſtate ſua, quando venit largiturus regna. Gloria enim Principis non in congerendis diuitiis, ſed in communicandis. 152.18

Poſſidete paratum vobis regnum. Vide vt innumeris cœleſte regnum donatur. Terrenum enim regnum pauciſſimis tribuitur à Deo, cœleſte autem multis. 166.8

Index Concionatorum.

Feria 3. à Dominica 1.

. Matthæi 22.

E*Iiciebat omnes ementes*, &c. Vide, vt Ieſus vendenics, & menſas nummulariotum ptoiieit. Hi enim primi ad flagellum Dei accedunt, quia auaritiã laqueus eſt ttahens in tuinam. 49. 25. & 50. 27

Eiiciebat omnes, &c. Væ, quos peccata non ſinunt eſſe in intimis Eecleſiæ, 50.28

Acceſſerunt ad eum cæci. Ad cum, qui menſas, nummos; & alia bona ptoiieiebat, acceduot cæei, eo ipſo teſtantes ſe nil aliud velle, quàm Ieſum, in quo vno omnium bonotum ſoliditas eſt. 77.11

Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Qui in eorpotia ſui petcuſſione tacuit, in templi prophanarione & verba itata profert, & addit vetbeta. Maius enim negotium facit Deo peccatornm ſuſtinentia, quàm mortia tolerantia. 96.3

Feria 4. à Dominica 1.

Matthæi 12.

M*Agiſter volumus à te ſignum videre.* Vt Deom ad ſe inelinent, ſolùm illud præmittunt, nempe, *volumus.* Nun autem Deus de leui voluntatis placito, ſed de præſtantiſſimis vittutibus ſeeuriùs tequiritur. 101.14

Generatio praua, & adultera ſignum querit, & ſignum non dabitur, &c. Cur Deus adeò ſeuerus in hos Iudæos? Oſtendunt cauſam illa: *Generatio adultera.* Non illis etat mater Mariæ vitginitas, quæ vbi eſt, ibi & Dei adeſt benignitas. 117.9

Niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Ionas hoc habuit vt non ſolùm viſu perciperet Ieſu myſteria, ſed illa in ſe experitetur ſepultua in eorde eeti. Sie ille felix, qui non viſu tantùm, ſed & expericntia percipit paſſiones Chriſti Domini. 46.17

Pœnitentiam egerant. Nintuitatum pœnitentia vel inde commendatiſſima, quòd ſtarim vt audierunt facta fuit, quo profecit ad ſalutem. Pœnitentia autem vſque in finem dilata magis videtur pertinete ad excidium. 48.22

Feria 5. à Dominica 1.

Matthæi 15.

E*Cce mulier Chananea*, &c. Mulier genere Chananæa accedit ad Chriſtum, quo totam generia prophanitatem obnubilat. Sordes enim generis virtutum floribus obteguntur. 54.9

Miſerere mei Domine fili Dauid, &c. Sibi petit miſericordiam, cùm filiæ liberationem præteodit. In malia enim filiotum non poſſunt non tangi viſcera matris. 71.9

Filia mea, &c. Pro filia in primis poſtulat, non pro extraneis; in hoc verè prudens, quia de malo venit, quod relictis propriis fetaris ad extraneos. 69.5

Et catelli comedunt de micis, &c. Cœleſtis panis ex ſe nulli non abundat. 83.55

Feria 6. à Dominica 1.

Ioannis 5.

P*Robatica piſcina*, &c. Non paruo alicui fonti, ſed magnæ piſcinæ virtus ſanandi communicata fuit, vt eredant peccatotes ad ſalutem noo peruecototos niſi de magna pœnitentia. 107. 32

Angelus deſcendebat in piſcinam, & mouebatur aqua, &c. Hoe etat ſalutis præludium quòd ad præſeotiam Angeli aqua eommoucbatut: ſie ex quo ad præſentiam Sacerdotis eommouetur cor per confeſſionem, ſalus animæ plaudit. 108.34

Angelus autem Domini, &c. Angelus erat, qui deſcendebat in piſcinam; vt ſciamus, quàm fiant Angeli per ſactamenta Chriſtiaoa. 112.44

Hanc cùm vidiſſet Ieſus, &c. Ad hominem triginta & octo annos agentem in infirmitatibus, & iam de ſalute tempotali deſperantem, accedit Ieſus, vt illum ſanet. Eſt eoim Ieſus ſalutatis mundo mortuis. 100.12

Tolle grabatum tuum, & ambula, &c. Salutem ibi præſtat, & ſimul eum onerat grabato. Onus grabati ad pœnam faciebat, ſalus data ad miſerieordiam pertinebat. Vt videas in peccatore ſanando, quàm non obliuiſcatur Deus pœnalis afflictionis. In vno enim Deo miſericordia, & iuſtitia ooo ſe mutuò impediunt. 119.15

Sabbatho à Dominica 1.

Matthæi 17.

D*Vxit illos in montem excelſum*, &c. Aiebat Dauid Pſalm. 10. *Quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montes?* Dauid equidem cogebatur in montes tranſmigrate, diſcipuli autem Ieſu non in montea, ſed in vnum tantùm montem ducebantur. In nullo enim minus, quàm in Chriſti rebus laborat. 127.2

Transfiguratus eſt ante eos. Quidquid decorum ſibi aſſumit Ieſus, ſuis communicat. 129.8

Facies eius ſicut Sol, &c. Qui virtutes exercet, exemplo ſuo Sol eſt, bonorum dierum author. 171.22

Apparuerunt illis Moyſes, & Elias, &c. Quos ſecum oſteodit Ieſus, nimitum Moyſem, & Eliam, de ſemine Abtahæ ſunt, vt ſic diſcipuli arctiùs illi iungantur. Naturæ enim cognatio efficaciſſima ad trahendum. 26.33

Apparuerunt illis Moyſes, & Elias. Lucas cap. 9. addit: *Viſi in maieſtate.* Origen. legit: *Viſi in gloria.* Suos ſeruos Dominos & glorioſos, & honoratos oſtendit, honoris enim zelus non parum proficit ad firmandos homines in virtote. 60.26

Faciamus tria tabernacula; tibi vnam, Moyſi vnum, &c. Vt Deum ibi detineat, Moyſem, & Eliam illi ſocios adjungit, neſcit enim Deus permanere niſi in Sanctis. 63.34

Bonum eſt nos hic eſſe. Radians vt Sol Ieſus ſic Petrum impl[illegible] vt nil aliud expetat; nec miror, quod ſic im[illegible] Petrum radians vt Sol, quando vel vmbr[illegible]um hominem impleat. 66.42

Ecce [illegible] *obumbrauit eos.* Non venit nu[illegible] auferret, ſed vt magis inflamma[illegible] in Ieſum. Dum enim Deus ſe magis occu-

lit

ſit in via magis ſolet inflammare humana corda. 62.31

Hic eſt Filius meus, &c. Patris diuini vox nunquam non in bonum filiorum. 72.11

DOMINICA II. Quadrageſ.

De hac vide in Sabbatho præcedenti.

Feria 2. à Dominica 2.

Ioannis 8.

EGo *vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Vbi Ieſus abſcedit, non miter, quòd quis moriatur, & malè pereat, nam in vno Ieſu bonorum ſoliditas inuenitur. 76.11

Quò ego vado, vos non poteſtis venire. Abitionem vocat mortem, & paſſionem ſuam, quam quia piè videre non poterant Iudæi, miſerè erant perituri. Paſſio enim Chriſti viſa maximè teneret homines, ne ruerent. 76.10

Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis. Ille ſuperna tenebat, qui inferna reliquerit; ſic terrena relinquenda ſunt, & ſuperna amanda in Chriſtiano triumpho. 103.22.& 138.30

Si enim non credideritis, quia ego ſum, &c. Hinc cenſetur tota ſtabilitas hominis, quod mundi fugitiuus currat ad Chriſtum & amore,& fide. Melius enim eſt ſic ire ad Chriſtum etiam cum periculo cadendi, quàm ſtare in mundo. 149.10

Feria 3. à Dominica 2.

Matthæi 23.

SVper *cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.* 6.6

Omnia, quæcumque dixerint vobis, ſeruate. Et ſi peſſimi erant Phariſæi, dum cathedram Moyſi tenebant, audiendi erant; veritas enim numquam à vera Dei ſede abſcedit. 56.15

Quæcumque dixerint vobis, ſeruate. Meritò iubet attendi verba, quæ de Moyſi cathedra veniunt. Capiuntur enim maximè homines verbo diuino. 92.7

Item iubentur verba attendi, quia Eccleſia Chriſti verbo non ferro ædificatur. 98.8

Dicunt enim, & non faciunt. Hoc Phariſæorum erat, chriſtianum autem eſt, non tam loqui, quàm agere. 105.26

Feria 4. à Dominica 2.

Matthæi 20.

FIlius *hominis tradetur principibus*,&c. Ieſu mors, & paſſio proponitur nobis, vt in alieno periculo caueamus pœnam peccati. 136.25

Aſcendens Ieſus Hieroſolymam aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecretò, & ait illis, &c. Nondum domi ſedent, ſed dum laborant in via, ſecretum ſuum illis Dominus reuelat. Non enim deſidibus, ſed laborantibus ſapientiæ ſalutaris ſecreta aperiuntur. 146.5

Acceſſit mater filiorum Zebedæi, &c. Feliciores nos, qui habemus matrem filij Dei Mariam pro nobis petentem. Cui nihil nouit Deus denegare. 150.14

Et vnus ad ſiniſtram. Vix potes ad ſiniſtrum non ire vbi mulier interuenit. 156.12

Neſcitis, quid petatis. Ambitores neſciunt, quid petunt, quia putant ſe pro gloria laborare, & laborant pro ruina. Eſt enim ambitio lethalis. 14.2

Non eſt meum dare, &c. Sedes ſtabilis humilibus, non ambitioſis datur. 17.10

Feria 5. à Dominica 2.

Lucæ 16.

EPulabatur *quotidie*, &c. In conuiuiis maximè cauenda pericula. 21.20

Conuiuia officiunt. 128.5

Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis. Virtutis cultor nunquam non reuireſcit à malis. 159.4

Vidit Abraham & Lazarum. Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, modò apparet ſuperior in requie. Ne quemquam adeò inferiorem putes, qui non poſſit ſupra te, quamprimum eſſe. 159.2

Intingat extremum digiti ſui in aquam. Qui ad Abraham loquitur, meritò ſolam aquæ guttulam petit. Nil enim magnum eſt niſi in Chriſto Ieſu. 63.35

Nunc autem hic conſolatur, &c. Duo erant tunc Lazaro conſolationis fomenta, & propria requies, & pœnarum, diuitis conſpectus. 64.36

Feria 6. à Dominica 2

Matthæi 21.

QVi *plantauit vineam*, &c. Sapienti inimicum otium, labor amicus. 58.22

Sepem circumdedit, &c. Continentia & ſeps, & murus validiſſimus. 137.27

Cùm tempus fructuum appropinquaſſet, &c. In ſolo Chriſto Ieſu inuenies appropinquantem fructum. 84.30

Agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium ceciderunt, &c. Poſt vineam acceptam, pleni fructibus in homicidia ruere. Magnæ enim virtutis ſpecimen eſt, quòd in temporali fœlicitate poſitus, non inde in mala ruas. 148.9

Occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Sublato Deo vanè curant hæreditatem ſibi retinere. Nullum enim bonum durabile eſt niſi in Deo. 120.17. & 157.15

Sabbatho à Dominica 2.

Lucæ 15.

HAbuit *duos filios.* Ecce tibi tota fidelium natio ad duos filios reducitur. Deus enim non tam in multitudine, quàm in paucorum deuotione ſibi complacet. 93.21

Congregatis omnibus adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam. Vbi bonorum ſubſtantiam accepit ſe maximè à vita alienat. Nociuiſſima equidem ſunt tranſitoria bona. 14.77

Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè, &c. Laſciuia exuperans omnia hominis bona perdit, abſumit. 164.4

Vt paſceret porcos. A laſciuia non in vnam, ſed in multas ſpurcitias deuenit. Luxuriæ enim peccatum non inuenitur ſine aliis plurimis. 153.3

Surgam, & ibo ad patrem meum. Surgam, ait; non enim præualeret apud Deum, niſi de abiecta terra. 160.5

Ibo ad Patrem. Et nobis peccatoribus ſpectandum eſt, vt ad priſtinam Paradiſi patriam regrediamur. 161.7

DOMINICA III. Quadrageſ.

Lucæ 11.

ERAT *Ieſus eiiciens dæmoniam, & illud erat mutum*. Præſente Ieſu, & conante dæmonium eiicere, adhuc illud obmuteſcit, nec vllum verbum bonum promit. Sic enim qui diu in peccatis exiſtit, ægrè, & difficulter ad pœnitentiam exurgit. 9.17.14

Cùm eieciſſet dæmoniam. Qui Deum pro ſe habet, etſi ſolus ſit, de inferno triumphat, & mundo. 169.14

Locutus eſt mutus. Hic eſt Ieſu Spiritus, vt faciat nos per confeſſionis verba nudare peccata. 100.13

Confeſſio ſalutaris. 194.8

In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Nunquam virtus non malè audit apud ſceleſtos. 214.15

Feria 2. à Dominica 3.

Lucæ 4.

Q*Vanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua*. Fecerat equidem virtutes, & miracula in Capharnaum, quas nondum fecerat in patria. Quia in Dei, virtutiſque cauſa, affectibus carnalibus non eſt ſeruiendum. 204.1

Fac & hîc in patria tua. Vanè petunt fieri virtutes à Ieſu in patria ſua, quando non oportebat. Solus enim Deus ſcit adeſſe in opportunitatibus. 218.17

Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Inde ſe excuſat à faciendis virtutibus in patria, quod illam non ſimiliter affectam erga ſe inueniat, ac alias ciuitates. Si enim ſimiliter affecta eſſet, ſimilia illi præſtaret. Deus enim quod vni ſemel dedit, idem aliis ſimilibus præſtabit. 233.30

Exurrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem, &c. Quid durius: Ciues, & cognati inſurgunt in Ieſum. Duriora equidem ſunt, quæ per chariſſimos nobis mala inferuntur. 175.3

Feria 3. à Dominica 3.

Matthæi 18.

S*I peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe*, &c. Peccatori quanto citiùs adhibenda eſt correctio, quæ ſalutaris ſit. 265.3

Adhibe tecum adhuc vnum, vel duos. Nec ſtatim in damnationem fratris ire permittimur, ſed magis expectare, & moras nectere. De magna enim potentiæ virtute venit, quòd ſciamus erga peccatores eſſe longanimes. 249.14

Sit tibi ſicut Ethnicus, &c. Cum fraterna charitate ſtat, quod pertinacem punias. Miſericordis enim eſt non ſemper parcere. 249.13

Si duo ex vobis conſenſerint, &c. Vnitas, & concordia requirenda, vt Dei dona adoleſcant, affectumque habeant. 39.15

Feria 4. à Dominica 3.

Matthæi 15.

Q*Vare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* Simul & diſcipulos, & magiſtrum amant percutere. Quo diſcipulorum correptio illis grata eſt; gratus eſt enim labor homini, qui Deo eſt communis. 58.22

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur, &c. Diſcipulos Ieſu criminoſos facere nituntur, ne Ieſu pateat diuinitas. Quippe diuinitas maximè oſtenditur in bono ſucceſſore. 92.8

Quare, & vos tranſgredimini, &c. De tranſgreſſione mandatorum Dei Phariſæos damnat, tranſgreſſionem diſcipulorum in non lauandis manibus prætermittens. Magnorum enim virorum minuta obtegenda, & diſſimulanda ſunt. 109.37

Quare, & vos, &c. Phariſæos mordet Ieſus ſtans pro diſcipulis ſuis. Solus enim Ieſus protegit ſuos in vitam. 48.20

Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras. Traditiones humanæ occaſionem dabant peccatis. De ſolo enim Deo venit, quòd omnis error, & peccatum tollatur. 53.8

Feria 5. à Dominica 3.

Lucæ 4.

S*Vrgens Ieſus de Synagoga introiuit in domum Simonis*. Synagogam relinquit, & amat eſſe in domo Simonis. Non enim ſic æſtimat Deus ſuperbam templorum magnificentiam, vt intimam cultoris deuotionem. 37.20

Nec tam in ambitioſo externo ornatu, quam in puritate intentionis ſibi placet. 142.5

Introiuit in domum Simonis. Nil ſic Deus æſtimat, quàm quod poteſt dare pauperrimus. 143.7

Imperauit febri, & dimiſit illam. Malum de fœminis naſcens extinguitur, vbi apparet Chriſtus. 43.8.

Surgens miniſtrabat illis. Vt accepit ſalutem à Deo mulier, eam impendit in miniſtrando ei. Ingenuus enim animus ex quo aliquid accepit, non poteſt & præſtare. 41.4

Feria 6. à Dominica 3.

Ioannis 4.

F*Atigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*. Qui ſic propriam quietem deſpicit, vt aliis ſalutem impertiatur, ſupra hominem eſt, imò eſt Deus. 65.40

Fatigatus ex itinere ſedebat. Vt ſaluaret meterricem fatigatus ſedet, quippe intet paſſionis labores, non poreſt non ptopitius eſſe. 76.8

Da mihi bibere. Daturus ſalurem, aquam petebar, vt inde magis obligaretur ad præſtandum, quando is eſt Deus, eiúſque ſpiritus, qui nec paleam accipiac, ſine remuneratione: 93.10

Si ſcires donum Dei, &c. Apud ſcientem in magna ſunt æſtimatione Dei dona. 77.12

Petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Myſteria Dei oon diſcurſibus intellectus, ſed voluntatis affectibus capiuntur. 88.40

Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum, &c. In mundialibus bonis, non poteſt non appatere finis. 78.14

Sabbatho à Dominica 3.

Ioannis 8.

D*Eprehenſam in adulterio.* Ecce voluptates carnales in quantam amaritudinem veniaot. Adulrera rapitur ad pœnam, ſed enim hæ amaritudines tam propriæ voluptatum, vt ſtatim ſentiantur, ſi rantiſper in illis moreris. 184.16

Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Non in Ieſu, ſed in Moyſe eſt ſola ſeueritas. 119.15

Moyſes mandauit, &c. Adulreram oſtendunt & legem indicant pleni exultarione, & gaudio. Vt dicat Eriens: *Cùm inueniſſent mulierem in adulterio, exultant*, &c. Mali Principes qui in ſubditorum peccatis habeut cauſas lætitiæ; optimis enim principibus, nou mediocri doloti ſuut peccata ſubditorum. 100.12

Qui ſine peccato eſt veſtrum, &c. Accuſantibus fœminam de adulretio oppooit Dominus propria illorum adulteria, & peccata. Qualia enim ſumit peccaior arma aduersùs Deum, ralia opponit Deus, vt illum perdat. 193.6

Vnus poſt vnum exibant. Ad verbum Ieſu omnes & tentatores, & accuſatores diſparuere. Validiſſima enim diſparent ad Dei nutum. 231.25

DOMINICA IV. Quadrageſ.

Ioannis 6.

A*Biit Ieſus trans mare Galilea*, &c. Vt locum daret Phariſæorum itis, abiit trans mare, vt doceret, quàm protegimur ab hoſtibus pet mare Baptiſmi. 535.37

Quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. Non proprer ſalutem animatum, ſed propter ſaluiem corporum ſequebantur Ieſum. Mundialis enim ſapientia nihil oooit æſtimare præter hæc præſentia. 237.40

Vnde ememus panes, vt manducent hi? Solicitus oſtenditur Ieſus pro ſatiandis aſſeclis ſuis. Vt doceat, quàm debeaot non ſolum ſpiritualia, ſed & temporalia ſubſidia ſubditorum ptouideri à præſulibus Eccleſiæ. 36.16

Gratias egit. Gratiarum actionem præmittit ſigno faciendo. In animo enim grato multa bona fundantur. 67.43.

Accepit ergo Ieſus panes in manus. Fallat, ſi quid efficacius rectè accipere poſſet ad homines trahendos. Trahuntur enim etiam fetiſſimi pabulo. 85.31

Vt impleti ſunt. Setuus ſatur Domini glotia eſt. 83.17

Feria 2. à Dominica 4.

Ioannis 6.

I*Nuenit in templo vendentes oues*, &c. Auaritiæ, & lucris turpibus ſtudenres in templo erant, quaſi inde habituti eſſent ſecuritatem. Sed nec templis magnificentiſſimis ita fidendum, vt vitæ puritati, & ſanctitati. 99.10

Cùm feciſſet quaſi flagellum. Non ab aliis flagellum factum accipit, nec illud Apoſtolis etedit adhoc rudibus, ſed ipſe per ſe illud facit, & vtitur. Magna enim dexreritas neceſſaria eſt, vt proximi vtiliter cotripiantur. 91.6

Nummulariorum effudit æs. Quando totum templum aureum erat, cur ſic in illo à Ieſu aurum contemnitur, vt effundatur? Equidem in Chriſti Eccleſia ex auri contemptu aurum naſcitur. 101.16

Nolite facere domum patris mei. Dum flagellum arripit in mercarores illos, Deum parrem ſuum meminit. Vt doceat, quàm ſe Deum exhibere debet, qui cotripit potentes. 157.13

Feria 3. à Dominica 4.

Ioannis 7.

M*Ea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Inde ſuam doctrinam extollit, quòd non ab alio illam habeat, niſi à Deo. Quod enim à ſolo Deo habetur, ſummæ æſtimationis eſt. 259.4.

Mea doctrina. Suam vocat doctriuam, quam ſimul Deo acceptam refert. Si ergo non ſuam, ſed Dei faretur eſſe, quomodo adhuc vocat ſuam? Ideò maximè ſuam habet, quia illam Deo refert. Id enim maximè noſtrum eſt, quod Dro exhibemus. 260.7

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, &c. Ad doctrinam Dei cognoſcendam præmittit ſanctitatem, quæ conſiſtit in perficienda Dei voluntate. Semper enim ſapientia eſt cum puritate, & ſanctitate coniuncta. 12.23

Qui autem quærit gloriam eius, qui miſit illum, &c. Ecce tibi firmiſſimum fulcrum humanæ ſalutis, nimirum quòd vnum Deum quæramus, vnamque eius gloriam ſpectemus. 209.3

Ille verax eſt. Qui non ſuam, ſed Dei gloriam ambit, meritò dicitur verax; ambitioſus enim propriæ glotiæ æquè ſubſcribit mendaciis. 210.5

Feria 4. à Dominica 4.

Ioannis 9.

Q*Vis peccauit, hic, aut parentes eius?* Exteriores oculorum tenebras credebant diſcipuli ortas ab internis tenebris peccatorum. Solent enim externa mala ab internis oriri. 215.17

Liniuit lutum ſuper oculos eius. Cœcos, & tenebroſos oculos luto ſuperaddito magis obtenebrat, quo enim quis magis abſconditur, & latet, certius apud Deum in lucem venit. 198.4

Vade,

Vade, laua in natatoria Siloë, &c. Nulli curando tot diligentiæ mandatæ ſunt à Ieſu, quot mandatæ ſunt cæco huic. Cui & non curta via perambulanda proponitur vſque ad fontem Siloë, & ibi oculorum etiam abſterſio mandatur; præter quam quòd Ieſus ipſe pro illo, in terram ſpuerat, lutum fecerat, & linierat oculos eius. Et cur huic tot diligentiæ mandantur? Cùm à natiuitate cæcus eſſet, ſerò ſatis occurrit Ieſu, qui autem ſeriùs venit ad Deum, maiorem conatum, pluréſque diligentias adhibere debet. 262.14

Abiit ergo & lauit, & venit videns. Per lauacrum pœnitentiæ, & lachrymarum oculi acuuntur ad videnda diuina. 171.20

Abiit ergo, &c. Non moratur, ſed ſtatim abiit. Moroſitas enim multum officeret. 262.13

Feria 5. à Dominica 4.

Lucæ 7.

CVm appropinquaret porta ciuitatis, ecce defunctus efferebatur. Efferebatur equidem defunctus de ciuitate, in quam nondum Ieſus intrauerat, & ibi à Ieſu ſuſcitatur. Ibi enim ſolùm vita eſt, & mors abeſt, vbi Chriſtus eſt. 256 3

Filius vnicus matri ſua, &c. Matrem ſuperſtitem habuerat hic adoleſcens, non patrem. Sic qui mundo nituntur, ſæpe altero orbantur parente. In Deo autem nunquam non & patrem, & matrem habemus. 163.1

Miſericordia motus ſuper eam, &c. Propter matrem viſam decreuit & filio defuncto benefacere. Sic & parentum virtutes proficiunt etiam filiis mortuis in peccato. 157.14

Tibi dico, ſurge. A peccatis deiecti, & oppreſſi, ſolo de Ieſu halitu poſſunt ſurgere. Quia ſolus Ieſus facit, ne ſint importabilia peccata. 274.6

Dedit illum matri ſua. Securius traderemur matris noſtræ Mariæ manibus, à quibus ſecurè imus ad Deum. 150.13

Et de patrocinio Mariæ. 268.11

Feria 6. à Dominica 4.

Ioannis 11.

MIſerunt ergo ſorores eius, &c. Dum Lazarus infirmatur, ſorores eius illi adſtant, ad Ieſum mittunt pro obtinenda ſalute fratris. Sic iuſtis viris omnia fauorabilia præhabita ſolent etiam in periculis adeſſe. 176.7

Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei. De Lazari infirmitate gloriam Dei hauriendam promittit; nullum enim eſt malum, de quo bonum haurire non poſſimus. 177.15

Mortuus eſt, & gaudeo. De amico mortuo gaudet, nec miror, melius enim, & tutius agitur cum iuſto, qui è vita eripitur. 268.12

Lazarus amicus noſter dormit. Mortem illatam amico ſomnum vocat; prudentis enim eſt non exaggerare, ſed minuere accidentia mala. 195.11

Maria domi ſedebat. Aderant multi Iudæi conſolantes ſorores de morte Lazari, quibus relictis Martha abiit, & occurrit Ieſu: Maria autem dicitur ſediſſe domi. Et cur Maria non magis ſurgit, & abiit ad Ieſum? Cur abeunte Martha, Maria adhuc inter conſolatores ſedet? Vt Maria purius Deum ſpectabat, ſic magis grauabatur conſolatoribus illis mundialibus, ne ſurgere valeret. Spectanti enim Deum graues ſunt conſolationes temporales. 218.5

Si fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Chriſti abſentiæ tribuit mortem fratris. Pereat enim neceſſum eſt, cui eripitur Chriſtus. 170.17

Sabbatho à Dominica 4.

Ioannis 8.

EGo ſum lux mundi. In ſolo Ieſu lux, in aliis tenebræ. 116.7

Habebit lumen vita. Vel vnus Dei radius cordi affulgens hominis, eum excitat in ſalutem, & vitam. 248.12

Vos neſcitis, vnde venio, &c. Inuidi erant, & ideo patentiſſimum Chriſtum ſcire nolebant. Inuidus enim non vult agnoſcere ea ipſa, quæ agnoſcit, & videt. 270.18

Iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me, pater. Iudicium non ſolùm ſibi, ſed patri attribuit, vt oſtendat illud ſalutare. In iudicio enim patris nil eſt ad ſalutem non conducens. 244.13

DOMINICA V. Quadrageſ.

Ioannis 8.

QVIS *ex vobis arguet me de peccato?* Hoc maximè æſtimandum eſt, quòd nulli ſis ob peccatum obnoxius. 186.22

Vos ex Deo non eſtis. Hoc maximæ pœnæ eſt homini, quòd Dei non ſit, neque à Deo admittatur. 207.10

Dæmonium non habeo. Quid manſuetius inter iaculatas iniurias: Profectò nouum, & inauditum, quod quis ſic bilem contineat mediis iniuriis. 190.36

Non quæro gloriam meam. Non in gloriæ ambitu, ſed in humilitate firmior hominis magnificatio conſiſtit. 151.17

Eſt qui quærat, & iudicet. In gloria habenda, non ſe, ſed Deum patrem ſpectat, à quo illam accipiat. Tunc enim temporalia bona non nocent, quando Deus ſpectatur in illis. 149.11

Feria 2. à Dominica 5.

Ioannis 7.

MIſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum. Non quieſcunt Iudæi aduersùs Ieſum, ſed quotidie augent malitiam aduersùs illum. Nec enim inuidia ſcit moderari. 270.17

Modicum tempus vobiſcum ſum, &c. *Quæretis me, & non inuenietis.* Et cur quærentes non inuenient? Cauſam præmiſit illis: *Modicum tempus vobiſcum ſum.* Cùm enim inquiſitio ad breue tempus reducitur, poteſt fieri vt caſſa ſit. Quapropter peccator nō breue ſpatium pœnitentiæ ſibi præſcribat. 276.12

Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? Ieſus de morte, & paſſione ſua locutus eam vocabat

abitionem

abitionem. Iudæi autem in verbo abitionis hæren-tes nihil de morte ſuſpicantur, nec illam nominant. Non enim paſſio Chriſti capitur niſi labiis mundiſ-ſimis. 88.39

In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, &c. Notanter Ieſus dicitur ad ſe vocaſſe in die magno feſtiuitatis, vt nimirum oſtenderet nihil eſſe magnum niſi in Ieſu. 63.35

Veniat ad me, & viuat. Chriſtianis epulæ à cæ-leſtibus. 36.15

Flumina de ventre eius fluent. Nunquam abſis à diuinis fluentis, quæ tibi æſtus carnales extinguant. 55.28

Feria 3. à Dominica 5.

Ioannis 17.

N*On enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Exilium à Iu-dæa amplectitur, ne homicidis Iudæis occaſionem daret. Chriſtianæ enim perfectionis eſt proximis peccandi occaſiones abripere etiam proprio incom-modo. 151.50

Vt diſcipuli tui videant opera tua quæ facis. Pro-pinqui Ieſu volebant, vt ille gloriæ acquirendæ operam daret, ſcientes gloriam iuſtorum etiam ab illorum propinquis participari. 117.10

Nemo in occulto quicquam facit. Errabant iſti putantes præclara facinora à nemine occultari. Imò præſtantiſſimorum hominum eſt, non omnia rectè facta manifeſtari. 97.5

Vos aſcendite ad diem feſtum hunc. Conſulebant iſti, vt Ieſus aſcenderet ad feſtum, quibus dicit Ie-ſus, vt ipſi aſcendant. Ille enim cōſiliarius bonus eſt, qui difficilia dati conſilij ſibi aſſumit. 76.8. & 525.8

Feria 4. à Dominica 5.

Ioannis 10.

F*Acta ſunt Encænia Hieroſolymis, & hyems erat.* Encæniorum feſtum, hoc eſt, renouationis fe-ſtum notatur eſſe in nebuloſo. & pluuiali hyemis tempore. Amicitia enim cum Deo renouari debet luctu, & lachrymis intercedentibus. 197.2

Ambulabat Ieſus in templo, &c. Meritò dicitur Ieſus templo adeſſe in feſto renouationis templi. Placet enim ei vitæ nouitas. 37.19

Circuierunt ergo eum Iudæi, &c. Encæniorum feſta eò detorquent Iudæi, vt Ieſum imperent. A ſa-cris enim nequiter peractis in horrenda crimina ruitur. 514.13

Opera, quæ ego facio, in nomine patris mei, &c. Nomen in ſe Dei patris per opera Ieſus oſtendit; nuſquam enim Dei nomen ſine virtutis, & effectus te. 121.18

Ego vitam æternam do eis, &c. Non aliis, quàm ouibus ſuis propriis vitam æternam dicitur Ieſus dare. Quippe qui pertinent ad poſſeſſionem Dei, cœleſtibus benedictionibus implentur. 39.26

Feria 5. à Dominica 5.

Lucæ 5.

I*N ciuitate peccatrix.* Peccatrix abſolutè dicitur, quaſi omnium peccatorum rea. Luxuriæ nam-que peccatum nō inuenitur ſine aliis plurimis. 153.3

Attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, &c. Quàm facilè oſtenditur peccatrix hæc etiam in domo aliena intraſſe ad Chriſtum. Equidem excluſerat iam idola cordis ſui; ablatis autem cordis idolis, quàm facilè itur ad Chriſtum. 68.3

Lachrymis cœpit, &c. Meritò cœpit à lachrymis, quæ nos in perfectiſſima obtinenda deducunt. 137.59

Et amicitia cum Deo renouari debet luctu, & lachrymis intercedentibus. 197.5

Capillis capitis ſui tergebat, &c. Lachrymis la-uat, capillis tergit, vnguento vngit. Laborioſior enim eſt reſtauratio gratiæ, per peccatum amiſſæ. 91.4

Capillis capitis ſui tergebat. Multa faciebat, quia laſciuia non vincitur niſi à multitudine virtutum. 107.31

Item: *Capillis capitis ſui tergebat*, &c. Pro tol-lendis peccatis pœnitentia non parua, ſed magna procuranda. ibid.35

Feria 6. à Dominica 5.

Ioannis 11.

C*Ollegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium ad-uerſus Ieſum.* Nullus dæmon auſus fuit in Ie-ſum, & audent Iudæi. Humana enim rabies dæmo-nibus efferacior. 567.10

Hic homo multa ſigna facit. Hinc iam ruſticiſſi-mam malitiam ſuam oſtendunt, qui cariſſimum populi benefactorem, miraculis illuſtrem, ſic de-ſpiciunt vt hominem, quaſi vilem, & communem vocent. Quando ingenui, & boni viri vel hoſtes titulis honorificis appellant. 519.7

Sic dimittimus eum ſic, venient Romani, &c. Non immeritò nequiſſimi homines timent ſibi à præ-ſentia Ieſu. Debent enim maximè timere ſibi ini-qui à præſentia iuſtorum. 216.50

Omnes credent in eum. In hoc rectè iudicabant, quòd omnes ad ſe raperet Ieſus. Ex quo enim quis aliquid oſtendit ex Deo, ad magnum etiam perue-niet. 250.9

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro popu-lo, &c. Hæc vt à Caypha fuerunt intellecta, & ne-quiſſima, & ſtultiſſima erant. Per homicidium enim quærebat populi ſecuritatem. Peccatum au-tem non ad roborandum, ſed ad perdendum eſt. 523.3

Ab illo ergo die cogitauerunt, vt illum interficerent. Omnes in conſilium Cayphæ nefariſſimum ruunt, placentia enim inconſultiſſimè creduntur. 221.12

Sabbatho à Dominica 5.

Ioannis 11.

C*Ogitauerunt Principes Sacerdotum, vt Laza-rum interficerent.* Dei amicorum vita nun-quam non periclitatur in mundo. Nihil enim fa-cit Deus, quod corporaliter moriantur. 201.15

Vt Lazarum interficerent. Lazaro præſtantiſſi-mum erat, ſic impiorum odio confici. 504.4

Cogitauerunt Principes Sacerdotum. Multi Prin-cipes armantur in vnum Lazarum, & tamen vnus Lazarus eorum manibus eripitur. Victoria enim non penes multitudinem, ſed penes eum, qui Deum habet. 244.1

Vt

Vt Lazarum interſicerent. Lazari inteificiendi cogitatio in animis Iudæorum præmittitur, vt inde eatur ad necem Chriſti. Neſcit enim peccatum eſſe ſolum, ſed multa alia, & maiora parturit. 266.6

D O M I N I C A in Ramis.

Matthæi 21.

ECce *Rex tuus venit tibi*,&c. Hoc petitur, vt Rex, & Dominus noſter videatur. Qui enim Deum claris oculis ſpectat, facilè deſpicit vanitates mundiales. 34.10

Ecce Rex tuus. Vt vnus nobis inſpiciendus eſt Chriſtus. 79.16

Manſuetus,& humilis,&c. Felicitas ſumma principatus, quem pacifici, & manſueti extollunt. 81.10

Super aſinam,&c. Non perituri triumphi à contemptu temporalium. 209.1

Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua, &c.Quæ turba ſtratis veſtibus Ieſum modò excipit, poſt tres dies aduersùs illum clamat: Crucifige. Quæ enim nos bona tempore fœlicitatis ornant, in aduerſitate vertuntur in inſtrumentum exitij. ibid.2

Strauerunt veſtimenta ſua. Vt Ieſum vident, abiiciunt veſtimenta, & ſternunt. A Chriſti enim luce venit, quòd mortalia hæc, vt aliena abiiciamus. 70.6

Cædebant ramos, &c. Ramos Domino non ignobili affectu offerunt. Deus enim nihil tanti æſtimat, quanti id, quod vel à paupere offerri poteſt. 143.7

Feria 5. in cœnam Domini.

Ioannis 13.

V*T tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* In paſſionis tranſitu hoc habebat Ieſus, vt iret ad patrem. In vno enim Deo patre habemus omnium malorum remedia. 189.33

Vt tranſeat. Filiis Dei mala vt tranſitoria,ſic contemnenda. 196.16

Omnia dedit ei pater in manus. Hoc maximum in Ieſu, quod vni Deo omnia accepta refert, non vlli creaturæ. 17.9

A Deo exiuit, & ad Deum vadit, ponit veſtimenta ſua, &c. Vt ad Deum vadit, ſeſſurus cum patre, ponit veſtimenta, ad pedes diſcipulorum ſe deiicit. Diuinæ enim & permanentes ſedes non in ambientes, ſed in humiles veniunt. ibid. 10

Quia à Deo exiuit,&c. Etiam nudus, & deiectus ad pedes Apoſtolorum, regiam, diuinamque dignitatem prætendit. Iuſtorum enim eſt,etiam in ſumma deſolatione regium animum ſeruare. 226.12

Cœpit lauare pedes diſcipulorum. Cœpit equidem ſordes peccatorum abluere à lotione pedum; quàm quia Petrus detrectabat, dicit illi: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Et meritò, ſiniſtrum enim initium fortiſſimorum corda infirmat. 229.22

Ita & vos faciatis, &c. Præſtet in ſe Princeps quidquid vult à ſubditis præſtari. 194.10

Feria 6. in Paraſceue.

VAnè de Ieſu amicitia gloriatur, qui eum in paſſione videns, nihil in ſe paſſionis aſſumit. 217.2

In Ieſu pœnis, timeat peccator ſuas, quas dabit Deo. 218.3

Vnus ſanguis Chriſti Domini nunquam non veniam clamat. 271.22

Crux Chriſti, & paſſio Reges facit. 27.35

Inter paſſionis ſuæ vulnera neſcit Deus non propitius apparere. 76.8

Et vide etiam de paſſione. ibid.9.& 306.10

D O M I N I C A Reſurrect.

VT ruinæ in gloriam proficiunt. 80.18

Patui pendenda ſunt mala, quæ maioribus bonis reſarcienda. 206.9

Sanitas à Deo veniens implet totum hominem. 207.12

LIBER NONVS.

Salomon, ſiue IESVS triumphans Hieroſolymis.

DVM lætis acclamationibus audio Ieſum Hieroſolymis excipi, illa me ſingulariter impleuit, quæ dicebat: *Oſanna filio Dauid.* Subit enim animam meam Matth.21.
Dauidis regaliſſima proles Salomon, in cuius gloria non obſcurè delineatam video, quam Ieſus in ſuo triumpho Hieroſolymitano oſtendit. Vterque ibi filius Dauid, vterque Rex pacificus & mitis claruit, vt ad vtriuſque triumphos decantandos noſter ſtylus euolet, eo libentiùs, quo in re gloriæ Salomon, & Chriſtus ſæpe æquiuocantur.

CAPVT I.

Salomonis & IESV ſymbola in triumpho Hieroſolymitano.

TRIVMPHANTEM Ieſum meditatus, regalique pompa à Hieroſolymitanis exceptum, non poſſum oculos à Salomone filio Dauidis auertere; cuius gloria noſtri pacifici glorias adumbrabit egregiè.

§. I.

A Chriſto pax.

SAlomon idem eſt, ac pacificus; in hoc enim eius regnum à Dauidico regno diſtinguebatur, quòd hoc multis prælijs conſtiterit, illud autem multa floruerit pace. Quid magis Chriſti imperio comparandum? Noone ille eſt Ieſus meus, cuius in pace maximè ſplendet principatus? Dicebat Matth. 21. pompaticum Ieſu ingreſſum
Matth.21. ad Hieroſolymitanos deſcribens: *Hoc autem factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, &c.* Et fallar, ſi pacifici Regis clariorem ſpeciem dabis. Quæ verba tractans Imperf.homil.37.in Matth.ait:
Imperfect. *Dominus aſcendens ad Hieroſolymam, magnam gratiam pacis & & concordiæ mundo vniuerſo quaſi in teſtamento reliquit. Non ſedet in curru aureo, pretioſo purpura fulgens neque aſcendit ſuper feruidum equum diſcordiæ amatorem, & litis, qui de longè odorat bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cùm viderit ſanguineam pugnam, dicit in corde ſuo: Bene eſt factum. Sed ſedet ſuper aſinam tranquillitatis, & pacis amicam.* Hic eſt habitus pacifici regni, quem Ieſus in ſuo triumpho oſtendit: vt credamus pacem, & vnanimitatē Chriſti principatui annexam eſſe. Adeò vt Chriſtiani regni à mundo diſcedentis ſigna hæc ponantur Luc 21. *Cum audieritis prælia, & ſeditiones* Luc. 21.
nolite terreri: oportet primum hoc fieri, ſed nondum ſtatim finis Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, &c. Vt pax indicat regnum Chriſti exiſtens in mundo, ſic bella, & ſeditiones oſtendunt illud à mundo abire. Quod notans
Origen.homil.28. in Matth.ait: *Sicut aduentus Chriſti in* Origen.
plurimis gentibus fecit pacem, ſecundum quod dicit Propheta: Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna: ſic conſequens eſt, vt cum propter abundantiam iniquitatis refriguerit charitas multorum, & ideo reliquerit eos Deus, & Chriſtus eius, iterum fieri prælia, &c. Non equidem clarius deſignat Salomonem regni pax, quàm deſignat Chriſtus, cuius principatui ſic eſt annexa, vt cum illo veniente veniat, & cùm recedente recedat.

§. II.

Tributa non poſſunt facere Principem conſpicabilem populis: vt in Salomone, & Ieſu.

HOc ponderat textus inter Salomonis glorias 3. Reg. 3.Reg.10.
10. *Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ diuitiis, & ſapientia. Et vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis.* Cùm ſic audio à ſapientia & diuitiis fuiſſe omnibus factum Salomonem conſpicabilem; clarè colligo tunc temporis non fuiſſe eius diuitias à ſuorum ſanguine tributis, & exactionibus extortas. Non enim cùm erat in gloria, ſed poſt lapſum declinauit Salomon in auaritiam, vt teſtis eſt Pineda noſter. Et quidem non tributa, & exactiones, ſed diuitiæ ſinè ſubditorum lachrymis ortæ faciunt Principem conſpicabilem populis. Quis hoc non videat exactius in Ieſo meo, quàm in Salomone?
Ait D.Matth.c.21. de eius Hieroſolymitano ingreſſu: *Hoc* Matth.21.
factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, &c.

INDEX CONCIONATORVM.

Prior numerus paginam, poſterior paragraphum indigitat.

Dominica 1. *Aduentus.*

Lucæ 21.

E*RVNT ſigna in Sole, & Luna,* &c. Ecce tibi quot ſignis, in cœlo, & in terra, & in elementis præparantur homines ad diem iudicij. Sic pro magnis rebus habendis magna debet eſſe præparatio. pag. 7. paragraph. 11

Areſcentibus hominibus præ timore. Non miror, quòd in tanto metu homines areſcant, illud magis mirandum, quòd non moriantur homines præ timore. Et cur non magis moriantur præ timore? Erit illud malum commune & aſtris, & elementis, & animalibus, & hominibus, & quæ autem clades communis eſt, multum hebeſcit in ſenſu. 10.18

Tunc videbunt filium hominis, &c. Expende illud, nimirum: *Tunc videbunt*, tunc enim cum aſtra fuerint obſcurata, cùm elementa turbata, cùm omnia mundi bona fugerint, & ſolus timor, & tremor adfuerit, tunc parebit iudex. Felix enim eſt, cui iudicij tuba non in medio fœlicitatis, ſed in fine intonat. 26.30

His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra. Non ſolùm tunc reſpicere, ſed & leuare iubemur caput, qui enim ſerò accedit, multa faciat, vt ſalutem teneat. 261.13

Dominica 2. *Aduentus.*

Matthæi 11.

C*Vm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos ex diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es?* In vinculis conſtitutus Ioannes ſolicitus eſt de inueniendo Ieſu, ſine quo nihil viuidum eſt, & cum quo omnia etiam mala ſuauiantur. 256.3

Tu es qui venturus es? Diligenter curat noſſe Ieſum, magnum enim ſcelus eſt velle ignorare Deum. 257.5

Item, *Ioannes in vinculis.* Regis laſciuia Ioannem in vincula coniecit, paulo pòſt morti eumdem daturus, à laſciuia enim & cædes, & homicidia. 279.21

Euntes renuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis, &c. Non ipſe reuocitat, quis ſit, ſed id aliis permittit renuntiare, chriſtianum enim eſt de ſe minimè loqui. 251.19

Dominica 3. *Aduentus.*

Ioannis 1.

M*Iſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem.* Mittunt Iudæi ad Ioannem, ſed vt nihil non temporale aſpiciunt in illa miſſione, tam qui mittunt, quàm qui mittuntur, inaniter laborant. Eſt enim labor pro temporalibus euanidus. 567.10

Confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Humilis cognitio tui firmum eſt gratiarum excipiendarum fundamentum. 4.2

Ego vox clamantis, &c. Interrogabant illi de Verbo vitæ, Ioannes reſpondit ſe non Verbum eſſe, ſed vocem; & vox quidem cognatiſſima eſt Verbo; quando autem adeò humilem ſe oſtendit Ioannes, meritò ſe cognationi adſcribit diuinæ. De humilitate enim venit, quod adſcribamur diuinis. 5.4

Medius autem veſtri ſtat, quem vos neſcitis. Hoc ad confuſionem Iudæorum dicitur, qui circa ſe habentes Ieſum, nullam inde vtilitatem recipiebant, quando propinqui bonorum, eorum glorias participant. 117.10

Dominica 4. *Aduentus.*

Lucæ 3.

A*Nno quintodecimo Imperij Tiberij,* &c. *Sub Principibus Anna,* &c. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem,* &c. Non dignitas, non reſpectus temporalis, ſed natura hominis reſpicitur à Deo. 160.4

In deſerto. Fugiendum tibi eſt ab omni mundiali requie, ſi vis apud Deum valere. 178.3

Prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ. Baptiſmus, & pœnitentia nos in perfectiſſima quæque obtinenda deducunt. 137.29

Parate viam, &c. Vide 7.11

Omnis vallis implebitur. Non parua celſitudo ab humilitate venit. 31.3

Pro Quadrageſima.

Feria 4. *Cinerum.*

Matthæi 6.

EXTERMINANT *facies ſuas.* In conſequenda vana gloria facies exterminant, nunquam enim

enim ventoſa vanitas non patit exterminium, & perditionem. 9.14

Vt appareant hominibus ieiunantes. De ieiunio volunt vaniſſimam gloriam acquirere, quod valde nocium eſt. Virtutum enim ſaciatum abuſus eſt lethaliſſimus. 15.6

Tu autem cùm ieiunas, &c. Meritò homini commendatur ieiunium, quia virtus, quæ in externis etiam operibus conſpicitur, ſtabilior eſt. 73.1

Sed patri tuo, qui videt in abſcondito. Docemur in operibus noſtris vnum cæleſtem patrem ſpectare, & meritò; vnus enim Deus præcipuè ſpectatus tenet hominem, ne labatur. 9.15

Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi. Vt Deus gaudet abſcondito, ſic & abſcondita virtutum trahit tandem in lucem. 142.4

Feria 5. Cinerum.

Matthæi 8.

ACcedens ad eum Centurio, &c. A malis plures veniunt ad Ieſum. 122.12

Matth.8. *Puer meus iacet in domo paralyticus.* Dolet pater filium paralyſi teneri; parentum enim eſt inactuoſam, & otioſam vitam in filiis cauere. 58.20

Ego veniam & curabo eum. Quam facilem acceſſum ſuum promittit Deus, vt temporalem ſalutem Centurioris filio præbeat. Quippe temporalia de facili largitur Deus, non ſic æterna. 62.32

Non ſum dignus, &c. Chriſtiana diſciplina ab humilitate. 151.17

Homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, &c. Hoc mirandum quòd homo in poteſtate conſtitutus non inſoleſcat, non cadat. 148.9

Feria 6. Cinerum.

Matthæi 5.

EGo autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. Diuina magnitudo claret in benefaciendo hoſtibus. 167.12. & 74.2

Ego autem dico, &c. Hoc dicitur à capite noſtro Ieſu; Principum enim proprium ſit, vt obliuiſcantur iniurias. 98.9. & 74.5

Ego autem dico, &c. A Chriſto venit dilectio in fratres, imò in hoſtes. Vide 199.7

Vt ſitis filij patris veſtri, &c. Meritò pro iniuriis obliuiſcendis introducit cœleſtis patris memoriam. In vno enim Patre Deo habemus omnium malorum remedia. 189.33

Ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, &c. Pulchritudo latens efficacior apud Deum. 198.4

Sabbatho Cinerum.

Ioannis 6.

IEſus ſolus in terra. Vt Ieſus ſolus vnum Deum ſpectabat, ſic ſolus in terra ſtabat, quando cæteri fluctuabant in mari. Ille enim ſolus firmitudinem habet, qui Deum ſpectat. 203.1

Laborantes in remigando. Qui in Thabore Ieſu luce quieti fruebantur, modò ſub eiuſdem Ieſu oculis remigando laborant. Sic ſub Ieſu vexillis non ſolùm in proſperis, ſed & in aduerſis ſeruiendum. 226.11

Circa quartam vigiliam noctis venit, &c. Vbi tandiu vigilantes in remigando vidit, acceſſit Ieſus & ſuccurrit. Vigilantis enim animus à difficillimis liberatur.

Ego ſum nolite timere. Ad Dei nutum validiſſimum quæque mala diſparent.

Dominica 1. Quadrageſ.

Matthæi 4.

DVctus eſt à ſpiritu in deſertum, vt tentaretur à diabolo. Vt manus cum hoſte conſerat, deſertum petit, ne quem alium præter Deum ſpectet. Non enim ab alio, ſed ab vno Deo victoriæ veniunt. 251.20

Dic vt lapides iſti panes fiant. Pro dapibus buccellam panis porrigit: ſunt equidem omnia bona mundi parua, & exilia. 183.15

Vt lapides iſti panes fiant. Non addit, & manduca, bona enim mundialia ea ſunt, quæ non mandi poſſint. 184.16

Angelis ſuis mandauit de te, &c. Conſilium erat diaboli, quòd Angelorum manibus vteretur in præcipitio vitando. Sed non tam in gloriæ oſtenſione, quàm in contemptu vita eſt. 203.1

Oſtendit illi omnia regna mundi; & dicit Lucas cap.3, quòd illi regna oſtenſa ſunt *in momento temporis.* Nec miror, terrena enim bona neſciunt diu ſuos tenere. 521.15

Si procidens adoraueris. Regna mundi offert, vt ſeruitutem extorqueat. Ambitio enim rapit homines ad labores. 210.4

Feria 2. à Dominica 1.

Matthæi 25.

CVm venerit filius hominis in maieſtate ſua. Miraris Filium hominis etiam ad nos deſcendentem ſemper oſtendi in tota ſuæ maieſtatis ſublimitate. Quod nequiret fieri, ſi aliqua fuiſſet infectus peccati macula. Sola enim puritas vitæ in altis nos valet firmare. 144.9

Angeli eius cum eo. Majeſtatis ſublimitatem dicuntur ſecuti Angeli, non homines; ad trahendos enim homines efficacior eſt magnitudo ſe anguſtans in paruo. 147.6

Poſſidete paratum vobis regnum. Verè dicitur Ieſus veniſſe in majeſtate ſua, quando venit largiturus regna. Gloria enim Principis non in congerendis diuitiis, ſed in communicandis. 152.18

Poſſidete paratum vobis regnum. Vide vt innumeris cœleſte regnum donatur. Terrenum enim regnum pauciſſimis tribuitur à Deo, cœleſte autem multis. 166.8

Feria 3. à Dominica 1.

Matthæi 21.

E*Iiciebat omnes ementes*, &c. Vide, vt Ieſus vendentes, & menſas nummulariorum proiicit. Hi enim primi ad flagellum Dei accedunt, quia auaritia laqueus eſt trahens in ruinam. 49. 25. & 50. 27

Eiiciebat omnes, &c. Væ, quos peccata non ſinunt eſſe in intimis Eccleſiæ, 50.28

Acceſſerunt ad eum cæci. Ad eum, qui menſas, nummos; & alia bona proiiciebat, accedunt cæci, eo ipſo teſtantes ſe nil aliud velle, quàm Ieſum, in quo vno omnium bonorum ſoliditas eſt. 77.11

Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Qui in corporis ſui percuſſione tacuit, in templi prophanatione & verba irata profert, & addit verbera. Maius enim negotium facit Deo peccatorum ſuſtinentia, quàm mortis toleratia. 96.3

Feria 4. à Dominica 1.

Matthæi 12.

M*Agiſter volumus à te ſignum videre.* Vt Deum ad ſe inclinent, ſolùm illud prætermittunt, nempe, *volumus.* Non autem Deus de leui voluntatis placito, ſed de præſtantiſſimis virtutibus ſecutiùs requiritur. 101.14

Generatio praua, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur, &c. Cur Deus adeò ſeuerus in hos Iudæos? Oſtendunt cauſam illa: *Generatio adultera.* Non illis erat mater Mariæ virginitas, quæ vbi eſt, ibi & Dei adeſt benignitas. 117.9

Niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Ionas hoc habuit vt non ſolùm viſu perciperet Ieſu myſteria, ſed illa in ſe experiretur ſepultus in corde ceti. Sic ille felix, qui non viſu tantùm, ſed & experientia percipit paſſiones Chriſti Domini. 46.17

Pœnitentiam egerunt. Niniuitarum pœnitentia vel inde commendatiſſima, quòd ſtatim vi audientur facta fuit, quo profecit ad ſalutem. Pœnitentia autem vſque in finem dilata magis videtur pertinere ad excidium. 48.22

Feria 5. à Dominica 1.

Matthæi 15.

E*Cce mulier Chananæa*, &c. Mulier genere Chananæa accedit ad Chriſtum, quo totam generis prophanitatem obnubilat. Sordes enim generis virtutum floribus obteguntur. 54.9

Miſerere mei Domine fili Dauid, &c. Sibi petit miſericordiam, cùm filiæ liberationem prætendit. In malis enim filiorum non poſſunt non tangi viſcera matris. 71.9

Filia mea, &c. Pro filia in primis poſtulat, non pro extraneis; in hoc verè prudens, quia de malo venit, quod relictis propriis feratis ad extraneos. 69.5

Et catelli comedunt de micis, &c. Cœleſtis panis ex ſe nulli non abundat. 83.25

Feria 6. à Dominica 1.

Ioannis 5.

P*Robatica piſcina*, &c. Non paruo alicui fonti, ſed magnæ piſcinæ virtus ſanandi communicata fuit, vt credant peccatores ad ſalutem non peruenturos niſi de magna pœnitentia. 107. 32

Angelus deſcendebat in piſcinam, & mouebatur aqua, &c. Hoc erat ſalutis præludium quòd ad præſentiam Angeli aqua commouebatur: ſic ex quo ad præſentiam Sacerdotis commoueatur cor per confeſſionem, ſalus animæ plaudit. 108.34

Angelus autem Domini, &c. Angelus erat, qui deſcendebat in piſcinam; vt ſciamus, quàm fiant Angeli per ſacramenta Chriſtiana. 112.44

Hunc cùm vidiſſet Ieſus, &c. Ad hominem triginta & octo annos agentem in infirmitatibus, & iam de ſalute temporali deſperantem, accedit Ieſus, vt illum ſanet. Eſt enim Ieſus ſalutaris mundo mortuis. 100.12

Tolle grabatum tuum, & ambula, &c. Salutem ibi præſtat, & ſimul eum oneiat grabato. Onus grabati ad pœnam faciebat, ſalus data ad miſericordiam pertinebat. Vt videas in peccatore ſanando, quàm non obliuiſcatur Deus pœnalis afflictionis. In vno enim Deo miſericordia, & iuſtitia non ſe mutuò impediunt. 119.15

Sabbatho à Dominica 1.

Matthæi 17.

D*Vxit illos in montem excelſum*, &c. Aiebat Dauid Pſalm.10. *Quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montes?* Dauid equidem cogebatur in montes tranſmigrare, diſcipuli autem Ieſu non in montes, ſed in vnum tantùm montem ducebantur. In nullo enim minus, quàm in Chriſti rebus laboras. 127.2

Transfiguratus eſt ante eos. Quidquid decorum ſibi aſſumit Ieſus, ſuis communicat. 129 8

Facies eius ſicut Sol, &c. Qui virtutes exercet, exemplo ſuo Sol eſt, bonorum dictum author. 171.22

Apparuerunt illis Moyſes, & Elias, &c. Quos ſecum oſtendit Ieſus, nimirum Moyſem, & Eliam, de ſemine Abrahæ ſunt, vt ſic diſcipuli arctiùs illi iungantur. Naturæ enim cognatio efficaciſſima ad trahendum. 26.33

Apparuerunt illis Moyſes, & Eliæ. Lucas cap.9. addit: *Viſi in maieſtate.* Origen. legit: *Viſi in gloria.* Suos ſeruos Dominus & glorioſos, & honoratos oſtendit, bonotis enim zelus non parum proficit ad firmandos homines in virtute. 60.16

Faciamus tria tabernacula; *tibi vnum, Moyſi vnum*, &c. Vt Deum ibi detineat, Moyſem, & Eliam illi ſocios adjungit, neſcit enim Deus permanere niſi in Sanctis. 63.34

Bonum eſt nos hic eſſe. Radians vt Sol Ieſus ſic Petrum implet, vt nil aliud expetat; nec miror, quod ſic impleat Petrum radians vt Sol, quando vel vmbræ diuinorum hominem implent. 66.42

Ecce nubes lucida obumbrauit eos. Non venit nubes Ieſum auferret, ſed vt magis inflammaret in Ieſum. Dum enim Deus ſe magis occulit

lit in via magis ſolet inflammare humana corda. 62.31

Hic eſt Filius meus, &c. Patris diuini vox nunqoam noo in bonum filiorum. 72.11

DOMINICA II. Quadrageſ.

De hac vide in Sabbatho præcedenti.

Feria 2. à Dominica 2.

Ioannis 8.

EGo *vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Vbi Ieſus abſcedit, noo mirer, quòd quis moriatur, & malè pereat, nam io vno Ieſu bonorum ſoliditas inuenitur. 76.11

Quò ego vado, vos non poteſtis venire. Abitionem vocat mortem, & paſſionem ſoam, quam quia piè videre non poterant Iudæi, miſerè erant perituri. Paſſio eoim Chriſti viſa maximè teneret homines, ne ruerent. 76.10

Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis. Ille ſuperna tenebat, qoi inferna reliquerit; ſic terrena relinquenda ſunt, & ſuperna amanda in Chriſtiano triompho. 103.22.& 138.30

Si enim non credideritis, quia ego ſum, &c. Hinc cenſeror tota ſtabilitas hominis, quod mondi fugitiuus currat ad Chriſtum & amore, & fide. Melius enim eſt ſic ire ad Chriſtom etiam cum periculo cadendi, qoàm ſtare io mundo. 149.10

Feria 3. à Dominica 2.

Matthæi 23.

SVper *cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.* 6.6

Omnia, quæcumque dixerint vobis, ſeruate. Et ſi peſſimi erant Phariſæi, dum cathedram Moyſi tenebant, audiendi eraot; veritas enim oumquam à vera Dei ſede abſcedit. 56.15

Quæcumque dixerint vobis, ſeruate. Meritò iubet attendi verba, quæ de Moyſi cathedra veniunt. Capiuntor eoim maximè homines verbo diuino. 92.7

Item iubentur verba attendi, quia Eccleſia Chriſti verbo non ferro ædificatur. 98.8

Dicunt enim, & non faciunt. Hoc Phariſæorum erat, chriſtianum aotem eſt, ooo tam loqui, qoàm agere. 105.26

Feria 4. à Dominica 2.

Matthæi 20.

FIlius *hominis tradetur principibus*, &c. Ieſu mors, & paſſio proponitur oobis, vt in alieno periculo caoeamus pœnam peccati. 136.25

Aſcendens Ieſus Hieroſolymam aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecretò, & ait illis, &c. Nondum domi ſedent, ſed dum laborant in via, ſecretum ſuum illis Dominus reuelat. Non enim deſidibus, ſed laborantibus ſapientiæ ſalutaris ſecreta aperiuntur. 146.3

Acceſſit mater filiorum Zebedæi, &c. Feliciores oos, qui habemos matrem filij Dei Mariam pro nobis petentem. Cui nihil oouit Deus denegare. 150.14

Et vnus ad ſiniſtram. Vix potes ad ſiniſtrum ooo ire vbi mulier interuenit. 156.12

Neſcitis, quid petatis. Ambitores neſciunt, qoid petunt, qoia putaot ſe pro gloria laborare, & laboraot pro ruina. Eſt enim ambitio lethalis. 14.2

Non eſt meum dare, &c. Sedes ſtabilis humilibus, oon ambitioſis datur. 17.10

Feria 5. à Dominica 2.

Lucæ 16.

EPulabatur *quotidie*, &c. In conuiuiis maximè cauenda pericula. 21.20

Conuiuia officiuot. 128.5

Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis. Virtutis cultor nuoquam noo reuireſcit à malis. 159.5

Vidit Abraham & Lazarum. Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, modò apparet ſuperior in requie. Ne quemquam adeò inferiorem potes, qui non poſſit ſuprà te, quamprimum eſſe. 159.2

Intingat extremum digiti ſui in aquam. Qui ad Abraham loquitur, meritò ſolam aquæ guttulam petit. Nil enim magoom eſt oiſi in Chriſto Ieſu. 63.35

Nunc autem hic conſolatur, &c. Duo erant tunc Lazaro conſolationis fomenta, & propria requies, & pœnarum, diuitis coſpectus. 64.36

Feria 6. à Dominica 2.

Matthæi 21.

QVi *plantauit vineam*, &c. Sapienti inimicum otium, labor amicus. 58.22

Sepem circumdedit, &c. Cootinentia & ſeps, & murus validiſſimus. 137.27

Cùm tempus fructuum appropinquaſſet, &c. In ſolo Chriſto Ieſo inueoies appropioquantem fructum. 84.30

Agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium ceciderunt, &c. Poſt vineam acceptam, pleni fructibus in homicidia ruere. Magnæ enim virtutis ſpecimeo eſt, quòd io temporali fœlicitate poſitus, noo inde in mala ruas. 148.9

Occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Sublato Deo vanè curaot hæreditatem ſibi retinere. Nullum enim booum durabile eſt niſi io Deo. 120.17. & 157.13

Sabbatho à Dominica 2.

Lucæ 15.

HAbuit *duos filios.* Ecce tibi tota fidelium natio ad duos filios reducitur. Deos eoim oon tam in multitodine, qoàm in paucorum deuotione ſibi complacet. 93.21

Congregatis omnibus adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam. Vbi bonorum ſubſtantiam accepit, ſe maximè à vita alienat. Nociuiſſima equidem ſuot tranſitoria boon. 14.77

Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè, &c. Laſciuia exuperans omnia hominis bona perdit, abſumit. 164.4

Vt paſceret porcos. A laſciuia non in vnam, ſed in multas ſpurcitias deuenit. Luxuriæ enim peccatum non inuenitur ſine aliis plurimis. 153.3

Surgam, & ibo ad patrem meum. Surgam, ait; non enim præualeret apud Deum, niſi de abiecta terra. 160.5

Ibo ad Patrem. Et nobis peccatoribus ſpectandum eſt, vt ad priſtinam Paradiſi patriam regrediamur. 161.7

DOMINICA III. Quadrageſ.

Lucæ 11.

ERAT *Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Præſente Ieſu, & conante dæmonium eiicere, adhuc illud obmuteſcit, nec vllum verbum bonum promit. Sic enim qui diu in peccatis exiſtit, ægrè, & difficulter ad pœnitentiam exurgit. 9.17.14

Cùm eiecisset dæmonium. Qui Deum pro ſe habet, etſi ſolus ſit, de inferno triumphat, & mundo, 169.14

Locutus eſt mutus. Hic eſt Ieſu Spiritus, vt faciat nos per confeſſionis verba nudare peccata. 100.13

Confeſſio ſalutaris. 194.8

In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Nunquam virtus non malè audit apud ſceleſtos. 214.15

Feria 2. à Dominica 3.

Lucæ 4.

Q*Vanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Fecerat equidem virtutes, & miracula in Capharnaum, quas nondum fecerat in patria. Quia in Dei, virtutiſque cauſa, affectibus carnalibus non eſt ſeruiendum. 204.2

Fac & hic in patria tua. Vanè petunt fieri virtutes à Ieſu in patria ſua, quando non oportebat. Solus enim Deus ſcit adeſſe in opportunitatibus. 228.17

Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Inde ſe excuſat à faciendis virtutibus in patria, quod illam non ſimiliter affectam erga ſe inueniat, ac alias ciuitates. Si enim ſimiliter affecta eſſet, ſimilia illi præſtaret. Deus enim quod vni ſemel dedit, idem aliis ſimilibus præſtabit. 233.30

Exurrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem, &c. Quid durius: Ciues, & cognati inſurgunt in Ieſum. Duriora equidem ſunt, quæ per chariſſimos nobis mala inferuntur. 175.3

Feria 3. à Dominica 3.

Matthæi 18.

S*I peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe,* &c. Peccatori quanto citiùs adhibenda eſt correctio, quæ ſalutaris ſit. 265.3

Adhibe tecum adhuc vnum, vel duos. Nec ſtatim in damnationem fratris ire permittimur, ſed magis expectare, & moras nectere. De magna enim potentiæ virtute venit, quòd ſciamus erga peccatores eſſe longanimes. 249.14

Sit tibi ſicut Ethnicus, &c. Cum fraterna charitate ſtat, quod pertinacem punias. Miſericordia enim eſt non ſemper parcere. 249.13

Si duo ex vobis conſenſerint, &c. Vnitas, & concordia requirenda, vt Dei dona adoleſcant, affectumque habeant. 39.15

Feria 4. à Dominica 3.

Matthæi 15.

Q*Vare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* Simul & diſcipulos, & magiſtrum amant percutere. Quo diſcipulorum correptio illis grata eſt; gratus eſt enim labor homini, qui Deo eſt communis. 58.22

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur, &c. Diſcipulos Ieſu criminoſos facere nituntur, ne Ieſu pateat diuinitas. Quippe diuinitas maximè oſtenditur in bono ſucceſſore. 92.8

Quare, & vos tranſgredimini, &c. De tranſgreſſione mandatorum Dei Phariſæos damnat, tranſgreſſionem diſcipulorum in non lauandis manibus prætermittens. Magnorum enim virorum minuta obtegenda, & diſſimulanda ſunt. 109.37

Quare, & vos, &c. Phariſæos mordet Ieſus ſtans pro diſcipulis ſuis. Solus enim Ieſus protegit ſuos in vitam. 48.20

Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras. Traditiones humanæ occaſionem dabant peccatis. De ſolo enim Deo venit, quòd omnia error, & peccatum tollatur. 53.8

Feria 5. à Dominica 3.

Lucæ 4.

S*Vrgens Ieſus de Synagoga introiuit in domum Simonis.* Synagogam relinquit, & amat eſſe in domo Simonis. Non enim ſic æſtimat Deus ſuperbam templorum magnificentiam, vt intimam cultoris deuotionem. 37.20

Nec tam in ambitioſo externo ornatu, quam in puritate intentionis ſibi placet. 142.5

Introiuit in domum Simonis. Nil ſic Deus æſtimat, quàm quod poteſt dare paupertimus. 143.7

Imperauit febri, & dimiſit illam. Malum de fœminis naſcens extinguitur, vbi apparet Chriſtus. 43.8.

Surgens miniſtrabat illis. Vt accepit ſalutem à Deo mulier, eam impendit in miniſtrando ei. Ingenuus enim animus ea quo aliquid accepit, non poteſt & præſtare. 41.4

Feria 6. à Dominica 3.

Ioannis 4.

F*Atigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.* Qui ſic propriam quietem deſpicit, vt aliis ſalutem impertiatur, ſupra hominem eſt, imò eſt Deus. 65.40

Fatigatus

Index Concionatorum.

Fatigatus ex itinere ſedebat. Vt ſaluaret meretricem fatigatus ſedet, quippe inter paſſionis labores, non poteſt non propitius eſſe. 76.8

Da mihi bibere. Daturus ſalutem, aquam petebat, vt inde magis obligaretur ad præſtandum, quando is eſt Deus, eiúſque ſpiritus, qui nec paleam accipiat, ſine remuneratione: 93.10

Si ſcires donum Dei, &c. Apud ſcientem in magna ſunt æſtimatione Dei dona. 77.12

Petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Myſteria Dei non diſcurſibus intellectus, ſed voluntatis affectibus capiuntur. 88.40

Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum, &c. In mundialibus bonis, non poteſt non apparere finis. 78.14

Sabbatho à Dominica 3.

Ioannis 8.

D*Eprehenſam in adulterio.* Ecce voluptates carnales in quantam amaritudinem veniant. Adultera rapitur ad pœnam, ſed enim hæ amaritudinea tam propriæ voluptatum, vt ſtatim ſentiantur, ſi tantiſper in illis moreris. 184.16

Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Non in Ieſu, ſed in Moyſe eſt ſola ſeueritas. 119.15

Moyſes mandauit, &c. Adulteram oſtendunt & & legem indicant pleni exultatione, & gaudio. Vt dicat Ericus: *Cum inueniſſent mulierem in adulterio, exultant*, &c. Mali Principes qui in ſubditorum peccatis habent cauſas lætitiæ; optimis enim principibus, non mediucri dolori ſunt peccata ſubditorum. 200.11

Qui ſine peccato eſt veſtrum, &c. Accuſantibus fœminam de adulterio opponit Dominus propria illorum adulteria, & peccata. Qualia enim ſumit peccator arma aduerſùs Deum, talia opponit Deus, vt illum perdat. 193.6

Vnus poſt vnum exibant. Ad verbum Ieſu omnes & tentatores, & accuſatores diſparuere. Validiſſima enim diſparent ad Dei nutum. 231.15

DOMINICA IV. Quadrageſ.

Ioannis 6.

A*Biit Ieſus trans mare Galilææ*, &c. Vt locum daret Phariſæorum iris, abiit trans mare, vt doceret, quàm protegimur ab hoſtibus per mare Baptiſmi. 135.37

Quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. Non propter ſalutem animarum, ſed propter ſalutem corporum ſequebantur Ieſum. Mundialis enim ſapientia nihil nouit æſtimare præter hæc præſentia. 137.40

Vnde ememus panes, vt manducent hi? Solicitus oſtenditur Ieſus pro ſatiandis aſſeclis ſuis. Vt doceat, quàm debeant non ſolum ſpiritualia, ſed & temporalia ſubſidia ſubditorum prouideri à præſulibus Eccleſiæ. 36.16

Gratias egit. Gratiarum actionem præmittit ſigno faciendo. In animo enim grato multa bona fundantur. 67.43.

Accepit ergo Ieſus panes in manus. Fallat, ſi quid efficacius recte accipere poſſet ad homines trahendos. Trahuntur enim etiam feriſſimi pabulo. 85.31

Vt impleti ſunt. Seruus ſatur Domini gloria eſt. 83.17

Feria 2. à Dominica 4.

Ioannis 6.

I*Nuenit in templo vendentes oues*, &c. Auaritiæ, & lucris turpibus ſtudentes in templo erant, quaſi inde habituri eſſent ſecuritatem. Sed nec templis magnificentiſſimis ita fidendum, vt vitæ puritati, & ſanctitati. 99.10

Cùm feciſſet quaſi flagellum. Non ab aliis flagellum factum accipit, nec illud Apoſtolis credit adhuc rudibus, ſed ipſe per ſe illud facit, & vtitur. Magna enim dexteritas neceſſaria eſt, vt proximi vtiliter corripiantur. 91.6

Nummulariorum effudit æs. Quando totum templum aureum erat, cur ſic in illo à Ieſu aurum contemnitur, vt effundatur? Equidem in Chriſti Eccleſia ex auri contemptu aurum naſcitur. 108.16

Nolite facere domum patris mei. Dum flagellum arripit in mercatores illos, Deum patrem ſuum meminit. Vt doceat, quàm ſit Deum exhibere debet, qui corripit potentes. 157.13

Feria 3. à Dominica 4.

Ioannis 7.

M*Ea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Inde ſuam doctrinam extollit, quòd non ab alio illam habeat, niſi à Deo. Quod enim à ſolo Deo habetur, ſummæ æſtimationis eſt. 159.4.

Mea doctrina. Suam vocat doctrinam, quam ſimul Deo acceptam refert. Si ergo non ſuam, ſed Dei fatetur eſſe, quomodo adhuc vocat ſuam? Ideò maximè ſuam habet, quia illam Deo refert. Id enim maximè noſtrum eſt, quod Deo exhibemus. 160.7

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, &c. Ad doctrinam Dei cognoſcendam præmittit ſanctitatem, quæ conſiſtit in perficienda Dei voluntate. Semper enim ſapientia eſt cum puritate, & ſanctitate coniuncta. 11.13

Qui autem quærit gloriam eius, qui miſit illum, &c. Ecce tibi firmiſſimum fulcrum humanæ ſalutis, nimirum quòd vnum Deum quæramus, vnamque eius gloriam ſpectemus. 209.3

Ille verax eſt. Qui non ſuam, ſed Dei gloriam ambit, meritò dicitur verax; ambitioſus enim propriæ gloriæ æquè ſubſcribit mendaciis. 210.5

Feria 4. à Dominica 4.

Ioannis 9.

Q*Vis peccauit, hic, aut parentes eius?* Exteriores oculorum tenebras credebant diſcipuli ortas ab internis tenebris peccatorum. Solent enim externa mala ab internis oriri. 285.17

Liniuit lutum ſuper oculos eius. Cæcos, & tenebroſos oculos luto ſuperaddito magis obtenebrat, quo enim quis magis abſconditur, & latet, certius apud Deum in lucem venit. 198.4

Vade,

Vade, lana in natatoria Siloë, &c. Nulli eurando tot diligentiæ mandatæ ſunt à Ieſu, quot mandatæ ſunt cæco huic. Cui & non eurta via perambulanda proponitur vſque ad fontem Siloë, & ibi oculorum etiam abſterſio mandatur; præter quam quòd Ieſus ipſe pro illo, in terram ſpuerat, lutum fecerat, & linierat oculos eius. Et eur huic tot diligentiæ mandaotur? Cùm à natiuitate cæcus eſſet, ſerò ſatis occurrit Ieſu, qui autem ſeriùs venit ad Deum, maiorem conatum, pluréſque diligenrias adhibere debet. 565.14

Abiit ergo & lauit, & venit videns. Per lauacrum pœnitentiæ, & lachrymarum oculi acuuntur ad videnda diuina. 171.50

Abiit ergo, &c. Non moratur, ſed ſtatim abiit. Moroſitas enim mulrum officeret. 562.13

Feria 5. à Dominica 4.

Lucæ 7.

C*Vm appropinquaret porta ciuitatis, ecce defunctus efferebatur.* Efferebatur equidem defunctus de ciuitate, in quam nondum Ieſus intrauerat, & ibi à Ieſu ſuſcitatur. Ibi enim ſolùm vita eſt, & mors abeſt, vbi Chriſtus eſt. 556 3

Filius vnicus matri ſuæ, &c. Matrem ſuperſtitem habuerat hic adoleſcens, non patrem. Sic qui mundo nituntur, ſæpe altero orbantur parente. In Deo autem nunquam non & patrem, & matrem habemus. 163.1

Miſericordia motus ſuper eam, &c. Propter matrem viſam decreuit & filio dafuncto benefacere. Sic & parenrum virtutes proficiunt etiam filiis mortuis in peccato. 157.14

Tibi dico, ſurge. A peccatis deiecti, & oppreſſi, ſolo de Ieſu halitu poſſunt ſurgere. Quia ſolus Ieſus facit, ne ſint importabilia peccata. 574.6

Dedit illum matri ſuæ. Securius traderemur matris noſtræ Mariæ manibus, à quibus ſecurè imus ad Deum. 150.13

Et de patrocinio Mariæ. 568.11

Feria 6. à Dominica 4.

Ioannis 11.

M*Iſerunt ergo ſorores eius*, &c. Dum Lazarus infirmatur, ſorores eius illi adſtant, ad Ieſum mittunt pro obtinenda ſalute fratris. Sic iuſtis viris omnia fauorabilia præhabita ſolent etiam in periculis adeſſe. 176.7

Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei. De Lazari infirmitate gloriam Dei hauriendam promittit; nullum enim eſt malum, de quo bonum haurire non poſſimus. 277.15

Mortuus eſt, & gaudeo. De amico mortuo gaudet, nec miror, melius enim, & tutius agitur cum iuſto, qui è vita eripitur. 568.15

Lazarus amicus noſter dormit. Mortem illatam amico ſomnum vocat; prudentis enim eſt non exaggerare, ſed minuere accidentia mala. 195.11

Maria domi ſedebat. Aderant multi Iudæi conſolantes ſorores de morte Lazari, quibus relictis Martha abiit, & occurrit Ieſu: Maria autem dicitur ſediſſe domi. Et cur Maria non magis ſurgit, & abiit ad Ieſum? Cur abeunte Martha, Maria adhuc inter conſolatores ſedet? Vt Maria purius Deum ſpectabat, ſic magis grauabatur conſolatoribus illis mundialibus, ne ſurgere valeret. Spectanti enim Deum graues ſunt conſolationes temporales. 218.5

Si fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Chriſti abſentiæ tribuit mortem fratris. Pereat enim neceſſum eſt, cui eripitur Chriſtus. 170.17

Sabbatho à Dominica 4.

Ioannis 8.

E*Go ſum lux mundi.* In ſolo Ieſu lux, in aliis tenebræ. 116.7

Habebit lumen vitæ. Vel vnus Dei radius cordi affulgens hominis, eum excitat in ſalutem, & vitam. 248.12

Vos neſcitis, vnde venio, &c. Inuidi erant, & ideo patentiſſimum Chriſtum ſcire nolebant. Inuidus enim non vult agnoſcere ea ipſa, quæ agnoſcit, & videt. 270.18

Iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me, pater. Iudicium non ſolùm ſibi, ſed patri attribuit, vt oſtendat illud ſalutare. In iudicio enim patris nil eſt ad ſalutem non conducens. 244.13

DOMINICA V. Quadrageſ.

Ioannis 8.

Q*Vis ex vobis arguet me de peccato?* Hoc maximè æſtimandum eſt, quòd nulli ſis ob peccatum obnoxius. 186.52

Vos ex Deo non eſtis. Hoc maximæ pœnæ eſt homini, quòd Dei non ſit, neque à Deo admittatur. 507.10

Dæmonium non habeo. Quid manſuetius inter iaculatas iniurias: Profectò nouum, & inauditum, quod quis ſic bilem contineat mediis iniuriis. 190.36

Non quæro gloriam meam. Non in gloriæ ambitu, ſed in humilitate firmiut hominis magnificatio conſiſtit. 151.17

Eſt qui quærat, & iudicet. In gloria habenda, non ſe, ſed Deum patrem ſpectat, à quo illam accipiat. Tunc enim temporalia bona non nocent, quando Deus ſpectatur in illis. 149.11

Feria 2. à Dominica 5.

Ioannis 7.

M*Iſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum.* Non quieſcunt Iudæi aduersùs Ieſum, ſed quotidie augent malitiam aduersùs illum. Nec enim inuidia ſcit moderari. 270.17

Modicum tempus vobiſcum ſum, &c. *Quæretis me, & non inuenietis.* Et cur quærentes non inuenient? Cauſam præmiſit illis: *Modicum tempus vobiſcum ſum.* Cùm enim inquiſitio ad breue tempus reducitur, poteſt fieri vt caſſa ſit. Quapropter peccator nō breue ſpatium pœnitentiæ ſibi præſcribat. 276.12

Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? Ieſus de morte, & paſſione ſua locutus eam vocabat

abitionem

abitionem. Iudæi autem in verbo abitionis hærentes nihil de morte ſuſpicantor, nec illam nominant. Non enim paſſio Chriſti capitur niſi labiis mundiſſimis. 88.39

In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, &c. Notanter Ieſus dicitur ad ſe vocaſſe in die magno feſtiuitatis, vt nimirum oſtenderet nihil eſſe magnum niſi in Ieſu. 63.35

Veniat ad me, & viuat. Chriſtianis epulæ à cæleſtibus. 36.15

Flumina de ventre eius fluent. Nunquam abſis à diuinis fluentis, quæ tibi æſtus carnales extinguant. 25.28

Feria 3. à Dominica 5.

Ioannis 17.

N*On enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Exilium à Iudæa amplectitur, ne homicidis Iudæis occaſionem daret. Chriſtianæ enim perfectionis eſt proximis peccandi occaſiones abripere etiam proprio incommodo. 121.20

Vt diſcipuli tui videant opera tua quæ facis. Propinqui Ieſu volebant, vt ille gloriæ acquirendæ operam daret, ſcientes gloriam iuſtorum etiam ab illorum propinquis participari. 117.10

Nemo in occulto quicquam facit. Errabant iſti putantes præclara facinora à nemine occultari. Imò præſtantiſſimorum hominum eſt, non omnia rectè facta manifeſtari. 97.5

Vos aſcendite ad diem feſtum hunc. Conſulebant iſti, vt Ieſus aſcenderet ad feſtum, quibus dicit Ieſus, vt ipſi aſcendant. Ille enim cõſiliarius bonus eſt, qui difficilia dati conſilij ſibi aſſumit. 76.8. & 225.8

Feria 4. à Dominica 5.

Ioannis 10.

F*Acta ſunt Encænia Hieroſolymis, & hyems erat.* Encœniorum feſtum, hoc eſt, renouationis feſtum notatur eſſe in nebuloſo. & pluuiali hyemis tempore. Amicitia enim cum Deo renouari debet luctu, & lachrymis intercedentibus. 197.2

Ambulabat Ieſus in templo, &c. Meritò dicitur Ieſus templo adeſſe in feſto renouationis templi. Placet enim ei vitæ nouitas. 37.19

Circuierunt ergo eum Iudæi, &c. Encœniorum feſta eò detorquent Iudæi, vt Ieſum impetant. A ſacris enim nequiter peractis in horrenda crimina ruitur. 214.13

Opera, quæ ego facio, in nomine patris mei, &c. Nomen in ſe Dei patris per opera Ieſus oſtendit; nuſquam enim Dei nomen ſinę virtutis, & effectus re. 121.18

Ego vitam æternam do eis, &c. Non aliis, quàm ouibus ſuis propriis vitam æternam dicitur Ieſus dare. Quippe qui pertinent ad poſſeſſionem Dei, cœleſtibus benedictionibus implentur. 39.26

Feria 5. à Dominica 5.

Lucæ 5.

I*N ciuitate peccatrix.* Peccatrix abſolutè dicitur, quaſi omnium peccatorum rea. Luxuriæ namque peccatum nõ inuenitur ſine aliis plurimis. 153.3

Attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, &c. Quàm facilè oſtenditur peccatrix hæc etiam in domo aliena intraſſe ad Chriſtum. Equidem excluſerat iam idola cordis ſui; ablatis autem cordis idolis, quàm facilè itur ad Chriſtum. 68.3

Lachrymis cœpit, &c. Meritò cœpit à lachrymis, quæ nos in perfectiſſima obtinenda deducunt. 137.29

Et amicitia cum Deo renouari debet luctu, & lachrymis intercedentibus. 197.2

Capillis capitis ſui tergebat, &c. Lachrymis lauat, capillis tergit, vnguento vngit. Laborioſior enim eſt reſtauratio gratiæ, per peccatum amiſſæ. 91.4

Capillis capitis ſui tergebat. Multa faciebat, quia laſciuia non vincitur niſi à multitudine virtutum. 107.31

Item: *Capillis capitis ſui tergebat*, &c. Pro tollendis peccatis pœnitentia non parua, ſed magna procuranda. ibid.32

Feria 6. à Dominica 5.

Ioannis 11.

C*Ollegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum.* Nullus dæmon auſus fuit in Ieſum, & audent Iudæi. Humana enim rabies dæmonibus efferacior. 267.10

Hic homo multa ſigna facit. Hinc iam ruſticiſſimam malitiam ſuam oſtendunt, qui cariſſimum populi benefactorem, miraculis illuſtrem, ſic deſpiciunt vt hominem, quaſi vilem, & communem vocent. Quando ingenui, & boni viri vel hoſtes titulis honorificis appellant. 219.7

Sic dimittimus eum ſic, venient Romani, &c. Non immeritò nequiſſimi homines timent ſibi à præſentia Ieſu. Debent enim maximè timere ſibi iniqui à præſentia iuſtorum. 216.20

Omnes credent in eum. In hoc rectè iudicabant, quòd omnes ad ſe raperet Ieſus. Ex quo enim quis aliquid oſtendit ex Deo, ad magnum etiam perueniet. 220.9

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, &c. Hæc vt à Caypha fuerunt intellecta, & nequiſſima, & ſtultiſſima erant. Per homicidium enim quærebat populi ſecuritatem. Peccatum autem non ad roborandum, ſed ad perdendum eſt. 223.3

Ab illo ergo die cogitauerunt, vt illum interficerent. Omnes in conſilium Cayphæ nefariſſimum ruunt, placentia enim inconſultiſſimè creduntur. 221.12

Sabbatho à Dominica 5.

Ioannis 11.

C*Ogitauerunt Principes Sacerdotum, vt Lazarum interficerent.* Dei amicorum vita nunquam non periclitatur in mundo. Nihil enim facit Deus, quod corporaliter moriantur. 201.13

Vt Lazarum interficerent. Lazaro præſtantiſſimum erat, ſic impiorum odio confici. 204.4

Cogitauerunt Principes Sacerdotum. Multi Principes armantur in vnum Lazarum, & tamen vnus Lazarus eorum manibus eripitur. Victoria enim non penes multitudinem, ſed penes eum, qui Deum habet. 244.1

Vt

Vt Lazarum interficerent. Lazari interficiendi cogitatio in animis Iudæorum præmittitur, vt inde eatur ad necem Chriſti. Neſcit enim peccatum eſſe ſolum, ſed multa alia, & maiora parturit. 266.6

DOMINICA in Ramis.

Matthæi 21.

Ecce Rex tuus venit tibi,&c. Hoc petitur, vt Rex, & Dominus noſter videatur. Qui enim Deum claris oculis ſpectat, facilè deſpicit vanitates mundiales. 34.10

Ecce Rex tuus. Vt vnus nobis inſpiciendus eſt Chriſtus. 79.16

Manſuetus,& humilis,&c. Felicitas ſumma principatus, quem pacifici, & manſueti extollunt. 81.20

Super aſinam,&c. Non perituri triumphi à contemptu temporalium. 109.1

Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua, &c.Quæ turba ſtratis veſtibus Ieſum modò excipit, poſt tres dies aduersùs illum clamat: Crucifige. Quæ enim nos bona tempore fœlicitatis ornant, in aduerſitate vertuntur in inſtrumentum exitij. ibid.2

Strauerunt veſtimenta ſua. Vt Ieſum videant, abiiciunt veſtimenta, & ſternunt. A Chriſti enim luce venit, quòd mortalia hæc, vt aliena abiiciamus. 70.6

Cædebant ramos, &c. Ramos Domino non ignobili affectu offerunt. Deus enim nihil tanti æſtimat, quanti id, quod vel à paupere offerri poteſt. 143.7

Feria 5. in cœnam Domini.

Ioannis 13.

Vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. In paſſionis tranſitu hoc habebat Ieſus, vt iret ad patrem. In vno enim Deo patre habemus omnium malorum remedia. 189.33

Vt tranſeat. Filiis Dei mala vt tranſitoria,ſunt contemnenda. 196.16

Omnia dedit ei pater in manus. Hoc maximum in Ieſu, quod vni Deo omnia accepta refert, non vlli creaturæ. 17.9

A Deo exiuit, & ad Deum vadit, ponit veſtimenta ſua, &c. Vt ad Deum vadit, ſeſſurus cum patre, ponit veſtimenta, ad pedes diſcipulorum ſe deiicit. Diuinæ enim & permanentes ſedes non in ambientes, ſed inhumiles veniunt. ibid.10

Quia à Deo exiuit,&c. Etiam nudus, & deiectus ad pedes Apoſtolorum, regiam, diuinamque dignitatem prætendit. Iuſtorum enim eſt,etiam in ſumma deſolatione regium animum ſeruare. 226.12

Cœpit lauare pedes diſcipulorum. Cœpit equidem ſordes peccatorum abluere à lotione pedum; quàm quia Petrus detrectabat, dicit illi: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Et meritò, ſiniſtrum enim initium fortiſſimorum corda infirmat. 229.22

Ita & vos faciatis, &c. Præſtet is ſe Princeps quidquid vult à ſubditis præſtari. 594.10

Feria 6. in Paraſceue.

Vanè de Ieſu amicitia gloriatur, qui eum in paſſione videns, nihil in ſe paſſionis aſſumit. 217.2

In Ieſu pœnis, timeat peccator ſuas, quas dabit Deo. 218.3

Vnus ſanguis Chriſti Domini nunquam non veniam clamat. 171.22

Crux Chriſti, & paſſio Reges facit. 27.35

Inter paſſionis ſuæ vulnera neſcit Deus non propitius apparere. 76.8

Et vide etiam de paſſione. ibid.9.& 106.10

DOMINICA Reſurrect.

Tutiores in gloriam proficiunt. 80.18

Parui pendenda ſunt mala, quæ maioribus bonis reſarcienda. 206.8

Sanitas à Deo veniens implet totum hominem. 207.12

LIBER NONVS.

Salomon, ſiue IESVS triumphans Hieroſolymis.

DVM lætis acclamationibus audio Ieſum Hieroſolymis excipi, illa me ſingulariter impleuit, quæ dicebat: *Oſanna filio Dauid.* Subit enim animam meam Matth.21.
Dauidis regaliſſima proles Salomon, in cuius gloria non obſcurè delineatam video, quam Ieſus in ſuo triumpho Hieroſolymitano oſtendit. Vterque ibi filius Dauid, vterque Rex pacificus & mitis claruit, vt ad vtriuſque triumphos decantandos noſter ſtylus euolet, eo libentiùs, quo in re gloriæ Salomon, & Chriſtus ſæpe æquiuocantur.

CAPVT I.

Salomonis & IESV ſymbola in triumpho Hieroſolymitano.

TRIVMPHANTEM Ieſum meditatus, regalique pompa à Hieroſolymitanis exceptum, non poſſum oculos à Salomone filio Dauidis auertere; cuius gloria noſtri pacifici glorias adumbrabit egregiè.

§. I.

A Chriſto pax.

SAlomon idem eſt, ac pacificus; in hoc enim eius regnum à Dauidico regno diſtinguebatur, quòd hoc multis prælus conſtiterit, illud autem multa floruerit pace. Quid magis Chriſti imperio comparandum? Nonne ille eſt Ieſus meus, cuius in pace maximè ſplendet principatus? Dicebat Matth. 21. pompaticum Ieſu ingreſſum
Matth.21. ad Hieroſolymitanos deſcribens: *Hoc autem factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, &c.* Et fallar, ſi pacifici Regis clariorem ſpeciem dabis. Quæ verba tractans Imperf.homil.37.in Matth.ait:
Imperfect. *Dominus aſcendens ad Hieroſolymam, magnam gratiam pacis & concordiæ mundo vniuerſo quaſi in teſtamento reliquit. Non ſedet in curru aureo, pretioſa purpura fulgens neque aſcendit ſuper feruidum equum diſcordiæ amatorem, & litis, qui de longè odorat bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cùm viderit ſanguineam pugnam, dicit in corde ſuo: Bene eſt factum. Sed ſedet ſuper aſinam tranquillitatis, & pacis amicam.* Hic eſt habitus pacifici regni, quem Ieſus in ſuo triumpho oſtendit: vt credamus pacem, & vnanimitatẽ Chriſti principatui annexam eſſe. Adeò vt Chriſtiani regni a mundo diſcedentis ſigna hæc ponantur Luc 21. *Cum audieritis prælia, & ſeditiones* Luc.21.
nolite terreri: oportet primum hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, &c. Vt pax indicat regnum Chriſti exiſtens in mundo, ſic bella, & ſeditiones oſtendunt illud à mundo abire. Quod notans Origen.homil.28. in Matth.ait: *Sicut aduentus Chriſti in* Origen.
plurimis gentibus fecit pacem, ſecundum quod dicit Propheta: Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna: ſic conſequens eſt, vt cum propter abundantiam iniquitatis refriguerit charitas multorum, & ideo reliquerit eos Deus, & Chriſtus eius, iterum fieri prælia, &c. Non equidem clarius deſignat Salomonem regni pax, quàm deſignat Chriſtus, cuius principatui ſic eſt annexa, vt cum illo veniente veniat, & cum recedente recedat.

§. II.

Tributa non poſſunt facere Principem conſpicabilem populis: vt in Salomone, & Ieſu.

HOc ponderat textus inter Salomonis glorias 3. Reg. 3.Reg.10.
10. *Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ diuitiis, & ſapientia. Et vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis.* Cùm ſic audio à ſapientia & diuitiis fuiſſe omnibus factum Salomonem conſpicabilem; clarè colligo tunc temporis non fuiſſe eius diuitias à ſuorum ſanguine tributis, & exactionibus extortas. Non enim cùm erat in gloria, ſed poſt lapſum declinauit Salomon in auaritiam, vt teſtis eſt Pineda noſter. Et quidem non tributa, & exactiones, ſed diuitiæ ſine ſubditorum lachrymis ortæ faciunt Principem conſpicabilem populis. Quis hoc non videat exactius in Ieſu meo, quàm in Salomone?
Ait D.Matth.c.21. de eius Hieroſolymitano ingreſſu: *Hoc* Matth.21.
factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, &c.

Digitized by Google

Particula illa *Ecce*, non otioſè in præſenti poſita eſt, ſed vt omnibus Regem conſpicabilem faciat. Et cur diuinus Princeps modò conſpiciendus exhibetur? Ait Diuus Chryſoſt. Chryſoſt.homil.67. in Matth. *Non currus, vt Reges cæteri, agens, non vectigalia exigens.* Planè dignus in omnium oculis eſt Princeps ille, qui tributis parcit erigendis. Tributa enim nimia ſic obſcurant Principes, vt minimè à ſuis conſpici queant. Potentiſſimum Principem Nabuchodonoſor effigiabat Dominus in proceriſſimæ arboris ſpecie, cuius culmen pertingebat cœlum. De qua locutus Dan. 4. Daniel cap. 4. ait: *Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Pulchritudinem, & conſpicabilitatem foliis, non fructibus attribuit. Et cur non magis dicit: Fructus eius pulcher? Geneſ. 3. Geneſ. 3. dicebat: *Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile.* Non ſolùm lignum; ſed & lignum & fructus eius pulcher viſus eſt, & aſpectu delectabilis, vt placet D. Thomæ, & Caietano in cat. Lypom. Quando ergo arboris vetitæ fructus adeò pulcher, & aſpectu delectabilis videbatur; cur Danielis arboris fructus nec pulcher, nec aſpectu delectabilis dicitur? In fructu arboris Danielis, Babylonici imperii tributa, & exactiones repræſentabantur, quæ vbi nimiæ ſunt, nullam poſſunt dare Principibus pulchritudinem, nec conſpicabilitatem. Ait Theodor. Theodor. ibi: *Folia vocat decus illud, quod conſpiciebatur, in veſte, & throno, & regia, & ſtatuis, haſtatis, ſatellitibus, ac ſtipatoribus corporis; fructum verò, tributum, quod vndique ei afferebatur, ideirco multum fructum, non autem pulchrum dixit, neque enim mitè impoſitum erat.* Vbi nimium tributum, nulla pulchritudo, nulla conſpicabilitas eſſe poteſt in Rege, neque in regno.

§. III.

Vt Salomonis, ſic Chriſti gloria ſingularis.

HInc extollebatur Salomonis gloria, quòd illi fuerit 3. Reg. 3. ſingularis, dicit enim 3. Reg. 3. *Quæ non poſtulaſti dedi tibi, diuitias ſcilicet, & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in Regibus cunctis retro diebus.* Sic ſingularis illi data eſt gloria, vt nulli alij fuerit ſimilis clara. Huc trahe Ieſum pompaticè ingredientem Hieroſolymam, de quo ait Ioan. 12. D. Ioan. c. 12. *Turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſet, quia venit Ieſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant: Oſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, &c.* Cui alij data eſt hæc gloria? Theophyl. Nonne vni Ieſu ſingularis? ait Theophylactus ibi: *Occurrerunt ei cum gloria propter miraculum Lazari, maiorem illi impendentes honorem, quàm homini puro debeatur. Non enim vltrà vt Prophetam habebant illum. Quem enim Prophetarum ſic venerati ſunt olim vnquam?* Nulli vnquam Prophetarum ſimilis honor exhibitus fuit à populo, vt de ſingulari acclamatione radiaret gloria Ieſu. Sed & illud notandum, Matth. 21. quod Matth. 21. dicebat tunc impletam fuiſſe Scripturam, dicentem: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens* Cyrill. *ſuper aſinam.* Quæ verba tractans D. Cyrill. Hieroſol. Catech. 12. ait: *Multi ſunt Reges: de quo igitur hoc dicit? Da nobis ſignum, quod alij Reges non habeant. Da nobis proprium ſignum Regis, cuius regnum annuntias. Habes ſingulare ſignum Regis aduentus. Solus regum Ieſus, ſuper pullo aſini ſedit: & ſolemniter cum benedictionibus tanquam Rex in Hieruſalem ingreſſus eſt.* Quis Regum ſedens ſuper aſinam, extorſit tantam gloriam à populis? Planè ſic ſingularis in hoc oſtenditur Ieſus meus, vt nemo in Regibus fuerit ſimilis illi.

§. IV.

Religio & in Salomone, & in Ieſu libentiſſimum nudat populum.

DE Salomone locuti Iſraëlitæ dicebant 3. Regum 12. 3. Reg. 12. *Duriſſimum iugum impoſuit nobis*; iugum vocant, non ſeruitutis, ſed tributi, vt cum Chaldæo mauult noſter Salianus. Sed quod tunc apparebat duriſſimum iugum; in principio ſuauiſſimum fuit: & nullius ponderis. Dicit enim 1. Paral. 29. 1. Paral. 29. *Polliciti ſunt itaque Principes familiarum, & proceres tribuum Iſrael, tribuni quoque & centuriones, & Principes Principum poſſeſſionum Regis. Dederuntque in opera domus Domini auri talenta quinque millia, & ſolidos decem millia, & æris talenta decem, & octo millia; ferri quoque centum millia talentorum: Et apud quemcumque inuenti ſunt lapides, dederunt in theſauros domus Dei per manum Iahiel Gerſonitæ. Lætatuſque eſt populus.* Sic lætus, & libens populus nudabatur. Cur ergo iugum graue dicitur, quod populus adeò libens, & gaudens dabat? Erat equidem iugum grauiſſimum, & intolerabilis hæc ſpoliatio, ſi ſecundùm ſe conſideraretur, & in ordine ad ſumptus prophanos. At quando hæc ſubditorum ſpoliatio fiebat pro domo Dei ædificanda, ornanda; illam libentiſſimus, & lætiſſimus populus tolerabat. Sic pro templi religione à Salomone populus libentiſſimus nudabatur. Et quid magis Chriſtianum? Religionis prætextus iampridem à Ieſu cœpit populos libentiſſimos nudare. De Ieſu ingrediente Hieroſolymam locutus Matth. cap. 21. ait: *Adduxerunt aſinam,* Matth. *& pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via, &c.* Ipſas, quibus tegebantur, veſtes exuebant Apoſtoli, & turbæ, vt Ieſu præſtarent obſequium. Tolerant enim vel ſpoliari libentiſſimi homines, vt religioni Ieſu ſeruiant. Nec mireris, quòd veſtibus nudentur; ibi enim iam oſtendebantur, qui bonis omnibus, vel ipſis propriis corporibus exuendi pro Ieſu erant. Vt dicat Beda ibi homil. 2. *Plurima hæc turba innumerabilem Martyrum deſignat exercitum, qui corpora ſua, animarum videlicet tegumenta, pro Domino dabant.* Sic Beda ibi videbat, vt Ieſu Beda. Domini religio non ſolùm homines libentes nudat veſtibus, ſed ipſis corporibus animæ tegumentis. Et quibus non libenter ſpoliemur pro Ieſu? Ait Imperfect. hom. 37. Imperfect. *Turbæ, quæ veſtimenta ſternebant in via, credentes erant ex circumciſione, qui gloriam, quam habebant ex lege, videntes Chriſtum deiecerunt in terram, & cum Apoſtolo dicebant: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc æſtimaui propter Chriſtum detrimenta, & arbitror ſtercora eſſe, vt Chriſtum lucrifaciam.* Sic Ieſus conſpectus facit omnia alia ſordeſcere, vt non grauentur, ſed magis ament homines ſe illis exuere.

§. V.

Prophetæ balant regnum Ieſu.

SI Salomonis promotionem ad regnum meminerimus, qui illam primus negotiabatur, fuit Nathan Propheta. Is enim 3. Regum 1. cum Berſabeth locutus, 3. Reg. 1. fecit, vt ageret de promouendo filio; ait enim: *Dixitque Nathan ad Berſabeth, &c.* Inſuper ipſe inaugurationi Salomonis adfuit: *Rex Dauid Regem conſtituit Salomonem, miſitque cum eo Sadoch Sacerdotem, & Nathan Prophetam, &c.* Sic vbi de regno Salomonis agitur, Propheta Nathan adeſt. Nec miror, figurabatur ibi Ieſus, cuius regnum, & principatus de Prophetis conclamantibus maximè claret: vt dicat Rupert. lib. 2. in lib. Reg. cap. 4. *Berſabee cum* Rupert. *Propheta conſilium ineunte Salomon Rex conſtituitur. Quia videlicet Prophetarum dictis adimpletis, & ſpiritualiter intellectis, Chriſtus Dei filius agnoſcitur Rex pacificus, Rex paternæ gloriæ, & omnia trahit ad ſe.* Et Salomonis, & Chriſti regno Prophetæ ſeruiunt; nec vnquam expreſſè claruit regnum Chriſti, quin Prophetarum calculus ibi exſtaret. Matth. 21. dicebat: *Hoc factum eſt, vt adimpleretur, quod* Matth. 21. *dictum eſt per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi, &c.* Sic hodie ſplendebat regnum Chriſti decantatum à Prophetis; & cui ipſi Prophetæ totam ſuam gloriam deferebant. Quid enim aliud innuebant Apoſtoli, vbi veſtimenta ſua imponunt aſello vecturo Chriſtum? Ait enim Matth. 21. *Et adduxerunt aſinam, &* Ibid. *pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Circa quæ ait D. Hilar. cap. 21. *Erit enim* Hilar. *Dominus in claritatis ſuæ aduentu gentes poſſidens, earùmque mentibus tanquam victor inſidens, toto comitatus ſui agmine prædicabitur, Patriarcharum, Prophetarum, atque Apoſtolorum. Nam gloriam ſuam in veſtimentis Patriarcharum Domino ſubſternunt. Eorum enim & generationibus, & nominibus, & inſectationibus eſt Dominus prophetatus, eique omnem dignitatis ſuæ ornatum concedentes, ſeque ſedilis ſubſternentes docent omnem gloriam ſuam præparationis dominici aduentus fuiſſe ſubſtratam.* Itaque vt Prophetarum generationibus, nominibus, & inſectationibus prophetatus erat Dominus Ieſus; ſic in eius aduentu, voluerit Prophetæ ſuam illi gloriam ceſſerunt,

Digitized by Google

runt, eiúſque ſedili & throno ſe ſubſtrauerunt, tanquam ſubditi throno Regis.

§. VI.

Hæc eſt ſapientia Salomonis, & Ieſu quæ faciat hominem popularibus acceptum.

Sapient. 8. INde ſuæ ſapientiæ triumphos extollit Salomon Sapient. cap. 8. *Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores iuuenis*, &c. *in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.* Ecce tibi vnde ſapientiæ ſibi à Deo collatæ æſtimet beneficium, nimirum, quia ab illa gubernatus eò peruenit, vt turbis & multitudini populari acceptabilis fieret. Et quantum hoc ad virum ſapientem? Nonne ſapienſis eſt, potius contemnere, quàm quærere popularem acceptionem? Equidem veri ſapientis gloria in eo eſt, quòd ea faciat, quibus ſit maximè acceptus populis. Cicero. Dicebat Cicero 2. officior. *Summa, & perfecta gloria conſtat ex tribus his; ſi diligit multitudo; ſi fidem habet; ſi cum admiratione quadam honore nos dignos putat.* Ea eſt vera ſapientis hominis gloria, & laus, quòd ea faciat, quæ ex ſe habeant virtutem extorquendi à popularibus & affectum, & fidem, & honorem. Quæ ſapientia non ſolùm in Salomone, ſed in Ieſu vera Dei ſapientia habuit locum. Quis magis compoſitus ad populares affectus rapiendos? Nuſquam non laudatus, & acclamatus à turbis, vt ex eo apertè probaretur eſſe naturalis, & verus Princeps omnium. Ioan. 12. Ioan. 12. viſæ ſunt turbæ illi occurrere, eius cantare nomen, veſtimentis viam ſternere. Quid tunc? *Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis quia nihil proficimus. Ecce mundus totus poſt eum abiit.* Phariſæi iſti oſtendebant digito popularem totam multitudinem in Ieſum affectam. Et ad quid hoc oſtendebant? An vt Ieſum calumniarentur? Imò inde conuincebant in Ieſu eſſe veram ſanctitatem, veram ſapientiam. Videntur enim iſti diſcipuli occulti Ieſu, & cùm illum prædicare non auderent, tamen effectum hunc iudicabant raptæ multitudinis, quo illum à parte ſapientiæ diuinæ apertè conuincebant eſſe. Chryſoſt. Sic D. Chryſoſtomus hom. 65. in Ioan. *Videntur mihi hæc eſſe verba rectè ſentientium, non audentium tamen palàm loqui, ex euentu illos conuincentes.* Tanto hoc effectu raptæ multitudinis ad Ieſum, nemo non amens non conuinci debebat in illo habitaſſe Dei ſapientiam. Cuius argumenti vim probè callebant ipſiſſimi Ieſu hoſtes: Euthym. de quibus ait Euthymius in cap. Ioan. 12. *Maximè ſuffocabat Iudæos perſuaſam eſſe turbam, quòd Ieſus à Deo veniret.* Itaque non vnius, alteriúſve etiam ſapienſis, & docti viri opinio de Ieſu ſic Iudæos premebat, vt opinio à populari multitudine de eo concepta. Et crede mihi, magni ponderis eſt ad veritatem, quod de te populus ſentit. Plinius. Plinius ſic ſuum Traianum monebat in Panegyr. *Huc aures, huc oculos intende. Ne reſpexeris clandeſtinas exiſtimationes, nulliſque magis, quàm audientibus inſidiantes ſuſurros. Melius omnibus, quàm ſingulis creditur. Singuli enim decipere, & decipi poſſunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Sic bonus præponit clandeſtinis exiſtimationibus, acceptionem, quam Princeps habet apud multitudinem.

§. VII.

Salomonis & Chriſti gloria ab obedientibus ſubditis.

3. Regum 4. EXpendendum eſt illud Salomonis elogium ex 3. Regum 4. nimirum; *Et veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis; & ab vniuerſis Regibus terræ, qui audiebant ſapientiam eius.* Cùm vides cunctos populos & Reges venire, vt audirent ſapientiam Salomonis, non credas id dictum de ſolo auditu aurium, ſed de auditu cum executione præceptorum eius; ſic enim vniuerſi & populares & Reges ſapientibus Salomonis dictis audientes oſtendebant, vt eius obedientiſſimi ſubditi viderentur. Irenæus. Sic de vna Regina Saba ait D. Irenæus lib. 4. cap. 45. *Et Regina Auſtri à finibus terræ veniebat ad eum, ſapientiam, quæ in eo erat, ſciuura, quam & Dominus ait in iudicio reſurrecturam, cum eorum natione, qui audiunt ſermones eius, & non credunt in eum, & iudicaturam eos, quoniam illa quidem ſubiecta eſt annuntiatæ ſapientiæ per ſeruum Dei.* Ecce tibi vt Regina ſic audiebat Salomonis ſapientiam, vt eius præceptis ſubiiceretur. Inde maximè ſplendebat viri ſapientia, quæ vel Reges ipſos ſibi faciebat obedientes. In quo veri Salomonis Ieſu adumbrabatur gloria, quæ de gentium exaltatur obedientia. Dicturus enim D. Lucas cap. 19. triumphum Ieſu, quo Hieroſolymis exceptus eſt, ait: *Cùm appropinquaſſet Ieſus ad Bethphage, & Bethaniam ad montem, qui vocatur Oliueti, miſit duos diſcipulos ſuos, dicens: Ite in caſtellum, quod contra eſt: in quod introeuntes, inuenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum ſedit, ſoluite illum, & adducite.* Luc. 19. Tunc cùm ad Bethaniam accedit, inde ſibi pullum aſinæ afferri iubet, & cur in Bethania potiùs, quàm alibi pullum ſolui mandat, & ſibi adduci? Eſt Bethania iuxta ſignificationem ſuam domus obedientiæ, nec Chriſtus amat triumphare niſi in illis, qui obedientes ſunt dictis eius. Dicebat Ioannes Geomatra in caten. Græca: Geomatra. *Illuc enim vbi obedientia, vbi locus Sacerdotibus mancipatus, mittit Dominus Apoſtolos ſuos, vt ſoluant aſinæ pullum.* Soluendus erat ab Apoſtolis in pullo illo beſtialis populus, & adducendus in libertatem Chriſti, vt Chriſtus Dominus triumpharet in eo; & ideo inde requiritur pullus, vbi floret obedientia. Crede mihi homo, in ſua obedientia non parum ſe extollit Chriſti Domini ſapientia, & potentia.

§. VIII.

Patrum antiquorum virtutibus reſpondere ſumma eſt laus, vt in Salomone, & Ieſu.

NOn ad paruam ſui commendationem dicebat Salomon Prouerb 4. *Ego filius fui patris mei tenellus*, &c. Prouerb. 4. Quaſi diceret, vix patris mei doctrinam attigi, exceſſit enim ille, adhuc me in pueritia manente. Quod tamen ille fuit, in ſapientia, & virtutibus, hoc ego etiam modò ſum. Quid laudabilius in homine? Meritò putat Caietanus ibi ad ſummam viri commendationem pertinere, quòd eas virtutes retineat grandæuus, quas via à patre valuit in infantia percipere. Et ſic Salomon, vt ſe exemplar proponat futuris, oſtendit in ſe ad amuſſim repræſentatas illas antiquas patris ſui virtutes, quas via ipſe potuit videre, cùm adhuc puerulus eſſet, cum pater ſibi ab oculis fuerit ereptus. Quam gloriam cumulatius mirabatur populus in Chriſtu. Ait enim Matth. 21. *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna filio Dauid.* Matth. 21. Multi equidem fuerunt Dauidi ſecundùm carnem propinquiores, in quorum nullo hoc miratus eſt populus cum tanto elogio, quòd fuerit filius Dauid. Cur ergo id in Ieſu & mirantur, & celebrant? Crediderim in Ieſu non ſolam carnis propagationem conſideratam, ſed magis Dauidis ſeruitutes ad amuſſim in Ieſu expreſſas, & notas. Indéque ad ſummam Ieſu laudem pertinere putabant, quòd patris Dauidis referret virtutes, patris, inquam, qui tot ſæculis antea exceſſerat è viuis, quàm naſceretur Ieſus. Quis hoc non tribuat ſummæ laudi filio? Ad Epheſ. 4. dicebat Paulus ex Pſalmo 67. Epheſ. 4. *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Tertullianus legit, *dedit dona filiis hominum.* Et qui filij hominum ſic honorantur diuinis donis à Deo, & Chriſto eius? An quorumque hominum filij? Minimè: ſed ſpecialiter loquitur de illis, qui verorum hominum, nimirum Apoſtolorum, iam pridem defunctorum, modò referunt virtutes. Ait Tertullianus Tertull. lib. 5. in Marc. *Eleganter filios hominum ait, non paſſim hominibus, non oſtendens filios hominum, id eſt, verè hominum Apoſtolorum*, &c. Cùm munerari à Deo, dicit Apoſtolus filios hominum, nos deſignat, qui in nouiſſimis ſæculis viuimus, qui verè hominum Apoſtolorum tot antè ſæculis defunctorum, modò repræſentamus virtutem, & vitam. Summæ enim commendationis eſt, quòd homo in nouiſſimo hoc ſæculo recens, ſic exprimat antiquorum Patrum virtutes, vt videatur modò illis adnixere.

§. IX.

Ieſus ornatis ferculis vt gaudet, inſtar Salomonis.

QVis ignoret Salomonis ferculi ornatum? Dicit illa
Cant. 3. Cant. 3. *Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum media charitate conſtrauit*, &c. Septuaginta: *Intimum eius lapidibus conſtratum.* quod Ambroſius, Theodor. & Nyſſen. intelligunt: *gemmis, & lapidibus pretioſis variatum.* Nec aliter vehebatur Salomon, niſi in ferculo tam pulchris, & pretioſis decorato ornamentis. Vt inde quam ſimillimus Ieſu filio Dei videretur, qui nullo in pectore gratè fertur, niſi cuius pretioſiſſimarum virtutum
Matth. 21. ornamentum fuerit. Matth. 21. aſinam, & pullum ſibi afferri mandabat, vt illis Hieroſolymam veheretur. Diſcipuli autem: *Adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Non in nudis iumentis ſedet Dominus, ſed in eis, quos priùs Apoſtoli veſtimentis ſuis ornauerunt. Et quidem non ſedet Dominus in animis hominum, quin priùs ipſi de Apoſtolorum doctrina pretioſis virtutum ornamentis
Hieronym. decorentur. Vt dicat D. Hieronymus in præſenti: *Pullus iſte, & aſina, quibus Apoſtoli ſternunt veſtimenta ſua, vt Ieſus molliùs ſedeat: ante aduentum Saluatoris nudi erant, abſque operimento frigebant. Poſtquam verò acceperunt Apoſtolicas veſtes, pulchriores effecti, Dominum habuere ſeſſorem. Veſtis autem, vel doctrina virtutum, vel diſſertio Scripturarum intelligi poteſt, quibus niſi anima inſtructa fuerit, & ornata, ſeſſorem habere Dominum non meretur.* Non enim venire ſolet Deus niſi ad eum, quem nouit pulchris virtutum ornamentis fulgere. Virginibus tam prudentibus, quàm fatuis clamor factus eſt
Matth. 25. Matth. 25. qui monebat ſponſum accedere. *Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas.* Circa
Origen. quæ ait Origen. homil. 33. in Matth. *Omnes quidem audierunt, & ſurrexerunt, non autem omnes decentem poſuerunt lampadibus ſuis ornatum, ſed quæ audierunt prudentiam eas ornantem.* Ne miremur, quod è decem virginibus quinque excludantur à Deo, quæ omni ornamento præcipuo carebant, Deus enim amat eſſe in eo, qui pulchris virtutum ornamentis ſplendet.

CAPVT II.

Natiuitas, & educatio Salomonis.

MILLESIMVS tertius mundi annus dedit Dauidi filium ex Berſabe, legitimis conceptum nuptiis. Cuius natiuitatis auſpicia, & mater, & Propheta Nathan ominibus finem appoſitis præſignant. Illa à Dauide informata puerum, Salomonem vocat, perpetuæ pacis illi accumulans diuitias. Hic Dei monitu Ledidiath, id eſt, Domino amabilem, nominat, vt hinc pateret, quàm erat futurus Deo in deliciis. Eo ardentiùs puer cœpit amari à matre, quo regalis thalami noſcebatur maturior fructus abſque vlla acerbitate delicti. Cui materno amori adiunxit bonæ curas nutricis, ne teneri infantis artus aliquid non regium ebiberent, ſed inde haberetur matri ſuæ vnicus.

MORALIA IN TEXTVM.

PACIFICI Regis cunabula tractaturus eò ſpecto, vt gloria in excelſis Deo affulgeat, quæ de terrena pace non ſemel reſultat.

Sap. 7. Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conueniente.

§. I.

A temporalibus, terreniſve bonis nunquam non mors gignitur.

SApiens & vera confeſſio hominis prudentiſſimi, qua ſe mortalem agnoſcit, dum ait: *Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, de genere terreni illius, qui prior factus eſt.* Et meritò, vbi a terreno illo hominum primo originem fatetur eſſe, mortalem ſe agnoſcit. Terrena etenim, & temporalia bona non poſſunt non ex ſe gignere mortem. Cùm Ieſus meus agebat in terris, per ſe accedebat ad defunctos, & eos vocabat in vitam. Ioan. 11. Ioan.
clamauit Ieſus: *Lazare, veni foras, & ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus*; ſimiliter ad portas Naim filium exſuſcitat viduæ, & filiam principis Archiſynagogi. Verùm poſtquam in cœlis agit, neminem eſt viſus ſuſcitare per ſe ipſum. Et cur à Ieſu cœleſti non auditur vox ſuſcitans mortuos, qualis audiebatur quondam à terreno Ieſu? Quicumque ſuſcitantur in hac valle, ſic ſuſcitantur, vt iterum mortem incurrant. Inde fit, quòd cœleſtis Ieſus factus abſtineat a ſuſcitatione mortalium; cùm autem terrenus erat, & temporalis in carne, tunc ſuſcitabat plurimos, vt iterum in mortem irent, ſcientes de terreno, & temporali origine etſi præſtantiſſimo, non poſſe Epiph.
non mortem parturire. Dicebat D. Epiphan. in Ancorato: *Dominus in carne progreſſus ſuſcitauit mortuos, quo id quod per carnem factum eſt, rurſus obdormiat*, &c. *Qui ſanè poſtquam ſurrexit ex mortuis, nullum ſuſcitauit ex recens mortuis.* Nequit non mortem ſapere, quod tibi per terrenos, & temporales canales obuenit. Sint, licèt, limpidiſſimi, & puriſſimi bonorum fontes, vt limpidiſſima erat, & puriſſima Ieſu caro paſſibilis; attamen inde vita hauſta à defunctis, in mortem iterum ibat. Nihil enim terrenum, & temporale etiam in ſua maiori magnitudine, & plenitudine non ſignat ruinam. Paul. ad Galat. cap. 4. dicebat: Galat. 4.
Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, &c. Cuius aduentum ſpectans Apocal. cap. 10. ait: *Vidi alium* Apocal. 10.
Angelum fortem, deſcendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt Sol, & pedes eius tanquam columna ignis: & habebat in manu ſua libellum apertum: & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram. Et ſic compoſitus hic Angelus quid fecit, aut quid Ibid.
dixit? Ait ſtatim: *Iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum*, &c. *Quia tempus non erit amplius.* Hic Angelus creditur eſſe Chriſtus Dominus cùm per Incarnationem ex Maria apparuit in terris. Sic Beda, Primaſius, Richard. Victor. Pannonius, Andreas Cæſarienſ. & de hoc diuiniſſimo Angelo dicitur, quòd veniens in mundum temporalibus bonis finem fecit, iuratus, *Quia tempus non erit amplius.* Et quando hic temporum deſtructor venit? Ait Paulus ſupra: *Quando venit plenitudo temporis*; quando Gal. 4.
temporalia omnia in maiori erant augmento, in maiori magnitudine, tunc paritur, qui tempora omnia impellat ad interitum. Non enim potuit de temporalium augmento aliud naſci, quàm finis ipſius temporis. Vt dicat D. Au- Auguſt.
guſt. tract. 13. in Ioan. *Vbi venit plenitudo temporis, venit ille, qui nos liberabit à tempore, liberati autem à tempore, victuri ſumus ad æternitatem illam, vbi non eſt tempus.* Simul cum plenitudine temporum venit deſtructor temporis, ne aliud expectes à culmine temporalitatum, quàm interitum.

§. II.

Humilis propriæ vtilitatis cognitio firmum gratiarum excipiendarum fundamentum.

AVdio Salomonem ſic clamantem: *Sum quidem ego mortalis homo, ſimilis omnibus, de genere terreni illius, qui*

prior

Digitized by Google

prior factus eſt. Et qui ſic ſuam vilitatem agnoſcit, & prædicat, cur ad culmen felicitatis, & ſapientiæ non perueniat? Iaan. 6. Paſturus Ieſus ingentem multitudinem Ioan. 6. ait: *Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in illo loco,* &c. Poterat & ſtantibus cibum præbere; cur mauult vt ſuper fœnum ſedeant? Emiſſen. Ait Euſeb. Emiſſen. *Super fœnum turbas diſcumbere facit, quatenus hoc cibo ille ſe intelligat eſſe indignum, qui nondum ſupra fœnum diſcumbit. Propheta enim dicit: Verè fœnum eſt populus, ſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. Quicumque igitur es, qui vis ſatiari de panibus Chriſti, diſcumbe priùs ſuper fœnum: imo priùs fœnum te eſſe cognoſce.* Expende, quæ à te priùs requiratur præparatio, vt ad Chriſti fauores aſcendas, nimirum: *Prius fœnum te eſſe cognoſce*; quippe ille, qui humilem cognitionem ſuæ vilitatis habet, qui humiliter de ſe ſentit, is aptatur diuinis fauoribus excipiendis. Cotam Præſide Pilato poſitus Ieſus, & multis Matth. 27. interrogatus: *Non reſpondit ei verbum, ita vt miraretur Præſes vehementer*, Matth. 27. Sed & Luc. 23. ad Herodem nihil reſpondebat. Vbi autem ad crucem ventum eſt, cùm iam ei ſuffixus eſſet, tunc a nemine interrogatus, nec requiſitus ſexies locutus eſt, & à latrone requiſitus ſemel iterum reſpondit placidiſſima verba. Cur Domine latroni verba das bonorum plena, quæ Principibus Herodi, & Pilato negas? Inflati iſti alios ſpiritus gerebant, ſuæ paruitatis immemores: humilis ille paupertatem ſuam profitebatur, & miſeriam. Cur mirer, ſi ad illum diuina dona citiùs perueniant? Dicebat Arnol. Carnot. tract. 1. Arnol. Carnot. de ſeptem Chriſti verbis: *Modò vltrò loquitur, qui paulò ante ad Herodis, & Pilati inquiſitionem conticuit: curioſitatem & faſtum tumentium hominum aſpernatus, pauperes ſpiritu de patibulo edocet*, &c. Aſpernatur Dominus faſtuoſos Principes, & animo tumentes, & ad illos inclinat dona ſua, qui ſub propriæ paupertatis cognitione humiliter ſe gerunt. Nec miror; quidquid enim Dei eſt, humili corde exceptum multos fructos edit. Ioan. 8. vt adulteræ fœminæ parceret Ieſus, inclinauit ſe, & *digito ſcribebat in terra.* Quæ verba tractans D. Auguſt. in Pſalm. 102. ait: Auguſt. *Tunc ſcripſit in terra, quando ſe inclinauit in terram. Antequam ſe inclinaret in terram, non in terra ſcripſit, ſed in lapide. Iam fructuoſum aliquid erat terra de Domini litteris pariens.* Expende illud: *Iam fructuoſum aliquid erat terra de Domini litteris paritura*; equidem vbi terra, nimirum homines terræ æquati, originémque terrenam agnoſcentes, vel literam Dei in ſe exciperent, inde maximos fructus parturirent. Nequit enim humilis cognitio ſui in homine eſſe infœcunda. Trahe hoc dicta tom. 2. de Chriſto figur. lib. 5. §. 34. & alibi.

§. III.

Ille ſolus ſcit aliquid, qui mortis extrema nouit.

PVlchra hæc Sapientis eſt confeſſio: *Sum quidem ego mortalis homo.* Solus namque ille aliquid ſapit, ſcit aliquid, qui mortem nouit hominibus propriam. Obiiciebat Deut. 32. Moyſes populo ſuo Deut. 32. *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia: vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.* Si in eis eſſet ſapientia, & intelligentia alicuius rei, ſimul eſſet nouiſſimi exitus prouidentia. Quando autem probabantur non curare, nec attendere nouiſſima; ſimul probantur nullam prudentiam, neque ſcientiam rerum habere. Et meritò creditur omnia neſcire, qui mortem ſibi, & omnibus communem neſcit. Ioan. 11. Ieſus meus audiens Lazarum ſepultum Ioan. 11. quaſi eius Marc. 13. locum ignoraret, aiebat: *Vbi poſuiſti eum.* Sed & Marci cap. 13. ait Dominus: *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque filius*, &c. Sic diem ſecundi aduentus Chriſti à ſe ignorari dicit. Sed qualiter in Dei filium ignorantia aliqua cadere poteſt? Qualiter dies aliquis, aut hora fugere poteſt oculos diuiniſſimi filij? Ex quo diuinus Ieſus voluit prætendere ignorantiam ſepulchri Lazari, conſequenter etiam quoad nos prætendit ignorantiam diei aduentus ſui ſecundi, vt pateat, quàm nil aliud ſciat, qui neſcit inſtantem hominibus ſepulturam. Hilarius. Huc adeſt D. Hilar. lib. 10. de Trinitate fatus: *Patuit Verbi profeſſionem ad conſummandi hominis ſacramentum pertinere, vt qui infirmitates noſtras portabat, infirmitatem humanæ ignorationis aſſumeret; atque ita diem neſcire ſe diceret, vt ſepulchrum Lazari neſciebat.* Illa ſunt valdè notanda: *ita diem neſcire ſe diceret, vt ſepulchrum Lazari neſciebat*, conformabatur prorſus ignorantia diei ignorantiæ ſepulchri: vt ſepulchrum ignorabatur, & dies, & hora & cætera omnia ignorari dicuntur. Vis homo ſcire tuæ ignorantiæ menſuram? Vide, vt ignoras ſepulchrum; qui ſepulchri, mortiſve extrema ignorat, nihil mirum quòd cætera ignoret. Ille aliquid ſcit, qui attendit hominem moriturum.

§. IV.

Te generi diuino adiungit Humilitas.

SVam vilitatem profeſſus Salomon ait: *Sum quidem ego mortalis homo, ſimilis omnibus, de genere terreni illius.* Quæ ad ſpiritualem ſenſum tracta ab Hugone Cardinali, ſic explicantur: *De genere terreni illius nobilis, id eſt, Chriſti.* Sed vnde tantus Doctor agnouit in Salomone genus Chriſti? Planè ex illa humili confeſſione, qua dixit: *Sum quidem ego mortalis homo, ſimilis omnibus.* Tanta enim ſapientis viri humilitas eum generi adiungebat diuino. Vix aliunde clarius in te genus diuinum agnoſcis, quàm ex humilitate. Ioan. cap. 13. *Sciens Ieſus, quia omnia dedit ei* Ioan. 13. *Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.* Non loquitur ibi de eo, quòd ab æterno exierat à Patre Deus de Deo; ſed de exitu temporali, quo in mundum venerat. Et vnde hic exitus temporalis oſtendebatur à Deo veniſſe? Sapienter ait D. Eligius Epiſc. Nouiomenſis Eligius. homil. 4. in cœna Domini: *Sciens quia à Deo exiit per humilitatem incarnationis.* Vbi adeò humilis in mundo Ieſus apparebat, clariſſimè oſtendebat genus à Deo trahere. Humilitas enim nos ſupra humanas generationes eleuat, & proximos ſuperno, & diuino generi facit. Quò tendebat illud inter D. Ieſum, & Nicodemum colloquium, de quo Ioan. 3 ait: *Reſpondit Ieſus: Amen amen dico tibi: niſi* Ioan. 3. *quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne caro eſt, quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt*, &c. *reſpondit Nicodemus, & dixit: Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Sic bonus Ieſus Nicodemo ignorantiam obiicit. Et cur Domine tantum magiſtrum ignorantiæ nomine premis? Amabat Ieſus hominem ex Spiritu ſancto regenerare, & ideo illi ignorantiam obiicit, vt inde humilietur, & per humilitatem diuinum ſpiritus conſequatur genus. Ait D. Auguſtinus tract. 12. in Ioan. *O fratres, quid putamus Dominum huic magiſtro Iudæorum quaſi inſultare voluiſſe? Nouerat Dominus quid agebat, volebat illum naſci ex ſpiritu. Nemo ex ſpiritu naſcitur, niſi humilis fuerit, quia ipſa humilitas facit nos naſci de ſpiritu, quoniam propè eſt Dominus obtritis corde.* Auguſt. Tumebat Nicodemus magiſterio, & qua parte tumebat, non poterat renaſci ex Spiritu ſancto; Ieſus autem illi ignorantiam obiiciens tumorem eripiebat, & hominem humilem faciebat, vt inde ad natiuitatem ſpiritualem, & diuinam pertineret. Adiungit enim nos humilitas diuino generi.

§. V.

Vel Chriſti vmbra te diuino generi adiungit.

ADhuc inſto in illis, quòd Salomon dicatur *de genere terreni illius*, nimirum iuxta Hugonem, *illius nobilis, id eſt, Chriſti.* Nec miror ad genus Chriſti pertinere, qui erat eius imago apud omnes patres cantatiſſima. In quo enim vel vmbra Chriſti eſt, iam inde cenſeri incipit de genere Chriſti. Geneſ. 35. locutus textus de morte Iſaac, dicit: *Appoſitus eſt populo ſuo.* D. Ambroſ. autem legit: *Appoſitus eſt ad genus ſuum*; & vim facit maximam in Gen. 35. eo quòd non dicatur appoſitus populo, ſed generi. Quando enim de aliis dicebatur, quòd appoſiti fuiſſent populis, vel patribus; cur de Iſaac dicitur, quòd appoſitus fuit generi ſuo? An pertinebat Iſaac ad genus patrum ſuorum? Equidem vt Iſaac expreſſiſſima erat Chriſti imago, ſic non inter populares patrumfamilias cenſebatur, ſed ſublimiori, & diuiniori generi adſcribebatur. Ait tandem D. Ambroſius lib. 1. de Cain, & Abel, cap. 2. *Iſaac tanquam Dei munus, ad genus ſuum magis, quàm* Ambroſ. *ad populum appoſitus legitur, vt diuinorum potiùs, quàm humanorum*

uorum imitatorem eſſe ſedulum recognoſcas. Beata & illa mens, quæ ſpecies, & ipſum genus ſupergrediens meretur audire, quod dictum eſt ad Moyſem, cùm ſepararetur à populo: Tu ſta mecum. Nam ſicut in Iſaac dominicæ incarnationis typus humanæ generationis ſupergreſſus conſuetudinem vicit priores. Typus Chriſti in Iſaac exiſtens ſic eleuauit hominem, vt cum faceret ſupergredi humanam conditionem, & adſcribi generi diuiniori. Nec non & in Moyſe mirabar illud ei dictum à Deo Exod. 7. *Faciam te in Deum Pharaonis.* [Exod. 7.] Homo enim cùm eſſet Moyſes, qualiter Deus fieri poterat? Si vel vmbra Chriſti in eo cerneretur, per hoc poſſet videri pertinere ad diuinam ſortem. [Ambroſ.] Ait D. Ambroſ. vbi ſuprà: *In Moyſe venturi doctoris figura, qui legem doceret, Euangelium prædicaret, impleret teſtamentum vetus, nouum conderet, cæleſte populis alimentum daret, humanæ dignitatem conditionis exceſſit, eo vſque vt Dei donaretur nomine, dicente Domino: Poſui te Deum Pharaonis.* Vbi Moyſes Ieſum adumbrabat, eiúſque typum præ ſe ferebat, ſic ſe ſuper omnia humana poſuit, vt diuino generi accederet. Quòd ſi adeò diuinitati approximantur, qui vel vmbram Chriſti referunt; quid nobis eueniet, qui totum in nobis Chriſtum verum gerimus.

§. VI.

Hic eſt ordo rerum mundialium, vt carnales primas referant.

HVc veniant qui mundi primatus amant, & videant, quæ in hominis conſtructione primas ferat; nimirum ait: *In ventre matris figuratus ſum caro.* Caro eſt, quæ primò figurata in homine apparet ante ſpiritus creationem, & infuſionem. Et quando in mundo carnales non citiùs ad primatus accedunt? Huc ſpectans Paulus 1. ad Corinth. 15. [1. Cor. 15.] ait: *Non prius, quod ſpirituale eſt, ſed, quod animale, deinde quod ſpirituale.* Ecce tibi in hac mundi valle, quod animale eſt, & quod carnale, ſibi primas rapiunt. [Geneſ. 25.] Dicebat diuinum oraculum Rebeccæ Geneſ. 25. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúſque populum ſuperabit, maior ſeruiet minori.* Et quis populus maior, & quis minor? Ait in rem præſentem [Auguſt.] D. Auguſtinus ibi quæſt. 73. *Carnales in populo Dei ſignificantur per maiorem filium, & ſpirituales per minorem, quia, ſicut dicit Apoſtolus: Non prius quod ſpiritale, ſed quod animale, poſtea ſpiritale.* Solent equidem carnales in hoc mundo ſibi primas præripere. [Sidonius.] Quò ſpectans Sidonius Apollin. lib. 7. epiſt. 6. aiebat: *Euarix Rex Gothorum, quod limitem regni ſui, rupto diſſolutóque fœdere antiquo, vel tutatur armorum iure, vel promouet; nec nobis peccatoribus hic accuſare, nec vobis ſanctis hic diſcutere permiſſum eſt. Quin potius ſi requiras, ordinis res eſt, vt & diues hic purpura, byſſoque veletur, & Lazarus hic vlceribus, & paupertate feratur. Ordinis res eſt, vt dum in hac allegorica verſamur Ægypto, Pharao incedat cum diademate, Iſraelita cum cophino.* Quis non videat hunc ordinem ſeruari in mundo? Quis non videat frequentiùs carnales ſpiritualibus præferri, & illis parari cathedras, his cophinos? Duriùs illud ego ferrem, niſi intra me ipſum eumdem ordinem ſentirem, quo caro præfertur ſpiritui, & malitia ſibi præripit primas. [Geneſ. 4.] Dicebat Geneſ. 4. *Adam verò cognouit vxorem ſuam Heuam, quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem per Deum. Rurſúmque peperit fratrem eius Abel.* [Ambroſ.] Circa quæ verba D. Ambroſius libr. 1. de Abel ait, cap. 3. *In nobis ante naſcitur Cain ſe ipſum præferens, poſtea Abel generatur, in quo ſit reuerentia diuinitatis. Prius ergo irrepit, quod malum eſt, poſtea agnoſcitur quod bonum eſt.* In quouis homine prius oritur Cain, quàm Abel; prius malitia eminet, quàm virtus; ne miremur, ſi in mundiali conflictu carnales ſibi præripiant primatus.

§. VII.

Humanum eſt, non niſi per profectum venire ad palmas.

QVando homo præcipua ſui parte ſpiritualis eſt; tamen priùs in illo apparet caro figurata, ait enim: *In ventre matris figuratus ſum caro.* Ab imperfectis enim incipit homo, vt tandem accepto ſpiritu proficiatur; & diſcat non niſi per profectum poſſe venire ad palmam. Ad hæc Paulus 1. ad Corinth. 15. [1. Cor. 15.] *Non prius, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale.* Si cæca illa gentium Fortuna hæc adminiſtraret, non mirarer, quòd ſic res eſſent diſpoſitæ, vt prius eſſet animale, quàm ſpirituale. Sed quando Deus iuſtus, & ſapiens adminiſtrator eſt omnium rerum temporalium: cur, quod perfectius eſt, non in primis eſt? Cur animale prius permittitur eſſe, quàm ſpirituale? Vt hinc credatur homo ad palmam debere contendere per profectum. [Theophyl.] Ait Theophylact. *Nec quis fortè quæras, cur corpore hoc animali, quod deterius eſt, nunc ipſi potimur, ſpirituali verò, quod ſatius eſt, ſumus potituri? Reſpondeo vtriuſque principia ſic fuiſſe diſpoſita. Adamum primò, poſtremò Chriſtum. Ita fit, vt in melius promouebantur res noſtræ.* Amat equidem Deus, vt promotioni meliùs ſtudeas; & ideo tibi in primis dedit, quod deterius eſt, vt per promotionem & profectum gloriam obtineas. Poſt lapſum primi hominis, & immortalitatem amiſſam, duæ fuerunt generationes ſingulis hominibus prouiſæ. Altera carnalis, quæ ex Adam naſcitur, altera ſpiritualis, qua renaſcitur homo per Chriſtum, iuxta illud, Ioan. 3. [Ioan. 3.] *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto,* &c. Et dubitari poteſt, cur Chriſtus Dominus maluerit, quòd homo prius ex Adam naſceretur, prodirétque in hoc mundiale lumen, quam in regenerationem per Spiritum ſanctum veniret? Cur perfectus, & beneficus hominum reparator, non prouidit ea remedia homini ſuo, quæ illum in primo animationis puncto regenerarent ex diuino Spiritu? Cur maluit, vt regeneratio diuina non veniret niſi poſt generatum, & proditum in culpa? Rem ſapienter definit Clemens Alexandrinus lib. 4. [Clem. Alex.] ſtromat. non longè à fine, inquiens: *Generatio excipiens generationem, vult immortales reddere per profectum.* Hic eſt ordo Dei gubernantis hominum ſalutem, vt quod immortalitatis, & gloriæ, & victoriæ eſt, id homines per profectum acquirant. Huic poſt generationem, & natiuitatem in culpa, prouiſa eſt regeneratio in gratia per Baptiſmum, vt iam inde diſcamus profectui ſtudere, ſcientes non niſi per profectum debere in gloriam venire.

§. VIII.

Nihil adeò vile, & abiectum eſt in viro iuſto, quod non veniat in gloriam eius.

NOn veretur Sapiens de ſe fateri, quòd primò fuerit figuratus caro. Ait enim: *& in ventre matris figuratus ſum caro.* Quid carne à ſapientia remotius? Quid inter intellectuales ſubſtantias vilius? Et nihilominus non veretur in ſui conceptione primas carni dare, vt qui ſciat in ſapiente, & iuſto viro nihil eſſe adeò vile, quod non maximè ad gloriam eius faciat. Qua mente imbutus Paulus 1. ad Corinth. 15. [1. Cor. 15.] aiebat: *Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde, quod ſpirituale.* Et quando animalis pars eſt peior in homine, cur permittit Deus hanc in primis dominari? Rationem huius reddens Theophylact. [Theophyl.] ait: *Quin etiam perſuaſum habeas velim vel ea quæ in te ſunt corruptibilia, & peiora, in id quod incorruptum eſt, & præſtantius commutatum iri.* Ne mireris quòd vilibus, & abiectis in homine cedat Apoſtolus primas; inde enim oſtendebat, quam certò commutanda erant in gloriam viliſſima, & abiectiſſima quæque exiſtentia in viro iuſto. Sapiens ſis, & iuſtus coram Deo, & nil tibi timebis ab abiectis, & vilibus, certus, quòd de illis etiam parturienda ſit gloria tua. Partus filij Dei promittebatur Mariæ, illa autem Angelo promittenti reſpondet Luc. 1. [Luc. 1.] *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* In quibus verbis Xuares, Toler. & ferè omnes, quos vidi, agnoſcunt votum virginitatis a Maria emiſſum. Et mirabar, quòd puella hæc ſanctiſſima virginitatis votum emiſerit, in illo populo, in quo filij Dei partus erat promiſſus; pro quo adeò omnes aliæ fœminæ, etiam ſanctiſſimæ, ſuſpirabant, vt illis ſterilitas eſſet inſtar maledicti. Et quando omnes fœminæ viuunt ſub ſpe maternitatis filio Dei fœcundæ, cur tu, ô Maria, amplecteris virgineæ ſterilitatis abiectum, & vile tunc temporis, imò & maledictum? Nonne illo voto à te abiiciebas ſpem tam glorioſi partus, dum dabas primas ſterilitati virgineæ? Abſit: in tantæ enim virtutis, &

prudentiæ

prudentiæ puella, quòd ſterilitatis abiectum videbatur primas præriperet, eo promouebatur, vt cœli terræque gloriam pareret. Ait D. Bernard. ſerm. 4. in Miſſus eſt, &c. *Chriſto deuenes te exhibere virginem, & neſcis, quòd ipſi exhibere te etiam debens matrem? Eligis in Iſrael eſſe contemptibilis, vt illi placens, cui te probaſti, maledictum incurrere ſterilitatis: & ecce maledictio benedictione commutatur, ſterilitas fœcunditate recumpenſatur.* Ecce tibi præſumptum à Maria ſterilitatis virgineæ maledictum, quòd ipſa in primis amplexa eſt, ad tantam fœcunditatem deductum eſt, vt fontem omnium benedictionum, & felicitatum pariat. Bernard.

§. IX.

Nihil eſt adeò vile, in quo non poſſis inuenire aliquid, quo excedaris.

NOndum ſpiritus in homine eſt, & iam caro in primis apparet figurata, iuxta illud: *In ventre matris figuratus ſum caro.* Et cur caro primas ſibi rapit? Ne quid adeò vile ſit, quod non habeat aliquid, quo ſuperentur etiam magni. Geneſ. 2. dicebat: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Circa quæ conueniunt plures antiqui expoſitores, quòd de terra priùs formatum fuerit corpus humanum etiam in prima creatione, & poſt efformatum corpus, creata, & infuſa illi anima. Sed cur, quod deterius, & vilius in homine erat, id primas ſibi in creatione rapuit? Accipite pulchram rationem à Diodoro datam. Is enim in caten. Græca fatur: *Hominis verò corporis primò inſtrumentum conformatur, deinde opifex animum inſpirat. Et quod in eo potius eſt, ſecundum locum obtinuit, ne carnem ſuam deſpiciat ille, neque plus nimio ſe extollat de egregia ſua, præſtantique natura.* Sic ſolet Deus omnia communiter temperare, vt etiam infirmis detur aliquid præſtantiæ, quo ſupremi vincantur, ne infimos deſpicientes ſe nimium extollant; ſed magis humilientur videntes ſe illo bono carere quod infimi habent. Quod docet Paul. 1. ad Cor. 12. inquiens: *Non poteſt autem dicere oculus manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarij. Sed multo magis, quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt.* Quid pulchrius? Sunt in homine oculi, eſt caput, ſunt manus, ſunt pedes. Et præſtantiores ſunt oculi manibus pedibúſve, & nihilominus eſt aliquid præſtantius in pedibus, & manibus, quod oculi non habent; vt inde oculi honorem habeant manibus pedibúſve, & ne aduersùs illos extollantur. Sic in cæteris omnibus, vt ibi dicat D. Ambroſ. *Qui maior eſt dignitate, & gradu, non poteſt ſine illo eſſe, qui humilis eſt; quia eſt, quod humilis poteſt, quod non poteſt ſublimis: quia ferrum poteſt, quod non poteſt aurum; ac per hoc honorem capiti faciunt pedes. Quamuis ergo magnus ſit Imperator, neceſſarium tamen habet exercitum. Caput eſt enim corporis eius ante ſe habens tribunos, comites, & magiſtros. His omnibus inferiores ſunt milites, & magis neceſſarij ſunt, ſicut membra corporis, quæ cùm inferiora videntur, plus vtilia ſunt: ſine oculis enim manus operatur, & pes ambulans victum quærit.* Equidem nullus adeò magnus eſt, qui vel in infimis non debat ſuſpicere aliquid, quo ipſe careat, & ab infimis etiam emendicare, quo ſplendeat. Aurum niſi de beneficio fornacis, ferrive non ſplendet; Imperator nihil eſt ſine Plebe. Ex quo Plinius exſufflat vaniſſimos faſtus Principum, qui faſtidiunt plebeios. Ait enim in Paneg. Trajani: *Locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia, & pares pœnæ cohortantur; pauperibus educandis vna ratio eſt, bonus Princeps. Hic fiducia ſui procreatos, niſi larga manu fouet, auget, amplectitur, occaſum imperij, occaſum Reipublicæ accelerat. Fruſtráque proceres, plebe neglecta, vt defectum corpore caput, nutaturámque inſtabili pondere tuetur.* Is eſt Imperator ſine plebe, quod caput ſine aliis membris; vt hinc diſcat plebem fouere.

Geneſ. 2. — Diodor. — 1. Cor. 12. — Ambroſ. — Plin.

§. X.

Communis vſus nullo prætextu immutandus à ſapiente moderatore.

HOc ſæpè mirabar in homine ad ſapientiam cœlitus habendam nato, quod in ſui conceptione primas referat carni. Dicit enim: *In ventre matris figuratus ſum caro.* Caro eſt, quod primò apparuit figuratum in ventre matris. Et cur caro vel in Salomonis exortu ſibi primas præripuit? Cur non ſaltem ſimul cum carne ſpiritus ille ſapientiæ ſedes conditus eſt? Sapiens, & prudens mundi gubernator, nec in electi Regis, & dilecti ſibi hominis exortu voluit communem vſum, & modum naſcendi immutare. Geneſ. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Prius corpus formauit, vel quamdam emortuam ſtatuam, deinde animam creauit per ſpiraculum, & corpori infudit. Et quando anima præſtantior pars hominis erat, cur ipſa primò minimè creata fuit? Nonne in illa prima hominis formatione poterat Deus proſpicere animæ præſtantiæ, & illam primò creare? Cur maluit quod deterius eſt, nempe corpus priùs producere? Rem ita proponit, & definit D. Chryſoſtomus homil. 13 in Geneſ. fatus: *Et fortè diceret aliquis: Quare ſi anima dignior eſt corpore, indignius primo formatum eſt, & poſtea quod eminentius? Non vides dilecte, quòd & in creaturis hoc idem vſu venit? Sicut enim cælum, & terra, & Sol, & Luna, & cætera omnia formata ſunt, & irrationalia animalia, & poſt hæc omnia homo horum principatum ſuſcepturus: ita in hac hominis formatione priùs corpus producitur, & poſtea anima, quæ dignior.* Erat iam vſus in creaturis, quòd viliora præcederent, & præſtantiora ſequerentur, ſic terra, & mare, & animantia præceſſerant, & homo poſtremus factus fuerat. Sic & ſapiens opifex, & gubernator, orbis Deus in creatione animarum rationalium noluit ab vſu iam præſcripto diſcedere. Hoc notarim, propter nouellos moderatores, qui vt longè ſunt à ſapientis Dei ſpiritu, ſic nullum vſum præſcriptum, nullam communem legem verentur; ſed omnia immutant, & peruertunt, vt ſuorum, ſuiſve lucris, & cupediis ſeruiant.

Geneſ. 2. — Chryſoſt.

§. XI.

Magnis rebus ſtruendis moroſior, & diuturnior debetur preparatio. Vbi de mortis præparatione.

IAm illud geſtationis ſuæ in vtero materno tempus oſtendit. Sapiens illis verbis: *Decem menſium tempore coagulatus ſum*, &c. Licèt communiter homines nono menſe à conceptione naſcantur; Sapiens hic cum non multis aliis magnatibus, & heroibus viris decimo menſe fuit natus. Pro quo videndus eſt noſter Pineda lib. 1. de rebus Salomonis cap. in. §. 7. Et meritò geſtandis in vtero heroicis viris decem menſes aſſignantur, nunquam enim magnis rebus edendis non longior, & moroſior debetur præparatio. De diuiniſſimo Agno Ieſu locutum Apocal. cap. 13. dicit: *Qui occiſus eſt ab origine mundi.* Et dicitur occiſus ab origine mundi, quò ex tunc fuerit eius mors præſignata, & prædicata, & per figuras, ſacrificia, & ſacramenta multa præparata. Et cur neceſſum fuit diuini Agni mortem tot ſæculis præſignari, & præparari? Pulchrè ait Tertullianus lib 3. in Marcion. *Et vtique tantum opus, quod ſcilicet humanæ ſaluti parabatur, vel eatenus ſubitum non fuiſſet, quia per fidem profuturum. In quantum enim credi habebat, vt prodeſſet, in tantum parturam deſiderabat, ſubſtratam fundamentis diſpoſitionis, & prædicationibus.* Equidem quo maius eſt opus; eo præſtantius, & ſalubrius, & diuturniorem præparationem, & elaborationem poſtulabat. Hinc cauebat Dominus, Exod. 12. *Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque Agnum per familias,* &c. *& ſeruabitis eum vſque ad quartam decimam diem menſis huius*, &c. Et ſi decima quarta menſis die immolandus erat Agnus; cur neceſſum erat illum emi decima die, & aſſeruari domi quatuor integris diebus? Cur non ſufficeret, quòd emeretur illa ipſa die immolationis? Erat die illa immolationis perficiendum magnum opus liberationis, quando Iſraelitæ exituri erant de captiuitate Ægypti, quod tantum opus neceſſariò petebat, vt multis ante diebus præpararetur. Rem ſic ponderat ibi Rupertus: *Vt quid verò tam diu ante tolletis agnum, tanto tempore ſeruaturi? Videlicet, vt dum ille præſtò eſt, cauſa quoque eius corda veſtra ſolicitet, ne ſitis immemores, vel imparati, quia tranſeundum eſt, dum ille tot ante diebus de profectione paranda vos ad-*

Apocal. 13. — Tertull. — Exod. 12. — Rupert.

monet. Quoties ille vallatum emittit, toties quaſi tubæ ſonitus, exituras caſtrorum acies excitet. Non equidem tantus exitus de Ægypto communiter peragendus erat; ſed multò ante temporis ſpatio, præparandi erant Iſraelitæ, & diſponendi ad eum. Et vtinam ad exitum de hoc mundo, nos ita præparemur; vt quotidie ſumentes viuificum agnum, eius balatibus per totam vitam excitemur, vt præclarum, & felicem ſortiamur exitum. Inde enim res magnæ diſtinguuntur à paruis, quòd illæ ea ſe longiorem elaborationem, & præparationem oſtendunt. Matth. 17.
Matth. 17. transfigurato Ieſu clamabat Pater: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.* Sic Ieſus magiſter Orbis oſtendebatur à Patre cœleſti. Sed & Ieſus
Matth. 16. Matth. 16. dicebat Petro: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Sic in Petro totam doctrinam Eccleſiæ conſtituit. Quid ais Domine, ſi in Petro doctrinæ certitudinem conſtituis, & petram inexpugnabilem Fidei in eo ponis, in quo illum à te diſtinguis? Si Petrus, vt tu, audiendus eſt, in quo erit minor excellentia Petri? Accipite D. Damaſcenum fantem ſermone de
Damaſcen. Transfigur. *Cùm primum diſcipulorum concilium coegiſſet, atque illa vitæ petra cathedram ſibi in petra quadam ex tempore extruxiſſet, interrogabat diſcipulos,* &c. Expende illa: *Cathedram ſibi in petra quadam ex tempore extruxiſſet*, quippe Chriſtus petra erat, & Petrus erat petra; in Chriſto erat cathedra cœleſtis doctrinæ, & in Petro cathedra erat doctrinæ cœleſtis. At cathedra poſita in Petro, erat cathedra poſita, & conſtructa ex tempore, reſpectu cathedræ, quæ in Ieſu erat ab origine mundi elaborata, & præſignata. Vt enim opus ex tempore factum maximè diſtat ab opere multum olei, & ſtudij olente; ſic omnes Sanctorum virtutes & excellentiæ diſtant à virtutibus, & excellentiis Ieſu, quia illæ videntur ex tempore factæ; hæ infiniti temporis elaborationem oſtendunt. Felix ille Chriſtianus, cui nec introitus, nec exitus à vita contingunt ex tempore, ſed cum multa præparatione antecedenti.

§. XII.

Vita humana ſomnus.

PEruenio ad illa verba: *Coagulatus ſum in ſanguine, & ſemine hominis, & delectamento ſomni conueniente*, ſiue, vt putat legendum Lorinus, *conuenientis.* quibus abſoluit Sapiens totam hominis conſtitutionem in vtero matris, & illum in ea perfectione conſtituit, quæ iam ſit proxima natiuitati. Sequitur enim immediatè: *& ego natus*, &c. Quapropter crediderim præfatis verbis debere oſtendi & materialia, & formalia pertinentia ad hominis conſtitutionem, quæ ſunt in ſemine & ſanguine, & infuſione animæ. Semen enim humanum ſic ex ſanguine coaleſcit, & attemperatur, & figuratur, vt immediatè, & conuenienter ibi anima infundatur. Et qualis anima in hac infuſione? Quantum ad externas, internáſve functiones ſuas adeò infirma, & trunca, vt dormienti ſimilis appareat, & poſſit meritò dici infuſio illa animæ placidus, delectabilis, & conueniens ſomnus. Quod forſan ab hoc loco Sapientiæ, vt alia, ebibit Plato; de illo enim ait
Clem. Alex. Clem. Alex. lib. 5. ſtromat. fatus: *Rurſus autem Plato quoque in ſeptimo de Republica, eum, qui eſt, diem nocturnum appellauit, propter mundi Principes, vt ſentio, harum tenebrarum. Somnum autem & mortem, animæ deſcenſum in corpus.* Et Cle-
Heruet. mentis Scholiaſtes Heruetus ait ibi: *Deſcenſus animæ in carnem à Platone vocatus ſomnus, quòd non fungatur libero contemplationis munere.* Sic homo in vtero matris coagulatur ex ſemine & ſanguine diſpoſitis, & attemperatis & ſomno placido, nimirum animæ in corpus infuſione. Dicebat
Pſalm. 3. de ſe ſaluator mundi Pſalm. 3. *Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exſurrexi.* De quo ſomno loquitur? An de dormitione mortis? Sed loquitur de ſuo in carnem deſcenſu, quem vocat ſomnum. Sic Clemens Alexandrinus
Clem. Alex. ſuprà: *Non ſolum enim Chriſti reſurrectionem, ex ſomno excitationem, ſed etiam Domini in carnem deſcenſum ſomnum vocat.* Nec miror, non enim minus dici poteſt ſomnus de morte, quam de vita filiorum hominum. Et crede mihi: niſi vita hominum ſomnus haberetur, nunquam Dominus ſuos moneret Matth. 25. *Vigilate, quia neſcitis diem, neque*
Matth. 25. *horam.* Luc. cap. 12. *Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus*
Luc. 12. *ager attulit, & cogitabat intra ſe dicens: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos; requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte repetent animam tuam.* Cur in nocte dicitur anima ab eo repetenda? Vt oſtendantur omnia illa bona ad nocturna inſomnia pertinere.
Ait D. Nyſſen. lib. de orat. Dom. orat. 4. *Quid diuiti illi profuit multus comitatus, & apparatus? Quæ vana ſpes inhærescebat, & inhiabat? Diuitens, ædificans? Congregans, genio indulgens longus annorum ambitus ſpes vanitate in horreis ſimul concludens? An non vna nox illam ſomniatam ſpem confutauit, quaſi vanum quoddam inſomnium ſuper re vana confictum?* Nyſſen.
Equidem vna nox oſtendit illa omnia bona ſomnia eſſe, quæ in ictu oculi euaneſcebant. Solebam ego maximè mirari duos ſanctiſſimos viros Ioſephum, & Danielem occupatos in exponendis ſomniis Regum. Dicit enim
Geneſ. 41. *Reſpondit Ioſeph: Somnium Regis vnum eſt*, &c. *Geneſ. 41.*
Sed & Dan. 4. ait, *Reſpondit Baltaſſar Regi, & dixit: Domine mi, ſomnium his, qui te oderunt*, &c. Ecce tibi Ioſeph, *Daniel. 4.*
ecce tibi Baltaſſar (is eſt Daniel) in enodandis Regum ſomniis occupantur, quod blateronum hominum munus ſolet eſſe. Et cur Deus eò adouait tantos viros, vt in tali munere ſeruirent Regibus? Traducebat inde Dominus vitam humanam, mundialémque Regum potentiam, ad quam dirigendam gubernandamque non alios adducit, quàm ſomniorũ interpretes, vt pateret quàm inſtar ſomniorum omnia mundi eſſe. Ad hæc aiebat Philo lib. de Io-
ſeph: *Ego tamen non diſſimulanter dico, ciuilem virum vtique ſomniorum eſſe interpretem, non quales iſti nugatores garruli mercenariique ſophiſtæ quæſtum facientes ex nocturnis ſomniorum ludibriis: ſed qui magnum illud ſomnium commune, publicúmque vigilantium, non dormientium exactè intelligat. Id ſomnium, ne quid mentiar, eſt vita hominum. Nam ſicut in ſomniorum viſionibus videntes, non videmus.* Equidem ſapientiſſimi hi viri, ſanctiſſimique non accedebant ad ſomniorum interpretationem, vt garruli blaterones accedunt, ſed oſtendentes, qui ſint neceſſarij in politia humana, nimirum qui ſomnia vigilantium interpretentur. Quando enim inſtar ſomniorum currunt omnia mundialia, neceſſarij prorſus ſunt, qui hæc ſomnia oſtẽdant, & nos ad veritatẽ impellãt. Philo.

Sap. 7. Et ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. In inuolumentis nutritus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.

§. XIII.

Conformari debemus loco, & ſtatui noſtro.

CVm in hunc aërem, & terram ſe veniſſe meminit, non de aere, ſed de terra dicit eiuſdem ſecum conditionis eſſe. Ait enim: *Ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram*, &c. Pagninus & Regia legunt: *in ſimiliter paſſam decidi terram.* Et cur aer non notatur ſimiliter paſſus, aut factus; ſed ſola dicitur ſimiliter facta, & paſſa terra? Eſt terra ſtabilis animalis locus, & ideò meritò de illa notatur, quòd ſit eiuſdem conditionis, & generis cum animali in ſe ſuſcepto. Nulla enim bonæ rationis lege, non debet quis conformis eſſe loco, & ſtatui, in quo ſtabiliter degit. De increata ſapientia locutus Sapiens c. 7. dicebat: *Vapor eſt enim virtutis Dei; & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera, & ideo nihil inquinatum in ea incurrit. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis*, &c. De hac autem *Sapient. 7.*
tanta, tam lucida Dei ſapientia, vide quid D. Luc. c. 2. dicat: *Luc. 2.*
Inuenietis infantem, pannis inuolutum, poſitum in præſepio. Sapientia Dei apparet facta infans ſine loquela, & quæ lucidiſſimis radiis omnia complet, vilibus pannis eſt inuoluta. Et cur, quæ candor eſt lucis æternæ, ſordidis pannis veſtitur? Expende illud? *Poſitum in præſepio*, vbi enim in cœlis degit, ibi nihil non lucidum, & ſplendidum admittit, vbi autem præſepij locum ſibi delegit, ibi abſurdum eſſet, ſi non & ſordidus in habitu eſſet, & elinguis. Quò ſpectans Diuus Fulgentius ſermone de Epiphania aiebat:

Paruulus

Paruulus in præſepio, immenſus in cælo, vilis in pannis, pretioſus in ſtellis. Sic ſapientia Dei ſe conformat locis habitationis ſuæ: in cælis immenſitatem prætendit, inter ſtellas nihil non pretioſum ſibi aſſumit. At in præſepio ſub paruitate, & vilitate pannorum ſe manifeſtat. Nonne ridendus eſſet, qui degens inter ſtercora, ibi ſplendidas, & pretioſas veſtes affectaret? Qui in paupertatis ſtatu, & loco inhiaret ad diuitias? Equidem ratio poſtulat, vt loco, & ſtatui noſtro in omnibus conformes ſimus. Ne in terra paſſionis, velimus cœleſtium impatibilitatem potiri, nec in terra paupertatis inhiemus diui-
Pſalm.105. tiis. Hoc malorum initium notabat Pſalm.105. in Iſraelitis: *Concupierunt concupiſcentiam in deſerto.* Miſeri in deſerto agentes, & viuentes, non ſe conformabant loco, ſed concupiſcentias ſuas ad Regias mundi extendebant, & menſas Principum habitantium in euris. Quid mirum,
Bernard. ſi perirent? Ex quo D.Bernard. ſerm.3.in Pſalm. *Qui habitat*, ſic monebat: *Hoc eſt, quod vehementer ſingulis quibuſcumque timendum eſt, ne quando forte eatenus Deum offendant, vt manifeſtè abiiciantur, & euomantur ab ea; aut ſi pudor neget apoſtaſiam corporis, tepor ipſe paulatim ingerat apoſtaſiam cordis; vt videlicet in habitu religionis cor ſæculare gerant, & quidquid ſæcularis conſolationis inuenire potuerint, amplectantur.* Hoc videant, & notent viri religioſi, vt nitantur in omnibus conformes fieri & ſtatui ſuo, & loco. Exod.3. apparuit Dominus Moyſi de medio rubi in flamma ignis, & cùm rubus arderet, & non combureretur, videns Moyſes vi-
Exod.3. ſionem, propiùs accedebat. Quid tunc? Ait text. *Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eum*
Hilarius. *de medio rubi.* Quæ verba ponderans D.Hilarius lib. 4. de Trinitate, ait: *Qui apparuit in rubo, de rubo loquitur, & viſionis locus vnus, & vocis eſt.* Quid pulchrius? Viſio, & vox rubi loco reſpondebant. Non alius videbatur in voce, quàm qui erat in rubo. Non enim erat in rubo, & loquebatur, quaſi eſſet in roſis; ſed tota rubi humilitas, & ſpina oſtendebatur & in apparente, & in loquente.

§. XIV.

Ventoſæ vanitatis paſtum nunquam non loquitur caſus, & perditio.

Vide, quàm citò caſus infeſtet hominem. Ait enim: *Natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi in terram.* Et ſimul naſcitur, & ſimul in terram decidit. Quid homini coniunctius caſu? Nec miror, primò enim dicit: *Accepi communem aerem*; & deinde ait: *Decidi in terram.* ab aeris paſtu immediatè ad caſum in terram venitur: vt videas quàm certò ventoſæ vanitatis paſtum
Oſ.1. ſequatur caſus, & perditio. Quò ſpectans Oſeas cap. 2. ait: *Ephraim paſcit ventum, ſequitur æſtum: tota die mendacium, & vaſtitatem multiplicat.* Expende vt in primis dicator Ephraim paſcere ventum, & deinde vaſtitatem multiplicare; nihil enim citiùs ventorum paſtibus adiungitur.
Ruffin. Vt meritò ibi dicat Ruffinus: *Samaritæ verò, ſicut falſos Deos relicta veritate coluerunt, ita ventis paſti, ſecuti æſtum, id eſt, vanitates, & perniciem, deleguntur.* Ephraim regnum erat Samaria; ideo Ruffinus pro Ephraim poſuit Samaritas; ſed illa notanda ſunt, nimirum: *vanitates, & perniciem*; nunquam non ſimul & ventoſæ vanitatis paſtus, & caſus pernicioſiſſimus. Aiebat Dominus Ioan.12. *Nunc*
Ioan.12. *princeps huius mundi eiicietur foras.* Qui Princeps? Paulus
Epheſ.2. ad Epheſ. 2. explicat *principem poteſtatis aeris huius, ſpiritus*, &c. Sed vbi noſter poſuit, *eiicietur foras*; D.Gaudent. legit: *Mittetur deorſum.* Et ſanè multo pernicioſius eſt deorſum mitti, quàm foras eiici. In eo enim quòd quis dicatur deorſum mitti, non ſola eiectio explicatur, ſed & præceps caſus innuitur. Et cur præter eiectionem, adhuc adiungitur præceps ille caſus? Planè qui in altis habitabat, aereiſque ſublimitatibus paſcebatur, non potuit non præcipitem caſum experiri. Aiebat ibi D. Gaudentius homil. in Sabb. poſt 5. Domin. Quadrageſ. inquiens:
Gaudent. *Non in planis, ac humilibus habitabat diabolus, vbi pulſus ad alium locum credatur, abſque caſu ſuo tranſire potuiſſe, ſed cum de ſublimitate expellitur, vtique præcipitatur.* Qui in humilibus degit, & planis, ſine caſu poteſt de loco ad locum expelli; at qui ſuper alas ventorum moratur, nihil non ſublime ſibi affingens, is inde non deiicitur, niſi caſu pernicioſiſſimo præcipitatus.

§. XV.

Vnus Deus præcipuè ſpectatus tenet hominem, ne inter mundialia negotia labatur.

Non miror, quod primum vitæ ingreſſum inficiat lapſus in terram, quando nihil hauritur ab homine, quod non ſit de communi ſorte mundialium. Dicit enim: *Ecce natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram.* Cadat in terram neceſſe eſt, qui communi mundialium impletur paſtu. Vtinam illi præcipuè Deus ſpectaretur, & diuinus illi halitus afflaret, fallar, niſi inde ad communia negotia mundi tranſiret ſine lapſu. Primus homo, vt vitam accepit, non decidit in terram, quin potiùs ſe à terra erexit, & lætus ambulat in Paradiſo, & aliquos dies conſumpſit ſine lapſu. Quid mirum? Ait de eius vitæ initio Geneſ. 2. *Formauit igitur Dominus Deus ho-* Geneſ.2.
minem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Expende illa: *Spirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*; non equidem in primis accepit communem aërem, ſed illi in primis fuit diuinum ſpiraculum, & de hoc Dei ſpiraculo præcipuè, & in primis accepto didicit ſine periculo tractare communes auras. Rem pulchrè concinit D.Alcimus lib.1.de origine mundi, aiens:

Poſtquam perfectæ iacuit nouitatis imago, Alcim.
Formatumque lutum ſpeciem peruenit in omnem;
Nam lenem ſuaui flatum profudit ab ore,
Inſpiratque homini, quem protinus ille receptum
Attrahit, & crebri diſcit ſpiraminis auras.
Surgit, & erectis firmat veſtigia plantis, &c.

Expende illa: *Quem protinus ille receptum Attrahit, & crebri diſcit ſpiraminis auras*, &c. Vbi in primis habuit Dei ſpiraculum, de illo didicit ſic communes auras excipere, vt ſurgeret à terra, & tutò, & ſecurè gradus figeret. O ſi nos aſſueſceremus in primis Deum præcipuo affectu tenere; de eius afflatu præcipuè quæſito, & excepto, ſecuriſſimè communia mundi negotia tractaremus. Quo adduxiſſem illud Hieremiæ Threnor.4. nimirum: *Spiritus* Thren.4.
oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris; cui diximus: In vmbra tua viuemus in gentibus. Quid eſt: *Viuemus in gentibus?* Ait Lyra ibi: *Viuemus ſecuri à gentibus quæ cir-* Lyra.
cundant nos. Equidem vbi Chriſtus ſit primus noſtri cordis, & oris halitus; vel inter mundialium gentium conſortia, negotia, & otia ſecuri a cauſa viam agemus.

§. XVI.

Illa compunctionis lachryma vera cenſetur, quæ non facile admittunt riſum inanem.

Flentes naſcuntur pueri, vt Salomon in præſenti teſtatur, fatus: *Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* Naſcuntur ſic omnes plorantes, vt lachrymabili voce ſua teſtantes, & dolentes primorum parentum cladem, vt multi in maſculorum, fœminarùmve naſcentium notant ploratu. Qui ploratus adeò eſt illis naturalis, vt dicat Plinius in proœmio lib.7. *Riſus præcox ille, &* Plin.
celerrimus ante quadrageſimum nulli datur. Itaque infantes in luctu ſunt, nec riſum admittunt intra quadraginta dies à natiuitate. O certum, & verum lucrum! O lachrymæ à vera cordis compunctione prolapſæ! Huc accedat, quiſquis amat lachrymas compunctionis ſuæ, æſtimare; & ſuſpectas habeat, quæ facilè in riſum abeunt. D Bernard. Bernard.
ſerm.4. de Aduent. *Alios quoque lugentes video, ſed ſi de corde procederent illæ lachrymæ, non tam facilè ſtatim ſoluerentur in riſum. Nunc autem cùm abundantiùs otioſa verba, & ſcurrilia profluant, quàm prius lachrymæ; lachrymas huiuſmodi de his eſſe non arbitror, quibus conſolatio diuina promittitur, quandoquidem poſt illas, tam facilè conſolatio vilis admittitur.* Equidem ſuſpectæ ſunt illæ lachrymæ, quæ inanibus riſibus crebrò interrumpuntur: quæ momento temporis cedunt vanæ lætitiæ. Illæ de vera cordis compunctione naſcuntur, quæ pertinaciter profluunt, nec vana gaudia facilè admittunt. De Samuelis matre dicebat 1. Reg. 1. *Orauit ad* 1. Reg. 1.
Dominum flens largiter; & cùm ab oratione in domum iret, ait rurſus textus: *Vultúſque illius non ſunt amplius in diuerſa mutati.* Et quanta hæc fœminæ commendatio? Sanè quod

flens

flens oraret ad Dominum, hoc non paruum erat deuotionis ſignum; quòd autem voltus eius non mutarentur, quid oſtendere poſſet virtutis? Plane fletus virtuoſus inde maximè oſtendebatur, quòd non citò mutarentur
Greg. PP. vultus in inania gaudia. Quò aſpiciens D. Greg. PP. lib. 33. Moral. cap. 21. aiebat: *Bene de Anna flente perhibetur: Vultuſque eius non ſunt ampliùs in diuerſa mutati, quia videlicet mens eius nequaquam poſt preces inepta lætitia leſciuiendo perdidit, quod orationis ſuæ tempore gemitnum rigore exquiſiuit.* Inde maximè probabantur Annæ lachrymæ, quod non ſtatim interrumpebantur inepta lætitia; ſed magis luctus durabat.

§. XVII.

Non niſi magnorum criminum rei in cladibus communibus admittunt lætitiam.

COmmunem naſcentium vocem luctuoſam oſtendit Salomon dicens: *Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans*; quod adeò naturale eſt omnibus hominibus, vt ominoſum putetur in Zoroaſte, quòd naſcens riſiſſet. Cuius notiſſima poſtea malitiæ præcox ille riſus dedit iudicium, vt notat Pineda noſter lib. 1. de rebus Salomon. cap. 12. num. 6. Nec immeritò inſuetæ malitiæ creditur reus, qui in communi omnium luctu, ipſe lætatur, & ri-
Oſea 10. det. Aiebat Oſeas cap. 10. *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit ſuper eum populus eius, & æditui eius ſuper eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab ea.* Ecce tibi totus quantus erat populus in luctu, & lachrymis, ſoli Sacerdotes in lætitia erant. Et cur lætantur Sacerdotes, quando totus populus luget? Inſinuant verba illa *Quia migrauit ab eo.* Erat enim res huiuſmodi; quia Samariæ tributum auri pendebant quotannis Regi Aſſyrio; & eò propter penuriam deducti erant, vt non habentes aliud aurum, vitulos aureos à Ieroboamo factos, & à populo cultos loco tributi Babylonem mitterent. Tunc populares vitulorum amore capti dolebant maximè, & plorabant miſeram vicem ſuam; at Sacerdotes gaudebant. Et cur in tanta clade, quando amata idola auferebantur, Sacerdotes illorum gaudebant? Auari illi ignorante populo, & Rege ſuſtulerunt aureos vitulos, & loco illorum poſuerant æreos alios aureis ſimillimos, quos cùm videbant tolli, & ferri Babylonem, lætabantur, quia
Ruffinus. inde credebant prorſus abſcondenda ſua facta. Ait Ruffinus ibi: *Cùm neceſſitas extitiſſet, vt ad ſupplementum tributi, etiam vituli mitterentur, luxerunt quidem populi, qui ſe æſtimabant numina perdidiſſe: fraudis verò conſcij exultauere cuſtodes, quia tranſlatis aliò ſimulachris, etiam inquiſitionem furti, vlteriùs timere deſiiſſent.* Non otioſè in tanto populi luctu lætantur Sacerdotes, ſed quia ingentis criminis conſcij credebant illa clade ſua crimina in perpetuis tenebris manſura. Sic communiter criminoſi in communibus cladibus & luctibus exultant, & rident: quia à cladibus denſiores tenebras parari cernunt ſuis delictis.

§. XVIII.

Multum hebeſcit cladium acies, ſi videatur omnibus communis.

INde natiuæ abiectionis dolorem minuit, & ſapit Salomon quòd omnibus communis ſit; dicit enim: *Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium.* Quid metuam in malo, quod omnibus commune eſt, etiam magnis
Iob. 3. Principibus? Aiebat non adſimile Iob cap 3. *Quare exceptus genibus? Cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem cum Regibus, & Conſulibus terræ.* Optabat bonus præproperam mortem; & ne miraremur a tanto viro mortem eſſe expetitam, oſtendit ſibi in eo nihil optaſſe, quod non eſſet & Regibus, & Conſulibus commune, vt inde aſperitas tota rei concupitæ
Olympiod. concideret. Ad hæc Olympiod. in caten. Græca fatur: *Nullam rem igitur aſperam laturus erat, ſi ortus cantem interitum excepiſſet, nullámque eorum, quæ in vita putantur, bonorum partem abſtinuiſſet; præſertim cum ipſi illi, qui ob eas res ſe ſe magnopere circumſpiciunt, non ſecus, quàm cæteri excedant è vita.* Ecce tibi vnde penè tota mortis aſperitas euanet, nimirum ex eo, quòd omnibus etiam magnis Principibus ſit communis. Hinc Matth. de conſummatione ſæculi lo- Matth.
cutus ait: *Poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo.* Et cur neceſſum fuit, tot cœleſtium aſtrorum ruinas nominare? Ne homo triſtetur in ruina ſua, quam videt etiam
aliis communem. Ex quo D. Cyrillus Hieroſolymitanus Cyril. Hieroſ.
catecheſ. 15. ait: *Non triſtemur tanquam ſoli morientes, cum & aſtra moriantur.* Sic iubet triſtitiam mortis calcari aſtrorum ſocietate. Nec miror, nam nullo tam fodicatur humanus animus, quam ſi aliis in felicitate viſis ſe ſolum
in plaga videat. Hinc poſt electum Iob de domo, & po- Iob. 2.
ſitum in ſterquilinio, ait textus cap. 2. *Audientes tres amici Iob omne malum, quod accidiſſet ei; venerunt ſinguli de loco ſuo Eliphaz Themmanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, vt pariter venientes viſitarent eum, & conſolarentur.* Et mirabar, quòd cùm tantæ cladis diabolus author eſſet, amicorum aduentum non magis impediret. Et cur non ſatagebat diabolus, ne amici Iob venirent, vt ſic omnem conſolationis ſpem illi adimeret? Imò crediderim ab ipſo diabolo factum, vt amici venirent ad Iob, vt ſic magis iuſtum conijceret, qui videns illos in proſperitate, ſe autem vnum tot plagis afflictum, acer-
biorem dolorum calicem ebiberet Quo ſpectans D. Chry- Chryſoſt.
ſoſtomus in catena Græca aiebat: *Quin amicorum tantum aſpectus nondum quicquam loquentium magnam vim habuit ad illius animum fodicandum. Nam noſtrorum caſuum atrocitatem in alienis bonis acrius ſolemus ipſi contemplari. Tu cogita, quanti fuerit, ſe ipſum in illis malis vidiſſe, amicos autem ſuos claros, ac priori felicitate vtentes intactos.* Plane hinc maximè turbantur corda humana, ſi nouerint ſibi eſſe mala ſingularia.

2. *Regum* 12. Quæ genuit filium, & vocauit eum Salomon, & Dominus dilexit eum. Miſitque in manu Nathan Prophetæ, & vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eo quòd diligeret eum Dominus. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat vrbem regiam, *&c.*

§. XIX.

In dilectis ſuis nihil Deus vacuum relinquit.

POſt adulterini filij mortem, naſcitur Dauidi ex Berſabeth alter filius, qui à parentibus vocatur Salomon; dicit enim: *Quæ genuit filium, & vocauit eum Salomon*, &c.
de quo nomine ait 1. Paralip. 22. *Filius, qui naſcatur tibi, erit vir quietiſſimus: faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum; & ob hanc cauſam Pacificus vocabitur; & pacem, & otium dabo*, &c. Itaque ob futurum regnum pacificum monſtrandum puer hic Salomon vocatur, id eſt Pacificus. Et quando iam nomen Pacifici habebat, cur neceſſum fuit à Deo ſtatim alio etiam nomine appellari? Dicit namque: *Miſitque in manu Nathan Prophetæ, & vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus.* Ecce tibi duo ponuntur nomina infanti, alterum à parentibus, quo *Salomon* appellatur, in ſignum pacifici regni, alterum à Deo, quo *Amabilis Domino* dicitur, propterea quòd a Domino diligebatur Sed cur primo nomini Pacifici oportuit hoc ſecundũ à Deo amati ſtatim addi? Secundum diuinæ dilectionis nomen maxime primum confirmabat, teſtificans vt certò implendum erat eius ſignificatum; Deus namque in dilectis ſuis nihil relinquit vacuum. Quis neſciat amorem Iacob in Rachelem? Ait
Gen. 29. *Quàm diligens Iacob, ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis.* Seruiuit itaque Iacob pro Rachele ſeptem annis, quibus tranſactis non Rachel, ſed Lia fraudulenter illi data eſt. Et tandem poſt nouas querelas, & ſeruitia noua Rachelem accepit. Quid inde? Rachel, quia poſtremò ducta, ideo magis abiecta in domo Iacob? Abſit, non enim aſpicias, quòd poſtremò ducta fuerit, ſed à Iacob diligebatur, vt credatur eam præualituram, & plenariè habituram omnia, quæ a Iacobi amore ſperabat. Ex quo pulchrè elicit D. Ambro-
ſiua

ſius, quàm nihil patiatur vacuum in delictis ſuis diuinus Amor. (Ambroſ.) Dicit enim lib. 2. de Iacob cap. 5. *Dominus Ieſus ſponſus duorum coniugiorum, hoc eſt, legis & gratiæ: qui virginem Rachel ante dilexit. Sed quoniam Lia tanquam lex ſubintrauit, & oculis infirmior obrepſit tanquam Synagoga, quæ Chriſtum videre non potuit; ſuperabundauit gratia ſanctæ Rachel, quæ Eccleſiæ principatum iam tunc nominis ſui interpretatione ſignabat.* Typica Rachel, hoc eſt, Eccleſia à Deo amabatur, quæ in nomine gentium ſonabat principatu. Subintrauit priùs typica Lia, quæ eſt Synagoga, & ſub Moyſe viuebat. Quid tunc? Dilecta Rachel iacebit? Noménque eius gentium notans principatum manebit inane? Abſit; præualeat, neceſſum eſt, diuinus amor, & ſuperabundet gratia eius in dilecta ſua; adimplens, quod in nomine de principatu gentium ſignificabatur. Neſcit enim diuinus amor aliquid in dilectis ſuis permittere vacuum. Eſau vbi benedictionem paternam ſibi paratam vidit à fratre Iacob acceptam, dolenter aiebat (Geneſ.27.) Geneſ. 27. *Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplantauit enim me en altera vice.* Vbi D. Chryſoſtomus (Chryſoſt.) homil. 53. ait: *Non ita vanum*, inquit, *nomen hoc ſortitus eſt, ſupplantationem enim interpretamur nomen eius: id quod in me declarauit, & primogenitis, & benedictione priuans.* Et vnde Iacob ſic in omnibus præualuit aduersùs fratrem vt nomen ſuum in vacuum minimè videatur accepiſſe? (Malach. 1.) Aiebat Malach. cap. 1. *Dicit Dominus, & dilexi Iacob, Eſau autem odio habui.* Expende illud, *& dilexi Iacob*; ea enim eſt radix, qua nihil poterat in Iacob manere vanum.

§. XX.

Pacificus Principis animus efficaciſſimus ad hoſtiles incurſus tollendos.

NOn ſub Dauide, ſed ſub filio eius regnum ab hoſtibus quieturum in pace promittebat Dominus 1. (1. Paral. 22.) Paralipom. 22. qui filius Salomon vocatur, id eſt, Pacificus. Dicit enim: *Qui genuit filium, & vocauit eum Salomon.* Et quid valeat pacificus Princeps, vt aduersùs illum hoſtes non mutire audeant? Nonne ad hoſtes cohibendos, regnúmque ſedandum bellicoſus Princeps aptior eſt, qui bellis, armiſque omnia conterat, & quieſcere cogat? Quanto id certius faciet bellicoſus, quàm pacificus? Imò crediderim à nullo melius, quam a pacifico Principe hoſtes contineri, & cohiberi, ne turbationem (Matth. 6.) faciant. Matth. 6. dicebat Dominus: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Et cur pacifici ſingulariter filij Dei? Equidem pacificitantis patris Dei virtutem, & efficaciam referunt in cohibendis, propulſandiſque aduerſariis. Di(Nyſſen.)cebat D. Nyſſen. orat. 7. de Beatitud. *Quinam ſunt hi pacifici? Imitatores humanitatis diuinæ, qui id, quod proprium diuinæ efficientiæ eſt, in ſua vita oſtendunt. Tollit, & ad nihilum redigit Deus, quidquid extra naturam boni, & à bono alienum eſt. Hoc etiam tibi præſcribit opus, & officium, eijcere odium, finire bellum, abolere inuidiam, exterminare pugnam.* Quod proprium eſt diuinæ efficientiæ in abolendis noxiis, id in viris pacificis, quaſi in Dei filiis ſingulariſſimè apparet, quòd pugnas exterminent, & bella finiant, nec permittant ab vllo fœdera confringi pacis. Crede mihi, nullus ſic co(Apocal. 9.)hibet hoſtes, quàm pacificus animus. Apocal. 9. *Audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei, dicentem ſexto Angelo, qui habebat tubam: Solue quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.* Ecce tibi quatuor Angeli alligati oſtenduntur in magno flumine. Quòd ſi ſcire cupis, qui ſint iſti quatuor Angeli alligati: D. Ambroſius putat per illos intelligi Imperium Romanum, qui quatuor mundi partibus dominabatur. Sed quis tanti Imperij duces, & exercitus potuit alligare? An bellicoſior alius Princeps militaribus potens armis? Minimè, ſed vnus pacificus Rex Ieſus pacem halans validiſſimos duces cohibuit, & alligauit, ne Euangelij ſegetem (Ambroſ.) turbarent. Quod ſic tibi finit D. Ambroſ. *Vincula igitur quatuor Angelorum, verba ſunt Domini: non quòd Dominus præceperit perſecutoribus, vt à perſecutione ceſſarent, donec ſemina fidei per omnes gentes ſpargerentur; ſed quod poteſtate fecit, hoc dicitur verbis præcepiſſe. Romani namque, qui ante aduentum Chriſti, cædibus, & rapinis, atque ab effuſione ſanguinis generis humani manus cohibere non poterant, pace ligati ſunt, atque ab effuſione ſanguinis prohibiti.* Expende illa, *pace ligati ſunt*, &c. quippe nullius potentiſſimi Regis exercitus valuit cohibere Romanos, ne liberè omnia vaſtarent. Acceſſit halitus pacis à Ieſu mundo immiſſus, & ecce tibi Romani ſic ligantur, vt ad nullum malum inferendum mittant manus. Eſt equidem pax validiſſimum vinculum, quod poſſit continere aduerſarios. Ex quo monebat Paul. ad Epheſ. 4. vt eſſemus *ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* (Epheſ. 4.) Circa quæ D. Thom. ibi ex Eccleſiaſtici cap. 6. ait: (D. Thom.) *Ne acedieris vinculis illius. Et quare? Quia certè, vt ibidem dicitur, vincula illius alligatura ſalutis.* Nos equidem pacificus animus in vincula ſalutis trahit.

§. XXI.

Auſpicata ſolet eſſe pueri natiuitas inter felicia contingens.

NAſcentis ad regnum pueri natiuitati adiungit textus victoriam de Ammonitis, dicens: *Qui genuit filium, & vocauit eum Salomon, & Dominus dilexit eum, miſitque in manu Nathan Prophetæ, & vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eo quòd diligeret eum Dominus. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat*, &c. Non otioſè eodem anno & tempore Salomonis natiuitas fuit, quo expugnatio Ammonitarum, & de illis à Dauide triumphalis ſumpta vindicta. Sed inde triumphalis regni naſcenti puero iam ſumebatur auſpicium. De Alexandri Magni natiuitate dicebat Plutarchus in eius vita. (Plutarch.) *Philippus captâ modò Potidæa eodem die tres nuntios accepit, fuſos à Parmenione, ingenti plaga Illyricos, alterum Olympiis ſiugi pernicitate viciſſe, tertium natum Alexandrum. His nimirum lætitiam magis etiam erexerunt vates, qui affirmauerunt infantem, in cuius natales trigemina concurrerat victoria, fore inuictum.* Et quid non ſperetur de puero, cuius natales ornat tantæ proſperitatis ſignum? Matth. 20. dicebat ad Ieſum mater (Matth. 20.) filiorum Zebedæi: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad ſiniſtram in regno tuo.* Multa dixerat Ieſus de imminente paſſione ſua, de verberibus, de ſputis, de ignominia crucis. Quibus auditis, vnde potuit iſta mulier in cogitationem regni venire? Quando audit mortem, & crucem, vnde haurit regni ſignum? Ait D. Baſil. (Baſil.) Sel. orat. 24. *Vidit pridem virginem, quæ nixum tulit non à natura ortum: vidit ſtellam, quæ Perſidem ad hunc partum euocauit. Ioannem audiuit clamantem: Ecce Agnus Dei*, &c. Equidem cuius natales tot felicitatis ſignis radiare vidit, non poteſt non credere ad regnum natum, etiam ſi illum in mortem videat ire. Tantum teſtimonium regni in felicitatibus natales comitantibus habebat, quantum non poſſunt vincere vniuerſæ contumeliæ crucis.

Sap. 8. Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. Et cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus coinquinatum.

§. XXII.

Virilis ætatis facinora, ſolet Deus in hominis pueritia præmonſtrare.

QVem ſapientem virum facturus erat Deus, iam à pueritia ingenij acumine aptabat, vt ipſe fatetur, aiens: *Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam.* Bonæ namque indolis, & ingenij puer futuræ ſapientiæ & aptitudinem, & indicia profert ſatis clara. Sic ſolet Deus vel in recèns natis maturæ ætatis præſtantias delineare. Ezech. cap. 28. dicebat ad quemdam: *In delicijs paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius, topazius, & iaſpis, chryſolithus, & onyx, & beryllus, ſapphirus, & carbunculus, & ſmaragdus, aurum opus decoris tui, & foramina tua, in die, qua conditus es, præparata ſunt.* (Ezech. 28.) Expende illa, *& foramina tua, in die, qua conditus es, præparata ſunt.*; quippe aurifices cùm vas aliquod in honorem efformant, quod perfectum lapidibus pretioſis rutilare debet, ſimul in prima ipſa efformatione vaſis ſpatia quædam delineant, & vacuitates, quæ poſtea addendos lapides

gides pretioſos iam præſignant. Sic Deus in ſuis creaturis, quas ad magnalia præſtanda condit, ſic eas efformat, vt vel in ipſa infantia eas delineationes exhibeant, quæ præ-
Iudic. 13. monſtrent facinora ventura. Iudicum cap. 13. dicitur de Anna Samſonis matre. *Peperit itaque filium, & vocauit nomen eius Samſon. Creuitque puer, & benedixit ei Dominus. Cœpitque ſpiritus Domini eſſe cum eo in caſtris Dan.* Et quomodo oſtendebatur Dominus cum puero eſſe in caſtris Dan? Inter puerilia ſic ſe animoſum, & pugnacem cum cæteris pueris oſtendebat, vt clarè maturioris ætatis facinora
Ambroſ. præſignaret. Dicebat D. Ambroſius epiſtol. 70. *Ab adoleſcentia, quæ in aliis ætas mollior, in hoc egregia, atque ſupra modum perfectæ virtutis ſtupenda facinora effecit; quibus diuini oraculi mox aperuit fidem, futuri regimen, & præſidium ſui.* Expende illa, *mox aperuit fidem*, &c. quippe mox in ipſa pueritia oſtendebat iam ſeramina, & delineationes futurorum facinorum.

§. XXIII.

Sapientia ſigna cum puritate, & ſanctitate vitæ coniuncta.

Expende illa: *Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam, & cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Equidem ingenioſum, & verè ſapientem puerum comitabantur anima bona, & corpus incoinquinatum. Vbi enim veræ ſapientiæ ſigna ſunt, abeſſe no-
Pſalm. 105. ſcuntur inde vitiorum maculæ. Aiebat Pſal. 105. *In ſeruum venundatus eſt Ioſeph. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiit animam eius, donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum, miſit Rex, & ſoluit eum.* Nota eſt hiſtoria Ioſeph, vt venundatus eſt à fratribus, vt emptus à Putiphare, vt ab vxore eius amatus; & quia petulanti fœminæ non acquieuit, in carcerem coniectus tanquam adulter. Ibi agens ſanctus iuuenis verba ſapientiæ dedit duobus ſeruis Pharaonis; moxque miſit Rex, & ſoluit eum. Sed cur Rex ſoluit eum, qui tanquam adulter ligabatur in carcere? Cur non magis damnat adulterum, quam ſoluit? Aiunt illa: *Eloquium Domini inflammauit eum*; vbi ſapiens eloquium in eo apparuit, quo ſeruis Regis euentus imminentes prædixit, ſic hominem igniuit, & inflammauit, vt nulla in eo videretur eſſe labes, aut macula, ob quam deberet detineri in carcere; ſicut enim ignis non admittit ſecum ſordes in auro, ſic verba ſapientiæ non admittunt maculas in anima. Quò ſpectans D. Bruno ibi aiebat, *Eloquium Domini, id eſt, verbum interpretationis à Domino ipſi datum inflammauit Ioſeph, hoc eſt, comprobauit eum ſanctum eſſe, qui antè adulter dicebatur; à ſimilitudine auri puri, quod inflammatur, & per flammam purum eſſe comprobatur. Et tunc miſit Rex, & ſoluit eum.* Vt ignis aurum non patitur eſſe cum ſordibus, ſed illud exhibet omnino purum, & defæcatum; ſic ſapientiæ verba oſtendunt hominem in quo ſunt, omni purum labe. Adeò vt quamuis Ioſeph in carcere teneretur tanquam adulter, eùm primùm in interpretatione ſomniorum eius ſapientia apparuit, ſic purus viſus eſt omni labe, vt minimè eum amplius pateretur Rex eſſe in carcere. Crede mihi ægrè, & difficulter à virtute, & ſanctitate verba ſapientia ſeparantur. Nota erat Samaritanæ illius laſciuia Ioan. 4. poſtquam autem Ieſum agnouit, abiit in ciuitatem, &
Ioan. 4. dicebat ad ſuos: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci. Numquid ipſe eſt Chriſtus?* Expende artificium ingenioſum fœminæ in prædicando Ieſu; non apertè dicit, ipſe eſt Chriſtus, ſed proponens eius propheticam virtutem, quaſi dubitanter interrogat, vt illos credere ſine dubio faciat. Et quid hoc artificioſum ingenium in muliere laſciua? Sané iam illam oſtendebat purum ab omni labe, & plenam virtute, & ſanctitate. Vt
Cyrill. Alex. exclamet D. Cyrill. Alexandrinus ibi: *O mirabilem mulieris prudentiam! O ineffabilem virtutem Chriſti; artificioſè iam loquitur, quæ paulò antè, nihil intelligens audiuit: Vade, voca virum tuum, & veni huc.* Quæ paulò ante laſciuiæ ſuæ increpationem non intelligebat, ex quo Chriſtum induit, & affectibus, laſciuiis renuntiauit, & artificium in verbis, & ſapientiam oſtendit.

Prouerb. 4. Ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea, & docebat me, atque dicebat, &c.

§. XXIV.

Domeſtica, & quieta ſub prudenti matre educatio vtiliſſima Principi.

Præſtantem ſuæ pueritiæ, & adoleſcentiæ efformationem Salomon & patri defert, & matri. Ait enim: *Ego fui filius patris mei tenellus.* quibus oſtendit, ſe velut ceram exhibuiſſe patri, vt ab illo facile poſſet efformari, cuius mores ſic æmulabatur, vt meritò talis diceretur filius patris. Et poſt hæc accedit ad matrem, aiens: *Et vnigenitus coram matre mea edocebat me*, &c. Et qui à tanto patre efformatus, illi pleniſſime reſpondebat, vt vere filius patris; cur maluit poſt hæc quaſi vnigenitum filii coram matre, eius etiam doctrina efformandum? Poterat illi aliquid reſtare diſcendum à matre; qui agens cum Dauide parente, in illius virtutibus fuerat educatus? Equidem poſt totam à patre acceptam efformationem, reſtabat adhuc plurimum, quòd futurus Princeps deberet diſcere à ſapiente matre. A Dauide enim parente belliccoſiſſimo non ſinebatur Salomon domi quieſcere, ſed ad certamina informabatur, vt puer cum exercitibus ageret, in bellum procederet, & omnia tractaret militaria, præcipuè in illis quatuor certaminibus, quæ confecit Dauid 2. Reg. 21. Poſt quæ redeunte pace redieos Salomon domum, totum ſe tradidit ciuilibus diſciplinis ſub oculis, & præceptis matris. Hoc mihi perſuadet & Salomonis ætas, & ingenium patris, & prouidentia Dei puerum ad regnum glorioſiſſimum ordinantis. Ætas Salomonis ante acceptum regnum expleuerat vnum & viginti annum, vt latè probat noſter Salianus anno mundi 3020. numer. 7. aſſert. 4. In qua ætate ſpatium eſt, quo poſſit puer cum paterno exercitu ire, & inde poſtea ad domeſtica reuocari. Inſuper Dauidis ingenium bellicoſum non credendum eſt permiſiſſe dilectum filium domi effœminari, ſed magis attendiſſe illum ſibi ſimilem fieri in experientia rei militaris. Tandem Dei prouidentia non paſſa eſt puerum ad glorioſium regnum ordinatum continuò eſſe in arena; ſed illum ad domeſtica otia reuocauit, vt ſub oculis matris ciuiles diſciplinas magis caperet. Pene idem inuenio factum cum Theodoſio magno, qui puer cum patre in ſtadio militari educatus, poſtea bellis ereptus, otio domeſtico traditus ciuilia didicit, vt efformaretur præſtantiſſimus Imperator. De illo ait Latinus Pacat. in Paneg.
Prius quidem, quàm ad illa veniam, quæ ætas maturior, egiſti, Pacat.
ſummatim tamen illud attingam cum patre diuino conſortium caſtrenſe; actas ſub pellibus hyemes, æſtates inter bella ſudatas, dies noctéſque præliando, aut vigilando conſumptas, grauiſſimas pugnas, terrâ, marique pugnatas. Non tamen patiens Africanus, rudimenta militiæ, ſub Paulo patre tolerauit, neque pari indole Hannibal puer in tentoria Hiſpana ſucceſſit, neque futurarum ſpe certiore virtutum Philippæa caſtra Alexander nondum magnus impleuit. Quos etſi plurima laude dotauerit amplificatrix vera vetuſtas, nihil tam prius blandita præſtitit, quàm vt eos in his annis ſecutos Regum, aut Ducum caſtra vulgaret; in quibus tu ita fortiter multa geſſiſti, vt ea non tantùm Alexander, aut Africanus, aut Hannibal videre, dum diſcerent, ſed parentes, atque inſtitutores eorum optaſſent facere, dum docerent. Quàm recta ſunt ſemper conſilia fortunæ? Quis, quæſo, tum publicis rebus non putaſſet inimicum tuum illum à ſtatione caſtrenſi ad quietem receptum? Enim verò illa futurum Principem tenens, idcirco paulisper voluit eſſe priuatum, vt quia iam ad plenum bellicis artibus abundabat, vſus ciuilis experiens ſub vno tempore redderetis. Quid pulchrius? Vide, vt ſub bellatoribus parentibus Africanus, Alexander, Hannibal, Theodoſius adhuc puerulum in militari ſtatione exercebantur. E quibus præſtantior Theodoſius poſt hæc ad quietem, & domeſticum otium occulto diuinæ prouidentiæ conſilio ſe recepit. Et cur caſtris eripitur puer, & domeſtico otio mancipatur? *Vt futurus Princeps vſus ciuiles experiens ſub vno tempore redderetur.* Vt hinc pateat, quam merito Salomon puerum à patre bellicoſo in caſtris ſui ſimilem efformatum; deinde redditum matri, vt in domeſtico otio ciuilis vſus experiens redderetur. Valde enim proficit ſapientis matris

contubernium,

coutubernium, vt ad ciuilia tractanda futurus Princeps formetur. Quis ignoret hiſtoriam Oſeæ? Iuſſus à Deo eſt accipere meretricem in vxorem, vt in eius filiis ſtatus regni Iſraelitici adumbraretur. Et ait text. cap. 1. *Oſee 1.* *Accepit Gomer filiam Debelaim, & concepit, & peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrael, quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrael ſuper domum Iehu*, &c. *Et in illa die conteram arcum Iſrael in valle Iezrael. Et concepit adhuc, & peperit filiam, & dixit ei: Voca nomen eius, Abſque miſericordia; quia non addam vltrà miſereri domus Iſrael, ſed obliuione obliuiſcar eorum. Et domui Iuda miſerebor*, &c. *Et ablactauit eam, quæ eſt abſque miſericordia*, &c. Equidem duos filios, & duas filias fecit ſibi Oſeas ex meretrice, vt figuraret ſtatum Iſraelitici regni. Sed illud notandum, quod de ſola filia dicit, quòd ablactata fuerit. Sic enim *Ruffinus.* ibi ait Ruffinus: *Inter filiorum autem imagines, de ſola tantùm puella, quòd ſit ablactata, memoratur.* Et cur ſola puella dicitur ablactata, & non etiam pueruli? In puella decem tribuum regnum exprimebatur, quod vt efferum, & paſſionibus ignominiæ deditum, & abſque miſericordia puniendum, ſic meritò oſtenditur caruiſſe & lacte, & doctrina matris. Non ſic regnum Iuda, quod vt magis morigerum, & in miſericordiam directum, ſic non oſtenditur auulſum ab vberibus matris, de ſapientis enim matris inſtitutione venit, quòd Princeps & ciuiliùs, & gratiùs agat. Huc ſpectabat Caſſiod. 11. var. 1. vbi Reginam *Caſſiod.* Amalaſuntham in educatione filij extollens ait: *O ſeculi beata fortuna! ſub Principe ſeruato matris regnat affectio: per quam totum ſic peragitur, vt generalis nos regere charitas ſentiatur. Huic glorioſum præſtat obſequium, cui omnia ſeruiunt, & mirabili temperamento concordiæ, antequam poſſet populus regere, ſuis iam cœpit moribus imperare*, &c. *Gaudeamus nos, quoniam nulla erit acceſſu temporis difficilis clementia noſtri Principis, qui in annis puerilibus didicit ſeruare pietati. Sed hoc miraculum vtriuſque moribus demus, nam tantus eſt genius maternus, cui etiam iure Princeps ſeruire debuiſſet extraneus.* Et meritò de tantæ matris inſtitutione nil non ſuaue in Principe ſperabatur, vt nos videamus, quid ſperemus à Ieſu inter vbera Mariæ educato.

Capvt III.

Salomonis inauguratio in Regem.

TEXTVS HISTORIA.

SALOMONIS in iuuentute indoles, vt parenti grata, ſic Adoniæ fratri cœpit eſſe ſuſpecta, ne ſibi præriperet regnum paternum. Qua ſollicitudine agitatus aliquid moliri audet, vnde Salomoni ſpem regnandi auferret, & ſibi aſſereret Regiam pompam in curribus, & ſatellitibus prætendit: addebat namque animos & ætas, qua primus filiorum Regis erat; & oris pulchritudo, quæ non parum mortalium ſolicitabat pectora; & parentis lenis indulgentia, & nota conniuentia in filiis cohibendis. Adhæſerunt iuueni regnum ambientis Ioab militiæ princeps, & Abiathar Sacerdos; cum quibus & non paucis aliis palatinis, inſuper & filiis Regis proceſſit Adonias vſque dum veniret ad lapidem Zoheleth iuxta fontem Rogel. Ibi poſt litatas hoſtias Deo, ab Abiathare vnctus, & ab omnibus ſociis acclamatus Rex, lautiſſimo illos conuiuio excepit. Interea Nathan Propheta, qui cum Sadoch Sacerdote, & Banania, & Semei, & Cerethi, & Phelethi, non ierat poſt Adoniam. Berſabeth Salomonis matrem monet, vt ſibi conſulat, & Dauidem de auſu Adoniæ, & regno Salomoni promiſſo, quàm citò informet. Excanduit Dauid ad vxoris, & Prophetæ verba; & eo iubente ſtatim Salomon in mula ſedens, quæ vni Regi parenti erat deſtinata, pompaticè proceſſit. Præcedebat Banaias militiæ princeps, & Cerethi, & Phelethi; poſt hos Sadoch, & Nathan, & ſtatim regius adoleſcens, quem ſequebantur ferè vniuerſi aulici, & effuſi populi multitudo vniuerſa. Vbi autem ventum eſt ad fontem Gihon, deſcendens Salomon & humi procumbens Deum adorat; deinde Sadoch ſancto oleo, de tabernaculo Dei allato Regem inungit, móxque buccinæ inſonuere, & clamor populi, qui lætis acclamationibus Salomonem denuntiabat Regem. Tantus autem fuit lætantium clamor, vt ad Adoniæ ſtationem ſatis longè poſitam peruenerit; cuius ſocij ad ſonitum buccinarum attoniti tantæ commotionis expectabant euentum. Solicitior Ioab hinc inde perquirit, quid rei eſſet; cùm ecce Ionathas Abiatharis filius adeſt, qui totum Salomonici regni proceſſum manifeſtat. Vt in Gihon inunctus à Sadoch, & Nathan, vt à populo acclamatus fuerit; vt deductus ad regiam, & in ſolio Dauidis conſtitutus, lætante populo, lætante exercitu, lætante ipſo Dauide parente, dum à ſalutantibus audit ſe à Salomone vincendum in gloria regni. Videres ſubitò totum illum Adoniæ comitatum euaneſcere: vnuſquiſque tacitus ſe ad ſua recipit; ſolus Adonias ad Dei altare confugit, nec inde audet diſcedere, vſque dum certior ſibi datæ veniæ, adoraturus Regem iam propitium procedit.

MORALIA CIRCA textus literam.

AMBITIO Adoniæ regnum Salomoni accelerauit, numquam enim contraria non ſeruiunt, vt citiùs impleantur diuina promiſſa.

3. *Reg.* 1. Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecítque ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum. Nec corripuit eum pater ſuus aliquando, dicens: Quare hoc feciſti? Erat autem & ipſe pulcher valde, ſecundus natus poſt Abſalon, & ſermo ei cum Ioab, filio Saruiæ, & cum Abiathar Sacerdote, &c.

§. I.

Numquam non animaduertendum in præproperam ſolicitudinem de habenda dignitate.

NOn præripiebat Adonias regnum patri, ſed ſibi futurum regnum poſt patris obitum præparabat; & tamen notat textus in eo defeciſſe correctionem patris. Dicit enim: *Adonias eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecítque ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum. Nec corripuit eum pater ſuus*, &c. Et quando hi apparatus non tendebant eò, vt patri regnum eriperetur, ſed vt futurum poſt patris obitum diſponeretur, quid pater corriperet in eo? Quòd primogenitus Regis ſe futuro regno aptaret, quale hoc malum, quod corripi, & caſtigari deberet? Cur ergo in hac futuri regni præuentione deſiderat diuinus textus correctionem patris in filium? Planè correptione dignum erat, quòd viuo adhuc Rege, ſic properaret Adonias diſponere ſibi futurum regnum. Nunquam enim non tam præpropera feſtinatio regnandi correptionem meretur. Quò ſpectans Concil. Toletanum VI. num. 17. cauebat: *Itaque Regis vita conſtante nullus ſibi aliquo opere, vel deliberatione futurum Regem prouidaat, contra viuentis Regis vtilitatem, & proculdubio voluntatem: nullo blandimento, vel ſuaſione pro eadem ſpe, aut alios ad ſe trahat, aut ipſe in alium acquieſcat. Iniquum enim & valde execrabile Chriſtianis debet haberi, futuris temporibus illicita proſpicere, & vitæ ſuæ ignaros ventura diſponere.* *Concil. Tolet. VI.* Moxque talia meditantes ſancti Concilij Patres anathemate plectunt, vt pateat, quam reprehenſibile æſtiment, quod ſuperſtitibus anteceſſoribus, iam aliqui pro ſucceſſione dignitatum inquietentur. Quandiu enim Præſul in munere eſt, quandiu non inſtat iam tempus dignitatis potiendæ, numquam

quam non à malo venit, quod pro illa ſulliciteris. Actor. 1. erat rediuiuus Ieſus cum diſcipulis ſuis, de quo ait textus: [Act. 1.] *Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? Dixit autem eis: Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta*, &c. Sic ſolicitudo præpropera de regno Iſraëlitico reſtituendo repellitur ſtatim [Chryſoſt.] à Domino, ait ibi Chryſoſt. *Repellit curioſam quæſtionem graui, quamuis benigniore reſponſo.* Et cur ſic boni diſcipuli repulſi ſunt? Quantulum erat, quòd de regni reſtitutione ſoliciti eſſent, vt ſic à Deo repellerentur? In bono viro non debet eſſe ſolicitudo de craſtino circa bona temporalia; ille bonus, qui non feſtinat præripere, ſed expectat tacitus temporalium commodorum maturitatem. [Conc. Tol. V.] Pro quo ſtat Concil. Toletanum V. num. 4. aiens: *Ergo quia & religioni inimicum, & hominibus conſtat eſſe pernicioſum futura illicitè cogitare, & caſus Principum exquirere, ac ſibi in poſterum prouidere, cùm ſcriptum ſit: Non eſt veſtrum noſſe momenta, vel tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: hoc decreto cenſemus, vt quiſquis inuentus fuerit talia perquiſiſſe, & viuente Principe, in alium attendiſſe pro futura regni ſpe, aut alios in ſe propter id attraxiſſe, à conuentu Catholicorum excommunicationis ſententia expellatur.* Sic plectuntur a Patribus, qui adeò præproperi ſunt in dignitatibus temporalibus negotiandis, vt anteceſſorum deceſſum minimè expectent. Hi enim & religioni inimici, & hominibus pernicioſi meritò habentur.

§. II.

Ambitionis elatio lethalis.

NOtanter dicitur de Adonia: *Eleuabatur, dicens: Ego regnabo.* Eleuabatur, inquit; vt ſolent eleuari, qui deiiciendi ſunt, iuxta illud Pſalm. 71. [Pſalm. 72.] *Deieciſti eos, dum alleuarentur.* Neſcit enim ambitionis elatio aliam eleuationem, niſi quæ in ruinam abeat. Hoc ſpectans 4 Eſdræ 11. [4. Eſdræ 11.] ait: *Vidi, & ecce in tempore ſequentes pennæ erigebantur à dextera parte, vt tenerent & ipſæ principatum, & ex his erant, quæ tenebant, ſed tamen ſtatim non comparebant.* Sic quæ erigebantur, vt principatum tenerent, in eo vix obtento diſparebant; nec miror, dicit enim D. Cyprianus ſerm. de [Cyprian.] ieiunio, & tentatione fatus: *Peremptoria eſt altitudo quæſita.* Nec vtcumque eſt peremptoria ambitio, ſed quæ funditus quidquid bonorum apparet, exturpet. Minabatur Dominus Ezech. 13. [Ezech. 13.] *Erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem.* Et qui ventus procellæ adeò diſſipator poteſt inueniri, vt ambitionis flatus? Hic ſanè vbi reſlat, nihil non perdit, [Cyprian.] nihil non funditus diſſipat. Aiebat D. Cyprianus vbi ſupra: *Repentéque & ſubitò, quod multis erat partum ſudoribus, ambitione irruente, obliteratum eſt, & turbinis huius impetu auulſum eſt, quidquid antiquo religionis labor meruerat.* Expende illud: *Turbinis huius impetu auulſum eſt*; quippe ambitio turbo eſt, & ventus procellæ adeò vehemens, vt omnia hominum bona radicitus euellat, & funditus per- [Iſai. 14.] dat. Mirabatur Iſaias cap. 14. quòd Lucifer ceciderit, & clamans dicebat: *Quomodo cecidiſti, Lucifer?* Ego, qui nullum puto à creatura alienum caſum, illud ſolum miror, quòd cadens creatura adeò pennata, non ſurrexerit ſtatim. Eſto, quòd cecidiſti Lucifer, quod proprium eſt creatæ infirmitatis, cur non te ſtatim erexiſti? Equidem cecidit inuolutus à turbine ambitionis, quæ in illo irre- [Iſidor.] parabilem fecit lapſum. Ait D. Iſidorus lib. 1. ſentent. cap. 12. *Primatum habuiſſe inter Angelos diabolum conſtat excellentia prælationis: ex qua fiducia cecidit, ita vt ſine reparatione laberetur.* Heu ambitionis procella, quot gignis irreparabilia mala! Huc trahe dicta 4. tom. de Chriſto Figur. lib. 8. cap. 4. §. 27.

§. III.

Ambitioſi non tam verbo, quàm opere coërcendi.

INter tot ambitionis conatus Adoniæ, tacebat pater eius Rex Dauid, nec vllum illi correptionis verbum faciebat. Dicit enim: *Nec corripuit eum pater ſuus aliquando, dicens: Quare hoc feciſti?* Et cur tacebat? Cur non magis verbis coërcebat filium? Equidem quem facto deiecturus erat à regno, non multum curabat eum verbis coërcere: ſemper enim ambitioſi ſapientius facto corripiuntur, quam verbo. Ad hæc Rupertus in libros Regum lib. 2. cap. 3. ait: *Sapiens Rex grauis iram temperabat ſilentio, ſtultam præſumptionem ita correpturus facto, vt non eſſet opus verbo.* [Rupert.] Quando ipſo facto coërcendus erat Adonias, ſapienter pater abſtinebat a verbis, non enim ſic ambitioſum verba, vt facta detinent. Poſt cœnam à Ieſu cum diſcipulis celebratam referens Matth. quid immediatè actum erat, ait c. 26. *Tunc dicit illis Ieſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in* [Matth. 26.] *iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Reſpondens autem Petrus ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Ait illi Ieſus: Amen dico tibi, quia hac nocte ante quàm gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt: Tunc venit Ieſus in villam*, &c. Ecce vobis Dominus Ieſus & ſuo, & Prophetarum teſtimonio informabat Apoſtolum de ſcandalo imminenti, quo Petrus correptus negaturus erat maiora de ſe præſumens, & ſibi arrogans perſiſtebat, dicens, *Non te negabo.* Ad quæ verba Petri nihil dicens Ieſus, ibat in villam. Et cur Domine non magis præſumptorem, & arrogantem diſcipulum obiurgas? Cur illi ſuam inſcitiam non manifeſtas? Erat equidem præſumptor, & arrogans homo non tam verbo, quam facto corripiendus, vt factus negator de ipſa re correctionem caperet. Ait D. Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. *Cum di-* [Chryſoſt.] *cendum eſſet à Petro, opem nobis feras, ne ſcandalizemur, è contrario nimium ſibi arrogans inquit: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, tamen ego non ſcandalizabor; quamuis omnes id patiantur, ego tamen ſolus non patiar. Quem reprimere Chriſtus volens, quoniam nec Prophetæ, nec ſibi obtemperauit, negationem fieri permiſit. Quare Petrus cum verbis non crederet, à rebus ipſis eruditur.* Sic ambitioſi, & præſumptores præſertim, & non aliter ſapiunt, nimirum cùm corripiuntur non verbis, ſed factis.

§. IV.

Ambitioſus de ſua gloria agit, etiam cum contemptu Dei.

HOc de Adonia regnum ambiente addit textus, *& ſermo ei cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar Sacerdote.* Et qualis erat hic Adoniæ ſermo cum Ioab, & Abiathare? Cur non magis explicatur à Scriptura, quia ſermo erat iſte factus ab Adonia ad Ioab, & ad Abiatharem Sacerdotem? Agebat ne cum Sacerdote de cultu exhibendo vero Deo? Nullo modo; ſatis enim exprimitur ſermo eius, dum ipſe proponitur ambitionis affectu raptus. Ambitioſus enim de ſola ſua gloria agit; eò ſpectat ſermonibus ſuis, conatibus ſuis, vt ſibi honor, & gloria deferatur; vt vel miniſtri Dei ceſſantes à diuinis, eius intendant promouendis laudibus. Videbis ambitioſum in ſede, & prælatura, aliarum virtutum defectus nihil æſtimantem, obedientiæ ſibi debitæ defectum paſſim deplorantem. Quòd infirmi conſolentur, quòd proximi iuuentur, quòd Deus colatur, ſilenter prætermittit; quòd ſuus honor detur Prælato, quòd vel halitus eius adoretur, & nutus ſummis præconiis extollatur. Huc ſpectat omnis eius ſermo, huc inuigilat cura & anxietas. Quod in paſtore ſtulto damnans Zacharias clamabat cap. 11. *O Paſtor, & Ido-* [Zachar. 11.] *lum!* Et cur ſtultus Paſtor dicitur idolum? An quia ſolam portat Paſtoris imaginem, non veritatem? Imò magis crediderim idolum dici, quia, vt idolum ſibi rapit honores, & quidquid diuini cultus, & gloriæ eſt, ſibi adſcribit; ſic ſtultiſſimi, & ambitioſiſſimi Paſtores, quod honoris, & gloriæ Dei debebatur, ſibi malunt arrogare. Ita D. Hieronymus habitus in Gloſſa: *Tam ſceleratus es, vt* [Hieron.] *non cultor idolorum, ſed idolum nomineris, dum vis ab hominibus adorari.* Eò tendunt vniuerſi ambitioſorum ſermones, & conatus, vt ipſi adorentur, vt ipſi promoueantur, etiam ſi neceſſum ſit Dei honorem obliuioni dari? Vnde non miror, quòd hic ambitionis affectus in ſacra Scriptura cum idololatris, & blaſphemis coniungatur. Matth. 20. vbi hæc duo filij Zebedæi infecti primas ſedes apud Ieſum ambiebant, dicit: *Ieſus autem vocauit eos ad ſe, & ait: Scitis,* [Matth. 20.] *quia Principes gentium dominantur*, &c. Ambientibus principatum

patum proponit Ieſus eos, qui principatus habent, oimirum Principes gentium. Sed & in populo fideli erant Principes,qui dominium Reipublicæ habuerant. Cur magis propoſuit gentium Principes, quam Priocipes fidelium? Oſtendebat Dominus,quibus præcipuè aſſimilarentur ambitioſi, nimirum Priocipibus Gentilibus, quorum eſt idolis ſeruire, & verum Deum contemnere. Horum enim idololatrarum eſt propria & gloriæ, & priocipatus affectio. Ait D.Chryſoſtomus homil.66.in Matth. *Gentium*
Chryſoſt. *moris eſſe aſtendit prima quæque appetere. Tyrannica enim hæc paſſio eſt,& nonnunquam etiam eximios viros perturbat.* Qui gloriæ ſtudent,& principatui obtinendo,propinquior ſane eſt idololatris,& cootemptoribus veri Dei. Matth 27. vbi cru-
Matth. 27. cifixus eſt Domious: *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à ſiniſtris.* Qui a ſiniſtris erat, blaſphemabat Ieſum,qui autem erat à dextris,& confitebatur, & publicabat eum Regem, vt habes Luc.23. Et qui io his
Beda. figurabantur? Ait Beda in Matth. *Latrones qui cum Domino biui inde ſunt crucifixi,ſignificabant eos, qui ſub fide,& confeſſione Chriſti,vel agonem martyrij,vel quælibet continentiæ arctioris inſtituta ſubeunt. Sed quicumque hæc pro æterna ſolum, cœleſtique gloria gerunt,hi profectò dextri latronis merita,ac fide deſignantur. At qui humanæ laudis intuitu, mundo abrenuntiat, non immeritò blaſphematoris mentem imitatur,& actus.* Expende,quid dicatur notanter blaſphematoris meotem imitari, nimirum, qui humanæ laudis intuitu omnia facit. Affectio enim eſt blaſphematorum, & idololatrarum ambitio hooris, & laudis.

§. V.

Mundiales Principes ſuos in perditionem, Deus ſolus in ſalutem ducit.

Expende illa textus verba: *Sermo ei cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar Sacerdote,qui adiuuabant partes Adoniæ. Sadoc verò Sacerdos,& Banaias filius Ioiadæ, & Nathan Propheta, & Semei,& Cerethi,& Phelethi,& robur exercitus Dauid non erat cum Adonia.* Ecce tibi de Ioab & Abiathar, dicitur, quòd ſequebantur partes Adoniæ;de alus autem validiſſimis viris,nempe Sadoc,Banaia,Nathan,Semei non dicitur quòd alicuius partes ſequerentur, ſed ſolùm dicitur, quod noo ſequebantur Adooiam. Quippe hi noo hunc,aut illum ſequebantur Principem, ſed vnum ſpectabant Dei ductum.
Carthuſ. De illis enim ait Carthuſianus: *Non erant cum Adonia, quia ſciebant prænuntiatum eſſe à Deo,per Nathan,quod Salomon patri in regna ſuccederet.* O viros ſapientiſſimos,vt vnam voluntatem Dei ſpectabant,ſic in nullius Principis partes ibant. Nec hoc ſine conſilio fœliciſſimo; Principes enim muodiales rarò non ducunt ſuos in perditionem, vnus eſt Deus,qui ducat io ſalutem. Quis neſciat Danielis apud Babylonios Monarchas pretium? Sanè & Nabuchodonoſori placuit,& Dario;& huic præcipuè fuit chariſſimus. Quid
Dan. 6. inde? Tandem ait cap. 6. *Tunc Rex præcepit, & adduxerunt Danielem,& miſerunt eum in lacum leonum,* &c. Iacebat inter inter leones bonus Daniel omni ope amiciſſimi Regis deſtitutus;& tunc ait: *Deus meus miſit Angelum ſuum,& concluſit ora leonum,& non nocuerunt mihi.* Compone modò, quid Daoiel à Regis fauoribus habuit, & quid à Deo. Plaoè regius fauor illum ad leones famelicos diſcerpendum deduxit,Deus ad ſalutem Id quod ponderabat ſapientiſſimè
Clem. Alex. Clemens Alexandrinus lib.2. ſtromat. cap.9. inquiens: *In antrum feris plenum adduxit Danielem Rex Babyloniorum: ipſum autem eduxit illæſum Rex vniuerſorum, qui eſt fidelis Dominus.* Coouenoiant huc,qui toto conatu adhæreſcunt Principum vel vmbris, & videant, quò tandem deducant Principes amantiſſimos aſſeclas ſuos;ſanè in antrum feris plenum adduxit Daoielem Rex amicus, nec alius fœlicior exitus expectandus eſt de Principibus mundi. Vnus Deus fidelis Dominus eſt, qui nunquam ſuos non deducit in ſalutem. Nemo ignorat populi Iſraelitici fœlicitatem,cùm ſub Deo erat;voluit tamen Regem habere excluſo Deo, dum ait 1.
Reg. 8. Regum 8. *Rex erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes;* acquieuit Samuel petitionibus populi, & datus eſt
Ibid. 11. illis Rex, dicit namque cap. 11. *Perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul,* &c. Abiecto ergo Deo fecit ſibi populus Regem, quem ſequeretur, quem in om-
Os. 9. nibus ſpectaret. Quid tunc? Ait Oſeas cap 9 *Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exoſos habui eos propter malitiam adinuentionum eorum,de domo mea eiiciam eos; non addam, vt diligam eos, omnes Principes eorum recedentes. Percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exſiccata,*&c. Quanta hæc mala miſeris Iſraelitis? Exoſi facti ſunt Deo,& odioſi,a ſacra,& diuina domo eiecti,percuſſi,& funditus extirpati,ex quo Deum in Galgalis offenderunt? Et quæ ſunt hæc in Galgalis offenſa,quia expulſi, & eiecti à Deo nullum Principem experti ſunt fidelem? Pulchrè ait Ruffinus ibi: *Illum originem accuſat erroris,* Ruffin.
cùm Sacerdotum regimine faſtidito,eſſe ſub Regibus ad ſimilitudinem vicinarum gentium concupiuit. Sic ergo ait: Omnes nequitiæ eorum in Galgal,ac ſi diceret: Iſta quæ nunc eos deuorauit impietas inde habuit cauſas, vbi Rempublicam de ſacerdotali ad regiam tranſtulerunt. Erát quondam Iſraelitæ ſubiecti iudicibus, & Principibus, qui de diuinis oraculis per Sacerdotes acceptis populum regebant. Sic ſub Eli,ſic ſub Samuele erant, vt ſacerdotium in eis principatum haberet, & per hoc à Deo io ſalutem dirigebantur. Faſtidierunt prorſus ſacerdotale regimen,& amarunt magis eſſe ſub Regibus,vt cæteri Gentiles,quorum erat vnum ſpectare placitum Regis. Et ideo, quia totum Sacerdotum regimen excluſerunt, nullúmque alium voluere ſpectare niſi Regem, in maximum Dei odium deuenerunt. Quod ſcelus aperte in ſectariis neotericis videtur, qui totum Sacerdotis Romani regimen ad regiam ſolam dignitatem referentes maximè exoſi ſunt Deo,& ab illo funditus perdendi. Quibus dicit illud Oſeæ cap. 13. *Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, &* Oſ. 13.
diſrumpam interiora iecoris eorum,& conſumam eos ibi,quaſi Leo, beſtia agri ſcindet eas. Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum. Vbi eſt Rex tuus? Maximè nunc ſaluet te in omnibus vrbibus tuis,& iudices tui,de quibus dixiſti: Da mihi Reges,& Principes. Dabo tibi Regem in furore meo, &c. Conueniant huc illi, qui abiecto toto Sacerdotis ſummi regimine, vnum ſpectant ſæcularem Regem,in quo ſolo omnia,& ſpiritualia, & temporalia bona conſtituunt. Heu quàm iis infenſus Deus! Heu quàm illos Deus perdet! Et inter perdendos eos,meritò dicet: *Vbi eſt Rex tuus,maximè nunc ſaluet te.* Heu quàm tremenda erit hæc Dei vox illis, qui nullum alium voluerunt ſpectare niſi Regem,nec Sacerdotem ſummum, nec Deum. O vtinam in die diuinæ iræ, non audiam à Deo: *Vbi eſt Rex tuus?* ſed magis de Sacerdotis Romani manibus ad Deum veniam.

3. *Regum* 1. Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis, & vniuerſis pinguibus, iuxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocauit vniuerſos fratres ſuos filios Regis, & omnes viros Iuda ſeruos Regis. Nathan autem Prophetam, & Banaiam, & robuſtos quoſque, & Salomonem fratrem ſuum non vocauit.

§. VI.

Sacrorum abuſus lethalis.

Ad regnum præripiendum Adonias multas Deo immolat hoſtias;ait namque: *Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis,* &c. in quo licebat iam eius perditionem præmonſtrari. Nunquam enim non lethalis eſt hominis ſacrorum abuſus, quòd illis ipſis negotientur peccata, quæ inſtituta ſunt ad gratiam negotiandam. Ideo canebat lex Deuter. 14. *Non coques hœdum in lacte matris.* Nec abſolutè vetitus hœdus coqui in lacte,ſed io lacte matris. At quan- Deut. 14.
do multa alia coquuntur in lacte caprarum ſine vllo illarum damno,cur & hœdus non coquatur in lacte matris? Adde, quòd magis detrimentoſum eſſet capræ,ſi eius ſanguine fœtus coquerentur, & tamen lex nihil loquitur de coctione in ſanguine, ſed de coctione in lacte. Cur ergo magis cauet coqui hœdum in lacte matris, quàm in ſanguine? Lac ideo datur matribus,vt fœtus ſuos alant,& de lactis alimento fœtus viuant; inde lex maximè horret, quòd abutamur in mortem fœtus,eo,quòd datum à natura erat in eius vitam. Aiebat Clemens Alexandrinus lib.2. ſtromat.8. *Sed neque coques hœdum in lacte matris ſuæ. Non ſiat* Clem. Alex.

enim id, quod eſt viuentis nutrimentum, interempti animalis condimentum: neque quod eſt vitæ cauſa, opem ferat ad conſumptionem corporis. Sapientiſſimè id cautum eſt, nunquam enim ratio non horret talem abuſum bonorum, quo trahantur ad mortem inferendam ea ipſa, quæ vitam halant omnibus. Et quis inde extremum excidium non auguretur homini? Matth. 28. Reſurgente Domino ex ſepulchro ait Matth. cap. 28. *Exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.* Ecce tibi vbi Ieſus reſurgens vitam halat omnibus, hi miſeri cuſtodes vmbra operiuntur mortis. Nec miror, quod enim ſeminatum erat in ſepulchro in virtute, ad germinandam omnium vitam, & reſurrectionem, ipſi cuſtodiebant, vt maneret in morte, nihil vtile ſibi haurientes ex tanto fonte bonorum. Sic Paſchaſ. Paſchaſius lib. 12. in Matth. *Debuerat miraculum eſſe de facto, de exemplo ſpes reſurgendi; de reuerſione Chriſti ad vitam firmitas credendi, de viſione Angelorum, honor, & triumphus æſtimari reſurgentis. Vnde, quos tanto dementia ceperat, vt in nullo fidem de Chriſto poſſent recipere, iure facti ſunt ac mortui.* Quando omnia ſepulchri vitam, & gloriam halabant hominibus, & reſurrectionis ſpes, & firmitas fidei, & Angelorum conſpectus affulgebat, cuſtodes nihil inde hauriebant boni, ſed magis inter illa inſtabant cuſtodiæ mortuum, ideo iure facti ſunt ac mortui. Et inde in mortem abeunt, vnde alij æternam vitam promunt. Huc trahe dicta tom. 3. de Chriſto Figurato lib. 7. cap. 5. §. 4.

§. VII.

Certiſſima eſt ruina illi, qui præſtantes virtute viros in malum prouocat.

IMminentis excidij Adoniæ & illud certiſſimum indicium eſt, quòd ſibi in regni ſubreptione adiunxit filios Regis. Sic enim ait textus: *Vocauit vniuerſos fratres ſuos filios Regis, & omnes viros Iuda*, &c. Non moror in eo, quòd viros Iuda traderet Adonias in proditionem. Illud omnium peſſimum fuit, quòd illos ipſos filios Regis, patris cura educatos, in aula iuxta ſe nutritos, patri eriperet, & ſibi faceret conſentire in regni ſurreptione. Et crede mihi, nunquam non eſt ominoſum homini, quòd præſtantes virtute viros à recto calle detorqueat, Oſeæ cap. 13. minabatur Oſ. 13. Dominus Iſraeli, dicens: *Occurram ei, quaſi vrſa raptis catulis, & diſrumpam interiora iecoris eorum*, &c. Expende illud, *quaſi vrſa*; commune quippe omnibus feris eſt pro catulis ſibi ablatis in immenſum ſæuire: cur ergo magis placuit adducere vrſam in ſimilitudinem furoris? cur non magis Tygridem adduxit? Vrſarum catuli maiori cura matrum elaborantur, & efformantur. Naſcuntur enim quaſi carnea quædam informis portio, quam acceptam mater lingua multo conatu efformat. Sic Deus maiorem, & ineuitabiliorem iram monſtrat pro ſibi ſublatis illis filiis, in quibus efformandis, inſtituendis, dirigendis plus poſuerat operis. Ruffin. Vt dicat ibi Ruffinus: *Eleganter autem inter Leonum hiatus, Vrſam quoque poſuit, & feritatem eius ſtimulis orbitatis exacuit, necubi comparatio illata decreſceret. Sicut vrſo, inquit, raptis catulis. Et diſrumpam interiora iecoris eorum, qui me videlicet ſimilibus affecere diſpendiis. Nam cùm ego hunc populum mihi in filios multa ſedulitate formarem, cordáque eorum quaſi lambendo componerem, illi me non ſolùm optatis, ſed etiam elaboratis fœtibus orbauerunt.* Itaque vrſæ iram maximè Deus prætendit, vt perdat eos, qui non quoſcumque ſed chariſſimos Dei filios, magis elaboratos, & perfectos à via virtutis faciunt declinare.

3. *Regum* 1. Dixit autem Nathan ad Bethſabee matrem Salomonis: Non audiſti, quòd regnauerit Adonias filius Haggith, & dominus noſter Dauid hoc ignorat? Nunc ergo veni, accipe conſilium à me & ſalua animam tuam, filíque tui Salomonis. Vade, ingredere ad Regem Dauid, & dic ei: Non ne tu domine mi Rex iuraſti mihi ancillæ tuæ, *&c.*

§. VIII.

Conſilium Dei vel de minimis proſperatur.

VIdens Nathan regnum ab Adonia præripi, & à parte eius ſtare Ioab militiæ Principem, & Abiatharem Sacerdotem, & filios Regis, & non paruam populi multitudinē, ad vnam confugit Bethſabee, quæ ſe opponat. Quippe ait textus: *Dixit autem Nathan ad Bethſabee matrem Salomonis: Non audiſti, quòd regnauerit Adonias filius Haggith, & dominus noſter Dauid hoc ignorat? Nunc ergo veni, accipe conſilium à me, & ſalua animam tuam*, &c. Et quantula erat vna Bethſabee, vt poſſet cum Dauide agere de reprimendo Adonia, quem ætas iuuabat, & natura, & Ioab, & Abiathar, & cæteri filij Regis, & ingens multitudo populi, & longa conniuentia ipſius Dauidis? Cur ergo Nathan aduerſùs tam validam Adoniæ manum ad vnam tantùm Bethſabee confugit? Sciebat conſilium Dei & oraculum diuinum ſtare pro Salomone contra Adoniam: vt dicat in præſenti quæſt. 5. Theodor. Theodor. *Propheta Dei norat ſententiam.* Vbi autem ſententia Dei adeſt, diuinúmque conſilium, etiam minimi conatus ad ſummam proſperitatem ibunt. Amabat Iſaac Eſau filiū maiorem natu, cupiénſque illi vltimam benedictionem impertiri iubet, vt in campum eat, & venationem afferat, qua patri paret cibos. Quid tunc? Ait Geneſ. 27. *Quod cum* Geneſ. 7. *audiſſet Rebecca, & ille abiiſſet in agrum, vt iuſſionem patris impleret, dixit filio ſuo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Eſau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequam moriar. Nunc ergo fili mi, acquieſce conſiliis meis, & pergens ad gregem affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur, quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi.* Sic Rebecca agit de extorquenda benedictione patris in Iacob, quæ promiſſa erat Eſau. Sed vnde prudens fœmina tam facilè credit ſe poſſe præripere benedictionem Iſaaci, quam Eſau promiſerat patris affectus, & expoſcebat ætas, & natura, & crebra obſequia, & diligentiæ multæ? Sciebat Rebecca oraculum diuinum, quod pro Iacob ſtabat aduersùs Eſau, dicens: *Maior ſeruiet minori*, & inde præſumit vel de minima diligentia proſperandum eſſe, quicquid Iacob efficeret. Ait Lyppom. in cat. *Religioſa & prudens Rebecca* Lyppom. *Iacob magis amabat, cui audierat ſubiiciendum ipſum Eſau, Dei conſilium didicerat, vnde promouere volebat, quod neceſſariò futurum erat Dei ordinatione. Obedientia Eſau, diligentia, opus, patris conſilium, & ipſe cæli influxus circa genituram, omnia hæc promotionem Iacob impedire non poterant.* Expende, quot erant virtutes à parte Eſau, nimirum: Obedientia Eſau, diligentia, opus, patris conſilium, ipſe cœli influxus, quo maior natu erat; & hæc omnia non potuerunt Iacobi proſperitatem impedire ab vna matris diligentia adiutam. Didicerat enim mater Dei conſilium de promouendo Iacobo, & non dubitat vel de minima diligentia illum in proſperitatem iturum. Seruus ille Abraham referebat, quid feciſſet, vt ſponſam Iſaaco inueniret. Ait enim Gen. 24. *Veni ergo hodie* Geneſ. 24. *ad fontem aquæ, & dixi: Domine Deus domini mei Abraham, ſi direxiſti viam meam in qua ambulo, ecce ſto iuxta fontem aquæ, & virgo, quæ inuenietur ad hauriendam aquam, audierit à me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum de hydria tua, & dixerit mihi, & tu bibe, & camelis tuis hauriam, hæc eſt mulier, quam præparauit Dominus filio domini mei. Cumque hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebecca*, &c. à qua dum petit aquam, & ſibi, & camelis accepit, & genus eius nouit, & ductus fuit in domū parentum. Quæ omnia referens bonus petit à parentib. ſibi virginem dari in ſponſam magni Iſaaci. Quid plura? Statim puellæ parentes aiunt: *En Rebecca coram te eſt, tolle eam, & proficiſcere, & ſit vxor filij domini tui, ſicut locutus eſt Dominus.* Expende illa, *ſicut locutus eſt Dominus.* Quæ verba non paruā quæſtionem faciunt Doctorib. vbi locutus fuerit Dominus de Rebecca iungēda Iſaaco? Nullum Dei verbum inuenies quòd promiſerit Iſaaco talem ſponſam. Quam ergo locutionem fuiſſe Dei dicunt illi circa Rebeccam Iſaaco deſponſandam? Ait D. Aug. q. 67. in Gen. *Signum illud quod ſibi* Auguſt. *datum ſeruus ille narrauit, locutionem Domini appellarunt.* Et quidem meritò; quando enim ſignum illud fundatum erat, in adeò leui diligentia ſerui, qua puella dixit: *Da mihi pauxillū aquæ*, quam tanta ſecuta eſt proſperitas in aduentu Rebeccæ, & oſtenſione virtutis eius, & cognitione generis, apertiſſime oſtendebatur Deus ibi nuptias Rebeccæ cum Iſaaco decernens. Quæ enim ſunt Dei ore decreta, id propriiſſimum habent, vt vel ſi à minimo incipiant, in ſummam proſperitatem procedant.

§. IX.

§. IX.

Ad fœlicitatem hominis pertinet, quòd vni Deo debeat promotionem ſuam.

MVlti fuerunt ab Adonia prætermiſſi, neque inuitati, vt qui Salomoni affecti erant; nimirum Sadoch, Banaias, & robuſti quoque Iſrael; quorum nullus audaciam Adoniæ in aulam detulit. Vnus Nathan inuenitur de ea re locutus cum Bethſabee, vt iuſiurandum Dauidis de regno Salomonis in memoriam reduceret. Sic namque textus dicit: *Dixit autem Nathan ad Bethſabee: Non audiſti, quòd regnauerit Adonias filius Haggith, & dominus noſter Dauid hoc ignorat? Nunc ergo veni, &c. Vade, ingredere ad Regem Dauid, & dic ei: Nonne tu domine mi Rex iuraſti mihi*, &c. Sic vnus Nathan cum Bethſabee agit de Adoniæ auſu, de iuramento à Dauide facto pro Salomone: & cur ſimiliter de iis non agit cum Banaia, & aliis ducibus, & fortibus palatinis, vt Adoniæ ſe opponant? Cur in re adeò difficili, quando Adonias à tantis viris iam Rex acclamabatur; cum vna ſola fœmina agit Nathan de memorando iuramento facto Salomoni apud Dauidem Regem? Cur non magis agit de comparandis viribus, quæ tyranno obſiſtant? Pertinebat hoc ad felicitatem Salomonis, ne tantus iuuenis humana ope, ſed diuina videretur promoueri ad regnum. Id quod ſimiliter cauit Dominus in Ioſeph. Is detruſus in carcerem dum pincernæ Pharaonis ſomnium explicat, eique proſpera annuntiat, ab illo petit, vt reſtitutus in priſtinam gloriam, ſui meminerit. Reſtituitur equidem in gloriam pincerna iuxta Ioſephi prædictionem; at prorſus interpretis ſui fuit oblitus. Dicit enim Geneſ. 40. *Et tamen ſuccedentibus proſperis præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui.* Et vnde nobilis vir in tantā obliuionem venit Ioſephi, vt nec verbum faceret pro illo? Rem pulchrè attigit Philo, dicens ibi: *At pincernarum princeps oblitus eſt eius, qui futura prædicendo præſentem eius calamitatem ſubleuarat; vel quia nemo ingratus beneficiorum meminit, vel quia Deo viſum eſt, iuuenem non humana, ſed diuina ope ad fœlicitatem prouehi.* Hoc maximè cauet Deus in ſuis, ne quid videantur habere ex humanis fauoribus, ſed omnia ſibi oſtendant venire ex ope diuina. Hinc de Ieſu Domino locutus Matth. 16. dicebat: *Tunc præcepit diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent, quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus.* Et quidem in hoc venit in mundum, vt ipſe agnoſceretur Chriſtus Dominus; idque maximè procurabat peractis ſignis, & virtutibus. Cur modò cauet Chriſtum prædicari à diſcipulis? Cauebat equidem Dominus ſui notitiam deberi humanis, & alienis fauoribus, quæ priùs monſtranda erat propria diuina virtute: vt dicat D. Hieronymus epiſtol. de vera circumciſ. *Maluit ſe inuentum eſſe, quàm prædicatum, vt virtus ſua illum, non ſermo manifeſtet alienus.* Sic cauendum eſt bonis viris, ne quid magnum credantur fauoribus humanis debuiſſe.

Geneſ. 40. Philo. Matth. 16. Hieronym.

§. X.

Stabiles ſedes à Deo non in ambientes ſed in humiles venit.

CVm Bethſabee agit Nathanus de regno Salomonis procurando, non cum Salomone ipſo. Sic enim ibi: *Venit Nathan ad Bethſabee*, &c. Et quidem tunc temporis Salomon, vt ſupra ex Saliano vidimus, vigeſimum primum annum attigerat. Cur ergo Nathanus & Salomonem non adit, & iuueni narrat auſum Adoniæ; & monet vt ſecum ad matrem Bethſabee accedat, & cum illa ſibi regnum ex patre procuret? In Euangelio ſecundùm Matthæum cap. 20. filij Zebedæi matrem præmiſerant, ad acquirendas ſibi ſedes in regno Ieſu; & ſimul cum illa ipſi ibant. Cur ſimiliter Nathan non facit, vt Salomon ipſe & matrem præmittat, & ſimul cum illa regnum ſibi ex patre negotietur? Sapientiſſimè à Propheta, & Salomonis præceptore cautum eſt, ne Salomon de regno acquirendo curaret, erat enim ſedes illa regni Dauidici à Deo peculiariter conferenda in perpetuum, qui non ambientes illam, ſed eligit humiles. Sic Matth. 20. dicebat Ieſus filiis Zebedæi: *Sedere autem ad dexteram meam, & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.* Non negat abſolutè, quòd ipſe det ſedes ſed quòd det illas illis ait enim: *Non eſt meum dare vobis.* Et quando non negat ſe illas aliis dare; cur cognatis, & amicis, & diſcipulis negat illas? Ambiebant illi ſedes, & vnà cum matre anxiè negotiabantur illas; Deus autem non ſedes dat ambitoribus, ſed humilibus. Ait D. Hieronymus de vera circumciſ. *Non eſt, ait, meum dare vobis, id eſt, ſic petentibus ſuperbè, inſolenter, elatè, de carnis tumore, non ſpiritus lenitate. Nam ego qui reſiſto nunc vobis, humilibus dare gratiam conſueui.* Itaque non ambitiosè, & elatè petentibus, ſed humilibus, & humiliter quieſcentibus ſedes ſtabiles à Deo veniunt. Et quæ Dei dona ſtabilia non dantur humilibus? De Maria Magdalena ait Luc. 10. *Quæ ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Et ſtatim pro illa locutus Dominus, dicit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferebatur ab ea.* Ecce tibi non auferenda pars bonorum Mariæ obtigit; & quibus tam ſtabilem partem accepit? Ait textus: *Sedens ſecus pedes Domini*; non ambitiosè agens, ſed humiliter ad pedes quieſcens ſibi acquiſiuit optima quæque: vt dicat D. Thom. in cat. ex Auguſt. *Quanta autem humilius ad pedes ſedebat, tanta amplius capiebat.* Sic certiùs, & cumulatiùs, & ſtabiliùs bona à Deo in humiles veniunt. Dicebat illa Cant. 3. *Inueni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.* Et vnde fœmina tam valida eſt ad tenendum Deum, vt præſumat à ſe numquam fore dimittendum? Matth. cap. 28. de ſanctis mulieribus locutus ait: *Ecce Ieſus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius*; non dexteram, ſed pedes petunt, vt inde ſtabiliter, & firmiùs Deum teneant. Circa quæ D. Cyrill. Hieroſol. catecheſ. 14. *Tenuerunt illum, vt impleretur, Tenui eum, nec dimittam.* Ex quo non dexteram ſedem ambiunt, ſed ſe demittunt ad pedes, ſic vel fœminæ tenent Deum, vt credatur ab illis minimè dimittendus.

Matth. 20. Hieronym. Luc. 10. D. Thom. Cant. 3. Matth. 28. Cyrillus Hieroſol.

§. XI.

In promotione non eſt nudè ſpectandum quod ad poteſtatem facit, ſed magis, & priùs quod facit ad ſalutem animæ.

DE regno procurando Salomoni agens Nathan cum Bethſabee, ſic illam præmonet: *Nunc ergo veni, & accipe conſilium meum, ſalua animam tuam, filijque tui Salomonis.* Non ait: Pete regnum promiſſum filio, ſed ſolùm dicit: ſalua animam tuam, filijque tui. Et eſto, quòd vtriuſque anima periclitaretur ſub regno Adoniæ: in vna tamen regni petitione, & conſecutione totum illud periculum tolleretur. Cur ergo Propheta non priùs, & expreſſiùs agit cum Bethſabee de regno petendo, ſed maluit agere de animæ periculo tollendo, & ſalute conquirenda? Cur non monuit expreſsè regnum petendum, ſed animam ſaluandam? Equidem ſanctus Propheta oſtendebat: quòd in omni promotione priùs, & diligentiùs ſpectandum erat, nimirum illud, quod ad ſalutem propriarum animarum & ſubditorum pertinet, non quod ad poteſtatem, & excellentiam. Simon Magus videns Spiritum ſanctum communicari fidelibus per impoſitionem manuum Apoſtolorum, acceſſit ad illos Actor. 8. dicens: *Date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.* Sic Magus nefariſſimè petebat, non ſolùm repulſam patiens, ſed & incurrens damnationem extremam. Et quo ad tantum malum peruenit? Reſpexit poteſtatem Apoſtolorum, & totus exarſit poteſtatis deſiderio; nihil memorat, quod ſibi ad ſalutem pertineat, ſed vnam poteſtatem ſpectat acquirendam. Sapienter D. Cyril. catech. 16. de illo ait: *Quare damnatus eſt Simon Magus? Num non ideo, quod accedens ad Apoſtolos dixit: Date mihi hanc poteſtatem, vt cuicumque manus impoſuero, Spiritum ſanctum accipiat? Non enim dixit: Date mihi Spiritus ſancti communionem, ſed poteſtatem.* Inde meritò perijt, quòd vnam poteſtatem accipiendam ſpectabat, nihil cogitans de ſancto Spiritu in ſe accipiendo. Prorſus immemor de ornanda anima ſua Spiritus ſancti donis, ſolùm agebat de poteſtate accipienda, quo ſe à fidelibus Chriſti alieniſſimum oſtendebat. Crede mihi, minimè ad fidelium gregem pertinet, qui in promotione nihil aliud ſibi ſalutare meminit, ſed vnam poteſtatem accipere meminit. Qui enim Dei Spiritu agitur in poteſtate, & principatu accipiendo, illud

Actor. 8. Cyrillus Hieroſol.

in primis reſpicit, vt ibi ſalus animæ ſuæ, & ſuorum ſit acquirenda, vt omnia ſalutis pericula & impedimenta remouenda. Huc tendit tota eius ſolicitudo, & cura: qui ad hæc cæcus, oculatus eſt in ſola poteſtate videnda, is minimè pertinet ad gregem fidelium. Hinc filijs Zebedæi petentibus dexteras, & ſiniſtras ſedes, reſpondens Ieſus (Matth. 20.) Matth. 20. dicebat: *Principes gentium dominantur eorum*, &c. & ſæpè miratus ſum dominicum reſponſum. Agebant enim illi de ſedibus acquirendis; & Dominus pro reſponſo cœpit illis proponere mores Gentilium, & idololatrarum Principum. Et cur Domine chariſſimis diſcipulis tuis in petitione ſedium ob oculos ponis Gentilium Principes? Equidem oſtendebat illis ad quam claſſem pertineant, qui obliti ſalutis nudas poteſtates ſpectant, hi namque in idololatrarum, & infidelium Principum cenſentur gregibus, vt vel hinc fidelium ambitio caſtigetur. Circa quæ aiebat (Theophyl.) Theophyl. *Sciens quàm ſit tyrannica, & graui indigeat reprehenſionis plaga ambitio, acriùs eos perſtringit, & abijcit eos in infidelium, & gentilium portionem, ſi inanis gloriæ ſtudere voluerint.* Ecce tibi, qui in acquirendis dignitatibus vnum gloriæ temporalis ſplendorem, & commodum ſpectant, abijciuntur à Ieſu in Gentilium portionem, & infidelium.

3. *Regum* 1. Ingreſſa eſt itaque Bethſabee ad Regem in cubiculo; Rex autem ſenuerat nimis, & Abiſag Sunamitis miniſtrabat ei: inclinauit ſe Bethſabee, & adorauit Regem. Ad quam Rex: Quid tibi, inquit, vis? Quæ reſpondens ait: Domine mi Rex, tu iuraſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedet in ſolio meo. Et ecce nunc Adonias regnat te, Domine mi Rex, ignorante. Mactauit boues, &c.

§. XII.

Virginitas efficaciſſima ad impetrandum.

DVm Bethſabee petitura filij regnum ingreditur, non otioſè à textu ſacro notatur ibi interfuiſſe virgo illa Abiſag Dauidi miniſtrans, & ab illo intacta; quippe ait: *Ingreſſa eſt itaque Bethſabee ad Regem in cubiculo: Rex autem autem ſenuerat nimis, & Abiſag Sunamitis miniſtrabat ei.* Et quid, quòd in Bethſabee ingreſſu Abiſag miniſtraret Regi? Crediderim ibi oſtendi, quàm efficax ſit ſocia virginitas illis, qui à Regum Rege aliquid amant impetrare. (Luc. 1.) Luc. cap. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria.* Ecce tibi mittitur Gabriel, vt inter Nazareth coniuges, quærat matrem virginem filio Dei. Et quando inter coniugatas mater Dei quærenda erat, cur neceſſum fuit, vt virgo quæreretur? Nonne Deus abſolutè, & ſimpliciter poſſet de corrupta naſci? cur ergo magis virginem amauit matrem? Multæ rei huius fuerunt conuenientiſſimæ cauſæ: ſed non contemnenda illa in præſenti; nimirum, quia quærebatur Dei mater, quæ efficaciter apud Deum oraret, & ſalutaria omnibus impetraret, ad quod munus maximè virginitas conducebat: vt dicat D. (Bernard.) Bernard. ſerm. 3. in Aduent. Dom. *Datum eſt Mariæ, vt per illa acciperes, quidquid haberes; quia per hoc, quòd mater eſt, genuit tibi Deum: per hoc, quòd virgo eſt, exaudita eſt pro reuerentia ſua, in cauſa ſua, & totius generis humani.* Expende illa, *per hoc, quòd virgo eſt, exaudita eſt*, &c. quaſi virginitas ad id maximè pertineat, quòd petentibus aliquid ex Deo, efficaciùs audiantur. Neſcio enim quid eſt in ore virginum, vt earum poſtulata neſciant repulſam pati. Accipite Eliam apud Achab loquentem (3. Reg. 17.) 3. Regum 17. *Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Et vnde tantus Vates hanc ebibit confidentiam, qua ſibi perſuaderet, voce ſua poſſe claudi, vel aperiri cœlos? Aiebat D. Al- (Aldhelm.) dhelmus epiſt. de virginitate c. 10. *Elias vates, virginitatis gratia decoratus, & ſpiritu afflatus prophetico, cæleſtia clauſtra, & nimborum obſtacula precibus patefecit.* Expende illa, *virginitatis gratia decoratus*; quippe virginitas dabat illam virtutem homini, qua quidquid peteret, obtineret. Ne miremur, quòd Ieſus matrem virginem diſſimulet, vbi eius petitionem aliquantiſper differt. Cupienti enim Mariæ vinum nuptijs præſtari Ioan. 2. reſpondit Ieſus: *Quid mihi, & tibi eſt, mulier? Nondum venit hora mea.* Tum mulieris vocabulo vtitur, virginem diſſimulare videtur, imò & occultare totum maternæ virginitatis myſterium. Et cur non magis aſpicit ad petitionem virginis, ſed ſub mulieris nomine illam diſſimulat? Pulchrè ait D. Gaudent. tract. 2. in præſenti: (Gaudent.) *Quoniam vinum Spiritus ſancti ante paſſionem Chriſti, ac reſurrectionem Gentibus dari non poterat*, &c. *meritò tunc inter initia ſignorum matri reſpondit: Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Vbi donum differendum eſt, meritò diſſimulatur in petente virginitas, ſub nomine communi corruptis, ne vnquam virgo appareat non efficax in precibus ſuis.

§. XIII.

Maximè extollitur paterfamilias in concordia domeſticarum fœminarum.

MIniſtrante, & aſſiſtente Abiſag Dauidi, non grauatur Bethſabee intrare ad Regem, nec eius interitus retardatur, dicit namque: *Ingreſſa eſt itaque Bethſabee ad Regem in cubiculo, Rex autem ſenuerat nimis, & Abiſag Sunamitis miniſtrabat ei.* Ecce tibi dum Regi aderat Abiſag, non veretur Bethſabee ad Regem intrare minimè vocata, Eſther autem c. 4. ne cogeretur ad Regem intrare dicebat: (Eſther 4.) *Ego igitur quomodo ad Regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non ſum vocata ad eum?* Quibus verbis duas leges meminiſſe videtur à Rege latas: altera erat communis omnibus, ne Regis cubiculum ingrederentur non vocati: altera particularis vxoribus, de eadem re. Huius meminit Eſther aiens, *triginta iam diebus non ſum vocata ad eum.* Circa quæ Ioſephus lib. 11. c. 6. (Ioſeph.) *Neque præterea ſibi facilem eſſe ad Regem aditum, cum trigeſimus iam ageretur dies, ex quo ab illo accerſita non eſſet.* Expende illud, *neque præterea*, &c. explicato enim impedimento ingrediendi ad Regem ex prima illa lege omnibus communi; præterea addit aliud ſibi proprium, quia vxor cùm eſſet, triginta dierum ſpatio non fuerit vocata. Et quidem hæc erat lex longè illa prudentior: cùm enim erant plures vxores, ab ingreſſu cubiculi debebant non vocatæ prohiberi, ne ſi præſente vna alia intraret, inter ſe rixarentur. Ideo Eſther cauebat intrare ad Aſſuerum: Bethſabee autem minimè cauet intrare ad Dauid etiam non vocata, imò cùm alia, nempe Abiſag aſſiſteret Regi. Et quando prudenter ab Aſſuero cautum erat, ne vxor intraret ad eum, niſi vocaretur, vt ſic cauerentur in cubiculo Regis rixæ fœminarum: cur ſimiliter id non cautum erat à Dauide? Cur permittit duas ſimul apud ſe eſſe, non timens, quòd zelotypia diſcerperentur? Hinc maximè commendarem Dauidis virtutem, cuius erat nihil ſibi timere à domeſticarum fœminarum grege, quæ ſic inſtitutæ erant, vt nullam vnquam acciperent diſcordiæ materiam. Habebat Traianus Imperator in Regia & vxorem, & ſororem maximè inter ſe conuenientes, de quo Imperatorem extollebat Plinius in eius Panegyr. fatus: (Plin.) *Nihil eſt tam pronum ad ſimultates, quàm æmulatio, in fœminis præſertim. Quod quidem admirabilius exiſtimandum eſt, quod mulieribus duabus in vna domo, parique fortuna nullum certamen, nulla contentio eſt. Suſpiciunt inuicem, inuicem cedunt; cùmque te vtraque effuſiſſimè diligat, nihil ſua putat intereſſe, vtram tu magis ames. Idémque vtrique propoſitum, idem tenor vitæ; nihilque ex quo ſentias duas eſſe. Te enim imitari, te ſubſequi ſtudent. Ideo vtraque mores eoſdem, quia vtraque tuos habet.* Si nil aliud dictum de Traiano fuiſſet, hoc maximum erat, quòd eius moribus tribuatur tanta concordia, & vnanimitas inter duas domeſticas fœminas, vt nullum vnquam appareret certamen in illis. Ait Gen. 7. (Geneſ. 7.) *Ingreſſus eſt Noe, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij. De animalibus quoque*, &c. Et miratur D. Baſil. Sel. orat. 6. qualiter ſub vno Noe in arca tot diſcordantium animalium genera poterant eſſe pacata, & inter ſe reprimebantur ferarum ſpecies. Ego autem plus miror, quòd Noe audeat tã arcta domo ſecum includere & vxorem ſuam & vxores filiorum ſuorum, nimirũ tres nurus, & ſocrum vnam. Equidem ſi nihil aliud eſſet, hoc vnum oſtendebat Noemum à Deo impleri, & gubernari, quòd ſciuerit pacificè degere cũ tribus nuribus, & ſocru vna. Quò forſan ſpectabat Claudius Marius lib. 2. in Geneſ. inquiens:

Tunc

Tunc Deus è celſo famulum dignatus Olympo
Voce monet Noe, ſummum iam tempus adeſſe
Condere ſe latebris, natos cum vxore, nuruſque
Eripere inſtanti exitio.

Non valuit equidem Lot generos ſimol cum filiabus, & vxore ſecum pacificè ducere; & Noe filios & tres nurus cum vna ſocru ſecum pacificè ſimul in arca facit commorari, ita vt nihil fuerit, ea quo ſentiret tres fuiſſe nurus. Et vnde hoc? Ait Claudius: *Tunc Deus è celſo famulũ dignatus Olympo, Voce monet Noe.* Ad Lot Angeli miſſi ſunt, qui hominem deducerent, ad Noe non Angeli, ſed ipſe Deus loquitur; homo enim Deo familiaris fit, & præſtantiſſimus, *Nazianzen.* qui tam pacatas fœminas habeat domi ſuæ. Hinc Nazianzen. orat. 12. ſuæ ciuitatis pacem extollens ait: *Cùm alij alia quodam ornamento, vel maiori vel minori, præditi ſint, noſtri ouili hoc maximè proprium erat, quòd minimè infringi poſſet, atque ab omni ſeditione abhorreret: ita vt perſæpe Arca Noe vocati ſimus.* Hoc ſuæ ciuitatis elogium, & ornamentum erat ſingulare, quòd propter pacem ſeruatam vocaretur Arca Noe. Nullibi enim glorioſior pax authori dabatur, quàm vbi inter tres nurus, & ſocrum vnam ſeruabatur.

§. XIV.

Nemo non magis afficitur ad promouendam rem operis ſui.

DIctom fuerat Dauidi à Deo de regno Salomonis, vt ipſe Dauid fatetur 1. Paral.28. & vulgatum erat in regno. Nihilominus Bethſabee non proponit Dauidi Dei placitum illi notum, ſed proponit iuſiurandum ſibi à Dauide pro Salomone factum. Ait enim: *Tu iuraſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ. Filius tuus Salomon regnabit poſt me*, &c. Et cur non magis proponit viro ſancto, quid à Deo illi fuerit dictum; ſed ſolum proponit, quid ille iurauerit? In iuramento aliquid à Dauide factum circa Salomonis regnum apparebat, vnde ſapiens mulier illud propoſuit pro filio, in quo ipſius Dauidis factum videbatur, ſciens homines vehementiùs affici ad promouendam rem, circa quam aliquid ipſi ſunt operati. Quis enim non promoueat ea, quæ nouerit ſui operis eſſe? Iuſſerat Dominus diſcipulis Matth.21. *Inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſoluite & adducite mihi.* Quid tunc diſcipuli? *Adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua*, &c. Iuſſi erant tantùm ſoluere aſinam, & adducere: de imponendis veſtibus nullum præceptum acceperant. Cur ipſi poſt ſolutam, & adductam aſinam & hoc addere voluerunt, vt ſuper eam imponerent veſtes ſuas? Ait Origenes homil. 14. in Matth. *Adducentes ergo ad Chriſtum aſinam, & pullum nudos eos non dimiſerunt, ſed ornamenta eis impoſuerunt, quibus fuerant adornati, & veſtes, quibus fuerant cooperti, honeſtatem eis adducentes, quos ſuo ſtudio ſoluerant ipſi.* Expende hæc, *honeſtatem eis adducentes, quos ſuo ſtudio ſoluerant ipſi*; vbi enim ſuum ſtudium, & opus viderunt in ſoluendis illis, minimè eos nudos paſſi ſunt, ſed & ornatum veſtium addiderunt. Vel ſe ipſo nudant, vt ornent eos, circa quos ſtudium ſuum iam poſuerant. Ductæ ad mortem Suſannæ affuit Deus. Dicit Daniel. 13. *Cùm duceretur ad mortem, ſuſcitauit Dominus Spiritum ſanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel. Et exclamauit voce magna: Mundus ego ſum à ſanguine huius*, &c. Sic Deus per puerum Suſannæ liberationi inſtat. Et cur tam inuſitato miraculo adeſt Deus Suſannæ liberandæ? Operatus fuerat in illa eam animi caſtitatem, qua repudiarat adulteros, ne miremur, quo eam liberando promoueat opus ſuum. Diuus Chryſoſtomus homil. de Suſanna, ait: *Nec aſſeruit, ne moreretur, cui ſubuenit, ne adulteraretur.* Quis non amet promouere rem operis ſui? Dicebat Iſaias cap. 9. *Paruulus enim natus eſt nobis, filius datus eſt nobis.* Ex quo D. Auguſt. homil. 1. de Epiphan. *Tibi ergo naſcendo Chriſtus aduenit, tibi viuendo militauit, tibi moriendo conflixit.* Ex quo ſe nobis per incarnationem adiunxit, nihil non fecit, vt promoueremur in vitam. Vt meritò clamet Zacharias 3.

Matth.21. — *Orig.* — *Dan.13.* — *Chryſoſt.* — *Iſai.9.* — *Auguſt.* — *Zachar.3.*

Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud. quaſi vel ipſe Deus teneatur, rem operis ſui ad perfectum deducere.

* * *

§. XV.

Iuramenta pro illis ſolùm emittenda, quæ in tui vnius poteſtate ſunt.

NEc Dei beneplacitum, nec rationes alias proponit Bethſabee, vt Dauidem adducat ad Salomonem promouendum, ſed ſolùm illius iuramenti ſibi facti meminit, dicens: *Tu iuraſti per Dominum Deum tuum, ancillæ tuæ*, &c. Et cur non magis diuini beneplaciti, & rationum aliarum meminit, ſed ſolius facti iuramenti? Sic omnes excuſationes Dauidi auferebantur, ne detrectaret regnum Salomoni tradere: iuramentum enim oſtendebat rem eſſe in vnius Dauidis poteſtate, nec dependere ab aliis. Quis enim bonus iuraret niſi ea, quæ in ſua noſſet eſſe poteſtate? Si Dauidi repræſentaretur diuinum placitum, poſſet dicere ſupra ſuas eſſe vires, regnum Salomoni dare, præcipuè cùm id penderet à populi comitiis, & multi, & fortiſſimi eſſent pro Adonia, quibus ipſe præ nimia ſenectute non poſſet obuiare. Et ſimiliter alias impotentiæ rationes ſubderet. Quas omnes iuramentum à ſe factum ſuccidit; eo enim ipſo quòd oſtendatur iuraſſe à ſe regnum Salomoni dandum, ſimul oſtenditur id in ſua ſolius eſſe poteſtate, quando iuramenta à bonis viris pro his ſolùm emittuntur, quæ ipſi per ſe efficere valent. Dicebat Paul ad Hebræos cap. 7. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iurauit per ſemetipſum, dicens: Niſi benedicens benedicam*, &c. *Hebr.7.* Sed cur neceſſum erat Deo iurare? Nonne ſimplex Dei promiſſio totam rei promiſſæ monſtrabat firmitatem? Ad quid ergo neceſſum fuit iuramentum addi? Simplex Dei promiſſio ſufficienter firmitatem ei demonſtrabat; at iuramentum additur, vt oſtendatur rei promiſſæ effectus in vnius Dei eſſe poteſtate, nec dependere ab aliis. Aiebat D. Chryſoſtomus homil. 9. ibi: *Et vt Abraham quidem oſtendit Dei eſſe totum opus, non longanimitatis illius. Siquidem & iuramentum paſſus eſt addere, & per quem iurant homines, per hunc iurat Deus, hoc eſt, per ſemetipſum.* *Chryſoſt.* Iurauit equidem Deus, vt rei promiſſæ effectus opus ſolius Dei crederetur, & minimè ab Abrahamo dependere. Si enim ſolùm promiſiſſet Deus, poſſet credi promiſſio dependens ab Abrahami virtutibus, adeò vt ſi Abrahamus non haberet longanimitatem in ſperando, promiſſio irrita maneret. Ideo promiſſioni addidit Dominus iuramentum, quo oſtendebatur res non ab alio, ſed à ſolo Deo pendere, nemo enim bonus iurat, niſi pro re, quæ à ſola ſua poteſtate pendet. De Saule ait 1. Regum 14. *Adiurauit autem Saul populum: Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam.* *1. Reg. 14.* Quod iuramentum, & ſtultè, & temerariè prolatum à Saule, docet D. Chryſoſtomus homil. 14 ad populum, & meritò, non enim erat in poteſtate Saulis, quòd è tot militibus, nec vnus ſumeret cibum, vel leuem, ante prædictum tempus. Bonus autem & prudens non deberet iurare, niſi ea, quæ in ſua poteſtate eſſent.

§. XVI.

Iuramenti violatio lethaliſſima eſt domibus, vrbibus, regnis.

SApienter Bethſabee Dauidi proponit iuramentum factum de Salomone promouendo in regnum, dicens: *Tu iuraſti per Dominum Deum tuum*, &c. Nec enim poterat Dauid violare iuramentum tale, ſine ingenti malo totius regni. Quippe Deus qui in aliis ſceleribus caſtigandis pigritat, pro iuramentis violatis omnium excandeſcit, & penè implacabilis oſtenditur. Nota eſt hiſtoria Sedeciæ Regis Hieroſolymitani, qui iuramentum exhibitum Nabuchodonoſor violauit. De quo ſtatim Dominus Ezech. 17. *Spreuerat iuramentum, vt ſolueret fœdus, & ecce dedit manum ſuam: & cum omnia hæc fecerit, non effugiet. Propterea hæc dicit Dominus: Viuo ego, quoniam iuramentum, quod ſpreuit, & fœdus, quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius. Et expandam ſuper eum rete meum, & comprehendetur in ſagena mea*, &c. *Ezech. 17.* Ecce tibi tota ira Dei in ſceleſto Sedecia, illud ſolum caſtigandum reſpicit, nimirum, quòd iuramentum

 tum

tum infideli Principi factum fregerit, & iuratum fœdus contempſerit. Sed erant Sedeciæ multa alia ſcelera, nonne & propter omnia vapulat à Deo? Planè, Propheta vnum meminit fractum iuramentum, aiens: *Quoniam iuramentum, quod ſpreuit*,&c. circa quæ D. Chryſoſtomus homil. 19. ad populum, ait: *Spreuerat*, inquit, *iuramentum præuaricando pactum meum, quoniam iuramentum meum, quod ſpreuit, & fœdus, quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius, & expandam ſuper eum rete meum. Vides quomodo non ſemel, nec bis, verum & ſæpius dixit, quòd ille propter iuramentum hæc omnia paſſus eſt. Implacabilis eſt Deus contemptu iuramentis*. Quid horribilius? Non vulgaris homo, ſed maximus, &

Chryſoſt.

ſapientiſſimus Doctor Chryſoſtomus ait: *Implacabilis eſt Deus contemptu iuramentis*. Et credant ſtultiſſimi homines poſſe pertinere ad rectam rationem ſtatus, quod paſſim iuramenta contemnantur, & fœdera? Sic credebat Sedecias ille, & putans de Ægyptiorum auxilio poſſe à ſe Babylonios ſubiugare, iuramentum, & fœdus illis factum contempſit. Quid tunc? Quis regni eius, & ſtatus omnis ruinas commemoret? Poſt filios eius interfectos,

4.Reg.25.

poſt Regiam captam, ait textus 4.Regum 25. *Venit Nabuchodonoſor princeps exercitus, ſeruus Regis Babylonis, in Ieruſalem. Et ſuccendit domum Domini, & domum Regis, & domos Ieruſalem*,&c. O clariſſima conſeruandi ſtatus, vel acquirendi ratio per fœdera rupta, & periuria! Huc ſpe-

Chryſoſt.

ctans dicebat Chryſoſtomus homil. 19. ad Populum: *Recordare mihi, quomodo iuramentum hoc vrbem ingreſſum & domos, & templum, & mœnia, ædificia ſplendida deſtruxit, & ruinam fecit ciuitatis, & neque Sancta Sanctorum, neque ſacra vaſa, neque aliud quicquam pepercit, & vltionem illam euertit, quo tranſgreſſum fuerat iuramentum*. Equidem periuria non ſtatus, non principatus conſeruant, nec acquirunt, ſed

Zachar. 5.

acquiſitos perdunt. Zachar. cap. 5. *Ego video volumen volans, longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. Et dixit Dominus ad me: Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ, quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur, & omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & conſumet eam, & ligna eius, & lapides eius*. Ecce tibi & Dominus, & Prophetæ, & ſancti Patres, & experientia ipſa oſtendit periurium eſſe ad trahendam ruinam omnium ſtatuum, & principatuum; & nihilominus athei quidam homunciones adeo ſtolidi ſunt, & fatui, vt adhuc in periurio putent eſſe altiſſimam rationem ſtatus: & magis credant atheorum magiſtrorum argutiis, quam patentiſſimis Dei vocibus, quam experientiæ ipſi, quam ſanctis Doctoribus, & Patribus. Hi ſine Domino exercituum putant poſſe exercitus regi, & proſperari: vel teneri Deum fauere magis ſuis contemptoribus, & aduerſariis. Heu miſeri, quàm citò ſuam ignorantiam irremediabiliter deplorabunt!

§. XVII.

Uxoris afflictio maximè virum emollit.

MVltæ erant Dauidi vxores, pluresque ex illis filij, quorum aliqui vno præmortuo in regnum manſuri erant inter priuatos ſine honore regio. Et nihilominus Bethſabee de ſe ſola, & de filio ſuo ait: *Eritque cum dormierit dominus meus Rex cum patribus ſuis, erimus ego, & filius tuus Salomon peccatores*. Hoc eſt, iuxta Salianum noſtrum, & Abulenſem, erimus viles, & contempti, nullo loco, ac numero. Et cur hanc vilitatem, & contemptum potius timere deberet Dauid Salomoni, & matri eius, regnante Adonia, quàm timeret eandem Adoniæ, & cæteris filiis cum matribus ſuis regnante Salomone? An eo ipſo, quòd vnus filius regnet, cæteri non ſunt æquales in honore priuato? Cur Bethſabee regnante alio Dauidis filio, ſibi & Salomoni præcipue timebat tantam vilitatem & contemptum? Habebat hoc præcipuum Bethſabee, quòd eius matrimonium cum Dauid inceptum eſſet à nefario adulterio, & homicidio prioris mariti, ideò mortuo Dauid, cuius fauore viuebat, neceſſum erat, vt ipſa cum filio ſuo contemneretur, & deſpiceretur à cæteris filiis, & vxoribus Regis, & haberetur Salomon ineptus ad regnum ex matrimonio parentum tam nefariè inceptо, & ſic mater, & filius peccatores reputarentur; hoc eſt, pœnam peccati illius antiqui ſoluentes. Id quod, vt Bethſabee, & Salomoni maximè ærumnoſum erat, ſic non poterat non afficere Dauidem, vt illorum miſereſceret. Quem enim optimum virum non emollit vxoris ærum-

Matth. 27.

na? Matth. 27. *Sedente Pilato pro tribunali, miſit ad eum vxor eius dicens: Nihil tibi, & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum*. Vt maritum traheret in Ieſu liberationem, hoc vnum proponit vxor, miſerum, *multa paſſa ſum*, quaſi non poſſet vir non miſereſcere vxoris patientis dira, & acquieſcere precibus illius. Ait D. Chryſoſtom.

Chryſoſt.

homil. 87. in Matth. *Multa patitur vxor, vt maritus vxori condolendo tardior ad cædem redderetur*. Equidem impediebatur maritus vxoris ærumnis, ne aliud faceret, quàm id, quod petebat ipſa. Validiſſima enim eſt vxoris ærumna, vt perſuadeat quoduis difficile viro. Poſt bonorum amiſſionem, poſt mortem filiorum, poſt morbos mille aderat Iobo ſedenti in ſterquilinio vxor, dicens cap. 2. in textu Græco, *Et ego oberrans quædam, & ancilla de loco ad locum, & de domo ad domum*, &c. Sic Dæmon validiſſimo viro proponit vxoris ærumnoſam; & quantula hæc ærumna vxoris ad trahendum Iob? Erat equidem vxor oberrans, & ancilla de loco in locum, ſed Iob ſedens in ſterquilinio a vermibus corroſus, a mille morbis & doloribus agitatus. Nonne minus malum eſt mendicitas vxoris, quàm extrema Iobi nuditas, & deſolatio, & morbi, & putredo, & vermes? Cur ergo mulier proponis minora ad trahendum virum, qui inter longè maiora manet inexpugnabilis? Minor erat vxoris mendicitas, quam quæ Iob in ſe patiebatur, ſed quia erat vxoris, maiorem

Idem.

vim habebat, vt virum traheret. Ait D. Chryſoſt. in cat. Græca: *Vides ne quemadmodum ſuas ærumnas vxor cum illius rebus contingit? Non valent*, inquit, *tua: vincant mea*. Videt vxor ingentia Iobi mala non præualere illi, nec eius inclinare animum, nec ideo deſperat, ſed ſuas illi proponit ærumnas, quæ licet minores, tamen ad triumphandum de viro, maioris creduntur eſſe efficaciæ. Dicit enim: *Non valent tua, vincant mea*. Sic vel in comparatione maiorum ſua proponit vxor, vt poſſit victoriam reportare.

§. XVIII.

Felices Christi aſſeclæ, cùm vel in morte habent gloriam, & vitam.

COnueniant huc, qui Principibus, qui potentibus ſæculi adhærent, vt eorum fauoribus exaltentur, & triumphent. Quid illis inde? Ait Bethſabee ad Dauid: *Eritque cùm dormierit dominus meus Rex, erimus ego, & filius tuus Salomon peccatores*. Quid aliud ſperent vniuerſi Principum, potentumve aſſeclæ: vbi Principes potenteſve occumbant? Equidem manebunt ipſi tanquam rei omnium ſcelerum, expoſiti maledictis, & ærumnis. Nos nos felices, qui reiectis ſæcularium potentum fauoribus vnum Christum Ieſum ſuſpicimus: equidem erit, cùm dormierit Dominus noſter Rex Christus, erimus & nos ab omni peccato liberi, vt ſecuti curramus ad gloriam, & vitam. Morte ſuorum Principum manent eorum aſſeclæ peccatores, id eſt, rei multorum ſcelerum, & expoſiti ſupplicio. Morte noſtri Principis Ieſu manemus eius ſerui omni ſcelere immunes, vndique ſpectantes vitam. Sic

Zachar. 3.

Zachar. 3. *Ego cælabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna*. Ex quo viridiſſimus lapis Ieſus ſculpitur, terræ iniquitates auferuntur. Et quam ſculpturam, aut cælaturam accipiet lapis ille, quæ ſic homines reddat à peccatis immunes? Ait ibi Ru-

Rupert.

pertus: *Illum lapidem claues crucis, & lancea militis faciam vulneratum, ait Dominus, & in illius paſſione auferam iniquitatem terræ in die illa*. O ſeruorum Ieſu felicitas! Serui mundialium Principum in eorum morte manent rei multorum ſcelerum, ſerui Ieſu, in morte & paſſione eius manent ab omni ſcelere liberi. Non poſſum non meminiſſe in præſenti illius peccatricis Thamaris, quæ meretricio ornatu furata fuit ſoceri Iudæ concubitum. Huic pro ſceleris præmio oblatus fuit hædus de capris, at illa oblati pretij arrhabonem petens, ait Geneſ. 38. *Patiar, quod vis, ſi dederis mihi arrhabonem*, & ſtatim deſignans arrhabonem ait:

Anum

Annulum tuum, & armillam, & baculum, quem manus tenet. Sufficerent fœminæ iuueni annulus, & armilla; ad quid baculus? Cur non magis puella erubeſcit videri cum baculo? Colligebat ea, quibus poſſet a reatu ibi peracto liberari, vt poſtea factum eſt, cum enim fornicationis rea duceretur ad mortē, protulit annulum & armillam, & baculum, quibus liberata fuit à reatu, & morte. In quo oſtendebatur, tunc nobis eſſe liberatio à peccato, cùm baculus appareret, in quo Chriſtus occumbens animam ageret. Rem ponderat Theophanes Cerameus orat. in Exaltat. crucis apud Greiſerum tom. 2. de cruce fatus: *Thamar Iſraelitici ſeminis nobilitatem ſuffurata, amatorémque facetum nacta, accepit ab illo pignore baculum, quo poſtea mortis diſcrimen euaſit. Niſi enim baculum Iudæ oſtendiſſet, non effugiſſet quo minus necaretur. Thamar igitur Eccleſiam adumbrabat, quæ ſurripuit fructum ex Iuda; Chriſtum, inquam, ex tribu Iuda natum, crucémque baculi rapit, per quam à morte anima liberata eſt.* Expende illa: *Niſi baculum non oſtendiſſet, non effugiſſet,* &c. haberet licet annulum aureum, non haberet, quo peccati damna effugiſſet, niſi haberet baculum, hoc eſt crucem, in qua Dominus Ieſus morti occubuit. Nullis enim gazis, nullo auro liberantur Principum mundialium aſſeclæ à ruina, ab infamia reatuum ſaltim poſt fata Principum. Chriſti autem ſerui vbi eius morientis ſigna habent, à nullis flagitiis, à nullis periculis timent. Ecce tibi Danielis cap. 4. Nabuchodonozori oſtenſa eſt imago regni temporalis, ait enim: *Magna arbor, & proceritas eius contingens cœlum: aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & eſca vniuerſorum in eo, ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli: & ex ea veſcebatur omnis caro,* &c. *Et ecce vigil, & ſanctus de cælo deſcendit, clamauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem,* &c. *Fugiant beſtiæ,* &c. *volucres.* Sic pingebatur imago regni mundialis, longè aliter pingebatur Chriſti Domini principatus. Ait enim Geneſ. 2. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue. Lignum etiam vitæ in medio paradiſi.* In imagine regni temporalis dicitur arbor magna, & fructifera; in imagine autem regni Chriſti non dicitur arbor, ſed lignum. Et cur ibi arbor, hic lignum? Arbor viuida planta eſt, quæ dum viuit, & fructu, & ramis multos ſuſtentat; vbi autem ſucciſa fuerit, vt omni fructu caret, ſic qui ab illa ſuſtentabantur, deſtituti prorſus manent. Lignum poſt ſucciſionem vocatur, & poſt ſucciſionem, & caſum præſtat homini ſuas commoditates. Regnum ergo temporale, vt arbor eſt, ſic in præciſione, & caſu perditos, & deſtitutos oſtendit ſuos aſſeclas. Regnum autem Chriſti, vt lignum eſt, poſt ipſam præciſionem & mortem adhuc ſuis vitam halat. Ad hæc Theophanes Cerameus vbi ſupra: *Quid ſibi volens Moyſes nec plantam, nec arborem nominat, ſed lignum vitæ. Lignum autem poſt ſectionem dicitur.* Miſeri, qui mundialibus potentibus adhærent, neceſſum enim eſt, vt illi tandem ſuccidantur & cadant; quo manebunt eius adhærentes deſtituti, & quaſi errones, & fugitiui. Felices, qui Chriſto adhæreſcimus, cuius etiam poſt mortem hauriemus & gloriam, & vitam.

Theophan.

Daniel. 4.

Geneſ. 2.

Theophan.

3. *Reg.* 1. Et nuntiauerunt Regi, dicentes: Adeſt Nathan Propheta. Cúmque introiſſet in conſpectu Regis, & adoraſſet eum pronus in terram, dixit Nathan: Domine mi Rex, tu dixiſti, Adonias regnet poſt me, & ipſe ſedeat ſuper thronum meum, quia deſcendit hodie, & immolauit oues, & pinguia, *&c.* Numquid à domino meo Rege exiuit hoc verbum, & mihi nō indicaſti ſeruo tuo, quis ſeſſurus eſſet ſuper thronum domini mei Regis poſt eum?

§. XIX.

Ad celſitudinis munera non procurrendum.

SVbſtitit Nathan ante Regis cubiculum, nec intrat ad Regem, ante quam per Regis famulos Rex moneatur; & illis introeat ducentibus. Sic ibi, *Et nuntiauerunt Regi, dicentes: Adeſt Nathan Propheta. Cumque introiſſet,* &c. Longe aliter dictum eſt de Moyſe, & Aarone; de quibus Exod. 5. dicit: *Poſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron, & dixerunt Pharaoni.* Moyſes & Aaron ſeſe ingerunt in præſentiam Pharaonis, cùm minimè illi noti eſſent, Nathan autem cùm familiariſſimus eſſet Dauidi, non in eius conſpectum, quin priùs Rex per famulos ſuos moneatur, & illis introeat ducentibus. Et quando id non obſeruarunt Moyſes & Aarō in introitu ad Pharaonē, cur id obſeruat Nathan in introitu ad familiariſſimum ſibi Regem? Moyſes & Aaron rem maximè humilitatis acturi erant, nimirum poſtulantes a Rege liberationem populi ſui; Nathan autem veniebat acturus cum Rege de ſtatu regni, & de ſucceſſore conueniente, quod magnæ celſitudinis negotium erat apud mundiales Principes. Ne miremur, quòd bonus ad munera celſitudinis pedetentim, & non per ſeipſum, ſed aliis ducentibus introeat. Audita Nabuchodonoſoris ſētētia aduersùs omnes ſapiētes ſuos, quod non illi ſomnium reuelauerunt, Dan. cap. 2. dicitur; *Daniel ingreſſus rogauit Regem, vt tempus daret ſibi ad ſolutionem indicandam Regi.* Acceptoque tempore orauit ad Dominum, à quo regalis ſomnij notitiam accepit, & poſt paululum ait textus: *Poſt hæc Daniel ingreſſus ad Arioch, quem conſtituerat Rex, vt perderet ſapientes Babylonis, ſic ei locutus eſt: Sapientes Babylonis ne perdas, introduc me in conſpectu Regis, & ſolutionem Regi narrabo.* Ecce tibi in principio ipſe Daniel per ſe introiuit ad Regem, nemine præmiſſo, a quo introduceretur: modo per ſe non vult intrare, ſed quærit Arioch Regis famulum, qui priùs Regem moneat, & à quo ipſe introducatur, dicit enim: *Introduc me in conſpectu Regis.* Et cur, qui priùs ſine introductore intrare refugit? Rem ita tractat Richard. Victor. lib. 1. de erudit. interior. hom p. 1. cap. 15. fatus: *Quid, quæſo, hoc loco ab alio ſe introduci petit, qui iam ſuperiùs ante Regis conſpectum per ſemetipſum intrauit. Sed ſuperiùs intrauit, vt Regi ſupplicaret; hic verò vt Regem doceret. Illud fuit humilitatis, iſtud magnæ ſublimitatis. Magnæ, (inquam) fuit ſublimitatis illud Regem docere, quod ab alio nemine poterat didiciſſe. Ad humilitatis ergò obſequia libenter ſe ipſum ingeſſit; ad celſitudinis officia impudenter ſe ingerere declinauit.* Sic boni ad humilia euolant, ad glorioſa pedetentim & moroſè accedunt. Quod ſanè proficit, vt in illis præclarè ſe gerant. Sic ille Moyſes Exod. 4. vocatus à Deo in ducem populi, ait: *Obſecro Domine non ſum eloquens,* &c. ſic prætendens linguæ tarditatem munus honorificum recuſabat. Quid inde? ait D. Ennodius orat. in dedicatione templi S. Laurentij, *Officium ducis iuſſus arripere, quia verecunde renuit, conſtanter impleuit.* Fere nullus, qui cunctatur principatum accipere, non in illo præclarè ſe gerit, vt ratus eſt, qui munus adimpleat ex his, qui ad illud euolant.

Exod. 5.

Daniel. 2.

Richard.

Exod. 4.

Ennod.

§. XX.

In conuiuiis maximè cauenda ſunt pericula. Vbi de Euchariſtia.

ILlud notanter poſuit Nathan de Adonia: *Immolauit boues, & pinguia, & arietes plurimos, & vocauit vniuerſos filios Regis, & principes exercitus, Abiathar quoque Sacerdotem: illiſque veſcentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus, Viuat Rex Adonias.* Expende illud, *veſcentibus, & bibentibus, & dicentibus: Viuat Rex Adonias.* Sapienter oſtendit tyrannum, & illegitimum Regem, qui exurgit à fartis menſis, à poculis pleniſſimis. Proh hominum gula! Fallar, niſi per illam non veniatur in tyrannum Principem. Porrexit aliquando Dominus Iudæ buccellam, & ait Ioann. cap. 13. *Continuò poſt buccellam introiuit in eum Sathanas.* Ecce vel vna intincta buccella regnum tenebrarum excitauit in Iudam. Quod meditatus D. Ambroſ. ſermon. 35. de ieiunio Domini in deſerto, ait: *Ex quo buccellam cepit Iudas, non iam Apoſtolus caput eſſe, ſed proditor. Continuò poſt buccellam*

Ioan. 13.

Ambroſ.

cellam introiuit in eum Satanas. Non bonus cibus, poſt quem negatur Dominus, poſt quem ingreditur tormentum. Non bonus cibus poſt quem Chriſtus reſpuitur, deuoratur Antichriſtus. Non bonus cibus, qui benedictione caret, maledictione completur. Illa ergo eſca nobis neceſſaria eſt, quæ vitam præſtat, quæ animam paſcit, poſt quam ſequitur Chriſtus, inimicus excluditur. Illam eſcam accipere debemus, quam Saluator, non diabolus ſubſequatur, quæ præceptione ſui confeſſorem faciat non proditorem. Timui vel verbulum prætermittere; quibus ſanctus mnodialis cibi diſcrimina ponderabat, & virtutes diuini. Illum ferè numquam non ſubſequitur diabolus, tenebrarum Princeps, & mors, & perditio; hoc numquam ex ſe non gignit vitam. A Dei epulis exurgit regnum Chriſti; à mundi conuiuiis, niſi caueas, firmatur Antichriſtus. Quærenda eſt igitur Chriſti eſca, vt inde negetur aditus maligno.

Luc. 2. Poſt Chriſtum natum dicebat Luc. 2. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce Angelus* Domini *ſtetit iuxta illos*, &c. Et multi alij ciues erant vigilantes, quiſque domi ſuæ, vt rebus ſuis conſulerent. Quis hoc neget? Cur ergo Angelus ad ſolos vigilantes paſtores mittitur, Equidem in iis docebantur vniuerſi animarum paſtores, vt non poterant greges ſuos defendere à luporum incurſibus, niſi paſtum ſuum exhiberet, diuinus ille puer, qui tunc vagiebat in

Orig. cunis. Ad hæc aiebat Origenes humil. 2. in Lucam: *Audite paſtores Eccleſiarum, paſtores Dei, quod ſemper Angelus eius deſcendat de cælo, & annunciet vobis, quoniam natus eſt vobis Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus. Etenim paſtores Eccleſiarum, niſi ille paſtor venerit, per ſe bene gregem ſeruare non poterant: infirma eſt eorum cuſtodia, niſi Chriſtus cum eis pauerit.* Equidem in mundialibus paſtibus ſeruari non poſſumus a malignorum inſultibus, niſi Chriſtus ſuum paſtum porrigat. Vbi Chriſtus pauerit nos, ibi ſolùm eſt firma cuſtodia. Meritò de felice homine dicebat Pſalm. 111. *Pa-*

Pſalm. 111. *ratum cor eius ſperare in Domino, confirmatum eſt cor eius, non*

Bernard. *commouebitur.* Circa quæ D. Bernard. ſerm. 6. in vigil. Natiu. ait: *Paratum cor eius, ait Propheta, haud dubium, quin de iuſto loquatur. Confirmatum eſt cor eius, non commouebitur. Non eſt paratum, quod non eſt confirmatum. Scimus autem, ipſo eodem Propheta teſte, quòd panis cor hominis confirmet. Non eſt ergo paratum, ſed aridum, & exiguè cor eius, qui oblitus eſt comedere panem ſuum.* Vbi cæleſtis panis non adeſt, nulla in cuſtodia cordis, poteſt eſſe firmitas.

§. XXI.

Quaſi ſimilem ſe effingat potentibus in ſententiis, qui illos trahere amat in bonam frugem.

SApientiſſimè ſe gerit Nathan cum Daniele; non improbat Adoniæ factum, ſed queritur non ſibi oſtenſum; quaſi ipſe in eandem ſententiam eſſet iturus, quæ placuiſſet Dauidi. Quò ſpectant verba illa: *Domine mi Rex, tu dixiſti; Adonias regnet poſt me, & ipſe ſedeat ſuper thronum meum*, &c. *Numquid à domino meo Rege exiuit hoc verbum, & mihi non indicaſti ſeruo tuo, quis ſeſſurus eſſet ſuper thronum domini mei Regis poſt eum?* Ecce tibi, vt minimè damnat facinus, etiamſi a Dauide ortum fuiſſet; ſed reuerenter queritur, quòd non ſibi ſit indicatum; quaſi nihil aliud ibi damnabile exiſteret, ſed quicumque à Dauide Rex declararetur, eum ipſe libenti animo ſuſpiceret. Et cur non magis Dauidem pungit in regno Adoniæ permiſſo contra Dei voluntatem? Sapientiſſimè ſe in primis Dauidi conformem, & prorſus in ſententia ſimilem oſtendit, vt inde illum in Salomonis regnum Deo placitum deducat. Sic potentes ſuperari in bonum ſolent ab iis, qui ſe eorum ſimiles in ſententiis affingunt. Dum Moyſes, & Aaron coram Pharaone ſtarent, ait textus

Exod. 7. Exod. 7. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, quæ verſa eſt in colubrum.* Hæc virga imperatura erat elementis omnibus, multaque in illis erat effectura prodigia; cur neceſſum fuit conuerti in colubrum? Inter alia prodigia per hanc virgam facienda, vnum erat, quod ſerpentes colubros à Magis perfectos voraret ipſa, quod duellum ſapienter non aggreditur, niſi priùs ipſa in colubrum efformaretur ſimilem illis. In quo tota Dei ſapientia oſtendebatur in contetendis poteſtatibus aeris huius. Pulchrè enim ait Macharius Archiepiſcop. Philadelph. orat. in exaltat. crucis apud Grethſerum tom. 2. *Sicut Ieſus* Machar.
meus cum iniquis reputatus eſt, vt nos ex acerbo peccati tyrannide eriperet; ita & id, quod lignum crucis eius, præfigurabat, in draconem conuerſum eſt, vt ſimilis ſimile interficeretur, Satanæque fraudes ſapientiſſimo diſpenſationis conſilio contererentur. Expende illa, *ſimilis ſimile interficeretur*; in naturalibus ſimile ſimili augetur, virgultis igne, aqua aquis; verum in moralibus vera ſapientia adinuenit, vt ſimile à ſimilibus ſuperetur. Dum enim bonus abſque vllo peccato ſe aſſimilat, & conformat potentibus in aliquibus eorum ſententiis, & affectibus; eos ad bonam frugem trahit, quidquid in illis eſt malitiæ necans. Quò etiam ſpectans Dei filius homo factus eſt, iuxta illud Ioann. 1. *Verbum caro factum* Ioan. 1.
eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. Et cur Deus caro fieri amauit? Eò deuenerat malitia diaboli, vt perſuaderet mundo homines Deos eſſe; ſic Hercules, ſic infiniti alij homunciones dij credebantur. Quam altiſſimam hominum ſuperbiam vt Deus traheret in viam veritatis, ſe illis aſſimilauit homo factus, vt per ſimile ſimiles conuincerentur, & reducerentur. Ait D. Method. orat. de crucis vti- Method.
litate apud Grethſerum tom. 2. *Huius enim rei gratia, & carnem geſſit Dominus Ieſus, & homo factus eſt: vt per quam carnem dæmones ſuperbè Deos emenititi fuerant, per eam deiecti, deſpectique eſſent, vt non dij. Prohibuit enim altius extolli ſuperbiam ipſorum factus homo, vt per quod corpus rationis particeps genus à vero Dei cultu alienatum, per idem ineffabili arte ſapientiæ verbo ſuſcepto, exitiales hoſtes eſſe argueretur, non benefactores animarum.* Sic Dei ſapientia ſimilem obiecit ſimilibus, vt Deus homo diis hominibus ſaniorem inderet mentem, eoſque inſaniæ ſuperbiſſimæ conuinceret, & ad bonam frugem conuerteret.

3. *Reg.* 1. Et reſpondit Rex Dauid, dicens: Vocate ad me Bethſabee. Quæ cùm fuiſſet ingreſſa coram Rege, & ſtetiſſet ante eum, iurauit Rex, & ait: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtia, quia ſicut iuraui tibi per Dominum Deum Iſraël, dicens: Salomon filius tuus regnabit poſt me; ſic faciam hodie. Summiſſoque Bethſabee in terram vultu adorauit Regem, *&c.*

§. XXII.

Nullo prætextu fœmina virorum non caueat congreſſum.

ADhuc loquente Bethſabee cum Rege, vt ſuprà dicitur, ingreſſus fuerat Nathan; & modò dicitur, quòd Dauid iuſſerit vocari Bethſabee. *Et reſpondit Rex Dauid, dicens: Vocate ad me Bethſabee*, &c. Erat equidem Bethſabee cum Dauide; quando nuntiatum fuit Regi, quòd Nathan adeſſet, qui vbi ingredi iuſſus fuit, ſtatim Bethſabee ſe ſe in interius gynæceum recepit. Nec manere voluit in præſentia Nathani, licèt Prophetæ, licet ſibi, & Dauidi familiariſſimi. Vt hoc diſcant fœminæ, quam debeant omnes virorum congreſſus cauere, etiam vbi poteſt inueniri prætextus virtutis. Viſitauit quondam Deus Abrahamum ſub ſpeciebus trium Angelorum, qui ab illo excepti ſunt hoſpitio, dumque prandiſſent, adſtabat illis Abrahamus, vxore Sara intus parante conuiuium. Poſt prandium autem ait Dominus Abrahamo Geneſ. 18. *Vbi eſt Sara vxor tua?* Scie- Geneſ. 18.
bat equidem Dominus Saram eſſe in conclaui, qui ſciebat illam parituram. Ad quid ergo interrogat, vbi ſit? Crediderim id factum à Deo, vt mulieris caſtitatem promulget, quæ nec prætextu peregrinorum fauendorum apparuit coram illis, ſed intus neceſſaria parans fugiebat virorum conuictus. Ait Diuus Epiphanius in Anco- Epiphan.
rato: Vbi eſt Sara vxor tua, dixit ad Abraham, is qui venit ex ſupernis cum duobus Angelis filius Dei. Si autem ignoraſſet, vbi eſſet non vtique dixiſſet. Riſit vtique Sara, quæ intus erat, *& vult ſic oſtendere eius caſtitatem,*

Digitized by Google

tem, quæ exemplum eſt earum, quæ in veritate pietatem exercere volunt: quæ vbi ſuſceperint peregrinos, propriis quidem laboribus inſeruiant, verùm propter verecundiam, & caſtitatem, faciem ſuam viris non oſtendant. Hoc documentum eſt honeſtarum fœminarum; quarum caſtitas in eo ſplendet, quòd nullo prætextu amant in conſpectum virorum venire. Huc trahe dicta tom.3. de Chriſto figur. lib.6.cap.8.§.14. & alibi.

§. XXIII.

Mala temporalia bonorum temporalium abſorbent commoditates.

EXpende Dauidis verba, dicentis: *Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtia*, &c. Equidem Deus non ſolùm eruerat Dauidem de omni anguſtia, ſed inſuper ei victorias mille, & regnum Iſraëliticum contulerat. Cur ergo Dauid non magis Deum meminit bonorum, regnique datorem, quam à malis liberatorem? Cur non ait: Viuit Dominus, qui dedit mihi regnum, & victorias; ſed ſolùm dicit: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtia? Sanè huius vitæ anguſtiæ, & ærumnæ tales ſunt, quæ abſorbeant omnium bonorum temporalium memoriam. Interrogatus Iacob à Pharaone, quot annos ætatis haberet; reſpondit ille
Gen.47. Geneſ.47. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt, parui, & mali.* Ecce tibi dies vitæ ſuæ malos vocat. Sed certum eſt illi & bonos etiam affulſiſſe dies, cùm primogenituram, & paternam benedictionem obtinuit, cùm Rachelem inuenit, cùm greges ſuos in dies augeſcere vidit, cùm ingentibus diuitiis cumulatus eſt, & filiis earum hæredibus circumdatus eſt. Hi non fuerunt illi boni, & clariſſimi dies? Cur hos non meminit? Cur coram Rege ſaltem non æſtimat bonum diem illum, in quo aulam eius terebat, eiuſque fauoribus permittebatur frui? Cur his omnibus prætermiſſis ſolam malignitatem temporis ſui in medium adducit? Inter hæc bona multis fuit afflictus ærumnis, repetiti ſeptennij ſeruitute comparauit Rachelis nuptias; luxit filiæ ſtuprum, & alia multa; quæ mala ſic abſorbuerant bonorum memoriam, vt ſolùm malorum meminerit. Ad hæc aiebat
Chryſoſt. D.Chryſoſtomus homil.65. in Geneſ. *Quibus diebus, inquit, peregrinus fui, pauci, & mali fuerunt. Significat hic annos ſeruitutis, quam ſuſtinuit apud Laban propter fugam, quam propter fratrem fecit. Deinde luctum, quem tanto tempore habuit propter Ioſephi mortem, & alias miſerias. Propterea dicit, pauci, & mali ſunt dies annorum vitæ me.* Itaque dum vitæ ſuæ dies recolit, & meminit, nihil inuenit, quod non ad ſeruitutis, & luctus malitiam pertineat, malorumque memoriam coràm adducens, bonorum nec
Pſal.17. vnum recolit fuiſſe diem. Vt meritò cum Pſalm.37. poſſit dicere, *Et dolor meus in conſpectu meo ſemper*; euaneſcentibus enim huius vitæ bonis, mala, & ærumnæ ſunt, quas fixiùs in animo retinemus.

§. XXIV.

Sapientis Principis eſt fœmineis votis non moueri.

AVdierat Dauid tacitus Bethſabee orationem, nec illi vel verbum reſponderat: poſtquam verò locutus fuit Nathan de eadem re: ſtatim Dauid reſponſum accelerat. Dicit enim textus, *& reſpondit Rex Dauid, dicens: Vocate ad me Bethſabee*, Et cur hoc non reſpondit ante Dauid ipſi Bethſabee petenti; imò oſtendenti iuſiurandum Regi? Marc.6. petiuit Herodias caput Ioannis Baptiſtæ ab Herode; qui recolens iuſiurandum à ſe factum, ſtatim annuit puellæ. Sed & Dauid vidit iuramentum ſuum de Salomonis regno ſibi à Bethſabee proponi, & impletionem eius peti, & tacet, & permittit illam abire abſque vllo reſponſo Quod vt daret poſt auditum Nathan, Bethſabee reuocat. Cur ergo & antè non reſpondit? In hoc oſtenditur ſtulti, aut ſapientis Principis ingenium. Stulti enim Principes, vt Herodes, muliercularum placitis rapiuntur, vel ad res execrandas perficiendas. Sapiens autem princeps, vt Dauid, nec in re iuſta, & à ſe iurata acquieſcit votis fœminæ, quin priùs audiat ſapientis alicuius viri verba. Non enim cum Bethſabee loquitur, ſed cum Nathan Propheta verba facit, reſpondit Dauid, ne videretur in regni conferendi negotio annuiſſe votis fœminæ, ſed magis ſanctiſſimo, & ſapientiſſimo viro Prophetæ. Vtinam hoc biberent ingenium Principes, fallar enim: niſi omni malo ſuperiores eſſent. Rem ponderat D. Chryſoſtomus in Adamo Chryſoſt.
primo hominum Principe, & in Iobo Idumææ Rege, homil.1. in Iob ſatus: *Adam indutus fuit incorruptione, ſed vt mulieri credidit, nudus effectus, & condemnatus eſt; Iob verò nudus erat, & mulieri non credidit; & quia mulieri non credidit, corona per Angelos allata indutus eſt. Ille, vt mulieri credidit, à paradiſi deliciis cecidit, in terram ſpinarum, mortémque incidit: hic quia non credidit mulieri, & à ſterquilinio, & plagis liberatus regnum hæreditauit cœlorum.* In quot bona non perueniant Principes, qui minimè ducuntur fœminarum placitis ad ſententias ferendas? Et in quot mala non veniant, qui fœminarum ducuntur cupediis? Inde mihi laudatiſſimum fuit illud Senatuſconſultum: de Lamprid.
quo Lamprid. in Heliogabalo: dicit enim: *Cautumque ante omnia poſt Antoninum Heliogabalum, ne vnquam mulier Senatum ingrederetur; vtque inferis eius caput dicaretur, deuoueretúrque, per quem id eſſet factum.* Sic ſapientiſſimi Senatores timebant ſententiis, decretiſque ſuis, vel à conſpectu fœminæ, vt vellent lethale eſſe homini, qui aditum in ſenatum daret mulieri. Et perditiſſimorum Principum res expendens Diuus Syneſius epiſt.73. dicebat: *Verſantur* Syneſ.
in conuiuiis calumniæ, mulieris donum fit ciuis alicuius calamitas. Quid peius? Ciuium vel abſolutio, vel damnatio dabatur fœminis. Talis interituræ Reipublicæ ſtatus perhibetur.

3. *Regum* 1. Dixit quoque Rex Dauid: Vocate mihi Sadoc Sacerdotem, & Nathan Prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ. Qui cùm ingreſſi ſunt coram Rege, dixit ad eos: Tollite vobiſcum ſeruos Domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon, & vngat ibi eum Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem ſuper Iſraël, & canetis buccina, *&c.* Impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis Dauid, & adduxerunt eum in Gihon, *&c.*

§. XXV.

Religio fundamentum regnorum, & totius proſperitatis.

NOn otioſè notauit Theodoretus ordinem ſeruatum à Dauide in vocandis iis qui Salomonem ad regnum eleuarent. Ait enim Dauid: *Vocate mihi Sadoc Sacerdotem, & Nathan Prophetam, & Banaiam*, &c. Vt fiat Salomon Rex, in primis vocatus adeſt Sacerdos, deinde Propheta, poſtremò dux exercitus. Verum vbi Adonias ſibi regnum procurat, ait de illo textus ſuprà: *Sermo illi cum Ioab, filio Saruiæ, & cum Abiathar Sacerdote*; & ſimiliter de eodem dicitur: *Vocauit omnes filios Regis, & Principes exercitus, & Abiatharem Sacerdotem.* Semper in electione Adoniæ Sacerdos eſt in vltimis; in electione autem Salomonis in primis Sacerdos eſt. Ne miremur, quòd conatus Adoniæ cadat, vt cui in vltimis eſt religio, & quòd regnum Salomonis ſupremam attingat proſperitatem, vt quod primum fundamentum & ſacerdotium & religionem habeat. Quò adduxerim illud Ruffini lib.1. in Oſeam: *Illud in prophetarum, etiam nunc, ore verſatur: inter varias opiniones, nullum eſſe validius certæ religionis teſtimonium, quàm quod vox aſſerat proſperorum.* Ruffin.
Ecce tibi, vt abſoluta proſperitas veram religionem comitatur; perit funditus idololatria cum Principibus ſuis,

ſuis, periit Arrianiſmus, periere infinitæ aliæ ſectæ; & poſt tot peſtes, & ſæcula in proſperitate eſt Sacerdos Romanus: cui qui innititur populus, ſimiliter proſperabitur, vt qui in primis religionem habeat, in qua & regna, & populi fundantur. Matth. 24. *Egreſſus Ieſus de templo ibat.* Ibat, inquam, Ieſus, oſtendens à ſe iam deſeri ciuitatem illam, & populum, & relinqui, vt ab hoſtibus perderetur funditus. Sic in illo verbo *ibat*, meditatur Imperfect. homil. 47 in Matth. Et cur tunc Ieſus maximè oſtendit totam illam populi deſolationem, & perditionem, cùm à templo exiret? Nihil in templo religionis viderat, & Sacerdotum munus, & omnia diuini cultus notauit eſſe in vltimis; & inde non potuit iam non oſtendere potentiſſimam populi ruinam. Pulchrè

Imperfect. rem explicat Imperfectus ſuprà: *Si pars aliqua domus fuerit deciſa, cum labore tamen, poſſibile eſt, vt reparetur, ſi autem ipſum fundamentum fuerit conquaſſatum quid faciat paterfamilias, niſi fortè in aliquo loco noua faciat fundamenta? Sic & in ſpiritualibus, ſiquidem populares peccauerint, per pœnitentiam corriguntur, ſi autem ſacerdotium ipſum fuerit diſſipatum, quod eſt populi fundamentum, quid faciat Deus? Hac ratione gentem Iudæam relinquens, in alio loco noua poſuit fundamenta, id eſt, Apoſtolos*, &c. Expende illa de ſacerdotio dicta, nimirum: *Quod eſt populi fundamentum*, vt fundamentum in primis eſt omnibus ædificiis ſtabiliendis, ſic Sacerdos, & religio in primis debet eſſe vt fundamentum omnium populorum, & regnorum, & proſperitatum. Stultè de ædificanda domo agit, qui in primis non ponit fundamentum; vt ſtultè de regno formando agit, cui in pri-

Geneſ. 1. mis non eſt Sacerdos. Hinc Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*: &c. Quæ verba non paruam fece-

Chryſoſt. runt quæſtionem D. Chryſoſtomo, ex eo, quòd in principio creati orbis ponatur cœlum, quod videtur magis ad finem operis pertinere. Ait enim ſerm. de ieiuniis, & Geneſ. *Cur autem cælum primùm fecit, deinde terram, ante tectum, quàm ſolum?* Equidem iam tunc inſinuabatur, vt ea, quæ ad cælum ſpectant, debent eſſe omnium temporalium machinarum primum fundamentum.

§. XXVI.

Non omnia ab vno occupanda, ſed locus aliis dandus.

DOmi inter fratres ſuos vnctus fuerat Dauid in Regem; at cùm filium inungi amat, illum duci iubet ad cantatiſſimum campum iuxta fontem Gihon. Dicit enim? *Ducite eum in Gihon*, &c. *& adduxerunt eum in Gihon.* Et cur maluit, quòd Salomon iuxta fontem Gihon inungeretur? A nullo melius informari nouus Rex potuiſſet, quàm à fontis riuulis; etſi enim aqua omnia in principio occupabat, tamen in vnum coacta ſic conſtringitur, vt iam non niſi certis cuniculis, & canalibus erumpat orbem rigatura, & dans locum creſcendi cæteris germinibus. Sic potentes, ſic Principes non ament ab vno omnia occupari, ſed & multis aliis locum creſcendi per-

Plutarch. mittant. Huc ſpectans Plutarchus in moralibus monebat Principem: *In Republica non debet vnus occupare omnia; ſed aliis viciſſim dare locum.* Quiſquis bene moratus eſt, ſiue Princeps, ſiue priuatus, non vniuerſa ſibi præoccupare amet, ſed certis legibus, finibuſve conſtrictus aliis locum permittat. Vaſtiſſimus ille aquarum abyſſus in principio à Deo creatus, in duo diuiſus fuit, vt pars aquarum immenſa ſuper cælos exiſteret, cæleſtes orbes vndique cingens; pars autem in terra maneret, coacta in lo-

Geneſ. 1. cum vnum. Ait enim Geneſ. 1. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida. Et factum eſt ita.* Expende illud: *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt*, non quidem tale mandatum fuit aquis, quæ ſuper cælos ſunt; ſed mandatum fuit aquis, quæ ſub cælo ſunt. Et cur non illæ, ſed hæc in vnum coguntur locum? vt ſciamus, quod illi affectus noſtri, qui ſupra cœlos euolant, nullis debeant terminis conſtringi, ſed ſinendi, vt ad diuinam vſque perfectionem complendam nitantur: illi autem affectus, qui ad hæc inferiora tendunt, ſic conſtringi debent, vt non niſi ſub certis legibus & terminis exire permittantur, vt in bonis conſe-

Hugo Vict. quendis detur locus aliis. Ait Hugo Victor. lib. 1. de Sacram. part. 1. cap. 23. *Iam quodammodo videmus, quare aquæ illæ, quæ ſupra cælum ſunt, non debuerunt colligi, & in vnum coarctari, quoniam charitas amplificanda ſemper eſt, & dilatanda, & quanto latius panditur, tanto altius ſublimatur. Quæ autem ſub cælo ſunt aquæ, congregandæ ſunt, & conſtringendæ in locum vnum: vt inde per certos tranſitus, & exitus ordinatos, quæcunque deducantur. Quoniam affectus animæ inferior, niſi certa lege conſtringatur, non poteſt apparere arida, nec germina producere*, &c. Ecce tibi vbi datur facultas Adami filiis omnia occupandi, in cœleſtibus nimirum; vbi ſeſe diffundat, quantum volet affectus humanus. At in terrenis maximè conſtringatur, nec ſine certis finibus, & legibus progrediatur. Sed permittat aliis & florere, & germinare.

§. XXVII.

Qui hominum ingeniis proſperè amat vti, eorum ſequatur indolem.

INungendus Salomon in fontem Gihon ducitur, iuxta illud: *Ducite eum in Gihon: & adduxerunt eum in Gihon*, vt ſimul ibi regnum accipiat, & politiam regnandi à fonte diſcat. Fons enim plantas rigans, illas maximè promouet, illarum ſeſe accommodans naturis, ad nihil enim illas mouet, niſi ad id, ad quod ipſæ propenſæ ſunt natura ſua. Quid moralius? Tunc homines maximè promouebis, illorumque ingeniis, & viribus vteris feliciter, ſi illorum ſequaris indolem. Locutus Dominus de gratia ſua, qua homines in bonum dirigit, Ioann. 4. ait; Ioan. 4.

Et aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et cur Dominus gratiam ſuam aquæ, & fonti comparat in promouendis; & deducendis hominibus in ſalutem? Aqua cùm ſit vna, & eadem, diuerſas plantas in diuerſos promouet fructus, ſeſe accommodans cuiuſcumque plantæ naturæ. Sic Deus ſapientiſſimus hominum gubernator, cuiuſque indoli aptans gratiam ſuam, illos promouere ſolet in vitam. Pulchrè D. Cyril. Hieroſolym. catech. 16. ait: *Paradiſum totum fons* Cyril. Hier.

vnus irrigat, & vna pluuia in vniuerſum deſcendit mundum, quæ alba quidem fit in ſpinis, rubra autem in roſis, purpurea verò in hyacinthis, ac in diuerſis ſpeciebus diuerſa, in omnibus fit omnia: cùm ipſa nihilominus eiuſdem eiuſdemque ſit ſpeciei. Neque enim ſe ipſam tranſmutans pluuia, alia, & alia deſcendit: ſed cuiuſcunque naturæ ſeſe adiunxerit, illi fit incrementum: ſic Spiritus ſanctus, &c. Itaque vt adiuncta aqua plantarum naturis, illas promouet in flores, & fructus iuxta ipſarum genus; ſic diuinus Spiritus regulariter adiunctus hominis cuiuſque indoli, illum promouet in vitam. Et ſic quiſquis amat homines fœliciter dirigere, illorum ſpectet indolem, iuxta quam illis vtatur, numquam enim errabit, ſi illos in contraria diſtrahat ſtudia. Vt deſignaretur ſummus Sacerdos, duodecim virgæ ligatæ ſunt, & tabernaculo appoſitæ; quarum quæ floreret, oſtenderet ſacerdotium Domino ſuo. Quid tunc? Ait textus Numerorum 17. *Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Num. 17.

Ecce tibi vt diuina gratia fecit amygdalas produci à ſicca virga, quæ Aaronis principatum oſtenderent. Et cur potius amygdalas, quàm alios produci fecit fructus? Cur non magis malogranata erumpi fecit, quæ coronis ſuis aptius eſſent principatus ſignum? Erant virgæ amygdalinæ, & maluit Deus ſe virgarum accommodare naturis; vt doceremus omnes non abuti naturis rerum, ſed potiùs earum ſequi ductum in muneribus committendis. Dicebat D. Cyrillus Alexan- Cyril. Alex.

drinus in cat. Græca: *Quod e virga erumperent amygdala, multò magis congruum fuit, quàm ſi nuces alias, aliosve fœtus virga tuliſſet. Erant enim omnes virgæ amygdalinæ, de more gentis, qui ex ea potiſſimum arbore ſcipionibus vtebantur.* Vt virga erat amygdalina, ſic Deus eius ſe accommodans naturæ, amygdala fecit ex illa naſci. Ne quis ad contraria ſtudia homines trahat, ſed eorum indolem ſequatur, ſi proſperè cupiat rem agi.

* * *

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Fœlix, cui cœleſtis ros ſuppetit, quo carnis ardores temperentur.

INungendus mittitur Salomon ad fontem Gihon, ait enim Dauid: *Ducite eum in Gihon, &c. & adduxerunt eum in Gihon.* Et vtinam ſemper fontem præ manibus haberet; oſtendebatur enim inde illi in quo firmam, & ſecuram fœlicitatem poſſet adipiſci; ſi nimirum non abeſſet à diuinis fluentis, quibus incendia carnis extingueret. Exod. Exod. 14. 14 dicebat de Iſraelitis: *Filij autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro à dextris, & à ſiniſtris.* Et quando poterant duci Iſraelitæ per terram, ſemper miratus ſum, quòd voluerit Deus illos deducere per medium ſicci maris, inter aquarum muros. In terra poſſet perdere Ægyptios perſequentes, in terra poſſet ſaluos facere Iſraelitas, nihilque in mari factum eſt, quod & in terra circa liberationem gentis facere Deus non potuiſſet. Cur ergo magis Deo placuit illos inter decurſus aquarum ducere? Crediderim in eo oſtendi fœlicitatem hominis viatoris, qui eam arripit ad virtutem viam, cui ſemper aquæ ſuppetant, quibus extinguatur carnalium Ambroſ. cupiditatum ignis. Ex quo monebat D. Ambroſ. in Exhortat. ad Virgin. dicens: *Dextera, læuaque circa vos aquæ murus ſit: vt vapor omnis corporis temperetur, donec ad illos intelligibiles duodecim fontes, & ſeptuaginta arbores palmarum diuina vos dignatio perducat.* Ecce ibi monemur, vt viam illam arripiamus ſalutis, cui à dextris, læuiſque aquæ ſuppetant, quæ ignitum carnis vaporem temperent, aut extinguant. Hanc viam demõſtrauit nobis Ieſus ſecuriſſimam, de quo Pſal.1. dicit Pſalm. 1. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum quod fructum ſuum dabit tempore ſuo.* Tota equidem fœlicitas hominis in eo eſt, quòd aſſimiletur viridi ligno Ieſu, in eo, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Sed Ieſus iuxta quos decurſus aquarum plantatus eſt? Planè vt Ieſus carnem ſumeret in viſceribus Mariæ; ea ibi fluenta diuini Spiritus apparuerunt, quæ omnes carnales illecebras eliminarunt, imò Remigius. & extinxerunt peccati fomitem ipſum. Ait Diu. Remig. ibi: *Conceptus eſt Ieſus in Beata Maria, non ſecundum carnalem concupiſcentiam, ſed ſecus decurſus aquarum, ſecundum abundantiam donorum Spiritus ſancti. Spiritus ſanctus veniens in B. Mariam ab omni æſtu illicitarum concupiſcentiarum illam protexit, & totum eius amorem in Deum direxit.* Sic Ieſus viuificum lignum plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, ſecus ea diuini Spiritus fluenta, quæ ignita concupiſcentiæ iacula extinguerent. Iuxta quæ ſi tu plantaueris, & dirigas viam, & beatus eris, & fructibus impleberis ſalutis.

§. XXIX.

Ille ſingulariter ſedem Deo præbet, qui caſtitatis puritate præfulget.

SEd & illud notandum, quòd in ſignum accepti regni ponitur Salomon in Dauidis mula; ait enim textus: *Imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, &c.* Erat enim Regi aſſignata quædam ſingularis præſtantia illuſtris mula, in qua ſolus Rex equitaret, præcipuéque in ſe regiã ſusceptam maieſtatem exprimeret. Quod etiam ſeruatur in ſpirituali regno virtutum; illæ enim mentes præcipuè, & particulari proprietate Deo ſedem præbent, quæ caſti-Cant.1. tatis puritate præfulgent. Dicebat Dominus Cant. 1. *Equitatui meo, &c. aſſimilaui te amica mea. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Septuaginta legunt: *Equæ meæ aſſimilaui te.* Nyſſenus autem, *Equis meis.* Et mirabar, quòd maximus Regum Deus equum aliquem habeat ſuum, ſibique præcipuè ap-Pſalm.31. propriatum. Dicebat namque Pſal 31. *Nolite fieri ſicut equus & mulus;* & de penè deploratis hominibus dicebat Hierem. cap. 5. *Equi Amatores, & emiſſarij facti ſunt, &c.* Quando ergo equorum ſimilitudo malè accipitur in ſacro textu; Cur Dominus inde extollit præſtãtiam ſponſæ ſuæ, quòd aſſimilata ſit equo? Vnde equus habere poteſt, quòd ſummi Regis ſponſam referat, & vni Deo approprietur? Id inſinuant illa adiuncta verba, nimirum: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis;* tota equi malitia abſconditur, vbi in maxillis eius turturis caſtitas apparet. Hac turturis virtute compoſitus, & quaſi infrænatus equus, meritò vni appropriatur Deo, & illam mentem refert, quæ ſingulari iure Deo in ſe præbet ſedem. Ad hæc dicebat Nyſſenus Nyſſen. homil 3. in Cantic. *Fortaſſe male habent iuſti ſe equo eſſe aſſimilatos, propterea quòd multi Prophetæ nobis prohibent, ne aſſimilemur equis, &c. Et ideo, quod ſequitur, cum ſenſum mitigat, dicens: Non ſunt maxillæ tuæ eiuſmodi, vt ſicut equus chamo, & fræno opus habeas, vt conſtringaris: ſed per puritatem turturis tibi ornatur gena. Dicit enim: Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis. De hac aut teſtantur, quòd ſi ſeparata fuerit à coniugio, manet deinceps ſolitaria, adeò vt in ea naturaliter exerceatur temperantia. Propterea laudum ſignificatione comprehenſa eſt hæc auis, quòd pro fræno fuerit diuini equi, maxillæ turturis aſſimilatio.* Expende hæc vltima, *pro fræno fuerit diuini equi maxillæ turturis aſſimilatio;* quippe inde equus diuinitati portandæ aſſignatus ex turturis agnoſcitur puritate, quòd turturis caſtitate pro fræno, & ornatu vtatur. In quo enim caſtitatis puritas eſt, ibi adeò peculiaris Dei ſedes inuenitur, vt ſingulariſſimè debeat inde præſentia Dei deſignari. Dicebat Iſaias cap. 7. *Ecce* Iſai.7. *Virgo concipiet, & pariet filium, &c.* vt filij Dei in virgineis viſceribus conceptionem monſtraret. Et cur neceſſum fuit, vt in primis virginalis puritas matris oſtenderetur ad conceptionem Verbi diuini perſuadẽdam? Ait ex D. Nyſſeno Author cat. Græcæ ad cap. 2. D. Lucæ num. 17. *Hanc* Chryſoſt. *ob cauſam exiſtimo etiam fontem ipſum incorruptionis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, nullâ nuptiarum quæſita via, in hunc mundum ingreſſum, vt ex modo incarnationis magnum hoc myſterium pateſieret: quoniam Dei præſentiam ingreſſumque ſola puritas excipere ſufficiens eſt, quam aliter omnino perfectè præſtare nemo poteſt, niſi qui ab omnibus ſe carnis affectionibus alienet.* Expende illud, *Dei præſentiam ingreſſumque ſola puritas excipere ſufficiens eſt,* quippe hanc ſibi præcipuè Deus aſſignauit ſedem, quæ caſtitatis puritate præfulgeat. & pergit Author: *Quod enim in inuiolata Maria contigit corporaliter, plenitudine diuinitatis in Chriſto per virginem elucente, hoc ipſum etiam in omni anima virginitatem ſeruante contingit.* Quod in Maria contigit, vt virginitatis amore in ea ſedem fixerit ſibi corporaliter Deus; ſimiliter accidit nunc ſpiritualiter in omni anima, quæ virginitatis candore ſplendeat. Ea enim ſingulariter in ſe oſtendit habitare Deum. Quò ſpectans dicebat Paul. 1. ad Theſſalonicen. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra;* vbi 1.Theſſ.4. nomine *ſanctificationis* intelligit caſtitatem, vt malunt D. Chryſoſtomus, Hieronym. Tertull. Caſſian. relati à noſtro Iuſtiniano ibi. Sed cur caſtitas à Paulo vocatur ſanctitas? An quia, qui in caſtitate eſt, pertinaciori ſanctitatis hoſte deuicto, facilior redditur ad habendam ſanctitatem, quã Deus inhabitat? Ab hac ſententia ſtat Author. cat. Græc. in D. Luc. vbi ſuprà ſatus: *Incorrupta vtique eſt virgo illa, ſancta, & labe carens propter virginitatem deificantem, quo modo quadam puriſſimo eum eius myſteriorum conſortes gloriæ, ſoli puriſſimoque Deo verè propriè conſortes facit per puritatem, incorruptionémque illi coniunctos. Nam virginitas ſimul cum incorrupto Patre mente comprehenditur.* Expende illa, *virginitatem deificantem, quæ ſoli Deo verè propriè conſortes facit;* quippe vt virginitas vincit ſæuiorem, & pertinaciorem ſanctitatis hoſtem, inde eſt, quòd puri, virgineique animi faciliores inueniantur, vt Deum excipiant. Nec immeritò dico caſtitatem de truculentiori hoſte triumphare; ex eo enim dicit Hilde- Hildebert. bertus Epiſc. Cenoman. epiſt. 57. *De omni hoſte ſimul triumphat, qui datur de carne, & fœmina triumphare.* Quid moralius?

3. *Reg.* 1. Audiuit autem Adonias, & omnes, qui inuitati fuerant ab eo, iamque conuiuium finitum erat; ſed & Ioab audita voce tubæ ait: Quid ſibi vult clamor ciuitatis tumultuantis? Adhuc eo loquente, Ionathas filius Abiathar Sacerdotis venit; cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, & bona nuntians. Reſpondítque Ionathas Adoniæ: Nequaquam: Dominus namque noſter Dauid Regem conſtituit Salomonem, *&c.*

§. XXX.

Felix, cui ſtricta iuſtitia Dei tuba non in medio fœlicitatis temporalis, ſed in fine intonat.

REgni Salomonici tuba audiri cœpit ab Adonia, & ſocijs poſt finitum ſuæ temerariæ præſumptionis conuiuium, ſic enim ait: *Audiuit autem Adonias, & omnes qui inuitati fuerant ab eo; iamque conuiuium finitum erat: ſed & Ioab audita voce tubæ*, &c. Ecce tibi a regni præſumptoribus auditur legitimi Regis tuba; *cùm iam conuiuium finitum erat*. Non ſic euenit antiquis illis Iſraelitis, qui carnes in

Pſal.77. deſerto appetierant, ſed de illis Pſalm.77. *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper illos. Et occidit pingues eorum, & electos Iſrael impediuit.* Illos finito prandio terrefecit clangor tubarum: hos adhuc comedentes, & bibentes inuaſit Dei ira. Et cur hos inuaſit Deus adhuc comedentes; illos autem poſt prandium ferit clangor tubæ? Inuenio diſcriminis cauſam in verbis illis, *Electos Iſrael impediuit*; vbi effugium omne impedire, & occludere volebat, comedentes inuadit, præſentes enim dapes ſic homines impediebant vt maximè curarent effugere ab imminente excidio. Quibus autem dabatur locus fugæ expeditus, hi terrebantur poſt prandium finitum. Ecce tibi non minima pars humanæ fœlicitatis; nimirum quòd non in medio, nec in principio gaudiorum temporalium clangor diuinæ iræ intonet, ſed in fine. Quæ ſeueritatis diuinæ vox ſonet, poſtquam te deſeruerunt humanæ deliciæ, ô quam te expeditum inueniet, vt effugias periculum. Si autem dum immerſus cupedijs es, fartiſque menſis incubas, totus Dei furor pro foribus perſtrepat, mirum erit, quòd poſſis

Matth.24. effugere. Dicebat Dominus Matth. 24. *Sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vſque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium*, &c. Clamabat Noe diluuium iam iam pro foribus oſtendebat, & non cognouerunt, nec crediderunt, nec vllam diligentiam fecerunt, qua à tanto liberarentur excidio. Et cur adeò cæci & ſurdi permanebant in re tanti diſcriminis? Ait textus: *Erant comedentes, & bibentes, & nubentes*; dumque præ manibus haberent cupiditatum fructus, nihili æſtima-

Chryſoſt. bant venturam iram. Ait D.Chryſoſtom.homil.2.in epiſt. ad Coloſſenſes: *Vnde erat illorum incredulitas? Ex animo delicato, & molli. Bibebant, & comedebant, & propterea non credebant*. Quis credet malum eſſe in ea re, de qua actualiter accipit potum, & cibum? Equidem dum de re temporalia gaudia actualiter implent, & ſimul tenent, ne pœnas inde ortas effugias. Quò ſpectans Paulus 1. ad

1.Theſſ.5. Theſſalonicenſ.5. ait: *cùm dixerint: Pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habenti, & non effugient*. Et cur non effugient? Quia malum venit, non poſt pacem, & felicitatem, ſed cùm adhuc pax, & fœlicitas ſit in ore eorum clamantium: Pax, pax. Sic

Chryſoſt. Chryſoſtomus homil.45. in Ioannem, ait: *In medio felicitatis ſuperueniet. Ideo Paulus inquit: Cùm dicent pacem, & ſecuritatem, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, & non effugient*. Expende illud, *in medio felicitatis*; inde non habes effugium à Dei ira, quia venit, quando es in medio fœlicitatis temporariæ, non in fine. Temporalia enim bona dum te implent, & ſingulariter impediunt, ne effugias ſalutis præſentiſſima diſcrimina.

§. XXXI.

Honor exhibitus maioribus fratribus ex ſe laudabilis.

IMpiorum conuiuia frequentiſſimè turbari ſolent à diuina ira, vt paſſim potes videre in ſacra Scriptura. Conuiuium autem Adoniæ nullo timore interrumpitur, ſed narrat diuinus textus timoris cauſas ortas ex Salomonis regno, ſapienter notat; peractum iam fuiſſe Adoniæ conuiuium. Dicit enim: *Iam conuiuium finitum erat*, &c. Et cur diuinus ſcriptor ſic curat oſtendere conuiuium hoc nullo malo interruptum, ſed potiùs ante omnia mala, malorumve rumores quietè, & pacificè celebratum fuiſſe? Erant in conuiuio filij Regis fratres minores Adoniæ; iuxta illud ſæpe in hoc capite repetitum, *vocauit vniuerſos filios Regis*, &c. quòd autem minores fratres morem gererent maiori, illiúſque menſæ accumberent, & in omnibus deferrent primas, hoc laudabile erat, & ex eo capite meritò videbatur Deo placidiſſimum. Iobi cap 1.di- *Iob 1.* cebat textus; *Cùm quadam die filij, & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris ſui primogeniti*, &c. Ecce tibi ante Iobi calamitates narrandas hoc præmiſit diuinus ſcriptor, nimirum quòd vniuerſi filij eius comedebant in domo fratris ſui maioris. Et cur hoc præmiſit? An vt oſtenderet calamitatum cauſas ex filiorum comeſſationibus ortas? Abſit; ſed vt oſtenderet, quàm ſine cauſa culpabili venerint omnia illa mala; quando & Iob ſanctus erat, & filij eius ſic in viis Dei ambularent, vt omnes minores fratres maiorem, & primogenitum, eius menſæ accumbentes, honorarent. Dicebat Origen, lib.1.in Iob:

De iſtis ergo filiis Iob dicit: Et filij Iob, & filiæ manducabant, & Orig. *bibebant in domo fratris ſui maioris. Et in hoc, quod maiori primatus honor ab omnibus tribuebatur: in hoc ipſo etiam ſicut in omnibus circa Dei ordinationem ambulare properauerunt. Dei enim ordinatio, atque iuſtitia eſt, vt maiori primatus honor ab omnibus exhibeatur*. Hæc eſt regularis Dei ordinatio, in qua quiſque laudabiliter ambulat dum non illi manifeſtè patet Dei placitum in contrarium.

§. XXXII.

Calamitas mediis gaudiis immiſſa acerbior eſt.

PEractum erat Adoniæ conuiuium cùm eius res cœperunt inclinari; vt dicat textus: *Iam conuiuium finitum erat*. Longè aliter accidit Baltaſſari, de quo ait Daniel.c.5.

Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos, &c. *In eadem hora* *Daniel.5.* *apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regis, & rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt*, &c. Expende illa, *in eadem hora*, &c. quippe in eadem conuiuij hora, cùm comederet, & biberet Rex, illum terror inuaſit. Et cur Adoniæ poſt finitum iam prandium, Baltaſſari autem in eadem hora prandij terror immiſſus eſt? Adonias non adeò peccabat, regnum ſibi præripiens, vt qui primogenitus tunc temporis eſſet, & maior omnibus filiis Regis, Baltaſſar autem grauiſſimum peragebat ſcelus circa vaſa Dei: & ideo debuit illi inferri calamitas, cùm comederet, medio ipſo conuiuio, quo tempore acerbior exiſtit quælibet plaga. Dicebat Iob cap. 1. *Cùm autem quadam die filij,* *Iob 1.* *& filiæ comederent, & biberent vinum in domo fratris ſui primogeniti, nuntius venit ad Iob, qui diceret: boues arabant, & aſinæ paſcebant iuxta illos, & irruerunt Sabæi*, &c. Tunc calamitas cœpit nuntiari Iob, cùm filij eius comederent; ex quo ſapienter colligit Origenes & ipſum Iob domi ſuæ prandiſſe. Non enim prandebant filij, niſi cùm hora prandij omnibus communis eſſet. Et cur malus horam prandij ſpectauit, vt Iobum calamitates ſuas doceret; niſi vt inde magis exacerbaret eius pœnam? Ait Origen. lib.1. in Orig. Iob: *Sic itaque hora prandij manducantibus illis, ac bibentibus, Iob ſanè in domo ſua, filij autem eius in domo fratris, venit nuntius ad Iob. Erat namque nequiſſimi diaboli verſutia, vt horam prandij obſeruaret: vt prandente illo triſtes, ac mortiferos nuntios ad eum mitteret, quo magis fatigaret, & eum interficeret, vt tempore comeſſionis, ac potus, atque iucunditatis, triſtes nuntios mittendo deficere illum ſubitum faceret*. Nunquam enim non acerbiſſima eſt plaga inter gaudia illata.

§. XXXIII.

Naturæ cognatio efficaciſſima eſt, vt trahat ſiue ad bonum, ſiue ad malum.

POſt Salomonis vnctionem, venit Ionathas ad locum in quo factio erat Adoniæ. Sic enim dicit textus: *Adhuc eo loquente Ionathas filius Abiathar Sacerdotis venit; cui dixit Adonias: Ingredere*, &c. Viderat Ionathas Salomonem exaltatum in regno, viderat eius vnctionem factam à Sadochu,

dochio,viderat totius populi acclamationem ; & nihilominus venit ad Adoniæ partem. Non viderant cæteri,ſed ſolùm ea audierant,& ſtatim Adoniam deſeruere fugientes. Dicit enim textus : *Territi ſunt ergo , & ſurrexerunt omnes,qui inuitati fuerant ab Adonia , & iuit vnuſquiſque in viam ſuam.* Ecce tibi vt omnes , etiam viri validiſſimi , auditis Ionathæ verbis, deſeruerunt Adoniam,& fugerunt. Ionathas autem ,qui omnia viderat , non ſe ſtatim ab Adonia alienat,ſed magis ad illum venit.Et quando omnes ex ſola ſama Salomonici regni, deſerunt Adoniam , & ab illo fugiunt ;cur Ionathas , qui omnia viderat , non magis ſe ab Adonia alienat , quin potiùs ad illum venit ? Cauſam indigitat textus illis verbis, *Ionathas filius Abiathar Sacerdotis venit.* Erat Ionathas filius Abiathar Sacerdotis , qui adhuc cum Adonia erat ; ideo non poterat non venire ad partem,in qua nouerat adhuc patrem ſuum eſſe. efficaciſſima enim eſt naturæ cognatio ad trahendum. Dicebat Lucas cap.3. *Factum eſt cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato , & orante , apertum eſt cælum , & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum.* Nunc primum Spiritus ſanctus deſcendiſſe cernitur,& in Ieſum deſcendit. Et cur , qui ante lucem inhabitabat inaceſſibilem , modò in mundum viſibiliter deſcendit ? Quis potens fuit tantum Deum trahere? Erat in Ieſu cognata eius natura diuina, & filius Dei, à quo originem Spiritus ſanctus trahebat. Ex quo autem cum homine erat cognata ſibi natura , iam diuinus Spiritus ad homines euolat. Vt meritò dicat Origen.homil.1 in Ezech. *Clauſi erant cæli,& ad aduentum Chriſti aperti ſunt , vt reſeratis illis veniret ſuper eum Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ. Neque enim poterat ad nos commeare , niſi primum ad ſuæ naturæ conſortem deſcendiſſet.* Non equidem ad nos veniret Spiritus ſanctus , niſi apud nos ſuæ naturæ conſortem , ſuumque originem vidiſſet. Vbi autem apparuit in homine Ieſu Dei filius,à quo procedebat diuinus Spiritus , ſtatim hic euolauit ad conſortem naturæ. Nunquam enim non euolatur ad cognatam naturam,eiúſque moribus adiungimur.De Moyſe ait Paulus ad Hebræos 11. *Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis,magis eligens affligi cum populo Dei.* Nota eſt hiſtoria ex Exodo ; vbi Moyſes adoptatus filius Reginæ Ægypti viuebat inter Ægyptiorum delitias. Quadam autem die videns Hebræum hominem iniuſtè affligi,ad eum liberandum conuolauit.Et cur non magis diſſimulat?Cur non magis morem gerit Ægyptiis,quorum Princeps erat? Habebat apud Hebræos veros parẽtes ſuos, nec potuit illis non accurrere. Ait Imperfect. homilia 25. in Matth. *Perdidit beneficium ſuum Ægyptius non potuit bene nutriendo facere ſuum Moyſem , qui melius naſcendo fuerat alienus.* Nullis teneri potuit lucris apud Ægyptios , vbi ad natales proprios erat recurrendum. Nunquam enim non cognatio naturæ ſuas vires non exerit. Iob 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob,& erat vir ille ſimplex,& rectus.* Vt nouum,& inuſitatum refert textus , quòd vir bonus eſſet in terra Hus, in qua Huſitæ , ſiue Idumæi vniuerſi in malum conſentiebant. Et vnde tantus Idumæorum in malum conſenſus? Erat eorum pater Eſaü , qui pro prandio primogenium vendiderat,& à parte ſteterat iniuſtitiæ , & inde Idumæi manibus,pedibúſque in ſententiam patris ibant. Ait Chryſoſtomus homil.1.in Iob ; *Omnes iniqui erant,omnes Deo odibiles , omnes ſuperbi ad Eſau deſcendentes , peccatiſque non ſecus, quàm conuiuiis gaudentes.* Expende,*peccatiſque non ſecus, quàm conuiuiis gaudentes :* quippe Eſau ſcelera a prandio cœperunt, propter quod vendidit primogenium. Quem ſic in omni malitia ſequebantur filij , vt etiam in prandiis , & conuiuiis illum æmularentur. Matth.25. dicebat de Iuda, vt Ieſum meum venderet Sacerdotibus,qui *conſtituerunt illi triginta argenteos.* Et mirabar hominis impudentiam , qui auderet tantùm magiſtrum publicè vendere. Vnde miſer raptus es in tantùm nefas ? Cur non magis diſcrimen vereris ? Ait Rupertus lib.4.de glor.& honore Filij hum. circa finem : *Ab initio , quo patres tui , ò Iuda viginti argenteis, vendiderunt Ioſeph fratrem ſuum, vſque nunc auaritia morbo languidus inceſſiſti , & hucvſque proceſſiſti , vt in pretium ſanguinis triginta argẽteos acciperes.* Vt Iudæ maiores ſanguinis fraterni venditores extiterant ,ſic ille rapiebatur in maiorum ſuorum malitiam. Heu vis cognatæ naturæ , vt potens eſt trahere homines in ſententiam ſuam!

Luc. 3. Orig. Hebr.11. Imperfect. Iob 1. Chryſoſt. Rupert.

§. XXXIV.

Puſilli, & infirmi animi eſt triſtibus nuntiandis accurrere.

SApienter Adonias hoc felicis nuntij promebat ſignum, dicens ad Ionatham : *Ingredere,quia vir fortis es , & bona nuntians.* Meritò coniungit virum ſortem , & bonorum nuntium. Ad triſtia nuntianda currere , nunquam fortis vir,& magnanimus ſolet ; ſed puſilli,& infirmi animi vir, cuius cordi plus hærent triſtia , & infelicia. Raró , aut nunquam inuenies in ſacro textu malorum nuntium, qui præ ſe non ferat infirmitatis ſignum. Iob 1.dicebat tertius nuntius : *Chaldæi fecerunt tres turmas , & inuaſerunt camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percuſſerunt gladio,& ego fugi ſolus , vt nuntiarem tibi.* Sanè infirmior, & meticuloſior fugit ,& nuntiauit mala ; qui fortes , & ſtrenui erant obſtiterunt hoſtibus , & in bello ceciderunt percuſſi.Similiter 1.Regum 4. poſt Iſraelitarum cladem à Philiſthæis acceptam ait : *Currens autem vir de Benjamin ex acie , venit in Silo in die illa , ſciſſa veſte , & conſperſus puluere caput* , &c. *Et dixit ad Heli : Ego ſum , qui veni de prælio , & ego qui de acie fugi hodie* , &c. *Ruina magna facta eſt in populo : inſuper & duo filij tui mortui ſunt, Ophni, & Phinees, & arca Dei capta eſt.* Et quis eſt hic , qui cucurrit vt tam acerba, & triſtia nuntiaret ? An aliquis ſtrenuus dux ? An aliquis vir nominis ? Minimè ; ſed ipſe de ſe ait : *Ego ſum , qui veni de prælio , & ego qui de acie fugi* ; nihil de ſe ait,quod non meticuloſum, & infirmum homuncionem denunciet. Pulchrè enim ibi ait D.Gregor.PP. *Fugere metuentis eſt.* Qui ſtrenui erant,vel in acie pugnantes , occubuerant , vel ægre, & difficulter locum relinquebant pugnæ Meticuloſus , & infirmus homo & fugæ ſe dedit,& cucurrit multus in enuntiandis triſtibus.

Iob 1. 1.Reg.4. Gregor.PP.

3.*Regum* 1. Hæc eſt vox,quam audiſtis.Sed & Salomon ſedet ſuper ſolium regni. Et ingreſſi ſerui Regis benedixerunt domino noſtro Regi Dauid, dicentes : Amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen tuum , & magnificet thronum eius ſuper thronum tuum Et adorauit Rex in lectulo ſuo , inſuper & hæc locutus eſt : Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui dedit hodie ſedentem in ſolio meo, *&c.*

§. XXXV.

Crux Chriſti , & paſſio Reges facit.

VT Regem Salomonem faceret Dauid , inter alia præcepit,vt in ſolio ſuo ſederet , quod factum in teſtificationem Salomonici regni refert Ionathas Adoniæ , iis verbis : *Sed & Salomon ſedet ſuper ſolium regni.* Equidem poſt acclamationem , & vnctionem ſolium maximè Salomonem Regem oſtendebat. Quò cùm accedo , non poſſum non meminiſſe dominicæ crucis myſterium. Hæc enim eſt ſolùm,quòd maxime Ieſum oſtendit Regem. Dicebat Dominus Ioann.12. *Nunc iudicium eſt mundi. Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras, & ego cum exaltatus fuero*, &c. Nunc dicitur Rex diuinus ad iudicãdũ ſedere,nunc dicitur munus regale exercere in damnãdo Principe tenebrarũ. Sed ad quod tempus reſpicit illud *nunc* ? Continuò ſubdit ; *Ego cùm exaltatus fuero* , quaſi innuens tempus crucis eſſe illud,in quo è ſuo ſolio Ieſus regale munus exercebit damnando reos. Quò ſpectans Germanus Hieroſolym. orat.in Exaltat.crucis apud Gretheſerum tom 2. ait : *Nunc iudicium eſt mundi huius; iudicat verò vt Rex,in thronum regalẽ crucis conſcendens.* Expẽde illud, *iudicat verò vt Rex*;tunc enim maximè Ieſus meus Rex oſtẽditur, cũ ſoliũ crucis aſcẽdit. De crucis enim paſſioniſve dominicæ ſolio regnũ Chriſtianũ ſingulariter clareſcit. Matt.24.dicebat Dñs: *Vbicũq; fuerit*

Ioan. 12. Ger.Hieroſ. Matth.24.

corpus illic congregabuntur & aquilæ. Legunt alij, *vbicumque fuerit cadauer*, quaſi de Ieſu mortuo; & crucifixo intelligentes. Et cur diuitiſſimus hic crucifixus, & mortuos non alios alites, ſed aquilas ad ſe trahit? vt aquila regalis eſt, ſic de crucifixo Ieſu, & mortuo omnes Reges apparent. Vt dicat Origen. homil. 30. in Matth.

Orig.

Non dixit: Vbicumque fuerit cadauer, Congregabuntur vultures, aut corui; ſed volens oſtendere magnificos, & regales eſſe omnes, qui in paſſionem Domini crediderint, propriè dixit, congregabuntur & aquilæ. Circa alios mortuos vultures ſunt, & corui; verùm circa crucifixum Ieſum non vultures, nec corui, ſed aquilæ ſunt, numquam enim crux, & paſſio Chriſti ſuos alumnos non facit regales.

§. XXXVI.

Ab vtriuſ Ieſu nomine latiſſima venit poſteritatis amplificatio.

EA amplificatio ſperatur à nomine Salomonis, quæ ipſum nomen patris Dauidis vincat. Dicunt namque ſerui eius; *Amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen tuum*, &c. Quam amplificationem in nomine Salomonis optari potuit, ſed haberi non potuit, vt inde magis clareret gloria Dauidis, & Salomonis filij, de quo ait Paul. ad

Philip. 2.

Philip. 2. *Dedit illi Deus nomen ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur*, &c. Sic vnum Ieſu nomen ſuper omne nomen valet amplificari, adeò vt de tanti nominis virtute, vbicumque ſit, mira ſtatim cernatur amplificatio. Sola erat Maria, & per virginitatis votum, ſic ſe in ſua ſolitudine clauſerat, vt minimè de poſteritate amplianda cogitaret. Tunc ingreſſus ad eam Angelus,

Luc. 1.

Luc. 1. ait: *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Virgini dicitur, vt ampliandum erat genus eius per filium. Et vnde manente Mariæ virginitate poterat fieri illa generis, & poſteritatis dilatatio? Ait Angelus: *Vocabis nomen eius Ieſum*; vbi nomen Ieſu cœpit clarere, nulla non poſſibilis eſt amplificatio, & dilatatio. Ad hæc

Auguſt.

loquebatur D. Auguſtin. hom. 17. de temp. *O ſacrum myſterium in natiuitate Domini! Concepit Virgo antequam ſponſum haberet; & quod ad laudem nominis Domini pertinet, & mater, & virgo cœpit eſſe poſt partum.* Expende illa, *quod ad laudem pertinet nominis Domini*; diuino Ieſu nomini acceptum refert, quòd virgo manens dilatationem & propagationem ſimul matrum habeat. Et quidem hæc eſt efficacia, & poteſtas diuiniſſimi nominis, quæ ab amplificatione, & dilatatione commendatur. Apparuerunt hoc ſæculo duo ſacri Ordines, alter à ſancta Tharaſia de Ieſu amplificatus, illuſtratus; alter à parente meo ſancto Ignatio ſub nomine Societatis Ieſu erectus, & fundatus. Et quis dicat, quàm breui vterque Ordo dilatatus, amplificatúſque ſit longo filiorum examine? Planè tam perennis doctiſſimorum, ſanctiſſimorúmque virorum ſcaturigo, qua vterque ſanctiſſimus Ordo æternatur, non ad aliud, quàm ad laudem nominis Domini pertinet. Vt Tharaſia, & Ignatius ſub nomine Ieſu clarent, ſic in immenſum amplificatur. Quod meditatus ſtatim memini mulierum, quæ in Geneſi, & in Iſaia nuptiarum fructus optabant. Rachel Geneſ. 30. ſic ad maritum clamabat: *Da mihi filios, alioquin moriar.* De

Geneſ. 30.
Iſai. 4.

aliis dicit Iſaias cap. 4. *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos.* Omnes hæ feminæ de poſteritate ſua dilatanda cogitabant. pro qua Rachel magno fletu filios petebat. Septem autem illæ nullum verbum de filiis faciunt, imò aiunt, *tantummodo vocetur nomen tuum.* Et quando eodem deſiderio tenentur, quo Rachel, cur non pro filiis clamant? Cur contentæ ſunt, ſi hoc tantùm obtineant, quod viri illius nomen inuocetur ſuper illas? Quare erat illud nomen, quod ſolùm præ aliis deſiderabatur ab illis, quæ de poſteritate dilatanda cogitabant? Credo illis in mentem veniſſe nomen Ieſu, in quo ſolo deficientibus omnibus aliis, & viuere, & amplificari, & propagari ſperabant.

Interlin.

Ad hæc dicebat ibi Interlinealis; *Tantummodo inuocetur ſuper nos nomen tuum, vt omnes dicamur nomine tuo, id eſt, omnes vocemur Ieſus, vt omnia in omnibus nomen tuum fiat.* Nihil deficit illi: quem Ieſu nomen irradiat, à quo habet, quidquid vult, & habet viuere, ac propagari, & æternari.

3. Reg. 1.

Territi ſunt ergo, & ſurrexerunt omnes, qui fuerant cum Adonia, & iuit vnuſquiſque viam ſuam. Adonias autem timens Salomonem, ſurrexit, & abiit in tabernaculum Domini, tenuitque cornu altaris. Et nuntiauerunt Salomoni, dicentes: Ecce Adonias timens Regem Salomonem tenuit cornu altaris, dicens: Iuret mihi Rex Salomon hodie, quòd non interficiat ſeruum ſuum gladio. Dixítque Salomon: Si fuerit vir bonus, non cadet, *&c.*

§. XXXVII.

Si vel paruum Dei pro te habeas, ſuperas maximas mundi poteſtates.

NOn poſſum non mirari, quòd tantus terror Adoniæ aſſeclas inuaſerit, vt ſtatim vnuſquiſque fugerit. Ait enim textus: *Territi ſunt ergo, & ſurrexerunt omnes, qui erant cum Adonia, & iuit vnuſquiſque viam ſuam*, &c. Sanè à parte Adoniæ erant Abiathar, & Ioab cantatiſſimus militiæ Princeps, & omnes filij Regis, & Principes exercitus. De Salomone autem ſolùm dictum eſt, vt fuerit vnctus Rex iubente Dauid, nondum pro tutando ſcripti milites, nondum coactus exercitus, nulla militaris manus apparuit. Quid ergo tam citò potuit frangere Adoniam, & cantatiſſimum Ioabum, & Principes exercitus, vt fugerent? Non galea, non ſcutum, non lancea in Salomone apparet, ſed paruum tantùm olei, quo fuerat inunctus. Cur de parua olei vnctione tantus pauor in factionarios exiuit? Erat vnctio illa Salomonis legitima, & à Deo decreta, & inde valentior omnibus armis aduersùs rebelles vniuerſos. Nota eſt vnctio ipſius Dauidis, quæ facta fuit à Samuele; de qua ait textus 1. Regum 16. 1. Reg. 16.
Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit Dauid in medio fratrum eius, &c. Nihil aliud fecit Samuel, quàm inuertere cornu olei ſuper caput Dauidis, vt faceret eum Regem, & ſtatim abire. Et quis non videat illam inaugurationem Regis in ſola olei vnctione conſiſtentem? Erat Dauid paſtor inermis; habebat contra ſe potentiſſimum Regem Saülem multo cinctum exercitu, deinde vniuerſos Philiſthæos, à quibus debebat regnum eripere. Pro ſe autem quid habebat? Non arma, non militem, ſed parui olei vnctionem; quæ, prout à Deo erat, præ omnibus armis omnes detriumphare valebat. Rem miratus D. Chryſoſtom. in Pſalm. 50 ait: *Venit ergo Dauid de paſcuis,* Chryſoſt.
& vngitur vnctione Domini, oleo benedictionis, miniſterio quidem hominis, ſed Dei nutu, quod ſuperpoſuit capiti eius cornu chriſmatis omni diademate, & purpura potius, & perrexit habens regnum, non lorica indutus, non protectus clypeo, non telis munitus, ſed habens benedictionem Dei omnibus potentiorem. Ecce tibi, vt à paruo benedictionis diuinæ oleo redditur Dauid potentior omnibus. Quidquid enim Dei eſt, etſi paruum videatur, præ omnibus exercitibus & armis eſt ad proſternendos hoſtes. Dicebat Cant. 1. *Equitatui meo in cur-* Cant. 1.
ribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. Quòd ſi examines, quali equitatu vſus eſt Dominus in euertendis curribus, & exercitibus Pharaonis, vnam ſolam virgam inuenies, qua Moyſes mare ſcidit, vt tranſcat Iſrael, & qua iterum aquas reduxit, vt tota Pharaonis potentia ſubmergeretur. Et quid virga paruula ad equitatum, ad equeſtrem exercitum? Equidem virga illa vt Dei erat, & in Dei virtute operabatur, licèt paruula eſſet, tamen equeſtribus exercitibus valentior erat ad euertendos contrarios exercitus. Ait Rupertus ibi: *Hoc eſt, quod te nolo ignorare, ait Dominus.* Rupert.
Magnum & mirum ſpectaculum reſpiciens, inde currus Pharaonis, hinc equitatum meum. Currus Pharaonis valde multi ferro armati, pleríque etiam auro, & argento inſigniti fuerunt: equitatus autem meus virga vna fuit, virga Moyſi, & Aaron, &c. *Rectè ergo virga talis dicitur equitatus Domini, quæ contra tot currus, & equites Pharaonis ſola ſuffecit, & victoriam peregit.* Non ſpectes paruitatem, & fragilitatem virgæ, ſed

ſpecta,

ſpecta, quòd erat virgo Dei; & vel virgula habens Deum pro ſe, equeſtribus exercitibus par eſt ad hoſtes proſternendos. Quò adduco victoriam Stiliconis in campis Pollentinis de Gottis partam virtute crucis dominicæ. De qua ait Prudentius lib. 2. contra Symmachum:

Prudent. *——— ſecinere tubæ, prima haſta Draconis*
Præcurrit, quæ Chriſti apicem ſublimior effert.
Illic ter denis gens exitiabilis annis
Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famoſis olim ditata rapinis
In cumulos congeſta iacent, &c.

Sic vt haſta ſublimior Chriſti apicem extulit, cohortes inimicæ, quaſi ad validiſſimi exercitus impetum ceciderunt.

§. XXXVIII.

Quod mendaciter tibi à creaturis promittis, id veraciter in vno Deo inuenies.

DEſertus à ſuis Adonias, ad tabernaculum Dei confugit, ſic enim habes: *Adonias autem timens Salomonem, ſurrexit, & abiit in tabernaculum Domini*, &c. Supra dicebat textus de illo: *Sermo ei cum Ioab*, &c. De Ioabi potentia ſperabat regnum, & de patris ſui diſſimulatione: & de ingentis multitudinis voce, quæ clamarat, Viuat Rex Adonias. Modò ſolus ab omnibus deſtitutus ad Deum in tabernaculis eius confugit; & meritò, ſolus enim Deus in veritate tribuit; quod alij mendaciter pro-
Geneſ. 3. mittunt. Quis neſciat altos Adami ſpiritus, cùm audit Geneſ. 3. *Eritis ſicut dij?* Et dum hac promiſſione ineſcatus diuinitatem procurat, inuentus eſt & miſerabilis, & ſolus & nudus. Feſtinauit miſer non ad Deum, ſed ad
Ioan. 1. latebras; Deus autem venit ad illum, vt ſibi Adamum adiungeret, vbi dixit Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*. Cur Domine ſic tibi hominem adiungis? Ad quid tanta propinquitas hominis & Dei? Benè homo Deo iungitur, vt in quo ſolo veraciter haberet, quod ſibi de aliis fallaci-
Andr. Hier. ter præſumpſerat. Vt dicat Andreas Hieroſol. homil. in Annunt. *Decebat quippe eum, à quo facta ſunt omnia, veteris noſtræ noxæ condemnationem mutare, propriáque ſua gloria glorioſam reddere corruptam in Adamo naturam, nec non veritate contundere fallax illud fallacis patris conſilium, cuius opus fuit prima transgreſſio*. Expende illud, *veritate contundere fallax illud fallacis patris conſilium*; conſilium enim illud habitum cum ſerpente ab Adamo de acquirenda ſibi diuinitate, de inuadenda ſede imperij diuini, totum fuit fallax, & mendax, mentitus fuit ſerpens, dicens: *Eritis ſicut dij*; mentita fuit Adami ambitio ſibi, dum inde ad diuinitatem habendam tenderet. Quid tunc? Decuit hominem non ampliùs ſermocinari cum ſerpente, nec cum vxore, ſed Deo vniri, in quo ſolo falſa illa conſilia contuſa ſunt veritate ipſa. Habuit enim ex Deo in veritate homo, quod de aliis fallaciter ſibi præſumpſerat. Vtinam Adonias, vtinam vniuerſi nos ſincerè ad Deum confugiamus, illique toto corde inhæreamus, non dubitem inde fallaciſſimas præſumptiones à creaturis conſotas in veritatem itu-
Ioa. 19. ras. Quid fallacius, quàm regnum illud à Pilati miniſtris datum Ieſu? De illo ait Ioan. capit. 19. *Et milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum*. Ecce tibi & corona, & purpura, & Regis acclamatio ibi mendaciſſimè, & falſiſſimo corde attribuebatur Ieſu; & quid inde? Hæc ipſa falſiſſima Regni ſigna Deo adiuncta in veri, & æterni regni for-
Iſid. Peluſ. mam commutata ſunt. Vt dicat diuus Iſidorus Peluſ. libr. 1. epiſtol. 251. *Ludibrij veſtis de terreno imperio tanquam de re ludicra triumphauit. Verùm domino impoſito robur, ac vires contraxit, atque ad imperium à corruptione liberum progreſſa eſt*. Quid pulchrius? Falſiſſima illa purpura, in qua terrenorum regnorum fallaciæ vincebantur, Deo adiuncta eas vires accepit, quibus ad verum & ſolidum regnum transferebatur. Felices nos ſi Deo iungamur, certum eſt, quòd fallaciſſimæ capiti noſtri præſumptiones, in ſolidam tranſibunt veritatem.

* * *

§. XXXIX.

Semel fallaci, & duro tibi ne te committas, vbi quòd non credamus nos mundo, nec vitiis.

MEtuens à Salomone Adonias ad tabernaculum Dei confugit, ait namque: *Adonias autem timens Salomonem ſurrexit, & abiit in tabernaculum Domini*, &c. Cur non priùs ad patrem Dauidem confugit, vt vel patris nomine acquireret ſibi patrocinium? De Iacob filiis dicit Geneſ. cap. 50. *Timentes fratres Ioſeph, & mutuo colloquentes: ne* Geneſ. 50. *fortè memor ſit iniuriæ, quam paſſus eſt, & reddat nobis omne malum, quod fecimus, mandauerunt ei, dicentes: Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro; vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum*, &c. Et quidem atrociùs iſti peccarunt in Ioſeph, quàm Adonias in Salomonem; & tamen vt ſe protegerent ab offenſo fratre, ad patris confugiunt nomen. Cur ſimiliter Adonias non de parentis patrocinio diſponit ſuam defenſionem? Promiſerat ſibi antea Adonias regnum de parentis gratia, & de parentis permiſſione, qua permiſſus fuerat regie ſe gerere in curribus, & comitatu ſubditorum. In quibus vt ſe falli nouit tranſlato regno à patre in Salomonem; non ampliùs fidit patri, cuius fiduciam ſibi adeò fallacem nouerat. Heu filij huius mundi, & quando vos non credetis parenti, quem toties fallacem noſtis? Quando non credes voluptati, à qua ſemel, & ter ſpoliari, & miſere percuti expertus es, A Iacobo Patriarcha petebat filius Rubeo, vt ſibi crederet Benjami- Gen. 42. num in Ægyptum deducendum. Ait Geneſ. 42. *Cui reſpondit Ruben: Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, & ego eum tibi reſtituam. At ille Non deſcendet*, inquit, *filius meus vobiſcum*. Sic bonus pater Rubeno primogenito filio negabat Benjaminum ducendum, quem immediatè conceſſit Iudæ. Et cur illud etiam Rubeno non conceſſit? Expertus iam ſemel fuerat Rubenum infidum, vt qui parentis cubile macularat, & am- Theodor. pliùs illi non fidit. Ait Theodor. quæſt. 103. *Quare pater noluit committere Benjamin ipſi Ruben? ſuſpectus illi erat propter illegitimum congreſſum, & petulantiam in cubile patris commiſſam*. Sapientum quippe eſt, & ſemel infido, & fallaci inuento cauere ſibi. Vt mirer homines, qui toties temporalia bona infida inueniunt, adhuc hærere illis. Poſt peccatum hominis Geneſ. 3. *Dominus eiecit Adam, & col-* Geneſ. 3. *locauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ*. Et cur tanta cuſtodia? Tantus gladius? Tot ignes pro arcendo homine? Vel verbo ſolo imperat ventis, & mari, & non tranſgrediuntur fines ſuos, cur aduersùs hominem tot ſe armis munit? Ait D. Chryſoſtomus ibi: *Quoniam tam* Chryſoſt. *negligens iam fuerat in mandato tradito, hinc factum eſt, vt tanta diligentia ingreſſus muniretur, & præcluderetur*. Semel oouerat hominis audaciam in contemnendo Deo, & vindemiando paradiſo; & ideo tot gladiis, tot ignibus munit ingreſſum illius. Huc conueniant homines, & cùm videant ſe toties ſpoliatos, & vulneratos à vitiis, in vltimáſque miſerias reductos, & ferro, & igne ſe muniant aduersùs illa. Ieſus meus vbi inuenit ouem perditam Luc. 15. *Imponit in humeros ſuos gaudens*. Cur in humeris Luc. 15. portat ouem? Cur non magis curat vt ipſa inambulet pedibus ſuis? Ait cat. Græc. in D. Lucam: *Neque tam amplius,* Cat. Græc. *propriis ſuis, quibus ſemel errauit, pedibus mouetur, ſed ab ipſa natura diuina geſtatur*. Ecce tibi vt non amplius fidit pedibus, quibus ſemel errauit.

§. XL.

Quæ Deo credimus, iam certiſſimè tenemus.

NOn quamcumque pacem, ſed pacem iuratam petit Adonias ex Salomone, dicens: *Iuret mihi Rex Salomon hodie, quòd non interficiat ſeruum ſuum gladio*. Non contentus eſt ſimplici Regis promiſſione, niſi & huic iuramentum addatur, & meritò, quia in ſimplici promiſſione authoritas Regis humana ſola intercedit, in iuramento autem Dei authoritas additur. Et ſapienter non homini, ſed Deo ſe credit, ſciens, quòd Deo credita, certiſſimè

tiſſimè ſtatim teneri incipiunt. Quò ſpectans Paulus ad
Rom. 8. Rom. 8. inquit: *Ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus.* Se gementem adhuc oſtendit, & iam ſe à lachrymis ſaluum profitetur. Non enim ait: Salui facti erimus, ſed *ſalui facti ſumus.* Et ſi adhuc in gemitu es, vnde ſaluus es? Spe ſaluus factus eſt; ex quo enim ſpem in Deo poſuit, illique ſe credit, iam certiſſimè putat ſe tenere ſalutem.
Hierooym. Ait D. Hieronymus epiſtol. ad Virginem miſſam in exilium: *Tantam in nobis fidei ſtabilitatem Dominus eſſe deſiderat, vt certius eſſe, quod credimus, quàm quod patimur, inducamus; & verius habeamus ſperanda, quàm ſenſibilia; & præſentes anguſtias non ſentiamus, dum in futuram ſpem tota animi intentione protendimur*, &c. *Certa ſpes rem vincit inſtantem, vt illud quodammodo eſſe incipiat, quod futurum eſt, & deſinat eſſe, quod præſens eſt.* Quid pulchrius? Sit tua ſpes in Deo poſita, te vni Deo committe; & ex tunc mala præſentia euaneſcunt, & bona futura iam cenſentur eſſe in tua poteſtate. Nihil enim certius habes, quàm quod Deo cre-
Ioan. 16. dis. Pro quo monebat Dominus Ioan. 16. *Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis.* Circa quæ ait D. Hieronymus vbi ſuprà; *In me, inquit Dominus, pacem habeatis, hoc eſt dicere: Firmius vobis ſit, quod in me eſt, qui ſemper ſum, quàm quòd in temporali geritur mundo. Quia mundus tranſibit, & malitia, quæcumque agitur in ipſo, finietur. Pax verò mea, nulla vnquam defectione temporis ſoluetur.* Expende illa, *firmius vobis ſit, quod in me eſt*, &c. quippe quod Deo innititur, illud ſolùm habet veram ſecuritatem, & firmitudinem.

§. XLI.

Remiſſio ſceleris paruum eſt beneficium, vbi mens peccatoris non ſanatur.

QVid quòd Adonias veniam impetret à Salomone? Pepercit equidem illi, dicens: *Si fuerit vir bonus non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram.* Et ſtatim ait: *Vade in domum tuam.* Sed quantulum hoc fuit beneficium Adoniæ, dum ab eius animo non ablata fuit ambitionis radix? Equidem non poſt multos annos dum in eo recruduit ambitio, irremiſſibiliter ad mortem fuit raptus. Paruum, mihi crede, beneficium præſtas peccatori, cui cùm parcis, eius non ſanas mentem. Dicebat Pſalm. 31.
Pſalm. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Duo requirit in peccatoribus ad eorum plenam fœlicitatem, alterum quòd eorum iniquitates condonentur, alterum quòd tegantur. Sed poſt remiſſionem, quid importat tectio illa? Crediderim illis verbis aliquid de Medicorum conſuetudine importari, quid ſaluiferis emplaſtris vulnera percuſſi tegunt, vt recipiant ſanitatem. Sic Pſaltes non contentus remiſſione extrinſeca peccatorum, ad plenam felicitatem adhuc requirit aliquid animæ impreſſum, quod eius affectiones componat, & vul-
Zeno. nera ſanet. Vemeruò dicat D. Zeno lib. 3. ſerm. 25. *Pretioſa eſt indulgentia, quæ & veniam præſtat, & medicinam. Cæterùm qui parcit venefico, homicidæ, adultero, inceſtuoſo, ſacrilego, niſi eius curauerit mentem, non video, quid illi præſtiterit.* Profectò parum accipit, qui ſolam ſceleris veniam obtinet, in eiſdem animi morbis manens, qui ni tollantur, extremum exitium certiſſimè trahent. Ideo verus Salomon
Luc. 7. mulieri peccatrici dicebat Luc. 7. *Remittuntur tibi pecca-*
Theophyl. *ta*, &c. *Vade in pace.* Circa quæ Theophylactus ait: *Non contentus remiſiſſe peccata, niſi adiecisset operationem boni. Vade in pace.* Pertinebat hoc ad beneficij cumulum, ne tantùm peccatrici parceret, ſed inſuper eius animam ſanaret, vt
Chryſoſt. poſſet bona operari. Quò ſpectans D. Chryſoſtomus in catena Græca D. Luc. ait; *Hanc meretricem & ſuſcepit, & curauit.* Cui peccata dimiſit, ſimul & eius menti indidit ſanitatem. Id quod non ſemel faciebat Dominus peccatoribus; de quibus dicit Chryſoſtomus homil. 11. in Ioannem: *Quemadmodum corpora bene curata non in bonã tantùm valetudinem; ſed in bonum quamprimum habitum reſtituuntur: ita idem animas Deus, non à vitiis ſolùm purgauit, ſed ad ipſum mox virtutis cacumen extulit; & publicanus Apoſtolus factus eſt*, &c. Sic pergit per multos, qui vbi condonationem peccatorum receperunt, ſimul ad eam mentis ſanitatem fuerunt redacti, vt ſummum faſtigium pertingerent ſanctitatis.

§. XLII.

Externas operationes virtutum, etſi aſperas; facilius amplexamur.

QVi modò regnum ambiebat, Salomonémque deſpexerat, & viderat ſe Regem acclamari, nunc non detrectat procidere coram Salomone. Imò de illo ait textus, *& ingreſſus adorauit Regem Salomonem.* Et quomodo tam citò potuit adduci, vt proſterneret ſe humi, & Salomonem adoraret, qui paulò antè tam anxiè ambiebat adorari? Crede mihi, facillimæ ſunt exteriores virtutum operationes, licèt aſperrimæ videantur. At quæ ad internam pertinent compoſitionem animæ, ægrè, & difficulter, & non ſine ingenti labore & ſtudio efformantur. Rem pulchrè tractabat Auctor putatus Hieronymus epi- Hieronym.
ſtola ad Demetriadem, ſatus: *Intra vnius horæ ſpatium mutatur habitus, ieiunare, abſtinere, pſallere, vigilare, non tam ſtudio opus habent, quàm voluntate. Quilibet incipiens, ſtatim vt voluerit, ad illa perfectus eſt; imò hoc facilius facere poſſunt, qui recentes corporis vires de ſæculo ad propoſitum afferunt. Mores verò mutare, ſingulâſque virtutes animi formare in ſe, atque perficere, grandis ſtudij eſt, & longæ conſuetudinis.* Sapienter bonus author externarum operationum virtutem comparat cum internis: & illas longè faciliores habet. Ecce tibi in religioſa familia eſt habitus aſper, ieiunia, vigiliæ, pſalmodiæ, cantus, humi cubationes; ſunt item ſæcularium affectuum mortificationes, propriæ voluntatis abnegationes, contemptus temporalium ſplendorum, & commoditatum. Cùm ergo quis ſeſe religioni tradit, ſpatio vnius horæ mutatur habitus, & vnius hebdomadis ſpatio ieiunat, vigilat, pſallit, humi cubat, & omnia hæc externa perfectiſſimè peragit. At mores mutare, affectus exuere, virtutes animi formare, ea res eſt grandis ſtudij & longæ conſuetudinis, ad quam vix peruenitur poſt multos exercitij annos.

CAPVT IV.

Secunda Salomonis inauguratio.

TEXTVS HISTORIA.

NON quieuit Dauid in Salomonis inauguratione facta in Gihon; ſed eò ſtatim addidit animum, vt maiori pompa in totius regni comitiis, eius thronum firmaret. Omnes ſanè populi ordines, & regni proceres conuocantur; qui è ſingulis prouinciis, ciuitatibúſque venientes, Dauidis Regiam impleuerant. Illic Regum ſuggeſtus eminebant, duo quidem regali, ſed inæquali fronte fulgentes. Alter enim maiori gloria celſus præcipuum locum tenebat, alter paulo inferius ad latus receſſerat. Ille Dauidi, hic Salomoni ſedem prætendit. In quibus poſtquam Reges præbuerunt ſe populo, & manu plauſum compeſcunt, non nihil moratus Dauid, vt Salomon à Deo fuerit Rex electus manifeſtat. Multo, inquit, iam diu deſiderio afficiebar, templi ædificandi Deo omnipotenti, pro quo dum impenſas paro, repulſus inuenior, vt qui belli puluere, & ſanguine hoſtium manus infectas haberem. Promiſſus tamen mihi filius eſt, adhuc orturus ad regnum, nomine, & re pacificus, cuius ſapientia & opere exurgeret omnium cantatiſſimum templum, digna Dei ſedes in terra. Hic eſt Salomon à Deo deſignatus, vnus è minoribus filiis meis, quos Deo refero acceptos. Sic è minoribus filiis Iacob Iudas electus eſt, cuius Tribus in populo principatum haberet. Sic fratrum minimus & ego ſedem regni teneo. Impone igitur ô fili, fortunatiſſime Regum ingenti operi manus, aggredere templi ædificium, quod immenſam diuinitatem deceat. Stabant nunc proceres ſilentio defixi; nunc lætis murmoribus, & nouo Regi, & templi fabricatori annuebant. Quem in medio ſtatuunt,

& oleo

& oleo manu Sacerdotis Sadoch delibuto ſimul inungunt & acclamant Regem. Nam tantum Principem, à Deo electum, publicis comitiis ab omnibus regni ordinibus ſuſcipi intererat. Deinde Dauide paulìſper in inferiùs ſecedente, ad thronum ducitur paternum, vt in patris oculis & à fratribus, & à regni proceribus, & popularibus adoretur.

MORALIA CIRCA textus literam.

SECVNDO ad ſacrum Oleum venit Rex Salomon à Deo electus, vt innuat, quàm multus debeat eſſe in ſacris Rex, qui in regno confirmari vellet.

1\. *Paral.* 28. Conuocauit igitur Dauid omnes Principes Iſraël, duces tribuum, & præpoſitos turmarum, *&c.* Cúmque ſurrexiſſet Rex, & ſtetiſſet, ait: Audite me fratres mei, & populus meus: Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri, & ad ædificandum omnia præparaui. Deus autem dixit mihi: Non ædificabis, *&c.*

§. I.

Principum magiſtri puritate caſtitatis conſpicui ſint.

INter eos, qui conuocati ſunt à Dauide, notanter Eunuchi regiæ prolis ponuntur; quippe ait: *Conuocauit igitur David omnes Principes Iſrael, duces tribuum, & præpoſitos turmarum, qui miniſtrabant Regi*, &c. *Filióſque ſuos cum Eunuchis*, &c. Non ſolùm filij Regis, ſed & qui fuerant eorum pædagogi, & magiſtri vocantur, qui Eunuchi dicuntur, non quia ſecti erant; non enim id lege Moyſi permittebatur; ſed quia conſpicui erant pudicitiæ, & caſtitatis virtute. Sic etiam & Daniel Eunuchus dicebatur, iuxta D. Epiphan. & Dorothæum in eius vita, ob ſolam eius eximiam caſtitatem. Nec immeritò tales magiſtri, & pædagogi filiorum à Regibus quærebantur, qui eximij
Pſalm. 104. eſſent in virtute caſtitatis. Dicit enim Pſalm. 104. *Eloquium Domini inflammauit eum. Miſit Rex, & ſoluit eum; Princeps populorum, & dimiſit eum. Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret Principes eius, ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.* Ecce tibi, vt Regiæ Pharaonis Ioſeph & dominus, & magiſter eſſet; quid priùs in illo factum eſt, nimirum: *Eloquium Domini inflammauit eum*; vt ignis inflammat aurum, quod purificat; ſic diuinum eloquium igniuit, & inflammauit Ioſephum, ab omnique libidinis ſorde purum, & defæcatum oſtendit. Et inde totius Pharaonis Regiæ magiſter fuit
Bruno. electus. Quò ſpectans ait D. Bruno ibi: *Verbum interpretationis à Domino ipſi datum inflammauit Ioſeph, id eſt, comprobauit eum ſanctum eſſe, qui ante adulter dicebatur, à ſimilitudine auri puri, quod inflammatur, & per flammam purum eſſe comprobatur; & tunc Rex Pharao miſit in carcerem, & ſoluit eum à compedibus*, &c. *& poſtquam vidit eum ſapientem, conſtituit eum dominum domus ſuæ, vt erudiret Principes eius, id eſt, Pharaonis*, &c. Itaque priùs oſtenſus eſt Ioſeph ab omni libidinis macula purus, & deinde ab adulterorum pœna liber, & Regiæ Pharaonis magiſter eſt effectus. Nec mirum, quòd caſtitatis puritas maximè requiratur in magiſtris, & pedagogis Regum, cùm hæc virtus plurimi æſtimetur ad animos hominum efformandos, & effingendos.
Apocal. 14. Apocalypſ. 14. ait: *Agnus ſtabat ſuper montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis*, &c. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt inquinati, virgines enim ſunt.* Ecce tibi virginum frontibus inſcriptum non ſolùm nomen Agni, ſed & nomen Patris eius. Et quid nomen Patris cum virgine? In Patre enim ſumma elucet fœcunditas in filiorum propagatione monſtrata. Nunquid tale poterit monſtrare virginitas? Equidem, quod pater productione eſt in filios gignendos, eſt virginitas doctrina, & inſtitutione in acquirendis filiis, vt inde meritò eodem fœcunditatis nomine dicatur Pater, & Virgo. Quò ſpectans Author catenæ Græcæ dicebat in Lucam cap. 2. num. 17. *Virginitas ſoli, puriſſimóque Deo verè propriè conſortes facit. Nam virginitas ſimul cum incorrupto Patre, mente comprehenditur.* Quid pulchriùs? Expende illa, *virginitas ſimul cum incorrupto Patre, mente comprehenditur*; in eumdem conceptum Patris ingreditur virginitas, vt quæ inſtitutione ſua, & doctrina ſua, & efficaciſſima, & fœcundiſſima ſit ad acquirendos filios.

§. II.

Alacritas mentis internæ ſolet corporis infirmitatem ſuperare.

DIcitur modò de Dauide: *Cùm ſurrexiſſet Rex, & ſtetiſſet, ait*, &c. Paulo ante in prima inauguratione Salomonis 3. Regum 1. *Adorauit Rex in lectulo ſuo.* tanta erat 3. Regum 1.
ſenectute confectus, vt vel adoraturus Deum non poſſet à lecto conſurgere. Qui fieri potuit, vt modò non ſolùm ſurgeret, ſed & ſtaret in longa concione ad Principes ſuos? Vt modò res erat de cupidiſſima ſibi templi ædificatione, & de firmando filio in regno, tanta animi alacritate ad ea negotia feſtinabat, vt ea corporis infirmitatem vinceret, & robur inderet. Poteſt equidem alacritas mentis internæ corporis infirmitatem ſic ſuperare, vt appareat robuſtus, qui erat infirmus. Cùm Iacob prope animam ageret, Geneſ. 48. ait textus: dictum eſt ſeni:
Ecce filius tuus Ioſeph venit ad te. Qui confortatus ſedit in lectulo, &c. Qui moriturus iacebat, vbi audiuit filium ad ſe Geneſ. 48.
venire, & exurgit, & ſedit in lecto. Vnde hoc? ait Rupertus lib. 9. cap. 22. *Confortatus itaque adeò mente eſt, qui* Rupert.
ægrotabat corpore, ita vt corpus quoque feſſum alleuaretur mentis alacritate; & cùm oculi corporei caligauerant præ nimia ſenectute, nec clarè videre poterat, interioris eius hominis acies clarificata eſt. Sic mentis alacritas corpus feſſum, & proſtratum alleuiabat, vt ſurgeret, & erecto collo ſederet, vt ſedere ſolent, qui viribus valent. De Simeone illo cantatiſſimo
ſene ait Luc. cap. 2. *Venit in ſpiritu in templum.* Quod pon- Luc. 2.
derans Timoth. Hieroſol. orat. de illo feſto, ait: *Simeon* Timoth.
itaque tamquam ætate innouatus, animique deſiderio, perinde ac Hieroſol.
aliis quibuſdam vehementer concitatus; & à Spiritu ſancto nihilominus impulſus, & ſubleuatus celerrimè cucurrit, Ioſephúmque & Mariam, qui rectà ad templum contendebant, anteuertit. Ecce tibi ſenex ætate confectus iuuenes ad templum contendentes curſu corporali anteuertit, & prior illis terit templi limina. Vnde hoc? Ait ibi: *Animique deſiderio, ac aliis quibuſdam vehementer concitatus.* Itaque animi deſiderium, & alacritas alas indidit ſeni, quibus concitatus & grauedinem ſenectutis & infirmitatem vinceret.

§. III.

Non parua celſitudo ab humilitate venit.

ARca illa fœderis tot officiis ab Iſraelitico populo exaltata, modò dicitur à Dauide *ſcabellum pedum Dei noſtri.* Nec inde putes humiliari fœderis arcam, quia ad pedes Domini conſtituitur, ſed exaltari magis. Non enim parua celſitudo venit de illa humilitate. Quò traho
D. Paulinum epiſt. 1. ad Seuerum, in qua dicebat: *Bea-* Paulin.
tus qui refugiſti de concilio impiorum, & in via peccatorum perſiſtere noluiſti, & ſedere in cathedra peſtilentiæ dedignatus es, vt humilitate præcelſo pedibus crucifixi accubares. Humilitas eſt, & abiectio, qua ſe homo pedibus Chriſti obuoluit, ſed humilitas omni celſitudine celſior. De nullo celſior appares ad diuina tenenda, ad gloriam aucupandam, quam
de pedibus Domini. Matth. 28. *Venit Maria Magdalene, &* Matth. 28.
altera Maria videre ſepulchrum. Et ecce terræmotus factus eſt

magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum; erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, &c. Inter hæc mulieres erant. Tunc ait: *Ecce Ieſus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius*, &c. Non manus, nec latus, ſed pedes tenent. *Matth. 20.* Quam aliter Thomas cap. 20. dicebat: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Transfoſſus fuerat Ieſus manibus, & pedibus, & latere. Thomas autem ſolas manus, & latus amat videre. Cur ſimiliter ſanctæ illæ fœminæ non magis Principis ſui manus, aut latus petunt? Cur manus, latúſve oblitæ ſolos pedes tenent? Equidem inde eam celſitudinem obtinuerunt, qua citiùs Apoſtolis diuina penetrarunt myſteria. *Cyrillus Hieroſol.* Vt docet D. Cyrillus Hieroſol catech. 14. *Mulieres quæ apprehenderant pedes, tremoris terræ magnitudinem, & Angeli præſentis ſplendorem ceruebant.* Nulla tanta rerum, gloriarúmve magnitudo eſt, quàm à pedibus Domini pertingere non poſſis. Mulier pluribus annis deſperatæ ſalutis, tandem ſibi perſuaſit ad ſalutem tam longè à ſe diſſitam peruenire poſſe. Et quo medio nitebatur tanta præſumptio? *Matth. 9.* Ait Matth. 9. *Dicebat intra ſe: Si tetigero tantùm fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero.* Non ſi manus, aut caput, ſed ſi fimbriam veſtis circa pedes verſantis tangeret, ad elongatam à ſe ſalutem peruenturam credidit. Quod & factum eſt. Quid enim non pertingat celſitudo humiliatis ad diuinos pedes ieſe deiicientis? Pulchre ait *Gaudent.* D. Gaud ſerm. in dedic Baſilic. *Attalin fimbriæ medelam credentis fides traxit, & ſalutem, quam præſumpſerat, acquiſiuit.* Expende illud, *quam præſumpſerat*; quidquid enim humana præſumptio ſibi obtinendum affingit, hoc verè obtinet fides, quæ te deiicit ad pedes Chriſti. De fimbriæ circa pedes Ieſu obuoluantis tactu id obtines, ad quod vix fugeret ſe peruentura præſumptio.

§. IV.

Bonorum propoſitum executioni mandare præſtantiſſimi viri eſt.

PVlchrè gloriatur Dauid de propoſito ædificandi templi, quod quantum eſt ex ſe, & ipſe mandabat executioni. Dicit enim: *Cogitaui vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri, & ad ædificandum omnia præparaui.* Cogitauit planè Dauid de ædificando templo, idq́ue animo ſuo facere decreuit, nec eo animi decreto, & propoſito contentus fuit, ſed inſuper ad opus acceſſit omnia neceſſaria præparans. Ex quo Dauidis propoſitum non paruum accepit pretium apud Deum. *Leuit. 1.* Sic cauebat lex Leuit. 1. *Homo qui obtulerit ex vobis hoſtiam Domino*; &c. *Immolabitque vitulum coram Domino: & offerent filij Aaron Sacerdotis, ſanguinem eius fundentes*, &c. De adductore ſacrificij agens ſolùm ait: *Homo qui obtulerit*, nulla inſigni tituli nota illum deſignat, ſed hominem à plebeis indiſtinctum vocat. Vbi autem accedit ad eos, qui de facto offerebant mactatam hoſtiam, de iis ait: *Offerent filij Aaron Sacerdotes*, &c. eorum vel antiquam excellentiam proponens. Et cur hos de dignitate, & excellentia extollit; illum a plebeis indiſtinctum proponit? In illo exprimebantur illi, qui largi ſunt in promiſſis, & propoſitis bonorum faciendis, ſed nunquam accedunt ad opus; ij enim apud Deum viles ſunt, & nullius nominis. Ille magnus, ille præſtans vir eſt apud Deum, qui promiſſa, & propoſita mandat executioni. *Iſych.* Ibi Iſychius ait: *Is qui oblationem offeret, ſine nomine, & non deſignate expreſſus eſt. Filij autem dicuntur Aaron, immolantes quod oblatum eſt, & ſanguinem offerentes; quia oblationem quidem adducere, id eſt, promittere, quorumlibet eſt; implere autem promiſſa, non quorumlibet, ſed illorum, qui filij Aaronis ſunt, virtute habentes in ſemetipſis ſacerdotij dignitatem.* Quis adeò vilis, & plebeius, & nullius nominis homo propoſitum non habet, & animi decretum aliquid honeſti faciendi? At propoſitum, & promiſſum exequi, & ad opus reducere, id cantatiſſimi, & nominatiſſimi viri eſt, cuius dignitas omnibus innoteſcit. Ad hæc traho illud *Prouerb. 14.* Prouerb. 13. *Vult & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.* Vbi Septuag. legunt: *In deſiderijs eſt omnis otioſus, manus autem fortium in ſedulitate.* Circa quæ meritò Caietan. Ianſen. & Rodolphus, otioſum, & pigrum homuncionem inde notant, quòd in deſiderijs ſit, numquamque ad opera extendant manus. Vir autem fortis, & illuſtris, non in deſiderijs manet, ſed ad opera tranſit. Nec mireris, ſi vilis habeatur, qui ſolum nouit deſiderare; ab aliis enim non homo cenſetur, ſed vmbra hominis, vel imago. Ait Pſalm. 38. *Verumtamen in imagine pertranſit homo.* *Pſalm. 38.* Quaſi dicat. Sunt, qui ſolùm tranſire videantur, vt hominum imagines. Apparent enim in picturis imagines hominum ſtrictis gladiis, & extento brachio vt vel feram percutiant, vel arbores, & dum ſemper in eodem conatu apparent, nunquam ad rei effectum pertranſeant. Sic multi, multa proponunt, multa deſiderant, ad quorum exequutionem non perueniunt. Verè in hoc non homines, ſed hominum imagines.

1. *Paral.* 28. Sed elegit Dominus Deus Iſraël me de vniuerſa domo patris mei, vt eſſem Rex in Iſraël in ſempiternum; de Iuda enim elegit Principes; porrò de domo Iuda domum patris mei: & de filiis patris mei, placuit ei, vt me eligeret Regem ſuper cunctum Iſraël. Sed & de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, vt ſederet, *&c.*

§. V.

Non limitatæ poteſtatis, ſed infinitæ eſt præfixos rerum ordines immutare.

NOuum, & inuſitatum in mundo erat minores filios maioribus præferri; quam prælationem meritò Dauid Vni omnipotenti Deo attribuit, inquiens: *De Iuda elegit Dominus Principes; porrò de domo Iuda domum patris mei, & de filiis patris mei, placuit ei, vt me eligeret Regem*, &c. *Sed & de filiis meis elegit Salomonem*, &c. Et Iudas, & Ieſſe pater Dauidis, & ipſe Dauid, & Salomon è minoribus filiis erant patrum ſuorum; qui tamen maioribus fratribus prælati fuerunt. Et à quo prælati fuerunt? Non equidem à parentibus, nec ab vlla poteſtate creata, ſed à ſola electione diuina. Solius enim omnipotentis Dei eſt immutare ordines rerum præfixos, vt cuius ſermo potens ſit præſtare, quod dicit. Ait Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* *Geneſ. 1.* Circa quæ altis ridebant antiqui hæretici cachinnis; quòd cùm terra fundamentum orbis ſit, & cœlum tectum, dicatur artifex prius cœlum, quàm terram, nimirum priùs tectum, quam fundamentum condidiſſe. Quis artifex non amens relicto ædificandi ordine à tecto inciperet ædificium? Et quidem meritò riderent, ſi artifex limitatæ poteſtatis eſſet; at cùm artifex Deus ſit, non mirer, quòd ordinem inuertat, & à tecto incipiat, vt qui poſſit omnia præſtare, quæ verbò dicit. Ait Diuus Chryſoſtomus homil. de ieiunio, & Geneſ. *Cur autem primùm cælum fecit, deinde terram, ante tectum, quàm ſolum? Vides & in hoc nihil eſſe ſimile humanis artibus, neque hominum regulis voluntatem ſeruari diuinam. Apud nos adminiculis, & fulcimentis opus eſt, ibi verò voluntas opus efficit, & præbet ſermo virtutem.* *Chryſoſt.* Expende illud, *& præbet ſermo virtutem*; cuius enim ſermo virtutem præbet, quam dicit; meritò poteſt omnes ordines immutare, nulliſque legibus, aut regulis conſtringi, ſed quodcumque vellet efficere. Sic cùm dicat ordinem communem non ſeruari, ſed bonum eſſe à tecto incipere, quia ſermo ille de facto præſtabit vt bonum id ſit, inconueniens ſequitur nullum. At cuius verbum præſtare non poteſt, quod dicit; imprudenter, & ſtultè facit, ſi deuiat à præfixis rerum ordinibus. Hinc Deus elegit Apoſtolos idiotas, vt docerent mundum; quia & illis præſtitit ſufficientiam doctrinæ. At Apoſtoli, vt notat noſter Lorinus, elegerunt Matthiam virũ ſapientem, & eruditũ, vt enim non valebant præſtare ſufficientiam, ſic ordinem ſeruarunt communem, vt do-

ctus

ctus eligeretur ad docendum. Quò ſpectans Arnob. Arnob. lib. 1. contra Gentes fatus: *Superciliosa res eſt, cùm ipſe ſis non tuus, aliena etiam in poſſeſſione verſeris, potentioribus dare conditionem, velle, vt id fiat, quod cupias, non quod in rebus inueneris antiquis conſtitutionibus fixum.* Id ſuperciliosum & durum eſt, quòd homo infirmæ poteſtatis velit omnia fieri iuxta placitum ſuum, & non vt eſt antiquis conſtitutionibus fixum. Id quod verius eſt Dei poteſtatis, vt qui valet id efficere tale eſſe, quod bonum dicit. Verùm quid intereſt, quòd tu dicas hoc, aut illud bonum eſſe? An ideo bonum erit & eligendum? Minimè, ſed ſæpè contrarium euenit tuis dictis. Quare qui ſapiens eſt, plus credat communibus, & præfixis antiquitus rerum ordinibus, quàm ſibi. Solus enim ille immutare ordiné valet, qui poteſt bonum facere, quod ſibi probatum. Declinauit Moyſes à communi vſu populi, & duxit Æthiopiſſam vxorem, propter quod malè audit apud ſuos. Ait enim Numer. 12. Numer. 12. *Locuta eſt Maria, & Aaron contra Moyſem propter vxorem eius Æthiopiſſam.* Sed & ſponſa Ieſu de ſe dicebat Cant. 1. Cant. 1. *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim*, &c. Ecce tibi, & Moyſes, & Ieſus ducunt vxorem fuſcam: Ieſus autem laudatur in illa electione, Moyſes autem reprehenditur a fratribus. Et cur Ieſus laudem, ille reprehenſionem incurrit? Ait D. Bernard. Bernard. Domin. 1. poſt octauam Epiph. ſerm. 2. *Moyſes quidem Æthiopiſſam duxit, ſed non potuit Æthiopiſſæ mutare colorem: Chriſtus verò quam adamauit ignobilem adhuc & fœdam, glorioſam ſibi exhibebit. Murmuret Aaron, murmuret & Maria*, &c. Crede mihi numquam ſine offenſione communes vſus prætermittet, ille, qui propriam electionem non poteſt facere, vt de facto ſit bona. Ille ſolus omnia mutet, qui quodcumque elegerit, faciet bonum.

§. VI.

Efficaciùs perſuadet rem, qui eam vſitatam probat.

VT promotionem Salomonis ad regnum ſanctam, & Deo gratam perſuaderet Dauid populo, ſimiles alias à Deo etiam factas in medium adducit, dicens. *De Iuda elegit Dominus Principes: porrò de domo Iuda domum patris mei, & de filiis patris mei, placuit ei, vt me eligeret Regem*, &c. *Sed & de filiis meis Salomonem*, &c. Erat equidem Salomon de minoribus filius Dauidis; & quis credat à Deo minorem eligi, maioribus prætermiſſis? Qui ſimile fieri à Deo videat in aliis. Vnde ſapienter Dauid, priùs recolit Iudam prælatum fratribus, cùm ipſe quartus eſſet patris ſui filius: deinde ſe ipſum Regem factum cùm eſſet minimus fratrum ſuorum. Tandem vt rem Deo vſitatiſſimam proponit, Salomonem electum ad regnum; nullis enim efficacius id perſuaderet populo, quàm de exemplis adductis. Maximè enim probatur res, quæ vſitata ſcitur. Quam efficaciam perſuadendi optimè calluit tentator ille Matth. Matth. 4. 4. cùm ait Domino *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Cur lapides porrigit ad panes faciendos? Sciebat vſitatum iam antiquitus Deo de lapide educere, quo filios ſuos reficeret. Et inde ad vſitata confugit, vt certius faciat ſuum conſilium. Ait D. Ambroſ. Ambroſ. ſerm. 3. *Poſtulat igitur in panem lapides commutari. Verſutus, & callidus ſcit, quid petat, nouit factum eſſe, quod dicit. Meminit enim in veteri Teſtamento ſitientibus aquam, de lapide profluxiſſe, vult etiam hic eſurienti cibum de lapide miniſtrare. Suſpicatur enim ipſum eſſe Chriſtum, qui hæc operari ſoleat de natura ſaxorum.* Equidem vafer ille ſpiritus nil proponit eligendum Deo inuſitatum, ſed de vſitatis eius operibus vnum proponit, vt magis in ſuum conſenſum trahat. Sapientiùs, & ſanctiùs Angelus Gabriel ab incorrupta virgine filium oriturum teſtificans ſtatim ait Luc. 1. Luc. 1. *Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua, & hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis.* Sic de exemplo parientis ſterilis; & aniculæ fœminæ, oſtendit non adeò peregrinum, & inuſitatum opus eſſe, quòd etiam per Dei potentiam virgo incorrupta pariat. Partus enim ſterilis anus perſuaſibilem facit incorruptæ virginis partum.

§. VII.

Nunquam Deus non profuſior in ſuos.

NOn poſſum non expendere verba illa à Deo prolata de Salomone: *Ipſum elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem.* Huc vſque poteſt peruenire ſanctiſſimus vt filium perfectiſſimè agat, erga Deum, ſed Deus eò peruenit, vt patré agat. Et quis neget profuſioré patré eſſe in filiũ, quàm filiũ in patrem? Equidem vnus pater dicitur ſufficere multis filiis; & multi filij vix ſufficiunt vni patri. Sic Deus patrem agit erga nos, vt pateat, quam profuſiſſimis charitatis donis vincamur. Vna excepta Dei matre, de adoptiuis Dei filius nullus maior eſt Ioanne. Hic tamen tantus, & maior Dei filius vbi ad Deum accedit prædicandum ait Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Ioan. 1. Tollebat autem Deus mundi peccata; ſed & maiora alia præſtabat, nempe gratiam, & gloriam immortalem. Erat etiam Ieſus agnus immaculatus pro nobis immolandus, ſed & amplius erat, nempe Deus. Et cur Ioannes non magna, ſed minima de Deo prædicat? Nonne Ieſus magna de Ioanne prædicauit? Nonne illum natis maiorem dixit, & pluſquam Prophetam, & Angelum? Cur ergo Ioannes adeò curtus in Ieſu prædicando, quando Ieſus in prædicando Ioanne adeò largus erat? Non miror; erat enim Ieſus Deus, qui numquam non profuſior, & largior in ſuos eſt. Ait Imperfect. homil. 17. in Matth. Imperfect. *Ioannes quidem teſtificatus erat de Chriſto: Ecce Agnus Dei. Sed amplius recepit à Chriſto, quàm præſtitit. Ioannes enim Chriſtum glorificans, humanam illi præſtitit laudem. Chriſtus autem Ioanni diuinam contulit gloriam. Nam iſte illum agnum oſtendit, ille autem iſtum Angelum prædicauit. Iſte minus laudauit in Chriſto, quàm erat. Nam non ſolum peccatum mundi abſtulit, ſed etiam vitam æternam mundo donauit. Ille autem iſtum ſuprà quàm videbatur, erexit: vt qui homo erat, Angelus diceretur.* Nunquam non largior oſtendebatur Deus in Ioannem, quàm in Deum Ioannes. Planè diuinus Pater non ſic à filiis etiam perfectiſſimis colitur, vt ipſe colit, quos amat.

1. *Paralip.* 28. Tu autem Salomon fili mi, ſcito Deum patris tui, & ſeruito ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit. Si quæſieris eum, inuenies; ſi autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum. Nunc autem quia elegit te Dominus, vt ædificares domum Sanctuarii, confortare, & perfice. Dedit autem Dauid Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus, *&c.*

§. VIII.

Præcellenti perſonæ ſingularis habendus eſt honor.

LOcutus Dauid ad vniuerſum populi conuentum, ſtatim ad filium in particulari dirigit concionem, aiens: *Tu autem Salomon*, &c. Et quando iam cum aliis informatus erat ipſe Salomon, cur neceſſum fuit eadem illi in particulari repeti à parente? Nonne omnibus dictum eſt, vt Deum colerent, eiúſque præcepta & iudicia ſeruarent; cur eadem ſolùm aliis verbis in particulari repetuntur Salomoni? Placet Abulenſi id factum propter excellentiam perſonæ, vt enim Rex erat Salomon à Deo electus, vt templum ædificandum, ſic ei debebat affici honoribus, qui non eſſent omnibus communes, ſed illi ſingulares & proprij. Exod. 13. de dilecto Dei populo Iſraële dicit: *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Exod. 13. Eſto quòd per diem neceſſaria eſſet columna nubis ad arcendos radios Solis; ad quid addita columna ignis per noctem? Nonne Luna, & ſtellæ ſufficientes erant, vt lumen præberent ſub diu exiſtentibus? Cur maluit inſuper addere columnam

ignis?

ignis? Dabant equidem Luna, & ſtellæ lumen ſufficiens, ſed id erat commune hominibus omnibus, bonis, & malis, fidelibus, & idololatris. Vnde conueniens fuit, vt lectiſſimo, & præcellentiſſimo Dei populo, non commune, ſed proprium, & ſingulare lumen aſſignaretur, ſub quo honorabiliùs gradi poſſet. Quò ſpectans Diuus Iuſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone, Iuſtin.Mart. ait: *Columna fulgida pſaltucebat orbis, vt ſingulari priuilegio poſſetis habere lumen proprium, ac perpetuum.* Expende illud, *poſſetis habere lumen proprium*; gaudet enim Deus, vt lectiſſimi viri non relinquantur ſub communibus officiis, ſed inſuper illis aſſignetur aliquid ſingulare, & proprium faciens ad honorem. Magis illis venientibus ad Ieſum, propoſuit Dominus ſtellam, quæ eos duceret; dicunt Matth. 2. enim Matth. 2. *Vidimus ſtellam eius in Oriente*, &c. Pa- Luc. 2. ſtores autem cùm noctis medio vigilarent, Luc. 2. *Ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos*, &c. Et cur Paſtoribus non ſtella, ſed Angelus? Nonne in medio noctis erant? Nonne tunc ſaltem in promptu erant ſtellæ, quarum vna poſſet illis ortum Solem nuntiare? Erant ſtellæ, ſed hæ communes erant & bonis, & malis, fidelibus, & infidelibus; in paſtoribus autem vt Chriſtianorum præſtantiſſimi adumbrabantur, ſic illis particularis honor habetur, vt in lucidiſſimo Angelo ad Ieſum ducantur. A quo non abeſt D.Grego. PP. Gregor. PP. homil. 10. in Euangel. fatus: *Paſtoribus in Iudæa Angelus apparuit, Magos non Angelus, ſed ſtella perduxit. Quia videlicet Iudæis tanquam ratione vtentibus Angelus prædicare debuit. Gentiles verò, quia vti ratione neſciebant, ad cognoſcendum Dominum, non per vocem, ſed per ſigna perducuntur.* Relinquuntur Gentiles ſub communibus ſignis, vt per ea, quæ viſibilia ſunt, inuiſibilia Dei ſeruentur. At verò qui ratione, & virtute præſtant, honorabiliorem ducatum per Angelos habeant, ſicque illis Angelorum clarius obſequium proprium, & ſingulare.

§. IX.

Quidquid bonum maiorum noſtrorum eſt, peculiari honore colendum.

NOn otioſè Dauid Salomonem monet illud: *Scito Deum patris tui.* Cur Deum patris tui? Cur non magis dixit, Deum tuum, vel Deum cæli & terræ? An quòd Deus patris eius diceretur, conciliaret magis animum eius ad cultum exhibendum? Planè, quod maiorum noſtrorum bonum eſt, vehementiùs nos trahere debet, vt abundantiorem honorem illi præſtemus. Rem præclaro Iacobi facinore explico. Is Genef. 29. in terram Orientalem peruenit, ibique puteum inuenit ingenti obtuſum lapide, quem nemini licebat amouere ab ore putei, donec vniuerſi regionis paſtores conuenirent, & ab omnibus paſtoribus amoueretur, vt adaquarent Geneſ. 29. greges. Multi iam aderant quibus Iacob perſuadebat, vt lapidem amouerent. Quid tunc? Ait textus: *Adhuc ille loquebatur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris ſui, nam gregem ipſa paſcebat. Quam cum vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam; ouéſque Laban auunculi ſui, amouit lapidem, quo puteus claudebatur*, &c. Non expectat alios, ſed ipſe ſe obſequioſum præbet, & propriis manibus lapidem amouet. Sed & Ieſus meus Ioann. 11. venit ad ſpeluncam, qua defunctus Lazarus claudebatur, ingénſque lapis ſpeluncæ oſtium claudebat. Volens autem Ieſus Lazaro afferre medelam, iubet circunſtantibus, vt lapidem amo- Ioan. 11. ueant, dicens: *Tollite lapidem.* Et quando Ieſus cauit amouere ſuis manibus lapidem de oſtio monumenti, vt Lazarum in vitam traheret; cur Iacob non detrectat per ſe ipſum lapidem ab oſtio putei amouere? Cur in amouendo lapide officioſior apparuit Iacob, quàm Ieſus? Cauſam oſtendunt illa verba: *Sciret oues Laban auunculi ſui*; nihil ibi vidit Iacob, quod non pertineret ad bona maiorum ſuorum, & ideo nullum officium, nullum cultum, nullum obſequium per ſe ipſum præſtare detrectat. In ſepulchro Lazari, facinus apparebat primorum parentum, quod mortem inuexit, & filiis conſtruxit monumentum. Vnde tanti mali veſtigia meritò Ieſus vel attingere refugit: in puteo autem videbat Iacob prouentus bonorum auunculi ſui, & non quieſcit, niſi maiorum ſuorum bona peculiari tractet honore, ipſe per ſe lapidem remouens. Aiebat Origen. in Ioan. *Lapidem quidem eum, qui* Origen. *ſpeluncæ appoſitus erat, id eſt, ſepulchro, quod in ſpelunca erat, à Ieſu ipſo tractari non oportuit, ſed tantummodo imperans iis, qui apti eſſent ad opus, vt lapidem auferrent; eum autem, qui putei oſtio impoſitus erat, Iacob ſumere iuſſit, atque detrudere à putei oſtio, vt Laban mei auunculi oues adaquarentur: & debuit Iacob ad putei quidem oſtium accedere, Ieſum quidem ſtare extra ſpeluncam.* Cauet meritò Ieſus propinquitatem ſpeluncæ, in qua nihil præter latrocinia primorum parentum videbat. Iacob autem vt vidit iuxta puteum auunculi ſui Laban oues, feſtinat accedere, & per ſe ipſum lapidem remouere. Sic bona maiorum noſtrorum ſollicitans animos, vt illis peculiarem cultum & honorem præſtemus. Ioan. 4. Ioan. 4. *Venit Ieſus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. Erat autem ibi fons Iacob. Ieſus autem fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuprà fontem.* Erant Hieroſolymis celebratiſſimi alij fontes, quorum nulli tantus exhibitus eſt à Ieſu honor. Magnus enim erat fonti honos, quòd Ieſus ſuper eum ſederet. Et vis ſcire, quantus hic honor fuerit? Dicit ipſe Eccleſiæ tuæ: *Veni electa* Guarric. *mea, ponam in te thronum meum.* Circa quæ Guarricus Abb. ſerm. 1. in Aſſumpt. Mariæ ait: *Parum eſt, vt indicanti conſedeas, niſi & ipſa mihi ſedes fias.* Hæc erat tota ſponſæ dignitas, quòd Ieſu ſedes fiat. Et cur Ieſus dignitatem, & honorem ſponſæ, fonti tribuit, agens vt fons illi ſedes fiat? Erat fons Iacob; ſicque afficitur animos circa bona peracta à maioribus ſuis, vt vel in reiectione populi Iudaici Ieſus maiorum bonis honorem habeas. Dicit D. Cyrill. Cyrill. Alex. Alex. *Cùm à terminis Iudæorum exiuerit Ieſus, alienigenarum regionem ingreſſus, ſuper fontem Iacobi ſedebat, vt ſignificaret, quamuis Iudæorum genere relicto, in gentes obitura ſit veritas, non tamen honor, & dignitas patrum decidet, ſed creſcet potius.* Sic parentum, maiorúmve bona afficiunt ſucceſſorum animos.

§. X.

Qui claris oculis Deum noſcit, facilè deſpicit vanitates mundiales.

HOc in primis petit Dauid à Salomone in regalibus glorijs conſtituto, vt noſcat Deum; ait enim: *Scito Deum patris tui, & ſerui ei corde perfecto*, &c. Equidem nihil prius requirit; quàm illud, *ſcito Deum*; qui enim Deum ſcis, qui Deum claris oculis noſcit, facilè reliqua virtutum præſtabit, & ſe expediet à mundi laqueis: Duæ illæ ſorores Iacobo nuptæ Lia, & Rachel maritum ſequuntur, qui reuertebatur in patriam ſuam. De qua reuerſione agens ſacer Textus Geneſ. 31. ait: *Rachel furata eſt idola patris ſui*, imò cùm hæc requirerentur Geneſ. 31. à patre, *illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper*, &c. Duæ erant ſorores, duæ proficiſcebantur cum marito, quorum vna ſola furatur idola, & inhonorè abſcondit, & ſedit ſuper illa. Quod notans author catenæ Græcæ in Diuum Lucam ad cap. 3. Geneſ. 29. numer. 60. circa finem ait: *Rachel autem Deos patris ſui ſurripuit, non verò Lia. Idolorum enim ſublatio erat illuſtre facinus Eccleſiæ gentium idola manu facta ignominia afficientis.* Vt ibi ſignificabatur abolitio idolorum facienda cum illorum ignominia, ſic illa facta fuit per Rachelem, non per Liam. Et cur à ſola Rachele, & non etiam à Lia idola perduntur? Ait Geneſ. 29. *Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie, & venuſto aſpectu.* Non equidem quæ lippitudine oculorum laborabat, ſed quæ oculis venuſtis, & claris pollebat, idola ſuſtulit, & cum ignominia illorum abſcondit. Qui enim claris oculis eſt ad videndum, facilè idola mundi peſſundat. Hinc Diuus Cyrillus Alexandrinus, lib. 11. in Geneſ. oſtendit, vt ab oculis pendeat bonum, aut malum hominum. Ait enim: *Liæ oculi imbe-* Cyrill.Alex. *cilles fuere. Rachel pulchra ſpecie, formoſáque vultu vehementer erat. Sed de Iudæis Chriſtus: Dimitte eos; quia cæci ſunt. Veſtri verò beati oculi, quia vident. Ad Iudæorum matrem Synagogam ſic ille Propheta clamitat: Ecce non ſunt oculi tui, neque cor tuum pulchrum. Ad Eccleſiam verò gentium Chriſtus ait: Oculi tui columbæ ſunt. Concupiuit enim decorem eius.* Ecce tibi vt ab oculis veniat, aut tota formoſitas,

formoſitas, aut tota turpitudo; vt in Lia oculorum lip-
pitudo faciebat, ne ipſa commendaretur, nec commen-
dabilis appareret; ſic in Iudæis tota illorum perditio ex
cæcitate orta dicitur. Et vt in Rachel oculorum claritas
paruit, & inde tota pulchra, & formoſa dicitur; ſic in
Chriſtianis omnibus, ex eo quòd clarè videant, & no-
ſcant Deum tanta illis formoſitas inditur, vt Rex cœlo-
rum, eorum decorem concupiſcat. Parit equidem Dei
cognitio in nobis, quidquid decoris eſt, & ſalutis. Vt
Geneſ. 32. dicat Iacob Geneſ. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſal-
ua facta eſt anima mea. Ortuſque eſt ei ſtatim Sol.* Nihil non
lucidum, & ſalutare ex agnitione Dei accidit illi. Ait
Chryſoſt. ibi Chryſoſt. *Vides, quantum ei fiduciæ à viſione conceſſum?
Salua facta eſt anima mea, quæ propemodum mortua erat præ ti-
more: quoniam videre mihi datum eſt facie ad faciem Deum, ſalua
facta eſt anima mea. Ortus eſt autem ei Sol, quando præterit
viſio Dei.* Et quid boni non oriatur nobis, vbi præcedit Dei
viſio & cognitio?

§. XI.

Illud in te præcipuum, quod magis ſpontaneum, & voluntarium eſt.

NOn vtcumque iubet Dauid Salomoni, quod ſeruiat
Deo, ſed illud ait: *Serui ei corde perfecto, & animo vo-
luntario. Omnia enim corda, & vniuerſas cogitationes intelligit.*
Nihil enim ſic placet Deo in humanis obſequiis, vt ani-
mus ſpontaneus, & voluntarius obſequentis, quæ præci-
Pſalm. 131. pua pars in homine eſt. Pſalm. 131. *Memento Domine Dauid,
& omnis manſuetudinis eius. Sicut iurauit Domino, votum vouit
Deo Iacob: Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero
in lectulum ſtrati mei*, &c. *Donec inueniam locum Domino, &
tabernaculum Deo Iacob.* Inde petitur à Deo miſericordia in
Dauid, quia Dauid cogitauit de ædificando templo, imò
vouit Deo ſe illud ædificaturum. Sed Salomon de facto
templum & ædificauit, & dedicauit illud; cur ergo non
magis petitur miſericordia Dei in Salomonem? Quando
templi ædificati merces petitur ex Deo, nonne magis Sa-
lomon, quàm Dauid memorari debet? Cur ergo Dauid
in eo ſibi primas præripit? Sanè Dauid ſponte ſua, & vo-
luntario animo præcedebat ad templi ædificationem; Sa-
lomon autem à Dauide motus, & paterno præcepto im-
pulſus procedebat. Ille libertate ſpontanea, hic neceſſi-
tate præcepti templum faciebat, ne miremur, quòd tem-
pli ædificatio præcipuè Dauidi tribuatur apud Deum.
Chryſoſt. Ait D. Chryſoſtomus ibi: *Eum quidem, qui eſt ædificaturus,
præterit, eum verò, qui eſt pollicitus, in medium adduxit, vt
ſcias, quantum bonum ſit rectus animus, & quomodo Deus ſem-
per conſueuerit recto animo inſtituto, & bonæ voluntati mercedem
conſtituere, & ideo eius potius meminit, quoniam ipſe potius ædi-
ficauit, quàm filius. Dauid enim pollicitus eſt, filius verò iuſſus
eſt.* Sic qui non niſi præcepti neceſſitate adductus fuit ad
templi ædificationem, meritò poſtponitur illi, qui ſpon
te ſola ſua, & voluntario animo ad opus currebat. Nun-
quam enim non creditur præcipuum in homine, quod
illi voluntarium, & ſpontaneum eſt. Poſt ductam Ruth
Ruth. 4. dicebant amici, & cognati Boozo cap. 4. *Faciat Dominus
hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel, &
Liam, quæ ædificauerunt domum Iſrael.* Cur Rachel ponitur
in primis? Nonne Lia & maior natu Rachele, & multo
fœcundior in populi propagatione? Fateor Liam & ma-
iorem natu, & fœcundiorem Rachele; ſed Rachel præ-
cipua erat Iacobi vxor, quam ipſe ſpontaneo, & volun-
tario animo elegerat, & ideo meritò primas ſibi præri-
puit. Non ſic Lia, ad quam Iacob non voluntariè acceſ-
ſit, ſed coactus quadam neceſſitate conſuetudinis. Ad
Abulenſ. hæc ait Abulenſis quæſt. 80. *Rachel prius nominata eſt, quam
Lia, quia illa erat vere vxor Iacob; Lia autem per quamdam ne-
ceſſitatem.* Vbi Iacob Liam non ſpontaneè accepit, ſed
quadam neceſſitate coactus; non miror, quòd illi præ-
ponatur Rachel ſpontè, & voluntariè petita. Nunquam
enim non præcipuum, & primum eſt in nobis illud, ad
quod ſpontaneo, & voluntario animo imus. Inde
plus placet Deo, qui illum quærit animo vo-
luntario, & ſponte ſua. Huc trahenda
dicta t. tom. in Euangel. lib. 1.
capit. 7. §. 33.

§. XII.

Quales nos ſumus Deo, talem ſe nobis exhibet Deus.

ILlud ſæpè nobis repetendum de Deo: *Si quæſieris eum,
inuenies; ſi autem dereliqueris eum, proiiciet te*, &c. Vt tu
erga Deum te geſſeris, Deus ſe erga te geret. Vt dicat de
illo Pſalm. *Cum ſanctis ſanctus eris, & cum peruerſis peruer-* Pſalm. 17
teris. Nos moribus noſtris Deum componimus, vt ſe
exhibeat nobis. Dicebat Matth. 12. *Simile eſt regnum cœlo-* Matth. 12.
rum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Regnum, & Re-
gem cœlorum homini comparat, & homini facienti nu-
ptias filio ſuo; ex quo patet ibi debere intelligi diuini Pa-
tris perſonam, cuius ſolius eſt habere filium. Sed Pater
vnde dicatur homo? An quia ipſe homo eſt? Abſit, non
eſt Pater diuinus homo, ſed quando agit cum iis, qui
nihil exhibent in ſe niſi infirmitatem hominum, & ipſe
ſe oſtendit illis quaſi hominem. Ait Theophylact. *Non* Theohyl.
*apparet Deus, vt eſt, ſed qualem decet vt ſe nobis exhibeat. Nam
quando vt homines morimur, humanis peccatis obnoxij, vt homo
nobis apparet Deus; quando autem vt dij ambulamus, tunc ſtat
Deus in Synagoga Deorum, ſicut & quando naturas ferarum ſſu-
mimus, fit & ille nobis panthera, & vrſus, & Leo.* Id tibi
erit Deus, quod tu fueris ſiue in malum, ſiue in bonum.
Exod. 3. *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3.
Verùm Ioſue 5. *Vidit virum ſtantem contra ſe tenentem gla-* Ioſue 5.
dium euaginatum; qui dicebat: *Sum princeps exercitus Dei.*
Vtrobique Deus ſe oſtendit ſuis ſeruis, illic Moyſi in igne,
hîc Ioſue in gladio. Et cur Moyſi oſtenditur Deus in igne,
& Ioſue in gladio? Erat in Moyſe claritas miraculorum,
in Ioſue autem fulgebat potentia gladij, & ideo Deus,
prout vterque erat, ſic ſe illis ſimilem exhibere conatur.
Ait Rupertus lib. 1. in Ioſue cap. 18. *Moyſi apparuit Deus in* Rupert.
*flamma ignis de medio rubi, Ioſue tanquam vir præliator euagina-
tum habens gladium; illi videlicet ſplendida facturo miracula ignis
apparuit; huic mox cruenta bella facturo euaginatum gladium te-
nens apparet.* Sic Deus ſe exhibet hominibus, ſplendenti
miraculis ignis ſplendet, cruento bellatori bellator ap-
paret. Huc trahe dicta tom. 3. de Chriſto figur. libr. 7.
capit. 18. §. 2.

§. XIII.

Magno virtutis robore indiges ne ſub præpropera, & ſubita dignitate euaneſcas.

NOtanda maximè ſunt illa Dauidis verba ad filium
Salomonem, nimirum: *Nunc autem, quia elegit te
Dominus, vt ædificares domum ſanctuarij, confortare, & perfice.*
Et meritò, quia Salomon, cùm non primogenitus eſſet,
inſperatè & improuiſè ex parte ſua electus eſt à Deo, in
tantum opus confortari iubetur ad perficiendum, ne in-
terim euaneſcat. Magni enim roboris in virtute eſt, quòd
ſub ſubita, & improuiſa dignitate, quis non efferatur, &
euancat in auras. In non paruum virtutis ſuæ teſtimo-
nium clamabat Pſaltes 130. *Nec ambulaui in magnis, neque* Pſalm. 130.
in mirabilibus ſuper me. Ambulauit equidem Dauid in ma-
gnis, & mirabilibus, quando paruulus paſtor electus à
Deo fuit in Regem, & Prophetam. Regem, & Prophe-
tam fieri nonne magnum eſt? Cur ergo Dauid negat ſe
ambulaſſe in magnis? Non negat ſe in magnis ambulaſſe,
ſed negat in magnis & mirabilibus ambulaſſe ſuper ſe,
quod ad magnum virtutis robur pertinet. Ait D. Zeno Zeno.
lib. 1. ſerm. 5. *Cum addidit, ſuper me; oſtendit numquam ſe eſſe
elatum cùm poſſet. Nulli enim facilius efferuntur, niſi quos inopi-
natè honoris culmen extollit. Dauid quippe humilis, abiectus, igno-
bilis ſui iacebat in domo patris. Hic placuit Deo, vnctus in Regem,
inſpiratus in vatem non inſoleſcit*, &c. Hoc in Dauide ſingula-
re, non ſperandum ab eo, qui ingenti virtutum robore
non appareat confirmatus. Hinc Paul. 1. ad Timoth. 3. 1. Tim. 3.
oſtendens quem Præſulem eligere debeat, cauet, *Non Neo-
phytum, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* Sa-
piēter à dignitate Neophytos arcet, metuēs illis elationē,
& diaboli caſum. Raró enim hi, qui ante tempus, & ſubi-
taneè in dignitatibus conſtituuntur, non à ſana mente ca-
dunt. Pro quo ſtat D. Nazianz. orat. 20. aiens: *Antiſtes fa-* Nazianz.
cilè

cile inuenitur, non elaboratus, ſed recens quantum ad dignitatem, ſimul ſatus, & editus, quemadmodum Poetæ gigantes fingunt, & &c. *Verùm ſimul cum imperio ſapientiorem ſe quoque eſſe exiſtimat; praue vtique ſentiens, atque à potentia, & authoritate de mente deturbatus.* Sic bonus doctor ſui temporis repentinas, & inſperatè promotiones lachrymatur. In quibus vt inſperatè, & inopinatè noui, & recentes perueniebant, ſic repentina authoritate, & potentia elati de mente deturbabantur.

§. XIV.

Vnus Ieſus perfectionem dat rebus ſanctis.

NEc non & notandum eſt, quod ait: *Quia elegit te Dominus, vt ædificares domum ſanctuarij, confortare, & perfice.* Clariùs diceret: *Perfice eam*; cur pronomen illud relatiuum prætermiſit, & ſolum dixit: *Perfice*? Cauit Dauid, ne abſoluta perfectio crederetur à Salomone eſſe, quæ ab vno Ieſu profectura conſtabat. Ieſus enim ſolus abſolutam perfectionem dedit antiquis, & nouis ſacris.
Luc. 19. Aiebat Luc. cap. 19. *Ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho*, &c. Expende illud, *perambulabat*; quo oſtenditur perfecta omnium viarum conſummatio. Vt meritò dicat Chryſol.
Chryſol. ſerm. 54. *Quare perambulat, non ambulat? Quia quod Moyſes ambulauerat, perambulabat Chriſtus; & populum, quem Moyſes induxit in viam, Ieſus ad quietem promiſſæ manſionis adduxit.* Non à Moyſe, non à Salamone, non ab alio quopiam, ſed vno Ieſu venit perfecta rerum conſummatio. Quò ſunt trahenda dicta tom. 3. de Chriſto figur. lib. 6. c. 7. §. 1.

§. XV.

Chriſtianorum epulæ è cælis.

EXpende illa: *Dedit autem Dauid Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cænaculi*, &c. In templo fiebant cellaria, & cœnaculum pro Sacerdotibus, & Leuitis ſuſtentandis. Nec miror, parauit enim verus Salomon Ieſus in Eccleſia ſua pro ſuis alumnis ſa-
Cant. 1. turandis ditiſſima cellaria. Vt dicat ſponſa Cant. 1. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Circa quæ D. Ambroſ. lib. 5. de
Ambroſ. ſacram. cap. 2. ait: *Introduxit me Rex in promptuarium ſuum, in cellarium ſuum. Vbi bona libamina, vbi boni odores, vbi mella ſuauia, vbi fructus diuerſi, vbi epulæ variæ, vbi plurimis epulis tuum prandium conditur.* Abundant equidem cellaria Chriſtianæ Eccleſiæ epulis, quæ a cœlo deſcendant, & nos ſatient. Actiu. 10. Petrus dum in parte ſuperiori domus oraret, eſuriit, & dum paratur prandium cecidit in
Act. 10. mentis exceſſu. Quid tunc? *Vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta eſt vox de cælo ad eum: Surge Petre; occide, & manduca.* Conueniant huc Dauid, & Salomon, & videant, an talia cellaria fecerint in templo ſuo, qualia noſtræ Eccleſiæ caput Petrus habuit? Huic cœli reſerantur, & de cœlo ſummittitur vas plenum dapibus, quas miniſtrabant Angeli. Rem pulchrè tractat
Ambroſ. D. Ambroſ. ſerm. 67. aiens: *Pranſuro igitur Petro deſunt coquorum apparatus, deſunt obſequia famulorum; ſed, quod eſt melius, miniſteria diuina non deſunt, & vtili commutatione ſancto viro, quod deeſt in terris, abundat in cælis. Vt reficiatur enim Petrus, non cellarium ſolicitè reſeratur, ſed cælum ipſum protinus aperitur. Legimus Heliam in deſerto coruis miniſtrantibus paſtum, quanto melius Petrus, cui non paruam eſcam tetra auis porrigit, ſed integrum conuiuium multitudo angelica ſubminiſtrat.* E multis hæc pauca decerpſi, vt videas, quàm diſſident templi Hieroſolymitani, & Chriſtianæ Eccleſiæ cellaria; illa à Salomone facta ſunt; pro iis cœlum ſtatuitur a bono Deo factum. Ibi miniſtræ ſunt triſtes aues, hic miniſterium exhibetur ab Angelis. Terrenæ ibi, & corruptiles dapes; hic cœleſtis & superſubſtantialis panis. Vt meritò dicat
Zeno. D. Zeno lib. 3. ſerm. 38. *Illis irrorata eſt eſurientibus manna; nos autem eſurire non poſſumus: ſempiternam qui cæleſtis panis nobiſcum portamus annonam. Illis ſitientibus petra fluxit in poculum: ad Chriſti fontem, qui biberit, in æternum ſitire non nouit:* Proh Chriſtianorum fœlicitas, quibus ſuperabundant cœleſtia promptuaria; vt æternam depellant famem.

§. XVI.

Præſules Eccleſiæ non ſolùm ſpiritualia, ſed & temporalia ſubſidia debent ſuis.

NOn prætereibo, quòd cellaria, & cœnacula Dauid templo adſcribat, dicente textu: *Dedit autem Dauid Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cænacul.* Quid cellarium, & cœnaculum ad templum? Planè iam tunc monebantur Eccleſiæ Præſules, quòd ad rem templi, cœnacula, & cellaria adiungant, ne ſiſtant in ſolis ſpiritualibus communicandis, ſed inſuper parent ſubditis pauperibus cibos. Quò ſpectans Dominus Cantic. 4. aiebat: *Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa, pulchriora ſunt vbera tua vino.* Notatur eccle- Cant. 4.
ſiaſticorum Principum pulchritudo per Deum requiſita; quæ conſiſtat, non in vna tantùm mamma, qualem pugnaces Amazonæ habere dicuntur; ſed in duabus, vt ſcilicet & lacte doctrinæ, & lacte ſubſidij temporalis ſubditos nutriant. Circa quæ Gillib. Abbas ſerm. 31. in Cantic.
inquit: *His vberibus geminis erga ſubditos abundare debet, qui doctoris, & patris in Eccleſia locum occupat, his mammis mammis à dextris, & à ſiniſtris, vt qui ei commiſſi ſunt, potentur à lacte, & ſatientur ob vberibus conſolationis eius. Horum alteram reputa ſiniſtram, alteram dexteram. Siniſtram in temporalibus ſubſidiis, dexteram in ſpirituali conſolatione.* Itaque qui Prælaturam tenet in Eccleſia, ſimul & duo vbera debet habere, vt & ſpiritualibus, & temporalibus ſubſidiis ſubditorum proſpiciat. De ſæcularibus Principibus dicebat Iſai. cap. 60. Gillib.
Mamilla Regum lactaberis. Non duas illis, ſed vnam tantùm attribuit mamillam, hi enim in ſolis temporalibus adiuuant ſubditos, vt dicat ſupra Gillib. *Mamilla, inquit Iſaias, & non mamillis, eo quòd Regum eſt temporalibus præcipuè bonis Eccleſiam fouere; hæc enim ſiniſtra eius eſt, in qua ſunt diuitiæ & gloria.* Vt Principes ſæculi temporalibus tantùm debent præcipuè fouere ſubditos; ſic Principes eccleſiaſtici & temporalibus, & ſpiritualibus ſubditorum debent proſpicere. Nec credant ad aliud accipere bona temporalia, niſi vt illis foueant ſubditos ſuos, pauperes Chriſti. Phariſæi, & Sacerdotes Iudæorum Matth. 27. vbi viderunt a Iuda nummos in templum refundi, dicebant. Iſai. 60.
Non licet eos mittere in corbanam, quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli ad ſepulturam peregrinorum. Et cur homines auariſſimi non magis ſibi nummos attribuunt? Ait D. Ambroſius ſerm. 51. *Prouidentia Dei factum puto, vt pretium Saluatoris non peccatoribus ſumptum præbeat, ſed peregrinis requiem ſubminiſtret.* Horret enim ſemper Ieſus, quòd pretium ſanguinis ſui, qualia ſunt bona temporalia Eccleſiaſtica, prophanis inſumantur ſumptibus, & non magis foueant pauperes ſuos. Matth. 27.
Ambroſ.

1. *Paralip.* 28. Dixit quoque Dauid Salomoni filio ſuo: Viriliter age, & confortare, & fac: ne timeas, & ne paueas: Dominus enim Deus meus tecum erit, & non dimittet te, neque derelinquet, donec perficias omne opus miniſterij domus Domini. Ecce diuiſiones Sacerdotum, *&c.*

§. XVII.

Id enixè curandum, quod internè Deo fias, quod illi in externis operibus exhibes.

INde tollit Dauid omnem timorem à Salomone in ædificando templo; quia ipſe in ſe habebat Deum. Dicit enim: *Ne timeas, ne paueas, Dominus enim meus tecum erit*, &c. Cur enim timeat in ædificando externo templo, qui etiam intrinſecus in animo ſuo ſedem, & templum parat Deo? Equidem qui in ſe, tanquam in ſede habet Deum, non timeat in ædificatione ſedis externæ. Luc. 21. dicentibus

diſcipulis

Luc. 21. diſcipulis de templo, *quod bonis lapidibus, & donis ornatum eſſet, ait Ieſus: Hæc, quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Sic Iudæorum calamitatem minatur in deſtructione tanti templi. Et quando à deſtructione templi tanta ruina & calamitas in Iudæos venit, cur magis Salomon non timeat, non paueat ædificare illud? Rationem reddunt illa verba: *Dominus enim meus tecum erit.* quibus notatur ſedes Dei eſſe in animo Salomonis, dum ſedes Dei externa ab illo paratur in templo. Vbi autem internè Deo fiat, quod extrinſecus exhibet, nil habet timendum. Perditio enim tunc venit, quando quod exterius offertur, in nullius animo inuenitur à Deo.

Zeno. Ait D. Zeno lib. 2. ſerm. 24. *Non relinquetur in templo lapis ſuper lapidem, qui non diſſoluatur. Reprobat ergo Deus tam immenſum, tam inſigne, tam opulens templum: quia in eo verum non erat templum. Etenim hominum conciliabulum eſt contextio illa parietum, fidelis autem populus Dei templum.* Vbi in hominum cordibus nullum erat Dei templum, nulla Dei ſedes, non miror quòd externum templum reprobetur à Deo vnà cum gente. Hoc curet quis, vt intrinſecus in ſe fiat Deo idipſum, quod extrinſecus illi exhibet, & non ruinam timendam, ſed ſalutem ſperandam obtinebit. Memorans Luc. c. 2. fortunatiſſimos illos, qui in templo Hieroſolymitano Ieſum

Luc. 2. recèns natum viderunt, de Anna vidua dicit: *Quæ non diſcedebat de templo*, &c. Sed multæ fœminæ, & virgines in templo aſſiduæ erant, cur hæc ad tantum bonum peruenit?

Hieronym. Ait D. Hier. in Pſalm 49. ad Principiam: *Anna filia Phanuelis in templo templum efficitur Dei, & quotidiano ieiunio cæleſtè panè inuenit.* Expende illa, *in templo templum efficitur Dei*; cæteræ præſentiam templi externam habebant, ſed non fiebant interno animo templum. Hæc quod extrinſecus colebat templum, intrinſecus in animo ſuo etiam oſtendebat, quoad ſalutis fontem peruenit. Ex quo nos monet D. Bern.

Bernard. ſerm. 1. de Purific. dicens: *Cum beata Anna non dimoueamur à templo, templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos, ait Apoſtolus. In cordibus veſtris per fidem habitat Chriſtus. Hoc templum eius hæc ſedes eius*, &c. Hoc de beata Anna ſumamus exemplum, quòd in externi templi aſſiſtentia curemus in cordibus noſtris fieri Dei templum, & illi præbere ſedem. Huc trahe dicta tom. 8 de Chriſto figur. lib. 8. cap. 21. §. 3.

1. *Paral.* 29. Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum, & tenellum: opus enim grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo. Ego autem totis viribus meis præparaui impenſas domus Dei mei. Aurum ad vaſa, *&c.*

§. XVIII.

Non annorum ætas æſtimanda apud Deum, ſed virtus.

VBi Dauid oſtendit ſolum Salomonem electum ad tantum opus, non veretur illum nominare puellum tenellum. Dicit enim: *Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum*, &c. Nec nouum eſt ad magna etiam præſtanda tales eligi à Deo, apud quem non cenſetur annorum ætas, ſed virtus. Poſt reiectos à Domino ma-

1. Reg. 16. iores Iſai filios dicebat Pater 1 Reg. 16. *Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. Et ait Samuel ad Iſai. Mitte, & adduc eum*, &c. Paruulum reſtare audit Samuel, & petit ſibi paruulum adduci. Cur non magis paruulum deſpicit? Crede mihi, nulla ætas deſpectui eſt Deo, dum adſit virtus. Quò reſpi-

Chryſoſt. ciens D. Chryſoſtomus in Pſalm. 50. ait: *Adoleſcens Dauid in eremo oues paſcebat. Non ceſſabo ſæpiùs adoleſcentulum nominare, vt nullus neque iuuenem culpet, neque ſenem collaudet. Non enim canities laudabilis, neque iuuentus culpabilis. Multi quidem & in iuuentute Philoſophiam demonſtrauere, & in ſenectute lapſi ſunt.* Equidem nec nimis fidendum eſt ſenectuti, nec de iuuentute deſperandum, non enim ſemel de iuuentute præſtantiſſimi extiterunt, qui magna Deo patrarent. Quorum

Idem. nonnullos memorans Chryſoſtomus vbi ſuprà ait: *Tres pueri in ignem ſunt Regis imperio miſſi, & quæ virtute cæleſti præditi erant, quam ſibi bene viuendo acquiſierant, flammas in rorem conuerterunt. Sed & Daniel cùm eſſet duodecim annorum, leonum rabiem in ouium manſuetudinem commutauit, & ferociam illorum fide fregit. Neque enim iuuenem culpes, nec collaudes ſenem*, &c. Cùm dicit Sanctus à Daniele duodenni leonum rabiem confractam, leonum nomine ſenes laſciuientes, & in Suſannam rugientes intelligit. Hos enim à puerulo Daniele perditos certum eſt, vt videas ſenectutem à pueritia ſuperatam; pueriles enim anni virtute præditi ad magna peragenda eliguntur à Deo.

§. XIX.

Vitæ nouitas Ieſu placet.

NOn otioſè puerulus, tenellus eligitur, vt templum Dei ædificet, cùm dicitur: *Salomonem filium meum vnum elegit Deus adhuc puerulum, & tenellum.* Iam enim in templi ædificatione Chriſtus adumbrabatur, cuius eſt vetuſta dimittere, & nouæ vitæ operibus adgaudere. Sic Luc. 19. ait

Ieſus: *Ite in caſtellum, quod contra eſt, in quod introeuntes inuenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum ſedit, ſoluite illum, & adducite*, &c. Expende, quid petat ſibi adduci, nimirum *pullum aſinæ*. Et cur pullum, niſi vt oſtendat, quàm gaudeat ſibi adiungi, qui nouitatem vitæ tenent? Ait Apol- Luc. 19.

linaris in caten. Græca D. Lucæ. *Per hoc, quòd pullo aſinæ inſederit, nobis declaratur, cæleſtem ducem, & Ieroſolymæ Regem nouo populo inſediſſe. Pullus enim ſignificabat vocationis nouitatem*, &c. Apollinar.

Sic Ieſus nouitate vitæ tenetur, nihil amat vetuſtum, ſed quidquid veteris hominis eſt, abiiciens nouitatem viuendi in ſuis requirit. Luc. 2. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino*, &c. Orituro Ieſu defecit edictum Auguſti, & deſcriptio Cyrini, ſed quare notatur deſcriptio hæc fuiſſe prima? Ne quid vetuſtum oſtenderet Ieſum, cui omnia no- Luc. 2.

ua, & recentia adſcribuntur. Ait D. Ambroſ. ibi: *Dum profeſſio ſæcularis obtenditur, ſpiritualis impletur, non terrarum Regi dicanda, ſed cœli. Profeſſio iſta fidei cenſus animorum eſt. Abolitio enim Synagogæ cenſu vetuſto, nouus cenſus Eccleſiæ parabatur.* Recedant vetera, neceſſum eſt, & noua ſint omnia vbi Eccleſia Chriſti affulget. Quidquid enim Chriſti eſt, de nouitate Ambroſ.

vitæ debet fulgere. Ait Ioan. Apocal. 21. *Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam, deſcendentem de cœlo à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Ecce tibi, quæ ſponſa à Deo Chriſto ſuo parabatur, in primis noua dicitur, radiat enim ſemper Eccleſia Chriſti de nouitate vitæ. Ex quo monet D. Ze- Apocal. 21.

no lib. 2. ſerm. 14. *Exultate igitur fratres, ædificationémque veſtram æde iſta de nouella cognoſcite.* Non de veteri homine, ſed de adoleſcente ſecundo & nouo quærendum, quales nos exhibeamus Deo. Huc refer dicta tom. 2. in Euang. lib. 7. cap. 1. §. 12. & alibi. Zeno.

§. XX.

Deus non ſic ſuperbam templorum magnificentiam, vt intimam cultorum deuotionem æſtimet.

AVrum, argentum, lapides pretioſi à Dauide parati pro ædificando templo multos rapiunt in admirationem. Me autem longè cumulatiùs implet Dauidis deuotio in colendo Domino. Audite ſanctem in præſenti: *Ego autem totis viribus meis præparaui impenſas domus Dei mei. Aurum ad vaſa*, &c. Miraris aurum, argentum, lapides pretioſos, ingentéſque opes dicatas templo Domini? Ego magis miror illam Principis ſæcularis, & militis deuotionem, qua dicit, *totis viribus meis paraui*, &c. Totum animi conatum, totam mentis intentionem, & contentionem, totam regni potentiam eo Dauid adhibuit, vt decenter coleretur Dominus. Hæc Dauidis deuotio ſingularis eſt veri Dei gloria, cæteræ opes, & externæ pulchritudines forſan communes poſſunt eſſe vel dæmoniis. Rem tractat ſapientiſſimè Diuus Zeno lib. 2.

ſerm. 24. aiens: *Quamuis ſit optimum laudare, quæ Dei ſunt, tamen præcipuum non eſt, quod cum gentibus, vel Iudæis poteſt eſſe commune. Nam & illi, ſi liceat, vel ſi velint fortaſſis cultiùs Synagogas ædificent, cultiùs erigant Capitolia*, &c. *Sed hæc ſæcularia ſine legitimo, ac deuoto cultore, nec ſufficientia, nec neceſſaria honori ſuo proteſtatur Deus, dicens: Cœlum mihi thronus eſt, & terra ſuppedaneum pedum meorum, quam mihi ædificabitis domum?* Totus ille Zeno.

diues, & ſuperbus ornatus exterior, vt communis eſſe poteſt idolis, & prophaniſſimis hominibus, ſic non æſtimatur à Domino, vbi deficit cultor deuotus. Non in auro, & argento, & lapidum pretio, ſed in deuotione, & virtute cultorum ſingularis exaltatur gloria Domini. Pro qua extollenda monebat D. Petrus 1. epiſt. c. 2. (1. Petr. 2.) *Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini, domos ſpirituales, ſacerdotium ſanctum*, &c. Duo petit à fidelibus, vt ſuperædificentur tanquam viui lapides, & vt fiant ſacerdotium ſanctum. Et quid in eo, quòd tanquam viui lapides ædificentur? Vt mortui lapides in ædificio adunantur, & alter alteri cohæret, vt exurgat parietis pulchritudo. Sic fideles ſe veniant, & inter ſe arctiſſimo charitatis vinculo cohæreant. Inſuper; vt Sacerdotis munus eſt vni Deo vacare, ſic viui iſti lapides vni Deo vacent, nihil in eo a Sacerdotibus differentes; qui ſingularem gloriam vero Deo faciunt. (Zeno.) Ait D. Zeno ſuprà: *In his enim virtutibus ſolis Sacerdotum Dei ſtructura & propria eſt, & perennisque & Iudæos, & gentes, vel cæteros antecedimus. Incomparabilis autem gloria, at vero Deo digna, cum vno conſenſu, vna fide alter alterum commendans, deuotione conſimili conuertuntur ad Deum, & Sacerdos, & templum.* Quid pulchrius? Hæc planè eſt incomparabilis veri Dei gloria, cuius cultores ſic in fide, & charitate adunantur, alter alterum commendans; ſic vni Deo vacant, vt in iis videatur eſſe Dei Sacerdos, & templum. Fideles enim adunati charitate inter ſe, & ad Deum, præter quàm Dei templum ſunt, & Sacerdotes eſſe videntur. (1. Reg. 24.) Nota eſt Dauidis hiſtoria 1. Regum 24 vt nactus Saülem in ſpelunca, illi pepercerit, imò & ſuos cohibuerit, dicit enim textus: *Confregit illos ſermonibus.* Sed cur Princeps & dux eorum non potius vi, quam ſermonibus cum militibus agebat? Quando tanta charitate erat in Saülem, vt illum ſuis commendaret, Principis arma obliuiſcitur, & confugit ad arma Sacerdotum, quæ ſunt verba. Iam enim in ea charitate Sacerdotem agebat. (Chryſoſt.) Ait D. Chryſoſtomus homil. 2. de Dauid & Saule: *Paratos illos, & mansuetos reddiderat. Præfuerat enim illis, non vt belli dux militibus, ſed vt Sacerdos, iámque ſpelunca illa erat Eccleſia.* Ecce tibi ex quo Dauid ſibi ſocios in virtute, & charitate adiunxit, iam ibi & Sacerdos apparuit, & templum, quo ſingulariter Dei gloria extolleretur.

§. XXI.

Sanctiſſimi non plus pro Deo faciunt, quàm mundiales pro mundo.

MAgnum hoc, quòd Dauid totis viribus laborauerit, vt aurum Deo acquireret, dicit enim: *Ego autem totis viribus meis præparaui impenſas domus Dei mei. Aurum in vaſa*, &c. Dauid totas vires ſuas adhibet, vt aurum pro Deo expendat; quod auarus totis ſuis viribus nititur ſibi acquirere. (Auguſt.) Huc adeſt D. Aug. ſerm 110. de diuerſis: *Quid ergo miramini fratres, ſi amatores Dei tanta pertulerunt, vt acquirerent Deum? Amatores auri, videte quanta patiuntur. Hyemalibus aſperitatibus ſe nauigando committunt. Inflantur ventis, ſuſpenduntur, & deprimuntur fluctibus. Ineffabilibus periculis vſque ad mortem agitantur. Dicant & ipſi auro: Propter te mortificamur tota die. Dicant Martyres Christo: Propter te mortificamur tota die. Vox quidem ſimilis, ſed cauſa eſt valde diſſimilis. Ecce vtrique dixerunt, iſti Chriſto, illi auro.* Et planè non maiora faciunt pro Deo Sancti, quàm faciunt auari pro auro, & mundiales pro ſuis cupiditatibus. Vox quidem & gemitus, & labor, & ſudor, & impenſæ ſimiles ſunt & mundialibus, & Sanctis. Vtrique laborant, ſubſtantiam dilapidant. Iſti Chriſto, illi diabolo. Miraris Dauid totis viribus ſuis laboraſſe in templi expenſis colligendis, aurúmque dediſſe & argentum in fabricam. (Exod. 32.) Et quod mireris magis, accipe illud Exod. c. 32. *Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de vxorum, filiorúmque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. Fecit populus, quæ iuſſerat, deferens inaures*, &c. Ad idoli fabricam requiritur aurum, & Iſraelitæ vniuerſi amant filios, filiáſque & vxores ſpoliare, vt aurum exhibeant idolo fabricando. Quod Deo (Auguſt.) Dauid, idem Iſraelitæ præſtant idolis. Ex quo D. Auguſtin. q. 141. ait: *Factum tamen illud ipſum difficile, vt eſſet aurum ad faciendum idolum, propter eos notandum putaui, qui contriſtantur, ſi quid tale propter vitam æternam diuinitus fieri, vel æquo animo tolerari iubeatur.* Quando tanta faciunt, & impendunt homines mundiales pro idolis, quid mirum, ſi eadem Sancti pro Deo faciant.

§. XXII.

Feliciores qui in vno Ieſu nituntur.

NOn ſolùm aurum, & argentum, ſed & multos pretioſos lapides collegit Dauid ad templi fabricam, dicit enim: *Et lapides onychinos, & quaſi ſtibinos, & diuerſorum colorum, omnémque pretioſum lapidem, & marmor Parium abundantiſſimè.* Sic bonus in tot lapidibus colligendis diſtrahebatur, & laborabat. Feliciores Chriſtiani, qui in vno pretioſo, & angulari lapide Ieſu habent, quidquid poſſunt amare. Paulus ad Epheſios cap. 2. (Epheſ. 2.) *Eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Quid ais Paule de vno angulari lapide pro fabrica Chriſtiana, quando Dauid tot lapides collegit pro templo ædificando? Dauid nulli lapidi pepercit, ſed onychinos multos, & ſtibinos, & marmoreos appoſuit, cur tu vnum ſolum ſummum, & angularem porrigis? Lapis à Paulo porrectus eſt Chriſtus Ieſus, qui ſolus pro omnibus ſufficit, & in illo vno habentur omnia quæ poſſunt concupiſci, aiebat D. Zeno lib. 2. ſerm. 24. Igitur ne quis operationem a me fortè diſquirat, paucis inſinuabo; (Zeno.) *In totius fabricæ fundamentis non ſicut in Iudææ templo plurimi, ſed magnus, præclarus, pretioſus, ac ſpecioſus vnus eſt lapis Chriſtus, qui quadræ turris totam ſolus ſuſtinet molem: cui non innumerabilis variè famulatur acies validiſſima columnarum, quia illi ſeptem ſolæ ſufficiunt; non æneum iubares mare; quia illi perennis fontis ſui viuum ineſt mare: non quòd naufragos faciat, ſed quod naufragos ad vitam ſuauem perducat. Non aurum, non argentum, quia in ſuis Martyribus computat totum.* Ecce tibi Chriſtianorum fœlicitas, quibus non multi, ſed vnus lapis eſt Chriſtus, in quo vno habent quidquid indigeant. Dicebat Dauid Pſalm. 44. filiæ ſuæ Mariæ: (Pſalm. 44.) *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Vnde Dauid tam ſeuerus in filiam, quod velit illam eſſe extra populum ſuum, & domum paternam? Explicat D. Bruno (Bruno.) ſerm. in Annunt. Mariæ, inquiens: *Obliuiſcere igitur populum tuum, & domum patris tui. Omnia relinque, ſatis tibi ſit filius tuus; qui ipſe eſt Rex tuus, & Dominus Deus tuus. Ipſe tibi ſufficiat. Non amor patriæ, non propinquorum affectus te retinere valeat. Si illum ſolum habeas, diues es, & in illo omnia poſſidebis.* Felix ſanè, qui non habet neceſſe turbari ad multa, ſed in vno Ieſu habet, quidquid cupit.

§. XXIII.

Spontanea dona lætitiam afferunt donatori.

ERuebatur aurum populo pro templo ædificando, & populus lætabatur. Sic enim in præſenti: *Lætatúſque eſt populus cùm vota ſpontè promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino*, &c. Offerebant aurum, argentum, lapides pretioſos, & lætabantur. Vnde tanta lætitia afficiuntur, quando auro ſe ſpoliant? Ait textus? *Lætatúſque eſt populus cùm vota ſpontè promitterent.* Non coacta, ſed ſpontanea erant dona, quæ vbi ſpontanea ſunt, nunquam non afferunt lætitiam donatori. Pſal. 41. (Pſalm. 41.) *Introibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domũ Dei, in voce exultationis, & confeſſionis.* Expẽde cõiunctũ illud, nimirũ, *exultationis & confeſſionis.* Quid cõfeſſio ad exultationem? Confeſſio vt plurimum cum dolore, cum gemitibus miſcetur. Quis reus confitetur niſi conſtrictus tormentorum dolore? Quando ergo tormentum, & dolor comites ſunt penè inſeparabiles confeſſionis, vnde poteſt confeſſio coniungi cum lætitia, & exultatione? Cùm confeſſio ſpontaneè fit, nullo timore extorta, tunc exultatione, & lætitia replet confitentem. Vnde extollit D. Zeno (Zeno.) confeſſiones Chriſtianæ religionis, dicens lib. 3. ſerm. 32. *Inde eſt, quòd noſtra non habet neceſſaria tormenta confeſſio, quia ſine truculentis ſudore tortoris facinora ſua ſponte reus confitetur, vt fiat innocens.* Abſunt à confeſſione Chriſtiani tormenta, abſunt carnei dolores, & exultatio adeſt, quia ſua ſponte reus, vt fiat innocens, confitetur. Nec triſtitiam gignit, quod fit propria ſponte.

1. *Paralip.* 29. Et comederunt & biberunt coram Domino in die illa cum grandi lætitia. Et vnxerunt ſecundò Salomonẽ filiũ

Dauid

Dauid : vnxerunt autem eum Domino in Principem, &c.

§. XXIV.

Ad non ignobile ieiunium pertinet, quòd non comedas niſi ex præſcripto Dei.

ALienum putarit aliquis, quòd inſtante adhuc Salomonis vnctione ſecunda, & conſecratione ſummi Sacerdotis Sadochi; Principes & regni proceres menſis incumbant, & bibant, & comedant; quippe poſt oblatas hoſtias ait: *Comederunt & biberunt coram Domino. Et vnxerunt ſecundò*, &c. Qualis vnctio, quæ non niſi à bene potis? Satiùs 1. Reg. 14. *Adiurauit Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis. Et non manducauit vniuerſus populus.* Non auſus eſt Rex credere fœlicitatem pugnæ hominibus bene potis, & indixit ieiunium vſque ad obtentam victoriam. Cur non ſimiliter Dauid fœlicitati vnctionis Salomonis cauit a conuiuij potationibus? Cur non magis ieiunium indixit vſque ad finitam Regis vnctionem, & Sacerdotis conſecrationem? Erant epulæ illæ de reliquiis hoſtiarum oblatarum Domino, quæ iuxta legis præſcriptum ab offerentibus abſumi debebant. Epulæ autem ſumptæ iuxta legis præſcriptum ad tam nobile ieiunium pertinent, vt meritò Dauid non cogitarit aliud ieiunium imponere. Nonne ſatis ieiunat, qui non comedit, niſi quando præſcribit Dominus? Iter faciebat populus per deſertum, & ſingulis diebus dabatur illis manna ad comedendum, *Gomor per ſingula capita*, Exod. 16. Nec tunc temporis aliud ieiunium audio fuiſſe in populo Iſraelitico. Et cur fidelis populus tamdiu non magis ieiunat? Ait ſapienter D. Ambroſ. ſerm. 34. de Quadrag. *Intelligimus ergo ieiunaſſe filios Iſraël, quia cognoſcimus illis eſcarum copiam defuiſſe, & tunc ſumpſiſſe cibum, quando largienti Domino placuiſſet. Satis autem diu ieiunat, qui cum Chriſti voluntate ſe reficit.* Equidem ſatis diu ieiunat, qui numquam edit, niſi quando iubet Domini præſcriptum. Vt hinc pateat, quàm non ignobile ſit perpetuum Religioſorum ieiunium, quibus non licet edere, niſi quando religioſa diſciplina præſcribit. Habet Societas IESV regulam illam 16. *Nemo extra conſueta tempora bibat, nec extra domum cibum ſumat abſque facultate ſuperioris.* Hoc non eſt ieiunium a regula præſcriptum? Sanè D. Ambroſius perpetuum crederet ieiunium. *Satis enim*, ait, *diu ieiunat qui cum Chriſti voluntate ſe reficit*, qui nec edit, nec bibit, niſi vbi lex religioſæ ſtrictionis permittit.

1. Reg. 14.

Exod. 16.

Ambroſ.

§. XXV.

Vnitas, & concordia requirenda, vt Dei dona adoleſcant, & effectum habeant.

NOn contentus Dauid prima inunctione Salomonis, ſecundam modò parat. Dicit enim: *Et vnxerunt ſecundo Salomonem filium Dauid*, &c. Et cur non prima contentus eſt? Saul inunctus ſecundò fuit, quia primò non publicè, ſed occultè vnctionem accepit. Similiter & Dauid, quia primò occultè vnctus eſt, ſecundò publicè vngitur in Regem Iuda, & tertio, quia nouum Iſraelis regnum accepit. Salomon autem primò & publicè & totius regni Iſraelitici Rex inunctus eſt. Cur ergo Dauid non contentus eſt illa prima inunctione, ſed & quod ſecundò inungatur in præſenti ſatagit? In prima inunctione Salomonis non fuit vnitas, & concordia populi, quia & omnes filij Regis, & Ioab, & Abiathar, & multi alij proceres cum non parua turba plebeiorum pro Adonia ſtabant, illúmque ſimiliter vnxerant. Vnde Dauid ſapientiſſimus ſecundam hanc inunctionem parat, in quam vniuerſi conueniant, & filij Regis cæteri, & Principes militiæ, & centuriones, & tribuni, & Sacerdotes, & populares: à quibus omnibus vnanimiter Salomon Rex inungatur. Sciebat enim vnitatem & concordiam maximè neceſſariam, vt dona Dei promiſſa regno illi effectum habeant. Sic Iſaac cap. 27. Geneſ. poſt datam benedictionem Iacob, nolebat benedicere Eſau clamans: *Venit germanus tuus fraudulenter, & tulit benedictionem tuam*, &c. *Tibi poſt hæc, fili mi, vltrà quid faciam?* Sic habens duos tantùm filios credebat in vno ſtagnatam omnem benedictionem, vt nihil ad alium ſuperaret. Sed Iacob duodecim filios habens libentiſſimè omnibus benedictionem impertiit. Et cur Iſaac duos ſimul filios benedicere detrectat, quando Iacob duodecim filiis benedictionem dat? Duo illi Iſaaci filij diuidendi erant; at duodecim Iacobi filij in vnum populum, vnámque gentem erant coadunandi. Ne miremur, quòd benedictio fugiat diſcordes, & diuiſos, amet concordiam, & vnitatem, ſine qua dona Dei nullum incrementum capient. Ait Rupert. lib. 9. in Geneſ. c. 22. aiens: *Cur non Iſaac duos filios habens, vtrumque benedixerit, cum Iacob plures habens, ſingulos benedixerit benedictionibus propriis? Facilis reſponſio eſt, quia duo filij Iſaac in duos populos erant diuidendi, ſicut oraculum diuinum prædixerat Rebeccæ, plures autem filij Iacob vna gens, & vnus populus in vnitate paternæ fidei Deum verum & vnum poſſeſſuri erant.* Fugienda eſt diuiſio, & diſcordia, amplectenda autem vnitas, & concordia ei, qui amat dona Dei, benedictiones Dei adoleſcere, & peruenire ad effectum. Pſalm. 103. dicebat: *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non commouebitur*, &c. Quibus non ſolùm hæc terra, quæ calcatur, ſed & terreni homines, inter quos mirum eſt, quòd ſtabilitas permaneat. Vnde terreni homines ſtabilitatem minimè perturbandam poſſunt habere? Ait Paul. ad Epheſ. 2. *Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Quando terreni licèt homines ſic in vnum conueniant, vt nullam diuiſionem admittant, eam ſtabilitatem & firmitatem conſequentur in donis diuinis, qua nullam perturbationem incurrant. Ait Arnob. ibi: *Tunc fundauit terram in ſtabilitatem ſuam, id eſt, terrenas mentes gentium, quæ fuerunt in fabrica turris diuiſæ, nunc ad ſtabilitatem ſuam reuocans in vno verbo Ieſu Chriſti corroborat, & ita fundat in eis Eccleſiam ſuper hanc petram, vt non inclinetur in ſæculum ſæculi.* Ecce tibi ſtabilitas & firmitudo gentium minimè perturbanda vnde oritur, nimirum ex eo, qui diuiſione dimiſſa, in vnum conueniant, & ſuprà vnam angularem petram Ieſum conſiſtant. Et cur vnitas, & concordia ad dona Dei ſtabilienda non conducat, quando ſine illa nullum intentum perducetur ad finem? Aaron coactus à populo Idolum fabricare, ait Exod. 32. *Tollite inaures aureas de vxorum filiorumque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.* Et cur Aaron ad nefarium opus perficiendum aureas inaures filiorum filiarúmque petiuit? Nonne ad id quodcumque aliud aurum ſufficeret. Cur magis amauit aurum de inauribus? Petit ſapienter inaures filiorum, filiarumve, & vxorum, vt inde domeſticas diſcordias inducat, credens, ſi ſemel diſcordia ſeminaretur, minimè nefarium opus perficiendum eſſe. Ait ibi Caiet. *Poterat quidem Aaron petere aurum aliud ab illo, quod erat formatum in aures, ſed quærens cautè diuertere furorem populi, poſuit hoc difficile, vt diſſenſio domeſtica in domo qualibet oriatur, reluctantibus mulieribus, & pueris.* Sic diſſenſio procuratur ad quodlibet intentum fruſtrandum.

Geneſ. 27.

Rupert.

Pſalm. 103.

Epheſ. 2.

Arnob.

Exod. 32.

Caiet.

§. XXVI.

Qui ad Dei poſſeſſionem pertinent, benedictionibus cœleſtibus implentur. Non ſic alieni.

EXpende adhuc illud: *Vnxerunt ſecundo Salomonem filium Dauid. Vnxerunt autem eum Domino in Principem.* Si enim quæras, cur neceſſum fuit ſecundò Salomonem vngere? Statim textus illa reſpondit: *Vnxerunt autem eum Domino in Principem.* In prima enim vnctione tantùm curatum fuit, vt daretur Rex populo, qui eum regeret, in ſecunda autem maximè curabatur, vt Rex daretur Deo, qui à Deo haberetur, & poſſideretur. Nec miror, quòd Dauid hanc ſecundam filij amaret vnctionem, vt enim illa fiebat Dei pars, & poſſeſſio, ſic in illo implendæ erant diuinæ benedictiones Iſaac. Geneſ. 27. poſt benedictum vnum filium maximè detrectabat alteri impendere benedictionem. At Iacob Geneſ. 48. *Benedixit filiis Ioſeph*, &c. non ſolùm decem filiis ſuis benedixit, ſed & duobus nepotibus, Ioſephi filiis. Cur ergo Iſaac habens tantùm duos filios, detrectat alterum benedicere, Iacob autem & filiis benedicit, & nepotibus? Alter Iſaaci filius augendus erat in populum, qui non pertineret ad dominium. Filij autem Iacob, & duo eius

Geneſ. 48.

nepotes conſtituti erant vnum populum, qui pars eſſet & poſſeſſio Domini, & ideo in illo implendæ votueriæ Dei benedictiones. Rupertus lib. 9. in Geneſ. capit. 22. [Rupert.] *Filij Iſaac in duos erant populos diuidendi: plures autem filij Iacob vna gens, & vnus populus in vnitate paterna fidei Deum verum, & vnum hereditate poſſeſſuri, vel ab ipſo erant poſſidendi.* Expende illa, *ab ipſo erant poſſidendi*; inde enim filij Iacob omnes oſtenduntur aptiores, vt in eis diuinæ benedictiones implerentur, quia facti ſunt omnes erant populum Domino, qui poſſideretur à Domino. Numquam enim qui ad Dei pertinet poſſeſſionem, non cœleſtibus implebitur benedictionibus Iſaias cap. 26. [Iſai 26.] *Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera noſtra operatus es in nobis. Domine Deus noſter, poſſederunt nos domini.* Verùm catena Græca in Pentateuch. & D. Cyrill. Alex. legunt: *Domine Deus noſter, da nobis pacem, omnia enim tradidiſti nobis, Domine Deus noſter poſſide nos.* Vt pacis benedictionem obtineat à Domino, hoc petit, nimirum, vt poſſideatur à Domino; qui enim fit Dei poſſeſſio, iam habet, vnde omnes benedictiones habere poteſt. Quò reſpiciebat Euſeb. in caten. Græc. dicens: [Euſeb.] *Bona quidem ſunt bona alia, quæ à te conceduntur, ſed nullum maius donum à te habemus, quàm pacem erga nos ipſos, vt ſine ſeditione tecum ſimus, & anima noſtra tecum cuſtodiatur: hoc autem fieri poteſt, ſi dignatus fueris nos tui ipſius propriam poſſeſſionem efficere.* Expende hæc vltima: *hoc autem fieri poteſt, ſi dignatus fueris nos tui ipſius propriam poſſeſſionem efficere.* Quod enim omnia bona etiam præſtantiſſima obtineamus à Deo, fieri poterit, ſi eius poſſeſſio ſiamus. Qui enim Dei eſt, quid non obtineat ab illo? Aiebat Simeon ille Luc. 2. [Luc. 2.] *Nunc dimitte ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum.* Quod omnibus fuerat paratum, vnus habet Simeon in vlnis. Et quis Simeon? Ipſe ait: *Dimitte ſeruum tuum Domine*; vt ſeruus eſt tuus Domine, ſic tantum ſaluus habet bonum. Commendabatur Dei incarnata ſapientia illis verbis Cant. 4. [Cant. 4.] *Hortus concluſus, fons ſignatus.* Et qui fieri poteſt, vt laudi detur concluſio, & ſignatio fontis? Prouerb 5. dicebat: [Prouerb. 5.] *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas ſolus, ne ſint alieni participes tui.* Illic laudatur aquarum concluſio, & ſignatio, hic petitur magis illarum deriuatio, & communicatio, vſque adeò vt per plateas currant. Si adeò communicandæ, & deriuandæ ſunt vſque ad plateas, ad quid obſignatio, & concluſio? Ait textus: *Ne ſint alieni participes*, &c. Equidem vt Dei gratiæ efficaces, & donationes ſunt concluſæ, & obſignatæ alienis, ſic patentiſſimæ ſunt ſuis. Pulchrè D. Bern. ſerm. 1. de Purificat. Mariæ: [Bernard.] *Deriuantur aquæ tuæ foras Domine Deus, nihilominus tamen fons tuus tibi proprius eſt, & non bibit alienus ex eo. Qui tuus eſt, non videbit mortem, donec viderit Chriſtum Domini, vt ſecurus dimittatur in pace. Quid ni dimittatur in pace qui Chriſtum Domini habet in pectore?* Expende illa: *Non bibit alienus ex eo. Qui tuus eſt*, &c. currant licèt per plateas Dei dona, Dei benedictiones pertinentes ad vitam æternam, non bibunt ex eis alieni. Qui tui ſunt Domine, qui ad tuam poſſeſſionem pertinent, hi largiſſimè donis tuis fruuntur. Heu quoties vidi diuinæ miſericordiæ fontes foras præſilire, & per plateas diffundi: nimirum Euchariſtiam foris proponi omnibus, & tamen à pluribus intactam præteriri. Quid hoc? Non bibit alienus ex ea; licèt ad plateas vſque effundatur, ſuis patens eſt, ſed alienis obſignata, & concluſa. Ioan. 1. [Ioan. 1.] *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Adeò ſe diffudit lux diuina, vt vel ad ipſa tenebrarum clauſtra penetraret, & ipſos tenebroſos homines attingeret. Illi autem non æſtimant illam, neque attingunt. Cur hoc? Alieni ſunt. Ait D. Bernard. vbi ſuprà, [Bernard.] *Et lux*, inquit, *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ac ſi dicat: Et in plateis deriuantur aquæ, & alienus non bibit ex eis. Et miſericordia in medio templi eſt, nec tamen accedunt, quos manet æterna damnatio. Medius veſtrum ſtat ô miſeri, quem vos neſcitis, vt morientes antequam videritis Chriſtum Domini, non in pace dimittamini, ſed potius rapiamini, à rugientibus præparatis ad eſcam.* Proh Deus immortalis patentiſſimus tuis, ſed obſignatiſſimus alienis. Qui tui ſunt profluentibus miſericordiis implentur; alieni autem etiamſi præ manibus habeant miſericordiæ tuæ fluctus, quàm longiſſimè ſe faciunt ab illa.

CAPVT V.

Adoniæ & Ioabi mors.

TEXTVS HISTORIA.

DAVIDIS defuncti iuſta ſoluerat Salomon, & in regali ſolio ſolus conſederat; quem populus fauſtis acclamationibus implens perpetuam rerum fœlicitatem precabatur, vitámque diuturnam. Adonias verò non ſine fraudulento animo ad Bethſabee Regis matrem venit, ſignificauit ſe in Salomonis regno libenter diuinis placitis conſentire; inter ſuæ fœlicitatis titulos numeraturum, ſi mereretur de manu Regis puellam Abiſag in coniugem accipere, quæ etſi patri fuerat nupta, publicè tamen cenſebatur intacta virgo. Annuit Bethſabee adoleſcenti, ſuámque operam promittit, vt Regis animus applaudat fratris petitis nuptiis. Nec pigra fuit, in præſtandis promiſſis, ad cubiculum filij properat, in quo tunc erat regius thronus, alteráque perducta ſella a dextris Regis conſedit iubente Rege ipſo. Aduentus ſui cauſam proponit, & vt erat animo ſincero, ſic precabatur Abiſag nuptias optanti Adoniæ. Loquebatur mater, & Salomoni omnia ſuboluerunt Adoniæ molimina, curantis per thalamos adire regnum, quod ſibi credebat debitum ex natura. Dimiſſáque matre, & accito Banaia Præfecto militum, iubet ea ipſa die mortem inferri Adoniæ. Nec ibi quieſcit, ſed & Abiatharem Sacerdotem tegit Adoniæ procuratorem mandat in exilium, ab eius ſanguine abſtinens ob religionis obſequia, & ob officia præſtita Dauidis. Procedebat ad Ioab Regis ira, qui ad famam cæſi Adoniæ, ſibi cœperat timere, & ad altare Domini confugerat, à quo nullis verbis dimoueri potuit, adeò vt neceſſum fuerit, inſtante Regis præcepto, ibi perimi, & ſepeliri. Quo tandem ſoluit, quas ipſe nefariſſimè neces duobus caritatiſſimis Principibus Abnero, & Amaſæ intulerat. Tunc Abiatharis ſacerdotij munus datum eſt Sadocho, & Dei minæ de auferendo ſacerdotio de domo Eli, ſunt ad effectum perductæ. Vnus reſtabat Semei impudentiſſimè in Danielem iniurius; qui Regis præcepto cogitur ædificare domum Hieroſolymis, ibique ſub iuramento dato manere, nec vnquam inde exire. Quod vt iurauit, vtinam impleret, & viueret. Sed poſt triennium dum ſeruos fugitiuos ſequitur, ab Hieroſolymis exit, & ad Gethæorum gentem proficiſcitur. Redeuntem autem excepit hominem Regis ira, quæ fracti iuramenti reum percuti iubet. Maximè optarem hanc Regis ſeueritatem vſque ad hæc tempora duraſſe in periuros.

MORALIA CIRCA textus literam.

PACATISSIMI Regis initia nefariorum ſanguine madere video, ne credatur pax eſſe poſſe, vbi deſunt nefariorum ſupplicia.

3\. *Regum* 2. Salomon autem ſedit ſuper thronum Dauid patris ſui, & firmatum eſt regnum eius nimis. Et ingreſſus eſt Adonias filius Haggith ad Bethſabe matrem Salomonis. Quæ dixit ei: Pacificus ne eſt ingreſſus tuus? Qui reſpondit, Pacificus. Additque: Sermo mihi eſt ad te. Cui ait: Loquere; & ille. Tu, inquit, noſti, quia meum erat regnum, & me præpoſuerat omnis Iſraël ſibi in Regem; ſed tranſlatum eſt regnum, &

factum

factum eſt fratris mei, à Domino enim conſtitutum eſt, *&c.*

§. I.

Per Mariam veri Salomonis matrem omnia ſalutaria.

VT Regem ad ſe traheret Adonias, confugit ad Bethſabee matrem Regis, ait enim: *Et ingreſſus eſt Adonias filius Haggith ad Bethſabee matrem Salomonis.* Longè fœliciores; qui ad Mariam veri Salomonis matrem confugiunt, quidquid enim ſalutare eſt, per illam accipimus.
Bernard.
Vt dicat D. Bernardus ſermon. 4. in vigil. Natiuit. *Datum eſt Mariæ, vt per illam acciperes, quidquid haberes,* &c. *Quia nihil Deus nos habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret.* De Maria enim nihil ad nos ſalutare non debet venire. Matth. cap. 1. narrationem genealogiæ Ieſu aggrediens
Matth. 1.
ab Abraham incepit, dicens: *Abraham genuit Iſaac,* &c. & tandem in Maria finiuit, dicens: *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus.* Et cur finiturus in Maria, non magis à Deo incepit, qui produxit Adam; Adam autem Seth, &c. Vel cur non magis incepit à Seth, à quo denominati ſunt Dei filij? Cur magis placuit incipere ab Abraham. Inde incepit, vnde clariùs oſtenderetur noſtra ſalus & fœlicitas per Mariam futura. Vt enim ab Ægypto egreſſus Iſrael per quadraginta & duas manſiones peruenit ad Iordanem, & inde occupauit terram promiſſam. Sic Ieſus poſt quadraginta & duas generationes ab Abraham peruenit ad Mariam, à qua in omnia bona nos introducit. Ait D. Hieronym. epiſtol. ad Fa-
Hieron.
biol. in principio. *Per has generationes currit verus Hebræus, qui de terra feſtinat ad cælum tranſire; & Ægypto ſæculi derelicta, terram repromiſſionis ingreditur. Nec mirandum ſi in illo numeri ſacramento perueniamus ad Regna cælorum, ſub quo Dominus atque Saluator à primo Patriarcha peruenit ad virginem, quaſi ad Iordanem, quæ pleno gurgite fluens Spiritus ſancti gratiis redundabat.* Equidem vbi ſiſtitur in Maria, non tot fluctibus exundat Iordanis, vt illa gratiis, & fauoribus exundat, quæ nos in ſalutem perducant. Et quæ gratiarum abundantia non per Mariam? Dicebatur Deo Cant. 1.
Cant. 1.
Oleum effuſum nomen tuum. Cur effuſum? Nonne in cœleſti vaſe incluſum ſeruabatur? Ex quo ergo habuit, vt effunderetur, & diffunderetur? Ait Petrus Damianus
Damian.
ſermon. de Natiuit. *Pax inaudita à ſæculo regnat, vniuerſus orbis ad cenſum deſcribitur; riuus olei de terra perſudat, & in diuitem venam liquor ſanctificatus ebullit. Quid eſt hoc? Niſi quia vera pax in terris apparuit, niſi quia ad ſupernum regnum ciues adſcribuntur, niſi quia fons miſericordiæ de virgine emanat? Oleum effuſum nomen tuum.* Inde pacis, & miſericordiæ fluctus exundant, quia de concluſo, & ſignato fonte Mariano naſcuntur.

§. II.

Validiſſima vis ad perdendum, quæ per ſimulatoria blanditiarum ſigna.

PAcificus, & blandus venit Adonias ad Bethſabee, poſtulaturus Abiſag nuptias; venit autem pacificus, & blandus, vt citiùs, & ſecuriùs perdat Salomonis regnum. Accipite verba, & veneno, & blanditiis plena. *Ingreſſus eſt Adonias filius Haggith ad Bethſabee,* &c. *Quæ dixit ei: Pacificus ne eſt ingreſſus tuus? Qui reſpondit: Pacificus. Additque: Sermo mihi eſt ad te. Cui ait: Loquere; & ille: Tu, inquit, noſti, quia meum erat regnum, & me præpoſuerat omnis Iſraël ſibi in Regem; ſed tranſlatum eſt regnum, & factum eſt fratris mei, à Domino enim conſtitutum eſt.* En tibi quot blanditiæ, quot fauores; in primis ipſe comes adit matrem Regis, ſe illi aſſerit pacificum; inſuper & regnum Salomoni delatum à Deo profitetur. Sed inter hæc blandiſſima, ſpecta etiam ingentem veneni vim; ait enim: *Noſti, quia meum erat Regnum, & me propoſuerat omnis Iſrael ſibi Regem.* Planè certiſſimum erat nullum illi ius fuiſſe ad regnum; non ratione ætatis; quia nec ea in prædeceſſoribus Iſraelis Regibus ſpectata fuit, imò è minoribus, & minimis vocati ad principatum fuerant. Sed nec ratione popularis electionis, quia electio Regis non penes populum, ſed penes Deum erat, vt patuit in Saule, & Dauid. Præterquam quod nec à populi electione habebat ius Adonias, quia maior pars populi, cum Rege Dauide Salomonem elegerat. Quæ cùm euidentiſſima eſſent, nihilominus Adonias adeò perſuaſum habebat regnum ſuum eſſe ex duobus illis capitibus, vt nec illud coram Bethſabee diſſimulet. Cur ergo hac perſuaſione ductus non magis ad arma pergit, quàm ad Bethſabee? Cur non magis clamat bellum, quàm pacem? Cur profitetur regnum à Deo Salomoni datum, & non magis ab hominibus ſibi ereptum? Aſtutus homo ad ea ſe contulit, quæ ſciebat ad perdendum incautum validiſſima, quæ per ſimulatoria ſunt blanditiarum, & fauorum ſigna. Non abſtinet Conſtantius Imperator Arrianus, vt regnum perderet Chriſti, à bellis abſtinet, nihilque non blandum exhibet, & amicum. Contra quem grauiſſimè D. Hilar. in proprio lib. *Pugnamus contra perſecutorem fallentem, contra hoſtem* Hilar.
blandientem, contra Conſtantium Antichriſtum, qui non dorſa cædit, ſed ventrem palpat; non trudit carcere ad libertatem, ſed intra palatium honorat ad ſeruitutem: non latera vexat, ſed cor occupat: non caput gladio deſecat, ſed animam auro occidit; non contendit, ne vincatur, ſed adulatur, vt dominetur. Equidem aſtutiſſimus homo, non pugnas, non contentiones exhibebat, metuens vinci; ſed fauores, ſed adulationes præmittebat, vt ſecurius obtineret dominium. De diabolo locutus Ieſus ait Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio.* Quo Ioan. 8.
ab initio? Putat Toletus initium illud ſignificari, quando cum Eua locutus blandiſſima verba præmiſit. Sed cur non magis homicida cenſetur, ex quo Cainum induxit, vt vi fratrem opprimeret? Cùm armauit Cainum in fratrem, vnum tantùm hominem occidit; at quando blanditias cum Eua locutus fuit, mortem inuexit vniuerſo mundo. Sic ad perdendum valentiores inueniuntur falſæ blanditiæ. Ex quo dicebat Hilarius ſupra: *Hæc ille pa-* Hilar.
ter tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere ſine gladio, perſequi ſine infamia, odiſſe ſine ſuſpicione, mentiri ſine intelligentia, profiteri ſine fide, blandiri ſine bonitate, agere quod velis, nec manifeſtare, quæ velis. Et qualia ſunt hæc arma, quæ inuenit & docuit artifex humanarum mortium? Sanè diabolus, qui homicida fuit ab initio, vt regnum perderet hominis, non exercitus armatorum comparauit, vt poſſet; ſed blanda, & amica verba compoſuit, & ſic mortem inuexit mundo. Monebat Dominus ſuos Matth. 7.
Attendite vos à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Et quando Matth. 7.
lupi in veritate ſunt, cur non magis luporum rabiem exhibent ad perdendum? Cur malunt ouinam manſuetudinem præ ſe ferre? Non ſic aperta rabies, vt ſimulata comitas potens eſt, vt perdat. Hinc etiam D. Hilarius ſupra pungit Conſtantium, inquiens: *Veſtem ouis tuæ lu-* Hilar.
pe rapax terminas. Auro reipublicæ ſanctum Dei oneras, & vel detracta templis, vel publicata edictis, vel exacta pœnis Deo ingeris. Oſculo Sacerdotes excipis, quo & Chriſtus eſt proditus; conuiuio dignaris ex quo Iudas ad proditionem egreſſus eſt, &c. Heu oſcula, & conuiuia, & honores, & blanditiæ luporum, fallar niſi perdant orbem.

§. III.

Vnus diuini Spiritus eſt, quòd ſciat cedere, & velle vinci.

CVm humilis, cùm pacificus amat Adonias accedere ad Bethſabee matrem Salomonis, non potuit verbis non manifeſtare virus cordis ſui. Ait enim: *Tu noſti, quia meum erat regnum, & me præpoſuerat omnis Iſrael ſibi.* Fauorem petiturus adeſt à matre Regis, & non veretur aſſerere ſuum fuiſſe regnum, & ſe electum fuiſſe in Regem ab omni populo. Cur non magis id diſſimulas? Cur non potiùs profiteris te nullum ius habuiſſe ad regnum, quod verius erat? Cur vel coram ipſa Regis matre adhuc inſtas ad te pertinuiſſe regnum, quod etſi verum eſſet, celari, & diſſimulari pro tunc debuiſſet? Planè impotens eſt ſui humana præſumptio, nec ad horam ſcit cedere, aut victam ſe profiteri. Accipe ex Gen. 32. Iacobū ſolitarium in campo nocte vna: *Et ecce vir luctabatur cum eo vſque manè. Qui cum* Geneſ. 32.

videret, quod cum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me, &c. Et quis erat iſte vir, qui cum Iacob luctabatur, & videbat, quòd cum ſuperare non poſſet, & dimitti petebat? Meritò talis non credimus homo, ſed Deus, quia homo neſcit vnquam cedere, nec ſe victum vnquam profitebitur. Dei vnius ſpiritus eſt, qui non detrectat ſe diſſimulare victum, & ad horam cedere. Aiebat de illo D. Hilarius lib. 4. de Trinitate: Hilarius. *Deus certè eſt, quo Iacob aduersùs Deum inualuit.* Ex quo noſcitur permiſiſſe Iacobo, vt aduersùs ſe inualeſceret, maluiſſe ab illo vinci, noſcitur etiam Deus eſſe; non enim qui hominis, ſed qui Dei ſpiritu agitur, ſic amat alteri cedere. Quò trahenda ſunt dicta tom. 3. de Chriſto fig. lib. 6. cap. 3. §. 7.

3. *Reg.* 2. Precor, vt dicas Salomoni Regi (neque enim negare tibi quicquam poteſt) vt det mihi Abiſag Sunamitidem vxorem. Et ait Bethſabee: Bene ego loquar pro te Regi. Venit ergo Bethſabee ad Regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia, & ſurrexit Rex in occurſum eius, adorauítque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum: poſitúſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius. Dixítque, *&c.*

§. IV.

Ingenuus & præcelſus animus ex quo aliquid accepit non poteſt non & ipſe præſtare.

SApienter iudicabat Adonias de Salomonis gratia erga matrem ſatus: *Neque enim negare tibi quidquam poteſt.* Vt enim ſciebat Salomonem à matre & vitam, & regnum accepiſſe, ſic etiam omnia à Salomone donanda matri credidit. Numquam enim celſus, & ingenuus animus, poteſt non dare illi, à quo & accepit. De Ieſu in mundum veniente dicebat Ioan. 1. *Ioan.* 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ecce tibi prius receptus dicitur, & ab hominibus accipiens, deinde & ipſe ſtatim dedit. Nec poterat tantus non dare, vbi accepiſſe creditur. Athanaſ. Circa quæ ait D. Athanaſ. homil. de Incarnat. Chriſti: *Accipiens enim mortalem hominem patrem, dedit hominibus ſuum patrem immortalem, quod ex eo dicto apparet: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Non accepit, & receſſit, & ſe occultauit, ſed accepit ex hominibus mortalem patrem Adamum, vt filius Adami eſſet, & ſtatim dedit nobis ſuum immortalem patrem, vt filij Dei eſſemus. Proh ingenuum, & celſum noſtri Principis animum! Neſcit accipere vel parua; niſi vt magna præbeat. Mundiales Principes vt ſeruili animo ſunt, ſic largi in accipiendo exhibentur, dandi prorſus immemores. Promptiſſimè accipiunt vel de paupere, ſed facilè obliuiſcuntur donatoris ſui, & ſi non obliuiſcuntur, faciliùs illi petita negant. En agreſtia, & ſeruilia ingenia! Qui ingenuus eſt, & animi præcelſi, ex quo vel obulum accipit, quaſi obſtrictus manet ad præbendum. *Matth.* 16. Matth. 16. dicebat Ieſus: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis.* Filium hominis ſe vocat, in quo ſe aliquid ab homine accepiſſe profitetur. Et mirabar, quòd habens plura alia agnomina, quibus ſuā celſitudinem ab omni re independente ſignificaret; magis voluerit recurrere ad nomen, quo ſe hominibus debitorem exhiberet. Cur magis Domine non diſſimulas id minimum, quod ex hominibus tenes? Diſſimularent illud ſeruiles animi, qui nullis obligantur donis; at qui ingenuus eſt, non veretur accepta profiteri, vt qui ex quo accepit maiora dederit. Athanaſ. Ex quo aiebat D. Athan. vbi ſuprà: *Ipſe in ſublimi procreatus ex Deo, &c. in tempore naſcitur humi ex perpetua Deipara Virgine; vt illi qui humi antea genti erant, denuò in ſublimi naſcerentur, hoc eſt, ex Deo. Ipſe igitur matrem duntaxat habet in terris, & nos duntaxat patrem habemus in cælo, eàque de cauſa filium hominis ſe ipſum appellat, vt homines Deum cæleſtem patrem ſuum appellarent.* Expende ab illis: *Eàque de cauſa filium hominis ſeipſum appellat*, &c. Quippe celſus, & ingenuus Dominus non refugit filij hominis appellationem, quam ab hominibus accepiſſe fatetur, vt qui promptus ſit patrem Deum hominibus exhibere. Inde enim affluentiſſimus eſt Dominus ad præſtandum, ex quo aliquid accepit. Iſaias 66. *Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam, &c.* *Iſai.* 66. *Ecce ego declinabo ſuper eam, quaſi fluuium pacis.* quæ verba à non ignobilibus patribus applicari ſolent ad Chriſti natalia. Sed inter natalia Chriſti, Nazareth affulget eius conceptione, Bethleem eius natiuitate; cur iis prætermiſſis iubemur lætari cum Ieruſalem, in quam tanta dona Dominus refundere ſit paratus? Nazareth ciues nihil Domino præſtiterunt, Bethlemitici ciues vel locum in diuerſorio illi negarunt, vt neceſſum fuerit in deſtituto præſepio naſci. Ieroſolymam autem vbi puerulus acceſſit ſiſtendus Domino iuxta præſcriptum legis, in vlnis Simeonis hoſpitium inuenit, & ab Anna vidua fuit prædicatus. Ne miremur, quòd ibi tanta præſtare ſit paratus, Guerric. vbi etiam accepit tanta. Ait Guerricus Abbas ſerm. 2. de Purificat. *Lætare Ieruſalem, diem feſtum agite omnes, qui diligitis eam. Lætata eſt Nazareth de Annunciatione, Bethlehem de Natiuitate. Lætare & tu Ieruſalem de Purificatione, quoniam qui in Nazareth conceptus, & in Bethlehem natus eſt, & in Ieruſalem eſt ſuſceptus, & prædicatus.* Habent equidem omnes, qui diligunt Ieruſalem, vnde magis in ea lætentur, quia vt de ea maiora accepit Dominus, ſic maiora præſtabit ſuis aſſeclis. Vide tom. 1. de Chriſto figurat. lib. 1. cap. 1. §. 2.

§. V.

Glorioſior quis in dato, quàm in accepto.

EXpende quantus honor tribuatur à Salomone matri ſuæ: *Venit ergo Bethſabee ad Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia, & ſurrexit Rex in occurſum eius, adorauitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum; poſitúſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius.* Intrarat ipſa antea ad Dauidem coniugem ſuum, vt Salomonis regnum aſſereret, & nullo honore dicitur excepta à viro. Ait enim 3. Regum 1. 3. *Regum* 1. *Ingreſſa eſt itaque Bethſabee ad Regem in cubiculo: Rex autem ſenuerat nimis, &c. inclinauit ſe Bethſabee, & adorauit Regem. Ad quam Rex: Quid tibi, inquit, vis?* Nec credam nullum aliud officium tunc præſtitum à Dauide accedenti Reginæ. Eſto enim, quòd præ ſenio non aſſurrexerit, nec occurrerit illi; tamen non dubito ſedem illi paratam Regiam à dextris Regis, in qua ſedens negotium diceret. Cur ergo textus, qui tantus fuit in explicandis officiis à Salomone matri ingredienti exhibitis, ſic præterit, quæ Dauid præſtitit ingredienti ipſi Reginæ? Planè Bethſabee apud Dauidem etiam ſine vllis obſequiis acceptis glorioſior oſtendebatur, quàm apud Salomonem cum omnibus illis obſequiis, & officiis ſibi præſtitis à filio. Quia apud Dauidem oſtendebatur negotians ipſa, & præſtans Salomoni regnum; apud Salomonem autem ſolum oſtendebatur obſequia à filio accipiens. Et quidem nemo non glorioſior eſt in datis, quam in acceptis, vt ait illud Chriſtianum Actor. 20. *Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* *Actor.* 20. Ex quo veri Salomonis matris gloriam maximè extulerim; cui apto illa Aggæi verba cap. 2. *Et veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum*, &c. *Aggæi* 2. *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plusquam primæ.* Componite domum, & domum; Mariam, & templum antiquum Ieroſolymitanum; & Maria & templum à Salomone habuerunt originem; in Maria; & in templo illo Deus habitauit. Et nihilominus Mariana domus glorioſior habetur; quàm templum illud. Vnde glorioſior? Pulchrè rationem oſtendit Diuus Petrus Damianus ſermone ſecundo in Natiuitate Mariæ, dicens: *Ad illud ergo templum Dominus in nebulo deſcendit, vt cæcam Iudeorum infidelitatis caliginem deſignaret, in hoc, in ſole poſuit tabernaculum ſuum, vt ſedentes in tenebris illuminaret. Illi denique templo Deus omnipotens gloriam quidem ſui aduentus contulit, ſed nihil ex eo in ſua natura ſuſcepit; in beatiſſimæ autem Virginis vterum non ſolum dignatus eſt deſcendere, ſed ex ea etiam perfectam ſibi ſubſtantiam noſtræ mortalitatis vnire. Quanto igitur noſtri templi maior eſt dignitas, &c.* Daman.

Vbi

Digitized by Google

Vbi Maria oſtenditur dediſſe carnem Deo, quam ille ſibi vniuit; glorioſior templo oſtenditur, qui nihil ſic Deo vniendum præſtiterat. Nunquam enim quis non magis commendatur ex datis, quam ex acceptis. Vnde ſibi Imperator Conſtantinus pepercit Antiochenis ciuibus contumeliam, quam imperialibus præſtiterant imaginibus; ſic illi dictum fuit a ſanctiſſimo Epiſcopo, vt habet Diu. Chryſoſtom.hom.20.ad Pop. *Si velis, ô humaniſſime, & ſapientiſſime, & omni pietate plene, diademate iſto clariorem, & maiorem tibi coronam hæc afferet contumelia. Hoc nempe diadema quidem eſt, & tuæ virtutis inſigne, & Dei liberalitatis indicium. Sed corona ex hac humanitate contexta, tuum ſolius erit, & ſapientiæ tuæ meritum. Nec te tantum omnes admirabuntur propter iſtos lapides pretioſos, quantum propter victoriam de indignatione reportatam te laudabunt.* Expende illa, *Tuum ipſius erit*, &c. nec enim credit in victoria illa indignationis, non etiam concurriſſe Dei auxilium liberale; ſed illud aſſerit, quod in ea plus collatum fuiſſet ab Imperatore, quàm in regno habendo. In regno enim habendo illud ſolum ſpectabatur, quòd regnum ex Deo accepiſſet; in vincenda autem indignatione, & ſimul ſpectabatur, quod ipſe etiam ex ſe aliquid præſtabat difficile. Vnde clarior, & glorioſior oſtendebatur ciuibus. Huc trahenda dicta 4. tom. in Euang lib.6.cap.2.§.2.

Chryſoſt.

§. VI.

Nil honoris & gloriæ datur à mundo, quod non præſtandum ſit à Deo ſuis cumulatiſſimè.

HOc magnum Salomon matri exhibuit; *Poſitúſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius.* Miraris hoc? Sed accipe idem præſtitum à Deo vel minimis ſuis;
Matth.25. ait enim Matth.25. *Statuet oues à dextris*; imò & Matth 20.
Matth.20. dicit illis: *Sedebitis & vos ſuper duodecim ſedes*, &c. Crede mihi, nihil honoris, nihil gloriæ accipitur à mundo, quod non accipiendum ſit à Deo cumulatiſſimè. Pauperi Ieſu poſt miracula innumera intranti Ieroſolymam
Matth.21. Matthæi 21. *Plurima turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via.* Magnus equidem hic honor fuit Ieſu exhibitus à mundo, vt propriis veſtimentis viam ſternerent quâ erat tranſiturus. At poſt aſcenſum ad gloriam, cùm inde in glorioſo ſtatu
Matth.24. rediturus eſt ad mundum, ait Matth. 24. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maieſtate.* Ecce tibi venienti nubes ſternuntur; & nubes lucidiſſimæ, quæ maieſtatem eius oſtentent. Et quando is eſt, qui ſedet ſuper Cherubim, cur non magis illi Cherubim ſternuntur; quàm lucidæ nubes? Sunt lucidæ nubes Deo
Pſalm.103. pro veſtimentis, iuxta illud Pſalm.103. *Amictus lumine ſicut veſtimento*; ideò pater nubes, quaſi veſtiméta ſua filio ſternit procedenti, quàm omnia honoris dentur à Deo ſuis, quæ
Orig. dantur à mundo. Ex quo dicebat Orig.hom.30. *Et ſiquidem ne terram calcaret filius Dei in Hieroſolymis, diligentes eum ſtrauerunt veſtimenta ſua in via; nec aſellum, qui portabant eum, volebant terram calcare; quid mirum, ſi Pater, & Deus omnium, nubes ſternat cæleſtes ſub corpore filij deſcendentis ad opus conſummationis?* Quando turbæ ſtrauerunt veſtimenta ſua Ieſu procedenti; non mirandum, quod eidem in oſtenſione gloriæ pater ſternat lucidiſſimas nubes, vt veſtimenta Nil enim honoris accipitur a mundo, quod Deus in gloria ſuis non exhibeat?

§. VII.

Plus contulit nobis Dominus ſe nobis donans in Eucharistia, quàm faciens nos aſſidere ſibi.

MIraris Salomonis officium erga matrem ſuam, dum dicitur: *Poſitúſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad*
Ioan.6. *dexteram eius.* Sed vide aliud longè mirabilius præſtitum à Deo ſuis ſeruis. Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Non enim ſolùm thronos illis in regno apparat; ſed, quod longè mirabilius eſt, per exhibitionem corporis, & ſanguinis ſui in illis eſt, per ſeipſum. Et quis neget, præſtantius eſſe beneficium, quòd Deus in nobis ſit, quàm quòd nos ſimus apud illum conſidentes? Hoc namque Apoſtolis conuenit, illud proprium erat matris diuinæ. Matth. 20. *Sedebitis & vos ſuper duodecim ſedes iudicantes*, &c. Hoc, inquam, Matth.20.
datum ſuit Apoſtolis vt aſſideant Chriſto Domino in Regno ſuo; at de matre eius canit Eccleſia, dicens: *Veni electa mea, ponam in te thronum meum.* Non dicitur illi, quòd ſedeat à dextris filij, ſed quòd in illa ponet filius ſedem ſuam. Et cur, & illi non dicitur, vt ſedeat? Rem pulchrè tractat Guerricus Abb.ſerm.1. in Aſſumpt. *Diſcipulis* Guerr.
inquit: Sedebitis & vos ſuper duodecim ſedes. Alibi quoque promittit: Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo. Matri verò, cuius longè differens eſt meritum, nihilominus differens promittit præmium. Veni, inquit, electa mea, ponam in te thronum meum. Parum eſt, vt iudicanti conſideas, niſi & ipſa ſedes mibi fias, vt maieſtatem regnantis, eo fœliciùs, quo familiariùs in te contineas. Expende illud, *Parum eſt, vt iudicanti conſideas*, nec miror, illud enim & maximum, & præſtantius eſt, quòd in te condignam ſedem exhibeas Deo, vt in re gratè ſit Deus. Hinc Pſalm.44. dicebat Deo: *Aſtitit Regina à* Pſalm. 44.
dextris tuis in veſtitu deaurato. Quando Regina iam à dextris Dei erat cur non dicitur ibi ſediſſe, ſed aſtitiſſe? An Regina cæleſtis minus obſequium recepit à filio, quàm à Salomone Bethſabee? Nonne de Bethſabee dicitur, *Sedit ad dexterã eius?* Cur de Regina cæli non dicitur, quòd ſederit, ſed quòd aſtiterit à dextris filij? Erat equidem illi adhuc maius largiẽdum nimirum, quòd in ea poneret Rex thronum ſuum; quòd ipſa in ſe reciperet Deum, vt ſic tota fulgeret ſub radiis maieſtatis diuinæ.

3.*Regum* 2. Reſponditque Rex Salomon, dixitque matri ſuæ: Quare poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? Poſtula ei & regnum; ipſe eſt enim frater meus maior me; & habet Abiathar Sacerdotem, Ioab filium Saruiæ. Iurauit itaque Rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam ſuam locutus eſt Adonias verbum hoc. Et nunc viuit Dominus, *&c.*

§. VIII.

Fœminarum virus elanguet, vbi Chriſtus apparet.

VOrauerat Bethſabee totum Adoniæ virus; nec ſenſerat, vt ille per fœminas filij ſui regno inſidiabatur. Sed vbi ad Salomonem ventum eſt, ſtatim totum malitiæ virus patuit. Dixit enim matri Salomon: *Quare poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? Poſtula ei & regnum*, &c. Ecce tibi, quod in petitione mulieris occultum veniebat venenum, & coram Salomone patuit, & elanguit. Nec mirum, vt enim in Salomone expreſſiſſimè Chriſti regnum exprimebatur, ſic iam præualere non poterat venenum, quod per mulieres introducebatur. Vbi enim Chriſtus apparet, quòd per mulieres venit venenum, maximè elanguet. Mater filiorum Zebedæi Matth. 20. petebat filiis ſuis ſedes à dextris, & ſiniſtris in regno Chriſti. Quæ petitio ſtatim à Rege omnium Ieſu fuit repulſa; dum ait: *Neſcitis, quid petatis.* Et cur ſic Deus repellit bonæ matris Matth.20.
petitionem pro filiis ſopplicantis. Occultabatur in petitione fœminæ magnum filiorum incommodum, quo illos hoſtis curabat in Dei ſiniſtram præcipitare. Et non præualuit aduersùs bonos malum per mulierem intentatum, ex quo Chriſtus apparuit. Ait Imperfect. homil.35. Imperf.
in Matth. *Vidit Diabolus, quia per illos ipſos aduersùs eos agere non valebat, contulit ſe ad conſueta arma mulierum, vt ſicut Adam per mulierem ſpoliauit, ita & iſtos ſepararet per matrem. Nam etſi mater erat, tamen mulier erat. Sed iam non poterat per mulierem perditio introire in Sanctos, ex quo de muliere ſalus cunctorum proceſſit.* Ex quo de muliere Chriſtus claruit, mirum in modum virus, quod per mulieres introducebatur,

batur, elanguit; vt facile à viris ſanctis repellatur. Sanguinis fluxu laborantem fœminā adeò cauebat lex Leuitic.15.vt putaret ab illa immunditiam ad omnes vicinos oriri. Quid virulentius, vt homines inficeret? Verùm
Matth.9. Matth.9.mulier hac peſte laborans dum currit ad Ieſum: *Dicebat intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero.* In tactu veſtimenti Ieſu ſperabat ſibi ſalutem obuenturam. Et quid tactus peſtilentis fœminæ cum ſalute? Imò ſi tangis illum, totum ſanitatis fontem inficies. Cur non magis credis, à te inficiendum Ieſum, quàm te ab illo ſanandam? Crediderim iam fide perceptum ab illa omne virus ſuum confringi ad Ieſu præſentiam; quæ enim per mulieres infectio venit, vel elanguet, vel penitus euaneſcit, vbi ad Ieſum peruenitur. Ex quo ſapienter dicebat
Machar. D.Machar. homil. 20. *Poſtquam tetigit veſtimenta Domini, exſiccatus eſt fluxus fontis impuri illius ſanguinis,ita & omnis anima habens fontem prauaris,& immundaris cogitationum,ſi acceſſerit ad Chriſtum, & verè credens deprecata fuerit,ſanitatē conſequitur ab incurabili affectionum fonte,ac deficiens exſiccatur fons ille,qui cogitationes immundas producebat, per virtutem Ieſu ſolius.* Sic totum virus fœmineæ voluptatis, iaculatum à fœminarum conſpectu, prorſus euaneſcit, vbi nos afflauerit Chriſtus. Vide tom.2.in Euang.lib.6.cap.6.§ 5.&tom.2.de Chriſto figur. lib.5.c.7.§ 5. & tom.3. de Chriſto fig.lib.6. cap.1.§.16.& alibi.

§. IX.

Sacularis pompa regni affectati ſymbolum.

IN petitis Abiſag nuptiis colligit Salomon in Adonia regni ambitionem,dum ait matri ſuæ: *Cur poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? Poſtula ei & regnum.* Sed in quo conducebat Abiſag ad regnum habendum, vt ex eius nuptiis crederet Salomon affectari regnum ab Adonia? Scio huius conueniētiam latuiſſe clariſſimos interpretes Scripturæ,quam etiam fatetur Salianus ſibi prorſus ignotam: quia regiæ vxores nullū ius ad regnādum dare poterant. Et ſanè Abiſag nullum ius regni daret, ſed non paruam diſpoſitionem ad regnum habendum Adoniæ tribueret. Vt enim Regina erat ex noto Dauidis coniugio,ſic regiam pompam in proceſſu ſuo ſeruaret etiam Adoniæ iuncta. Quò forſan ſpectans Adonias, Abiſag Reginæ appetiit nuptias, vt propter vxorem Reginam liceret ſibi regiam pompam, regiumque ſatellitium habere,in quo non leuem diſpoſitionem credebat, vt poſſet & regnum adipiſci. Non enim ſemel inuenio regiam pompam, & ſatellitium aſſumptum pro diſpoſitione ad regnum. Sic de ipſo Adonia, 3.Reg.1. *Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum.* Ad quid hoc? Ait
3.Reg.1.
Lyra. Lyra: *Ad oſtentationem, & quandam diſpoſitionem ad regnandum.* Quam diſpoſitionem in pompa, & ſatellitio vt modo ſine ſuſpicione renouaret, amabat notiſſimam Reginam ducere, vt ſub prætextu vxoris pompam ſtrueret & comitatum, qui ſibi aditum ad regnum præberet. Sic etiam 2.Regum 15. *Abſalon fecit currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum.* Vbi Carthuſian. *Per apparatum iſtum tamquam per quadam præludia, ſiue præambula, monſtrauit ſe regnaturum.* Amabant aſtuti per apparatum æquiuocari cum regibus, vt ſic faciliorem aditum ad regnum inuenirent. Hinc quando nefarij Iudæi Ioann. 19. obiiciebant Ieſu: *Qui ſe Regem facit*,vt hanc labem affectati regni à Ieſu depellat, D.Chyſoſtom.homil.64.in Ioan. ait: *Nunquid ſeditionem docebat Chriſtus? Nonne humilem, & abiectam duxit vitam? Nonne & domo & aliis huiuſmodi caruit? Num ſatellitiis ſtipabatur? Num ſe muniebat?* Cui nulla pompa,nullum ſatellitium erat, nil habebat, vnde credi poſſet in regnum exurgere.
2.Reg.15.
Carthuſ.
Ioan. 19.
Chryſoſt.

§. X.

Nullum malum non timetur, vbi apparet laſciuia.

EX appetitis Abiſag nuptiis ab Adonia, malum odoratur Salomon, à quo ſibi cauere debeat, dum ait: *Cur poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? Poſtula ei & regnum, &c. Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam ſuam locutus eſt Adonias verbum hoc.* Et cur ex iis appetitis nuptiis malum ſtatim ſibi cauendum præſagit Salomon? Carth.& Lyra,putant illam petitionem Adoniæ,non fuiſſe ſine petulantiæ, & libidinis crimine, quo Adonias ferebatur in vxorem patris ſui. Vbi autem laſciuus Adoniæ animus apparuit, non miror,quod malum quodlibet ab illo Salomon timeat.Numquam enim nō laſciuia in malum inclinat.Quò videtur ſpectaſſe D.Gregor.Nyſſen. de virg.cap.2.inquiens: *Quæ & natura, & conſilio ad virtutem propenſa ſunt, omnis incorruptæ virginitatis, pudicitiæque ſplendore decorantur; quæ verò in contrariam virtutis partem proclinia feruntur, caſtitatis lapſu, ea talia ſunt, & nominantur.* Planè, vt virtutis conſilium pudici pectoris ſplendore decoratur, ſic caſtitatis lapſus penè inſeparabilis comes eſt iis, quæ virtuti, & Deo aduerſantur. Nullum virtutis, nullum Dei conſilium ſecurum eſt,vbi voluptatum exceſſus inuenitur. Iſai. cap.7. dicebat: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Et conſequenter de filio à virgine nato cap.9. ait: *Vocabitur nomen eius, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis.* Siue vt Septuag. legunt: *Vocabitur nomen eius, magni conſilij Angelus, admirabilis conſiliarius,Deus fortis*, &c. Itaque Deus magnum conſilium exhibiturus,& firmaturus de virgine, naſcitur, & maximè ſibi à nuptiali paſſione in matre cauit. Et cur adeo cauit nuptialem paſſionem in matre? Nonne honorabiles ſunt nuptiæ, & coniugia ſancta? Equidem ſanctæ ſunt nuptiæ; ſed rarò in nuptiis non inuenitur exceſſus voluptatum. A quo meritò ſibi cauet Deus,diuinorum conſiliorum fundator. Ex quo dicebat Diuus Gregor. Nyſſen. ſuprà cap.2. *Ob eam cauſam mihi Dominus noſter Ieſus Chriſtus, à qua veluti fonte quodam omnis caſtimonia manat,non nuptiarum via quæſita, in hanc vitam ingreſſus videtur, vt ex eo modo, quo carnem humanam aſſumpſit, admirabile hoc, & magnum planè myſterium pateſieret; quoniam quæ Dei aduentum demonſtraret, ſola caſtitas idonea eſt, quam aliter perfectè omnino præſtare nemo poteſt, niſi qui ob omni carnis affectu ſe totum auerterit.* Eapeode illud, *ſola caſtitas idonea eſt*; quippe de virtutibus moralibus, quæ etiam nos exteriùs componunt, caſtitatis mundities clarior index eſt Dei aduentatoris, vt diuina conſilia perducat ad effectum.
Nyſſ.
Iſai.7.
ibid.
Nyſſ.

§. XI.

Qui habenas regni tenuit, idoneus ad regnum inuadendum.

NOn miror, quòd Salomon regno ſuo metuat ab Adonia iuncto Abiſag, dum ait: *Cur poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? Poſtula ei & regnum.* Quippe Abiſag Sunamitis data fuit ſeni Dauidi vxor,quæ Regi ſeni miniſtrans, & adhærens multa equidem fuit in adminiſtratione regni, & vt puella ſenis voluntatem tenebat, ſic ab illa moderatus non dubitem regni habenas. Cur ergo nō timeat Salomon Adoniam,ſi Abiſag coniungeretur? Non enim parui momenti erat fœmina iuncta Adoniæ,habens Abiatharem, & Ioabum Principem militiæ ad inuadendum regnum, cuius ipſa paulo antè habenas moderata fuerat. Accipe exemplum 4.Regum 11. vbi dicitur: *Athalia verò mater Ochoziæ videns mortuum filium ſuum, ſurrexit, & interfecit omne ſemen regium.* De qua addit 2.Paralip 22. *Sex annis,quibus regnauit Athalia ſuper terram.* Fuerat Athalia vxor Ioram Regis Iuda,& mater Ochoziæ,& ipſa non erat de tribu Iuda, nec de Dauidis ſemine, ſed prorſus extranea Dauidis ſtirpi.& nihilominus,vt vidit filium mortuū,auſa eſt inuadere regnum,& Dauidis ſemen extinguere,& ſibi accipere ſolium eius, quod & fecit nemine reſiſtente.Et vnde mulier extranea in tantam audaciam prorupit? Ait Abul.ibi quæſt.4. *Tota poteſtas domus regiæ manebat tunc penes Athaliam, ipſa enim gubernabat palatium Regis, dum filius Ochozias iuiſſet ad videndum Regem Iſrael,&c. Et tunc cùm exercitus eſſet in manu eius,& ſimeret ei, quia fortè ipſa promittebat magna, & dabat, populus non potuit reſiſtere ei,& ſic manſit regnans in terra annis ſex.* Ecce tibi fœmina extraneæ tribus, & alienæ originis, eo ſolùm quòd ipſa gubernabat palatium Regis, & cius nutui omnes parebant, auſa eſt ſtirpem regiam occidere, & inuadere regnum, quod & fecit,
4.Reg.11.
2.Paral.22.
Abul.

&

& nemine reſiſtente regnauit annis ſex. Ne miremur, quòd ſimilia ab Abiſag timeret Salomon, ſperaret Adonias, vt quæ ſola in ſuam poteſtatem habuiſſet Regem Dauidem ſenem, & de cuius miniſterio Rex vixerat aliquo tempore. Quo multa donauerat proceribus, & magnam reuerentiam apud omnes populares acquiſierat. Et crede mihi, numquam non ſapienter ſibi timent Reges, ab his, qui habenas regni moderati, officiis ſibi multos deuincere valuerant.

§. XII.

Nuptiæ luctibus propinquiſſimæ.

APpenitæ Abiſag nuptiæ luctuoſæ Adoniæ fuerunt. Dicebat enim Salomon: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam ſuam locutus eſt Adonias verbum hoc*, &c. Nuptiarum equidem verbum ab Adonia factum illi attulit luctum extremum. Et quando nuptiæ propinquiſſimè luctibus non adhærent? Poſt Ieſu ſepulchrum vacuum iouentum Maria Magdalena lachrymis ſe dedit.
Ioan.20. De qua fatus Ioan.cap.20. ait: *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei, Mulier, quid ploras?* Sciebant Angeli Mariæ nomen, & diſſimulato eius nomine proprio mulierē vocāt. Et cur
Hieronym. mulierem, quam vidēt plorantem? Ait D.Hieronym.epiſt. ad Hedibiam quæſt.5. *Dicunt ei Angeli, quos cernebat: Mulier, quid ploras: Secundum illud, quòd Dominus loquebatur ad matrem in nuptiis, Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.* Et quidem bis dicitur mater Ieſu vocata mulier à filio, ſemel in nuptiis Cana, & ſemel iuxta crucem, dum ait: *Mulier, ecce filius tuus.* Cur ergo creduntur Angeli magis reſpexiſſe ad nomen mulieris datum matri Ieſu in nuptiis, quàm iuxta crucem? Videbant Magdalenam plenam luctibus, profuſam lachrymis; & à luctu, & lachrymis citius deducti ſunt ad id, quod factum fuit in nuptiis, quam ad id, quod factum fuit iuxta crucem. Quia nuptiæ longè propinquiores, & viciniores luctui, & lachrymis ſunt. Hinc Abraham ingrediens Ægyptum
Geneſ.12. cauit vocare Saram vxorem, quin potiùs ait Geneſ.12. *Dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis, vt benè ſit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.* Et cur magis cauet à
Chryſoſt. nomine ſororis? Ait D.Chryſoſtomus homil.36. in Geneſ. *Vxoris venuſtas & pulchritudo mortem ei quaſi ante oculos monſtrabat.* His equidem timoribus ſemper nuptiæ ſcatent.

§. XIII.

Seculi dignitates via triſtiſſima ad mortem.

IVrabat Salomon, *Quia hodie occidetur Adonias.* Quo die Adonias per Abiſag thalamum repere ad ſolium regni curabat, ad ſepulchrum feſtinauit. Tales enim ſunt ſæculi dignitates, quæ ad mortem deducunt ſuos aſſeclas.
1.Reg.2. Dicebat Dominus Heli 1.Reg.2. *Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis Ophni, & Phinees, in die*
Gregor.PP. *vno morientur ambò.* Circa quæ Diu.Gregorius Pap. ait ibi lib.2. expoſitionis: *Audiant ergo filij Heli, quia in vna die ambo morientur. Qui enim de accepto paſtorali culmine, labentis vitæ fælicitatem diligunt, intentionem quidem habent gaudij fructum verò lamenti propoſitum, in exultatione vitæ, & peruentionem in mortis mœrorem. Ad mortem itaque properant, quoties vanè de temporali fælicitate gratulantur.* Ecce tibi quid culmina temporalia pariant ſectatoribus ſuis: illorum fructus lamenti eſt, non gaudij. Grandem ſibi proponunt ambitores exultationem dignitatis obtinendæ, peruentio autem ad illam, in mortis mœrorem deſinit. Crede mihi, ad mortem properatur, cùm ad culmina itur. Vt meritò
Cyprian. dicat D.Cyprianus ſerm. de ieiun. & tentat. Chriſti: *Sicut peremptoria eſt altitudo quæſita, ita & periculoſiſſima eſt, & oblata.* In quantis dignitate, & throno etiam oblato periculum agnoſcit; at quæ dignitas ambitur, qui thronus quæritur, meritò peremptorius putatur. Vnde cùm
Pſalm.101. Pſaltes ait 101. *Eleuans alliſiſti me*; argutè D.Bernard. lib. 1. de conſider. circa finem ait: *Non eſt quod blandiatur celſitudo ſolicitudo magis, ſera querela: quoniam eleuans alliſiſti me.* Seram vocat illam querelam, qui fuit poſt expertum in celſitudine caſum; cùm antea deberet querelam promere, nimirum in ipſo eleuationis actu; eo quo noſceretur peremptoria ipſa eleuatio. Huc trahenda dicta tom. 2. in Euangel lib.12. cap 6. §.1. & tom.2. de Chriſto figur. lib.5. cap.3. §.20. & alibi.

§. XIV.

Non eſt patientiæ humanæ iteratas offenſas præterire.

VBi Adoniæ facinus percalluit Salomon, ſtatim accingitur in ſupplicium, iurat enim: *Quoniam hodie occidetur Adonias.* Cur non magis fratri, & fratri maiori natu parcis. Pepercerat iam ſemel 3.Reg.1. cùm dixit: *Si fuerit vir bonus, non cadet, ne vnus quidem capillus eius in terram.* Verùm cùm ab illo facinora iterari percepit, nō ampliùs ſupplicium diſtulit; non enim eſt humanæ patientiæ iteratas iniurias præterire. Dicebat Dominus Oſe.cap.1. *Vade, ſu-* Oſe.1.
me tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum. Obligabatur vates fornicariam, & proſtitutam fœminam in vxorem aſſumere, ex qua ſibi filios gigneret; qui vt à matre proſtituta geniti, non magis crederentur à marito ſuſcepti, quàm ab adulteris. Sed eſto, quòd Deus voluerit gigni filios à Propheta ex fœmina vxore, adeo ſuſpecta in fide, vt incertum ſit, cuius patris ſint filij. Cur ex illa non filium; ſed filios gigni mandat? Nonne ſufficeret, quòd vates oneraretur vnico filio dubio? Cur mauult Deus Prophetam non vno, ſed multis onerare filiis dubiis? Volebat Deus, vt propheta diſceret, experientia, quam non erat humanæ patientiæ ſuſtinere iteratas iniurias; vnam enim iniuriam ſemel homo ordinariis ſuffultus gratiæ ſuſtinebit auxiliis. At multas iteratas quis homo ſuſtineat? Ait Ruffinus ibi; *Perſonam ergo, inquit* Ruffin.
Deus, aſſumito viri beneuoli, ſed iam diu meretricios mores in coniuge ſuſtinentis, & ſuſcipe filios, qui vel habeantur incerti, vel alienæ obſcœnitati conſequentius applicentur, atque experire, vtrùm queat continuatam habere patientiam. Datur Prophetæ, non vt ſemel, ſed ter, & quater criminis vxoris ſuſpicione affligatur, vt experiatur, an tam continuata patientia homini ſit poſſibilis, certus, quòd ex vi ordinarij auxilij nequeat in homine inueniri. Inuenitur tamen in Deo, ſed quando reus in iteratis criminibus duplicat ſpiritum doloris pœnitentiæ. Suſcitaturus Ieſus Lazarum Ioann.11. Ioan.11.
Fremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum. Alios antea ſuſcitauerat ſine vllo fremitu, ſine vlla turbatione. Cur modò addit turbationem & fremitum? Erat Lazarus quartus mortuus ſuſcitandus; & in fremitu, & turbatione oſtendebat Ieſus habitum illius, qui quartò ſuſcitandus à Deo veniret, is enim non ſuſcitatur niſi in ingenti pœnitentiæ turbatione: & fremitu. Vt dicat ibi Beda: *Cur turbat ſemetipſum Chriſtus, niſi vt ſignificet tibi, quomodo turbari tu debeas, cum tanta mole peccati grauaris, & premeris? Attendiſti enim tu, vidiſti te reum, computaſti tibi. Illud feci, & pepercit Deus. Illud commiſi, & diſtulit me. Dic, dic lachrymando. Baptizatus ſum, & iterum ad peccatum reuolutus ſum. Quid facio? Quo eo? Quando iſta dicis, iam fremit Chriſtus, quia tua fides fremit. In voce frementis apparet ſpes reſurgentis.* Vbi iterata peccata recolis, neceſſum eſt, vt magis turberis, & magis ad Deum fremas; in magno enim fremitu apparebit tibi ſpes reſurgendi.

3.*Reg*.2. Abiathari quoque Sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathot ad agrum tuum, & quidem vir mortis es: ſed hodie te non interficiam, quia portaſti arcam Domini Dei coram Dauid patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus. Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non eſſet Sacerdos, *&c.*

§. XV.

Vt in præſtantioribus perſonis, minus ſunt diſſimulanda delicta.

POſt fratrem maiorem natum occiſum ſtatim ad Abiatharem ſummum Sacerdotem caſtigandum feſtinat. Ait enim: *Abiathari quoque Sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es,* &c. Non occidit Sacerdotem magnum, ſed illum exulare cogit, omni priuatum ſacerdotij honore. Et cur tanto viro non omnino parcit? Vt maior vir erat, altiorique dignitate notior, ſic citiùs debuit ob delicta punire, ne tanta nobilitas inter crimina appareret ſordida. Ait Amos cap. 3.

Amos 3. *Audite verbum, quod loquutus eſt Dominus ſuper vos, filij Iſrael, ſuper omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti, dicens: Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ; ideirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras.* Expende ab illis, *Idcirco viſitabo,* &c. quippe quia Iſraelitæ lectiſſimi erant Deo, & ſuper omnes alias nationes nobiliſſimi, ideo ſeuerius dicuntur viſitandi, & caſtigandi propter iniquitates ſuas. Cur inter tanta nobilitatum decora non magis diſſimulantur crimina? Cur non magis Deus conniuet ad crimina eorum, quos ad tantam nobilitatem, & ſublimitatem perduxit? Ideo, quia nobiliores erant, eo minus eorum diſſimulantur delicta, ne nobilitatis ſplendor

Ruffin. ſordeſceret in illis. Ait ibi Ruffin. *Eſt conſequentius, vt diligentiùs inſpiciantur, quæ pretioſius æſtimantur. Decor ergo genti veſtræ, vel mea indulgentia, vel paratum virtutibus comparatus, nullam ſinit culpam incaſtigatam relinqui; quia vileſcit conceſſa nobilitas, ſi non aſſeratur indignis. Haud itaque impunitatem criminum, ſed cuſtodiam mandatorum nobilitas acquiſita commendat.* Non equidem ab impunitate criminum notantur nobiles, ſed à puritate vitæ: ab illiſque per correptionem auferenda ſunt crimina, ni velis nobilitatem in

Hieronym. indignis ſordeſcere. Dicebat enim D. Hieronym. epiſt. ad ad Pamach. *Apud viros bonos indignior fit ipſa dignitas, quam multi indigni poſſident. Vnde egregiè de Cæſare Tullius cùm quoſdam, ait, ornare volant, non illos honeſtant, ſed ornamenta ipſa turbant.* Ideo penes ſapientes Principes maior cura ſit in caſtigandis culpis præſtantiſſimorum, ne videatur in illis viliſcere nobilitas. Matth. 22. Dum cæleſtis Rex celebrat nuptias filij ſui, vidit hominem ſordidum aſſiſtentem conuiuio, quem ſtatim mittit in ſupplicium, dicens:

Matth. 22. *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Quis inter nuptiarum feſta tantum decernit ſupplicium? Cur non deſinis finiri nuptiarum conuiuium, vt hominem miſerum percutias? Cur manus funeſta hominis nece

Chryſoſt. fœdare nuptiarum diem? Ait D. Chryſoſt. hom. 9. in Ioan. *Hoc pacto & nuptias, & conuiuas honorat, cùm temerarios, & & impudentes expellit; aliter reliquos inuitatos offenderet.* Conſuluit honori conuiuarum cæterorum, & nuptiarum, dum ibi percutit, & eiicit impudentem conuiuam. Nec patitur tantam nuptiarum gloriam turpari ſordidi hominis veſtitu. Minus enim toleranda ſunt crimina in his, qui ad

Pſalm. 136. magnalia admittuntur. Pſalm. 136. dicebant Iudæi: *Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus,* &c. Erat ibi captiua Iuda tribus, & Beniaminica: ſed & aliæ decem tribus captiuæ fuerunt apud Aſſyrios, nec tamen audio illas vnquam fleuiſſe, aut doluiſſe. Cur ergo Domine Iudā & Beniamin non ſolùm captiuitate premis, ſed & lachry-

Ambroſ. mis imples? Ait D. Ambroſ. in Pſalm. 1. *Super flumina Babylonis ſedebant, & flebant ſua calamitatis ærumnas. Illic ſuſpenderunt organa ſua, & omnem depoſuerunt lætitiam, vbi grauiora toleranunt. Reliquæ decem tribus ad Aſſyrios ductæ ſunt; duæ autem Iuda, & Beniamin tanquam grauioris reæ flagitij in Babyloniam tranſierunt. Atrocius enim Sacerdotis filia adultera, quàm cæteræ puniuntur, quia ſacerdotalis generis gratiam turpi opprobrio decolorauit.* Erat equidem Iuda, & Beniamin, tribus regia, & ſacerdotalis, ideo eorum delicta notiori, & grauiori ſupplicio notantur; egent enim maiori lachrymarum flumine, vt abſtergantur maculæ tantarum nobilitatum.

§. XVI.

Salus noſtra in Maria tutiſſimè, & ſecuriſſimè cuſtodita.

PRopter veterem arcam portatam habet modò Abiathar ſalutem, dicitur enim illi: *Hodie te non interficiam, quia portaſti arcam Domini mei,* &c. Ecce tibi in arca veteri fuit vita, & ſalus Abiatharis cuſtodita, ne illi eriperetur in die illa. Felices etiam nos ſumus, quibus arca eſt Maria Deipara, in qua tutiſſimè, & ſecuriſſime Ieſus vita, & ſalus noſtra nobis cuſtoditur. Hinc clamabat Pſalm. 131.

Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. Pſalm. 131.

Saluatorem Dei aduentum requirat, in quo theſaurus noſtræ aſſeratur ſalutis, ſed non manifeſtus, ſed in arca concluſus, ne pateat furibus. Et qua in arca? Equidem in Maria, in qua tutiſſime, & ſecuriſſimè hominum cuſtoditur vita Synagoga in monte Caluariæ poſuit Ieſum medium inter latrones. Quorum vnus theſaurum noſtrum rapuit illum, & Synagogam depauperauit. Feliciores nos, qui non in monte, ſed in arca Mariæ habemus Ieſum, ne nobis inde eripi poſſet. Illa Cantic. 1. vementem indigitabat, dicens: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus.* Quo Cant. 1.

audito Dauid adhuc clamabat: *Surge Domine, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Si iam dicitur veniſſe, & ſaltaſſe in montibus, cur adhuc Dauid inſtat, vt ſurgat? Timebat Dauid vel montis memoriam, ne in illo ſibi raperetur Chriſtus; & ideo magis clamat, vt veniat in arca Maria, in qua veniet ſecuriſſimus. Quò aſpiciens Heſychius Hieroſolym. Heſych.

homil. 3. de Maria Deipara ait: *Surge in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis tuæ, quæ eſt haud dubiè Virgo Deipara. Si enim tu es gemma, meritò illa eſt arca.* Conſequentiùs diceret, ſi tu es gemma, meritò illa eſt concha; ſunt enim correlatiua concha, & gemma, vt mater, & filius. In concha enim gignitur gemma, & concluditur, vt in Maria natus fuit Ieſus, & eius clauſus vtero. Cur ergo non dixit, ſi tu es gemma, meritò illa eſt concha, quòd conducibilius videbatur ad explicandam Ieſu generationem ex Maria? Cur cauit Ieſu gemmam ad propriam concham reducere, & magis ad arcam reduxit? Gignitur equidem gemma in concha, ibique concluditur, ſed minime ibi ſecuritatem habet, quin potiùs à piſcatoribus & venatoribus quæſita tandem rapitur, & diuenditur ad orbis delicias. A concha autem ſemel erepta, & à potentibus empta, in arca concluditur, in qua tutè, & ſecurè cuſtoditur. Pulchrè ergo Heſychius, vt oſtenderet ſalutem noſtram Ieſum ſecuriſſimè in Mariam cuſtoditam, recurrit ad gemmam, non in concha, ſed in arca repoſitam, omnium latronum periculo liberam. Quid fœlicius; Habes Chriſtiane ſalutare tuum in Maria, non vt gemmam in concha expoſitam furibus, ſed vt gemmam in arca; vt a nullo poſſit eripi tibi. Vbi enim Ieſus meus in Maria eſt, nunquam non nobis manebit ibi.

Matth. 21. *Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam,* &c. Matth. 21.

quam vineam agricolæ dum rapere ſibi nituntur, funditus perdiderunt. Ex quo iam non vineam, ſed vitæ arborem Ieſum iterum plantat Dominus, Pſalm. 1. *Erit ſicut lignum; quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Et cur Domine adhuc plantando ligno incumbis? Tota Synagogæ vinea à te plantata euanuit; eiuſque fructus per latrones ablatus eſt; nonne & lignum hoc vitæ etiam eradicabitur, & auferetur? Sanè non profuit vineæ turris, nec ſeps, quominus eradicaretur: quomodo & lignum hoc vitæ non eradicabitur? Accipite D. Ambroſ. in Pſal. 1. Ambroſ.

fantem: *Ieſus lignum vitæ: lignum ſapientiæ, plantatum in vtero virginis voluntate patris, à quo in perpetuum manſurum plantatur, vt fructum daret in tempore ſuo. Non enim poterit areſcere illa plantatio.* Equidem quod in Maria plantatum eſt, non deficiet, in perpetuum nobis manet, vt tempeſtiuo tempore fructum eius percipiamus.

§. XVII.

Non qui viſu tantùm, ſed qui & paſſionis experientia percipit labores Chriſti, is felix.

SOcietas cum Dauide in laboribus morti eripit Abiatharem. Dicit enim: *Hodie te non interficiam, quia portaſti*

Digitized by Google

tecisti arcam Domini Dei coram Dauid patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus. Expende illa, *& ſuſtinuiſti laborem*, &c. hoc eſt, re ipſa patiebare in te, quod pater meus patiebatur. Ne miremur, quòd detur vita homini, qui Regis ſui laborum non teſtis ſolùm viſu fuit, ſed & ſocius ipſarum pœnarum.

Matth.27. Matth.27. de Pilati vxore locutus ait: *Miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iuſto illi, multa enim paſſa ſum per viſum hodie propter eum.* Ecce dicitur Pilati vxor multa paſſa per viſum propter Ieſum, & non dicitur, quòd hæc paſſio illi aliquid commodi, aut conſolationis attulerit. Longe aliter

Luc.16. dicebat Abrahamus de Lazaro Luc.16. *Fili multa bona recepiſti in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur*, &c. Vbi dicitur Lazarus mala pertuliſſe, & ſimul dicitur, quòd inde conſolatur. Et cur vxor Pilati in malorum perpeſſione propter Ieſum non conſolatur? Lazarus autem conſolatur. Illa dicebatur pati per viſum, Lazarus autem in vita ſua, in carne ſua patiebatur, inde

Orig. præ illa meruit conſolationem capere. Orig. homilia 30. *Conſolatur, & requieſcit in ſinibus Abrahæ, quia recepit mala in vita ſua, & non hæc, mala quæ recepit in viſu ſuo.* Non datur conſolatio Chriſti eis, qui ſolo viſu eius labores ſciunt, in ſe autem nolunt eos experiri, ille verò in Ieſu conſolatur, qui non ſolo viſu, ſed & carne eius expeditur mala.

Cant.8. Vnde monebat ille Cant.8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Non equidem contentus eſt Ieſus eſſe in corde, ſed & amat eſſe in brachio; hoc eſt, non ſolùm vult eſſe in viſu, & mera cogitatione, ſed & in opere. Et cur non ſolùm in cogitatione, ſed in opere amat eſſe. *Quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*; quia vt ille amore & dilectione ſua nos vel per mortem acquiſiuit, ſic qui eum fideliter æmulantur, nec vitæ ſuæ debent parcere. Ex quo

Iuſtus. aiebat D.Iuſtus Orgelit. ibi: *Primùm ſuper cor, deinde ſuper brachium ſignaculum ſuperponendum intellige, vt tam in cogitatione, quàm in opere ad meum ſignum recurras. Quia fortis vt mors dilectio tui. In tantum dilexi te, vt mori voluerim pro te; hæc erat fortitudo amoris, acerbitas mortis. Dura autem ſicut infernus æmulatio, vt Sancti quoque è contrario pro Chriſto occidi non metuant, quem pro ſua ſalute mortem ſuſcepiſſe ſine dubio cognouerunt.* Equidem boni æmulatores, & triumphatores, quando viderunt, & cognouerunt Ieſum mortuum pro eorum vita, non in viſu, & cogitatione hæſerunt, ſed ad ſimilia præſtanda feſtinauerunt, vt etiam ipſi pro Chriſto mortificarentur, morerentur. Ne nos detrectemus mortificari cum Ieſu, ſi amamus cum cum illo regnare.

Irenæus. Sed de nobis dicatur, quod D.Irenæus lib.4 cap.12. dixit de Abrahamo: *Iuſtè igitur derelinquens terrenam cognationem omnem, ſequebatur verbum Dei, cum verbo peregrinans, vt cum verbo moraretur.* Sic ibi.

3. *Reg.* 2. Venit autem nuntius ad Salomonem, quòd Ioab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet: fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. Nuntiatumque eſt Regi Salomoni, quòd fugiſſet Ioab in tabernaculum Dei, & eſſet iuxta altare; miſitque Salomon Banaïam, filium Ioiadæ, dicens: Vade, interfice eum. Et venit Banaïas ad tabernaculum Domini, *&c.*

§. XVIII.

Miſerè falluntur impij, dum ſibi præſumunt ventura bona, quæ aliis euenere.

AVdiens Ioab de ſe malè audiri in Salomonis Regia, fugit ad tabernaculum Dei, quippe ait: *Fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris*, &c. Et cur non magis fugit in vicina regna, vt Dauid fugerat à Saule. Sciebat aliis profuiſſe in vitam locum Sanctuarij, & ideo licèt magnorum criminum reus non dubitat ſimilia ſibi ſperare, quo miſerè deceptus in perditionem abiit. Venit enim perfidus homicida promittens ſibi de Sanctuario incolumitatem, quam norat aliis datam; ſed dum ibi incolumitatem præſumit, quaſi agnus ſub ſacro gladio apparuit. Sic impij quotidie dum bona quæ in aliis vident, non dubitant ſibi promittere, & ſperare, miſerè cadunt. Huc adduxerim quæ Iſraelitis acciderunt, de quibus Oſeas fatur cap.4. *Sicut vacca laſciuiens declinauit Iſraël: nunc paſcet eos Dominus quaſi agnum in latitudine.* Oſe.4. Vidit Iſrael gentes multis bonis abundare, ingentibus lucris ditari, victoriis nobilitari, & ab auctore naturæ diuites fructuum meſſes capere. Et ſimilia ſibi præſumens, ad gentes conuolabat, augendus bonis, & proſperitatibus. Quid tunc? Ad agnelli exiguitatem redactus, vel leui ictu intermedius apparuit. Rem pulchrè tractans Ruff. ibi ait: *Iſrael à virtutis ſemitis declinauit,* Ruffin. *credens ſe optimis bonis fruiturum; ſed impios tanta votorum fruſtratio conſecuta eſt, vt ad agni exiguitatem, de taurina mole deſcenderint. Sic tota gens, quæ confidebat in viribus, gloriam ſuam ignominia ſequente vidit mutatam, & ſub paſtorali baculo conſtitutam, tanta quanta ſolet agnus facilitate compeſci.* Heu impiorum fallaciæ! Crede mihi, numquam non illorum vota ſequitur fruſtratio, & qui vt leones rugiebant, & vt tauri regna ventilabant, ſibi glorias promittentes immortales, quas aliis datas nouerant; ignominia ſequente, quaſi parui agnelli ſub gladio trepidabant. Aiebat Iob cap. 6. *Conſiderate ſe-* Iob 6. *mitas Thema, itinera Saba, & expectate pauliſper. Confuſi ſunt*, &c. Quæ verba ſic ex aliorum lectione Olym- Olympiod. piodor. ponit in catena Græca: *Reſpiciunt in vias Theman; itinera Saba expectant ſibi ipſis, & confundentur*, &c. Equidem impij aliorum felicitates, & glorias videntes non dubitant ſibi ipſis per eaſdem vias eadem ventura. Toti intenti in lucra, quæ multi alij impij obtinuerunt eadem ſibi indubitanter promittunt. Et quid inde? *Et confundentur*; ibi Olympiod. *Qui rebus huiuſ-* Idem. *modi animo incubarint, turpitudinem, ac dedecus vitare non poterunt.* Semper equidem fruſtratio ſequetur impiorum vota; & dum aliorum fœlicitates expectant, in turpe exitium deuenient.

§. XIX.

Militares animi vbi metuunt Deum ſpectant.

SEmper miror, quòd tantus Princeps, tot bellorum victor, Iſraeliticæ militiæ dux non ſibi ſecuritatem quærat in vicinis regnis, ſed ad Dei tabernaculum confugiat. Dicit namque: *Fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.* Et cur tanto bellatori, & militiæ duci citiùs venit in mentem refugium tabernaculi, & altaris, quàm refugium vicini regni? Ait ibi Ioſephus: *Porrò Ioabus Imperator, audita* Ioſeph. *nece Adoniæ valde extimuit, eius enim amicitiam magis, quàm Regis coluerat, & ideo non immeritò malè ſuſpicans ad altare confugit.* Expende illa, *valde extimuit*; equidem & bellator maximus, & dux militiæ vbi timere cœpit, nihil aliud, quàm quæ Dei erant, meminit, & ideo ad altare ſe recepit. Sic militares animi correpti metu ad Deum accedunt. Matthæi 28. vbi poſt Ieſum redi- Matth.28. uiuum apparuit Angelus in ſepulchro, ait: *Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos.* Et mulieres piæ, & cuſtodiæ milites in maximo timore erant; Angelus autem non militibus, ſed mulieribus ſolis timorem adimit. Et cur à mulieribus timorem excutiens, milites in timore reliquit? Meritò milites timere relinquit, vt qui nouerat paulo antè quantum milites timere profecerant, vt irent ad Deum. Ait enim Matth. cap. 27. *Centurio autem, & qui cum eo erant* ibid.27. *cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iſte.* Vt ergo ad Deum veniant milites, datur eis quòd timeant, non ſanctis fœminis, qui amore Ieſu in ſepulchro erant detentæ. Ait Diuus Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 14. *Ait* Cyril. Hier. *Angelus ad ipſas: Ne timeatis vos, non dico militibus, ne timeatis, ſed vobis. Illi timeant, vt experientia diſcentes teſtentur,*

Digitized by Google

teſtentur, & dicant: Verè filius Dei erat iſte. Equidem vt militates animi memores ſint Deum, metu ſunt conſternandi, quem vbi conceperint, armorum auxilium contemnunt, & ad Deum euolant. Quò adduco illud Iſaiæ cap. 2.
Iſai. 2. *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini.* Ecce tibi vt arma, & bella obliuiſcuntur populi, & vnum amant, ad quod ſe inuitant, nimirum ambulare in lumine Domini. Et vnde ſic arma, & bella dantur obliuioni ab ipſis ducibus, & bellatoribus, & vnus quæritur Dominus: Inſinuabat Propheta præmittens: *Et iudicabit gentes, & arguet populos*; terribilem ſe iudicem exhibebit Dominus, arguens & terrefaciens populos; ex quo tota armorum memoria auolabit à bellatoribus, & vnus memorabitur Dominus. Quò alludebat Sibylla lib. 3. Oracul. Sibyl. aiens:

Sibyl.
Pax enim terram peragrabit ſumma bonorum.
Rhompheam verò auferent Dei magni Prophetæ,
Ipſi enim iudices mortalium, & Reges iuſti.
Ipſius enim magni Dei iudicium, & imperium erit.

Vbi enim Prophetæ iudicij terrorem mundi iniecerint, *Rhompheam auferent*; nullus erit, qui gladium meminerit, aut arma bellica. Pugnaciſſimi ipſi diſtinctè ſe Deo ſubſternent.

§. XX.

Vnus Ieſus regit, & protegit in vitam eos, qui ſub illo ſunt.

QVantumuis ad tabernaculum, & altare confugerit Ioab, non potuit Regem latere, vt ab eius ira euaderet. Sic enim ait: *Apprehenditque altare. Nuntiatumque eſt Salomoni; quòd fugiſſet Ioab in tabernaculum Dei, & eſſet iuxta altare: miſitque Salomon Banaiam, dicens: Interfice eum.* Ingreſſus tabernaculum, & altare apprehendens non potuit non parere ad mortem irato Regi. Vtinam non altare illud vetus, ſed Ieſum meum apprehenderet toto corde, & fallar niſi ſub eius velamine tegeretur, ne morti pateret. De Ieſu loquebatur Pſalm. 79. dicens: *Operuit mon-*
Pſal. 79. *tes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei.* Qui iniquitatum magnitudine montes ſuperant, & ſterilitate, & aſperitate vitæ cedros, ſub vmbra Ieſu, & ſub arbuſtis eius ſic operiuntur, & reguntur, vt nulli pateant extremæ miſeriæ. Et quæ arbuſta ſic ſteriles cedros regit, & protegit: Vt Ieſus vitis eſt, ſic & arbuſtum; quod qui toto corde amplectitur, licèt ipſa ſterilitate ſterilior ſit, tamen ex ac-
Baſil. cepto Ieſu in vitam creſcit. Pulchrè ait D. Baſil. in Pſalm. 28. *Quoniam vitis Dominus noſter dicitur: Ego, inquit, ſum vitis. cedri Dei ſunt illi, qui hactenus quidem ſteriles, & apti ad comburendum fuerunt, vbi verò ſub velamen, & integumentum Chriſti venerunt, illumque velati induti ſunt, per ipſius gratiam, propriæ vitæ ſterilitatem contegunt, Cedros ergo Dei hæc arbuſta fructuoſa circum amplexa cuſtodiunt.* Cedrus licèt ſterilis ſis, & iam ob flagitia deputatus ad combuſtionem, vbi ſub Chriſti velamentum venias; vbi induas Ieſum, vbi diuiniſſimum illud arbuſtum amplectaris, non dubito quin ab omni malo cuſtodiaris euentu. Væ tibi ſi carueris hoc Ieſu velamento, nullo alio ad manſuetudinem trahes Dei iram. Geneſ. 9. iacebat Noë nudatus in terram; quem ſic nudatum nec videre auſi ſunt filij eius, quin imò ait
Geneſ. 9. textus: *At verò Sem, & Iapheth pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, &c.* A nudato patre faciem auertebant boni filij. Quorſum hæc? Vt videas, quàm auerſa ſit Dei miſericordia ab eo, qui nudatus fuerit velamine
Machar. Chriſti. Rem ſic expendit D. Machar. homil. 20. *Filij quoque Noë videntes nudatum patrem, facies ſuas auerterunt, ne nudum patris corpus aſpicerent, & retrogradientes operuerunt eum, & ſic vultum auerterunt: Ita Deus auerſatur animas non ornatas indumento ſancti Spiritus, eos, inquam, qui non induerunt Dominum Ieſum Chriſtum in virtute, & veritate.* Miſer qui Ieſum non induit, ſed eius protectione apparet nudatus; is manet expoſitus diuinæ iræ, quam fugit, qui ſe abdit ſub velamento Chriſti.

§. XXI.

Impius nihil videt in ſacris niſi facinora ſua, ſub quibus pereat.

ILlud mirandum in Ioab quòd ſtans in tabernaculo Dei, & altare manu tenens clamet, & dicat: *Non egrediar, ſed hîc moriar.* In Dei tabernaculo, in ipſo altari Dei mortem vocat. Quam aliter Dauid Pſalm. 22. *Miſericordia tua* *Pſalm. 22.*
ſubſequetur me, omnibus diebus vitæ meæ. Et vt inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum. Dum ſe in domo Domini conſiderat, nihil ſibi non ſpectat vitale, & miſericors. Et quando Dauid vitam, & miſericordiam a domo Domini expectat; cur Ioab nec in domo Domini, neque in altari ſpectat aliud, quàm mortem? Sanè impio a ſacris nihil citiùs occurrit, quam propria facinora, ob quæ extremam expectet ruinam. Deut. 28. dicebat Iudæo: *Erit* *Deut. 28.*
pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die, ac nocte. A cruce pendens vita noſtra Ieſus maximè noſtras ſpes fouet & corda confirmat, ne timeamus ruinam. Cur dicitur Iudæo, quòd habens ob oculos ſuos Ieſum pendentem à cruce, non in ſpem eat, ſed inde timorem incurrat? Vt impius Iudæus, & in impietate pertinax, nihil prius in ſacris, & diuinis cogitare poteſt, quàm facinus ſuum, cuius diſrumpatur timore pœnæ. Ait D. Leo ſermon. 8. de Leo.
Paſſion. *Iſti nihil in crucifixo Domino præter facinus ſuum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera iuſtificatur, ſed quo conſcientia iniqua torquetur.* Equidem pertinaciſſimi impij habentes ob oculos Ieſum pendentem in cruce; nihil ibi aliud videbant, quàm propria facinora, quorum conſcientia torquebantur in mortem. Matth. 28. traducebatur Ieſus vinctus à domo Caiphæ in Pilati Palatium.
Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœ- *Matth. 28.*
nitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccaui, &c. & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Vidit miſer Ieſum manſuetiſſimum vinctum traduci ad Pilatum. Et ex Ieſu victo viſo quid cogitauit Iudas? An cogitauit ad illum currere, veniam petere flagitij? Minimè, ſed ſolùm cogitauit, quòd clamauit, nimirum peccati ſui immanitatem; nil aliud, quàm conſcientiæ ſuæ ſenſit intolerabiles ſtimulos. Vt dicat D. Chryſoſt. ibi: *Nec enim* Chryſoſt.
potuit acerbos conſcientiæ ſtimulos, & flagella praſerre. Vt vidit Ieſum, ecce tibi conſcientiæ excitantur ſtimuli, qui facinora propria illi obiicientes præcipitarunt eum in extremum excidium. Quò ſpectans Euthym. ait: *Conſcientiæ* Euth.
remorſum non ferebat. Cùm ergo ad Ieſum clementiſſimum confugere oporteret, ille ad mortem potiùs confugit, vt à deſperata, triſtique vita citius liberaretur. Non equidem Iudas a conſpectu clementiſſimi Ieſu aliquid boni eduxit, ſed vt vidit vinctum, ſtatim verberatus conſcientiæ ſtimulis proprij flagitij immanitatem videns in mortem ruit. Sic impij à ſignis ſalutis nihil aliud educunt, quàm conſcientiæ ſtimulos, quibus in mortem ruant.

§. XXII.

Pœnitentia in finem vitæ dilata ſuſpecta ſit.

TEnens altare manibus, dicebat Ioab: *Non egrediar, ſed hîc moriar.* Quæ verba non credit Carthuſ. prolata ex animi contritione, ſed ex vitæ deſperatione. Nec miror, quòd ab altari non trahat Ioab contritionem, ſed vitæ deſperationem; tenebat enim illud tantùm in articulo illo mortis. Altaria autem à quibus ſe homo tota vita alienat, vereor, ne etiam nociuè arripiantur extremo tempore mortis. Poſt refuſum argentum à Iuda ait
Matth. 28. *Conſilio inito emerunt ex illis agrum figuli in ſepultu-* *Matth. 28.*
ram peregrinorum. Expende, quid paratur ex pretio ſanguinis Chriſti, nimirum peregrinis paratur ſepultura. Et qui ſunt hi peregrini, qui à pretio ſanguinis nihil aliud accipiunt, quàm ſepulturam? Qui tota vita peregrinati ſunt a Deo, qui numquam æſtimarunt numerari inter domeſticos Dei, qui ſeſe à ſacris alienarunt, ij, cùm ad ſanguinis Chriſti pretium in extremis accedunt, fallar, ſi non ægrè; & difficulter aliud, quàm ſepulturam; & excidium metant. Ait Origen. homil. 35. in Matth. *Qui autem* Orig.
vſque ad finem peregrini ſunt à Chriſto, & alieni à Deo, dicent

ſine

ſine dubio conſequenter, Conſepulti ſumus peregrinis in agro figuli aperantis lictum, qui pretio ſanguinis eſt comparatus, & ſumus in ogro, qui ager ſanguinis nominatur. Peregrinos dicimus eſſe, qui vſque in finem extrones ſunt à Deo. Tales igitur peregrini huiuſmodi habent finem, vt in agro figuli ſepeliantur. Ecce tibi quid comparet pretium ſangninis Ieſu peregrinis, & extraneis, qui vſque in finem à Deo alienati ſuot, iis equidem comparat pretium ſanguinis Ieſu agrum ſanguinis, luteam ſepulturam, ne vnquam videant niſi mortem & excidium. Et qui magis peregrini Deo, qoàm qui ab eius abſunt altaribus? Luc. 15. de prodigo illo filio, qui ſubſtantism conſumpſit viueodo luxurioſè, ait: *Peregrè profectus eſt.* Circa quæ Diu. Ambroſ. lib. 2. de pœnitent. cap. 3. ait: *Bene dicitur, quia peregrè profectus eſt, qui erat à ſacris altaribus ſeparatus; hoc eſt enim ab Ieruſalem illa, quæ in cælo eſt, ciuico quodam, & domeſtico Sanctorum ſeparari domicilio, Vnde ait Apoſtolus, Iam non eſtis hoſpites, & peregrini, ſed ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.* Sic domeſtici Dei ſunt qui frequentes ſunt eius altaribus, à quibus ſe alienat vſque in finem, ex illis peregriois eſt, qui excidium timent; & à cœleſti Ieruſalem exilium. De quo plura ſuot dicta à nobis per omnes tomos.

Luc. 15.
Ambroſ.

§. XXIII.

Honor habendus reo, qui religioſè, & piè occumbit.

Bis iubet Salomon interfici Ioabum; primò ait Banaiæ: *Vade, interfice eum.* Secundò poſtquam audiuit illum noluiſſe exire de tabernaculo, ait: *Fac ſicut locutus eſt, & interfice eum, & ſepeli.* Antea nullum verbum fecit Salomon de ſepultura præſtanda Ioabo; ſicut nec ſupra in occiſione Adoniæ vllum auditom eſt verbum de ſepultura eius. Quando ergo nec de Adonia ſepeliendo egit, nec de Ioabo ſepeliendo dixit verbum prima vice; cur vbi audiuit illum velle interfici in tabernaculo Dei, dum ait: *ſed hîc moriar*, tunc ſtatim mandat, præſtari illi honorificam ſepulturam? Crediderim probabilius ex illis verbis Ioabi, hominis pietatem, & religionem ſaltem in extremis collectã fuiſſe, vt qui ex religioſo, & pio in Deum animo decreuerit mortem expectare altari Dei innixus, vt caderet tãquam pro commiſſis peccatis victima. Quam religionem, & pietatem notans Salomon, & illi annuit, & inſuper decreuit illi honorem ſepulturæ, dicens: *Fac ſicut locutus eſt, & interfice eum; & ſepeli.* Sic enim vel in reis ſupplicio afficiendis honoranda eſt pietas, & religio, qua occumbunt. Nota eſt hiſtoria illius hominis
3. Reg. 13. Dei, cuius meminit 3. Regum 13. qui deceptus à Pſeudo-Propheta tranſgreſſus fuit mandatum Dei, pro quo ſtatim affectus fuit diuino ſupplicio. Dicit enim text. *Qui cùm abiiſſet, inuenit eum Leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere. Aſinus autem ſtabat iuxta illum, & Leo ſtabat iuxta cadauer.* Ecce tibi Leo ipſe, qui occiderat hominem, cuſtodiebat defunctum in ſepulturam. Quid inde? Meritò Raban. Euch. Angelom. inde colligunt hominis in morte & pietatem, & ſanctitatem, ob quam etſi Deus voluit in eo punire per Leonem tranſgreſſionis culpam, tameo voluit illum honorare & Leonis cuſto-
Theodor. dia, & ſepultura. Ex quo dicebat Theodor. quæſt. 42. ibi: *Deus autem honorauit eum etiam poſt deceſſum. Nam occiſorem et induxit cuſtodem, hac quidem ratione honorans vt Prophetam, illu verò puniens tanquam tranſgreſſorem.* Sic vel in reis caſtigaodis, eorum virtutibus notis habendus eſt honor.

3. *Regum* 2. Miſit quoque Rex, & vocauit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Ieruſalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc, atque illuc. Quacumque autem die egreſſus fueris, & tranſieris Torrentem Cedron, ſcito te interficiendum: ſanguis tuus erit ſuper caput tuum. Dixitque Semei Regi: Bonus ſermo, *&c.*

§. XXIV.

Præſtantiſſimorum hominum contentio de honore nocentiſſima religioſæ familiæ.

Poſt Adonia m, Ioab, & Abiathar mulctatos vocat Salomon Semei, cui dixit: *Ædifica tibi domum in Hieruſalem, & habita ibi,* &c. Abiatharem exulare cogis ab Hieruſalem, Ioabom, & Adoniam à mundo, & Semei Hieroſolymis retines, & diu illi manere permittis? Qoi tã boni io patrem tuum fuere, quamprimum à ciuitate, & vita eiiciuntur, hic autem iniquiſſimus in Dauidem in curia manere permittitur; Cur non magis huius eiectionem, & ſupplicium acceleras, quàm illorum? Erant illi tres præſtantiſſimi viri cæteros, & ſanguine, & dignitatibus ſuperantes, qui pro hooore regni ad ſuas partes trahendo maximè contenderant, ideo eorum ſupplicium accelerandum fuit, vt quorũ de honore regni contentio nocentior eſſet Reipublicæ. Quod dum noto, non poſſum non timere præſtantiſſimis viris malum, qui in religioſa familis de honoribus in ſuas partes trahendis contenduot. Hi enim nocentiſſimi ſunt, & ſpirituali vitæ aditum protſus occluduot. Matth. 18. acceſ- Matth. 18.
ſerunt Apoſtoli ad Ieſum dicentes: *Quis putas maior eſt in regno cœlorum?* Quibus inter alia ſic reſpoodit Dominus: *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis hiis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris,* &c. Quærentibus de maioritate in regno, proponitur præceps pœna eius, qui paruulos Chriſti ſcãdalizat. Et quid hæc pœna adeo præceps ad eos, qui tantùm quærebant de maiori honore in familia Dei? Crediderim ad eos maximè eam pœnam ſpectaſſe, qui cùm præſtantiſſimi omnium Chriſtianorum eſſent, & electi ad regnum Chriſti ſtabiliendum, propagandum, in hoooris primatu quærendo occupabantur, in qua cootentiooe ſi perſeueraſſeot totum Chriſti regnum perditioni, quaotum eſt ex ſe, darent. Ad hæc ſapientiſſimè dicebat D. Hier. ibi: *Hoc* Hieronym.
etiam contra Apoſtolos dictum intelligi poteſt; qui interrogando quis maior eſſet in regno cælorum, videbantur inter ſe de dignitate contendere, & ſi in hoc vitio permanſiſſent, peterent eos, quos ad fidem vocabant, per ſuum ſcandalum perdere, dum Apoſtolos viderent inter ſe de honore pugnare. Quis præſtans vir in ſacra familia non intremiſcat ad hæc verba? Heu quot perduntur è minimis, dum vident magoos contendere, vt honores ad ſuas partes deferant; quibus, & omnibus religioſiùs prouiderent, ſi ſuo, & ſuorum exemplo docerent fugere à dignitatibus, hooores temporales contemnere.

§. XXV.

Ex auaritia certiſſimus laqueus in ruinam.

Vide ſapientiam Salomonis parantis laqueum Semei, vt illum traha in mortis ſupplicium, ait enim: *Ædifica tibi domum in Ieruſalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc, at illuc. Quacumque enim die egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Cedron, ſcito te interficiendum,* &c. Vltra Torrentem Cedron erat oppidum Bahurim, vbi erat habitatio Semei, & ſubſtaotia eius, & ager, vt notat Abul. io præſenti. Cogitur ergo Semei habitare Hieroſolymis à propria ſubſtantia, & agro proprio ſeparatus, nec permiſſus illò ire ſub pœna capitis. Quaotus hic laqueus homini ad mortem, quòd non permittatur agellum proprium inuiſere, eiuſq; fructus propriis oculis notare? Quis ſic reſiſtat lucri cupiditati, quòd non rapiatur amore proprij agri, deſiderio videndæ rei familiaris? Fallar, ſi potuerit Semei vehementius ad mortem trahi, quam hoc auaritiæ laqueo. Dicebat Dominus Luc. cap. 11. *Cùm immundus ſpiritus exierit de homi-* Luc. 11.
ne, perambulat per loca inaquoſa, quærens requiẽ. Et non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit. & aſſumit ſeptẽ alios ſpiritus nequiores ſe, &c. Ecce tibi ſpiritus laſciuiæ vt inuadat domum, à qua ſemel eiectus eſt, licet illam vacuã inueniat tamen non ſolus accedit, ſed ſeptẽ alios nequiores conuocat, & ſimul cum illis domũ aggreditur. Non ſic ille ſpiritus tentator Ieſu; ſed ſemel, & bis repulſus tertiò accedit. Ait enim Matth. c. 4. *Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem* Matth. 4.
excelſum valde, & oſtendit illi omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, &c. Bis reiectus, tertiò etiam ſolus accedit, cur non magis conuocat alios, vt maiori impetu incurrat? Quando ille mundus ſeptem

alios ſpiritus nequiores conuocauit; cur iſte ſolus audet redingrare certamen? Cur non plures aſſumit ſocios? Afferebat ſecum temporalia bona, quæ vt ipſe putabat, offerebat homini. Vbi autem auaritia excitabatur bonorũ temporalium obiectu, illa ſola pro ingenti exercitu ſoffi-
Paulin. cit ad perdendum hominem. Ait D.Paulinus epiſt.2. *Auaritia vna omnibus armata criminibus, vel ſi ſola nos capiat, & Zabulo ad militiam, & homini ad mortem ſufficit.* Non eget Diabolus militibus aliis ad perdendos homines, ſolam ſi habeat pro ſe auaritiam, illa ſola ei pro omni exercitu, & militari ſufficit, & pro certiſſimo laqueo, quo homo trahatur in mortem. De Tyri naui opulentiſſima locutus
Ezech.27. Ezechiel. cap. 27. *In aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus Auſter contriuit te in corde maris. Diuitiæ tuæ, & theſauri tui, & multiplex inſtrumentum tuum, nautæ tui, & gubernatores tui, qui tenebant ſupellectilem tuam, & populo tuo præerant, viri quoque bellatores tui, qui erant in te, cadent in corde maris.* Quòd pereunte naui milites eius, & populares pereant, non miror; illud inuſitatum magis, quòd nautæ, & naucleri omnes etiam pereant. Quando nauclero deficit ſcapha, in qua euadat: Cur ergo in naui Tyri, & nautæ omnes, & naucleri irremediabiliter pereunt? Ait de illis textus: *Qui tenebant ſupellectilem*, &c. tenebant illi diuitias nauis, à quibus ſic tenebantur, vt maluerint cum illis perire, quàm ſi-
Paulin. ne illis euadere. Rem ſimilem cantat D.Paulin.epiſt.42. de Naufragio Martiniani fatus.

Nauarchus ipſe perditæ Princeps ratis
Pereuntibus primus fuit.
Potuiſſet ille ſe periclo abrumpere,
Sed debitum morti caput,
Captiuo dignis mens auari vinclis,
Adſtrinxit, in finem ligans.
Nam ne ſuperſtes nauis, & mercis foret,
Necem ſaluti prætulit.

Expende illa: *Debitum morti caput Captiua dignis mens auari vinclis adſtrinxit, in finem ligans*; quippe amor bonorum, ſupellectiliumque ſic ligauit hominem in mortẽ, vt maluiſſet perire cum mercibus, quàm ſine illis euadere. Sic ligantur in perditionem, qui auaritiæ ſequuntur ducatum.

§. XXVI.

Maledici lingua omni gladio lethalior.

VNius Ieroſolymæ habitatio decernitur Semei, vt poſſit viuere; dicit namque: *Ædifica tibi domum in Ieruſalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc, atque illuc. Quacumque autem die egreſſus fueris, ſcito te interficiendum.* Itaque vna ciuitas Ieruſalem deſignatur Semei, vt in illa impunè viueret; lex autem ſex ciuitates deſignabat homicidis, ad quas confugerent, & in quibus etiam impunè viuerent, vt habes Ioſue c.7 Quando ergo lex ciuitates ſex dabat homicidæ, vt euaderet; cur Salomon vnam tantùm ciuitatẽ permittit Semei? An hic nocentior homicidis? Equidem qui non gladium, ſed linguã ſtrinxerat in Dauidẽ, lethalior, & crudelior extiterat, quàm ipſi fuiſſent latrones, homicidæ.
Pſalm. 58. Dicebat Pſ.58. de maledictis: *Lingua eorũ gladius acutus.* Quæ
Bernard. verba expendens D.Bern.ſerm.de triplici cuſtodia, inquit: *Gladius equidem anceps, imò triceps eſt lingua detractoris. Nec verò eiuſmodi linguam etiam ipſo mucrone, quo dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc Chriſti corpus, nec iam exanime fodit, ſed facit exanime. Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, quas illi tam ſublimi capiti ſacra militaris impoſuit, ſed etiam clauis ferreis, quos ſanctiſſimis illis manibus, & pedibus cũſummatio Iudaicæ impietatis infixit.* Quis hoc crederet, niſi Bernardus diceret? Non ſic lancea, non ſic claui, non ſic ſpinæ ſæuierunt in Ieſum; vt ſæuit modo detractoris lingua, quæ percutit, & transfodit myſticum Ieſu corpus, nimirum viros iuſtos. Nec miror, Dominus enim Ieſus ſemper crudeliores habuit linguas, quàm gladios. Propone tibi ob oculos Ieſum à Iudæis cruci ſuffixum, & poſtmodum ab hæreticis blaſphematum, vtros crudeliores, & nocentiores credideris? Fallar, niſi ſuperentur, qui clauis, ab iis, qui linguis per-
Cyril. Alex. cutiunt Chriſtũ. Aiebat D.Cyril.Alex. in cap.Ioan.4. *Quid autem rurſus Arrian, aduerſùs quos meritò dicere poſſumus: Sodoma iuſtificata eſt à vobis, qui Iudæorum inſaniam exceſſerunt. Ab illis enim Chriſtus crucifixus eſt, ab iſtis ineffabilis naturæ verbum blaſphematus.* Ecce tibi crucifixores Ieſu exceduntur in malitia ab Arrianis blaſphemantibus Ieſum. Sic lingua gladios ſuperat.

§. XXVII.

Auaritia impellit in mortem neſcientes.

POſt tres annos dum Semei fugitiuos ſeruos perquirit, in mortis venit excidiũ. Sic enim in text. *Surrexit Semei, & ſtrauit aſinum ſuum, iuitque ad Achis in Geth ad requirendum ſeruos ſuos, & adduxit eos*, &c. Fugerant ſerui Semei ad Achis Principem Geth; Semei autẽ in ſeruis fugitiuis lucri ruinam non ſuſtinens, nihil aliud memorans, quàm recuperationem lucri ad Achis contendit. Quò vadis miſer? Cur non magis capitis pœna te vrget, quàm lucrum? Cur non memoras ſententiam Regis Salomonis, contra quàm pergis in extremum excidium? Equidem ſeruorum vſura ſic miſerum obcœcabat, & impellebat, vt curreret in extremam ruinam. De Iuda venditore Ieſu notabat Ioan. c.13. Ioan.13.
Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox. Et cur notabat Ioann. noctis tempus in egreſſione Iudæ? Notarunt horam meridianam Euangeliſtæ in crucifixione Ieſu, vt eius diſcubitum oſtenderent pretioſum mundo, iuxta illud Cant.1. *Indica mihi, quem diligit anima* Cant.1.
mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. At tempus noctis in venditore eius, ad quid notatum eſt? Vt pateat, quàm cæcè, & ignoranter currant ad necem, qui impelluntur ab auaritia. Currunt illi vt putant, ad lucrum; ſed reuera curſus non ad lucrum, ſed ad extremam ruinam illos perducit. Rem pulchrè tractat D.Cyrill.Alex.lib.9. in Ioann.cap.19. Cyril. Alex.
aiens de Iuda: *Curſim ille abiit ad diaboli opus, de domo exiuit, nihil pecunia melius putans, quodque maius eſt, nihil ò benedictione adiutus; morbo enim auaritiæ victus, nec quæ noctu quidem ruit, conſiderat. Tenebroſa enim nox quædam impiæ cupiditatis in profundum inferni eum impellebat, adeo quaſi ceruus ad ſagittam properabat, vel quaſi canis ad vincula, neſciens ſe ad periculum animæ ſuæ currere.* Componite modò & Semei, & Iudæ egreſſum à domo; vterque ibat lucri ſpe impulſus, vterque ad lucrum obtinendum currebat, ad omnia pericula obcæcatus propter lucrum. Et dum vterque trahitur ad lucrum, ſic nocte ruunt, vt reuera perueniant, vt ſeruus ad ſagittam, vt canis ad vincula, vt cæcus ad extremam ruinam. Nec vllus greſſus auari hominis cogitari poteſt, qui extremo non ſit præuentus excidio. Quò ſpectans Sophon.c.1. Sophon.
ait: *Diſperierunt omnes inuoluti argento.* Criminoſis aliis dicitur, quòd peribunt; at auaris hoc dicitur, quòd iam perierint; cùm enim putant ſe eſſe in deliciis, iam in perditione ſunt. D. Hieron. ibi. *Conſidero, quòd non dixerit, peribunt,* Hieronym.
qui inuoluti ſunt argento, ſed iam nunc, antequam eis veniat ſupplicij dies, in eo ipſo quòd ſemper de theſauris ſuis cogitent, & ſeruiant eis, perierint, atque corruerint. Semper vel primum greſſum auari præuenit perditio.

§. XXVIII.

Væ quos peccata non ſinunt eſſe in intimis Eccleſiæ.

TOta hæc erat cauſa Semei, nimirum: *Nonne teſtificatus ſum tibi per Dominum, & prædixi tibi: Quacumque die egreſſus fueris huc, atque illuc, ſcito te eſſe moriturum*, &c. *Reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum*, &c. Iuſſus fuerat miſer ſub pœna capitis manere Ieroſolymis, à qua ipſe ſtultiſſime egreſſus eſt, & pœnam incurrit. Cur non magis ſe Ieroſolymis continuit? Cur iam facilem legem non obſeruauit? Occaſionem textus inſinuat, dicens: *Reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum.* Equidẽ peccata priſtina, & malitia hominis ſic eum grauarunt, & malè affecerunt, vt egredi à Ieroſolymis facerent, quò periret. Quàm id contigit quotidie miſeris hominibus, quorum vita in eo conſiſtebat, ſi intimo cordis affectu eſſent intra Eccleſiam Dei, at peccata eorum, & iniquitates ſic eos afficiunt, vt videantur iam eſſe in limine ad egreſſionem & perditionẽ. Clamabat Dñs Sophoniæ cap.4. *Viſitabo omnẽ, qui arroganter* Sophon.4.
ingreditur ſuper limen in die illa: qui complent domum Domini Dei ſui iniquitate, & dolo. Quæ ſic à Septuag. transferuntur in rẽ noſtram. *Viſitabo ſuper omnes manifeſtè, qui ſunt in veſtibulis in die illa, qui complent domũ Domini Dei ſui impietate, & dolo.* Qui tanta iniquitate exundant, vt illa compleant domum Dei, dicuntur eſſe in veſtibulis, & quia in veſtibulis ſunt, expoſiti manent iræ diuinæ, & extremo exterminio. Et quid eſt

eſſe

eſſe in veſtibulis? An qui in veſtibulis materialibus portarũ templorum conſiſtunt, vt inde mulierculas ſollicitent? Magnũ hoc ſcelus eſt, & dignũ manifeſta vltione diuina. Sed ſupremum aliud malum denotari illis verbis duxerim: illi enim, qui peccatis ſuis, & ſceleribus domum Dei ſui implent, adeò diſpoſiti ſunt ad defectionem a fide, & Eccleſia, vt credantur iam iam eſſe in limine, vt penitus egrediantur, & pateant extremo exterminio. Ait ibi D. Hieron. *Et vlciſcar ſuper omnes manifeſtè, qui ſunt, in veſtibulis; hoc eſt, qui egreſſi ſunt de templo Dei, & cùm deberent eſſe intrinſecus, propter peccata ſua egreſſi ſunt foras, de Eccleſia Dei receſſerunt adimplentes templum Dei impietate, & dolo.* Equidem qui vt viuerent debebant eſſe in Eccleſia Dei intrinſecus; peccatis ſuis, & iniquitatibus ſuis, quibus Dei domum implent, tam peſſimè diſponuntur, vt ab Eccleſia egrediantur, vel ſint in veſtibulis, egreſſioni propinqui. Hi certiſſimè ſperent vltionem diuinam. Hieronym.

Caput VI.

Sapientiæ conquiſitio.

TEXTVS HISTORIA.

COMPRESSIS ſeditioſis hominibus, nihil magis cordi fuit Salomoni, quàm ſapientiam tanto Regi conuenientem conquirere. Pro eáque ex Deo obtinenda peregrinationem a Regia in Gabaon decernit; is enim erat locus in ſorte Beniaminica, vbi poſt deſtructam Nobe requieuerat arca Domini, vſque dum in Sione à Dauide conſtituta fuit. Venit ergo Salomon in Gabaon regni proceribus cinctus, & antiquam tabernaculi ſedem mille nouellorum agnorum honorat victimis. Longas deinde addit preces, quibus iuncta à liqueſcenti corde ſuſpiria cœlum pulſant, creatoris aures ſolicitant, vt acerbos iuuentutis animos ſapientiæ ſale ſaporet, & ſaporando conſtringat. Interea aduentantis Dei nuntius blandus ſopor occupat iuuenem; dormientique Deus mandat, petitionem inſtituat de his, quæ ſibi dari à tanta largitate percupiat. Non ille vitæ longæuitatem, non diuitias, non hoſtium ruinam cæteris Principibus optatiſſimam petiit, ſed vnam ſapientiam poſtulat, quàm ideo cum cæteris omnibus acquiſiuit, qui eam poſtulauit vnam. Expergeſactúſque Ieroſolymam redit, & minimè accepti doni ignarus, multis hoſtiis cæſis gratũ ſe Deo exhibuit, populareſque ſuos regio excepit conuiuio.

PARS MORALIS.

IN Rege pacifico ſapientiæ amor extitit ardentiſſimus, vt enim arma, & bella ſapientiæ ſunt inimica; ſic pax nil prius, quam ſapientiæ ſtudioſos gignit.

2. *Reg.* 3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præcepto Dauid patris ſui, excepto, quòd in excelſis immolabat, & accendebat thymiama. Abiit itaque in Gabaon, vt immolaret ibi; illud quippe erat excelſum maximum: mille hoſtias in holocauſtum obtulit Salomon, *&c.*

§. I.

Dilectione Deus trahitur.

HOc aſſiſtentis Dei in Salomone ſignum clariſſimum ponitur, nimirum: *Dilexit autem Salomon Dominum.* Vbi enim Deum diligas, eum ad te trahis, & habes tibi intimè præſentem, & aſſiſtentem. Clamabat illa Cant. 1. Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Cui ſic ſtatim reſpondit dilectus: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum,* &c. Illa non ſe, ſed dilecti aſſiſtentiam ignorare monſtrabat, quam ſcire cupiebat. Quorſum ergo dicitur illi de Dei aſſiſtentia requirenti, *Si ignoras te?* Eſt ne idem ignorare aſſiſtentiam Dei, & ſe ignorare? Equidem in Dei amatrice idem eſt. Vt enim a ſe profitebatur Deum dilectum; ſic non ignoraret eius præſentiã, ſi ſe non ignoraret; nam ſibi aſſiſtentem illum videret. Sic enim amore noſtro Deum trahimus, vt niſi ab ignorante ſe amatrice non poſſit ignorari eius intima aſſiſtentia. Ex quo ſic D. Iuſtus Orgelitanus ibi: *Si ignoras te, ſi non intelligis, quia tu es illa, cui dicitur: Audi filia, & vide,* &c. *quia tu ſola accepiſti decorem incorruptibilis ſacramenti. Igitur non oberres, me alibi extra te quærendo vllo modo, in te quippe vbi me hoſtentus non quærebas, tanquam in meridie requieſco iam intellige, ibi me paſcentem, & gubernantem ſemetipſam, quæras.* Ecce tibi quam ignoranter profiteatur Deum a ſe dilectum, & ſimul quærat, vbi ille ſit præſens. Certum enim eſt Deum ibi eſſe, vbi diligitur. Ibi paſcit, ibi imperat, ibi intimè hæret, vbi eum ſincero amore proſequitur. Facilius aberit a cælis, quàm à ſe diligentibus, quorum intimis ſeſe inſinuat viſceribus. Iuſtus. De Ieſu ad templum deducto locutus Lucas cap. 2. ait: *Cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo: & Simeon accepit eum in vlnas ſuas,* &c. Luc. 2. Quid tunc? Manſit Ieſus in vlnis Simeonis? Nonne magis ſe viſceribus eius inſinuauit: Equidem ardentiſſimus amor Ieſu in Simeone exiſtens non permiſit Ieſum manere in vlnis, ſed eum in intima pectoris, & animi fecit introire. Id pulchra ſimilitudine oſtendebat Guerricus Abb. ſerm. 2. de Purificat. dicens: *Velim iſte, qui vngit etiam quos non tangit, quomodo candidum, & ſanctum pectus ſenis noſtri perunxit; cum ſuſcipiens eum in vlnas ſuas adſtringeret tam vberibus ſuis? Quid, inquam, putamus ille ſuauis, & mitis qualem inſinuabat ſe ipſum caſtiſſimo ſinui pij ſenis, qualis illabebatur medullis, quàm omninò ineffabilem ſe implicabat oſſibus, inſpirabat ſenſibus? Prorſus liqueſcebat vnctus in vnctionem, quaſi ad ignem reſolutus ad amplectentis amorem.* Expende hæc: *Quaſi ad ignem reſolutus ad amplectentis amorem,* quippe vnguentũ quãrumuis ſolidum videatur, ſi in manibus habeatur iuxta ignem, ſtatim liqueſit, & ſeſe per brachia tenentis infundit, omniaque peruadit intima, & totum in ipſo tenente imbibitur. Sic Dei filius Ieſus vnguentum pretioſiſſimum, ſi ſemel tangatur ab amatore ſuo, ad flammam amoris, tanquam ad ignem reſoluitur, & ſeſe intimis præcordiis inſinuat, ipſiſque ingerit animæ medullis. O te felicem, qui hanc flammam amoris ſeruas erga Ieſum: per illam & trahis ad te Deum, & omnimodam munditiem; ſine illa in eas ſordes incurres, quæ pene ſint inabſtergibiles. Guerr. Ioan. cap. 13. dicebat Ieſus diſcipulis ſuis: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes. Sciebat enim quis nam eſſet, qui traderet eum; propterea dixit: Non eſtis mundi omnes.* Hæc dicebat Ieſus habens in manu peluum aquâ plenam, qua pedes diſcipulorum lauabat. Et quando tibi ô Domine præ manibus lauacrum eſt, cur pateris aliquem ex tuis manere immundum? Cur non magis omnes facis mundiſſimos? Aiebat D. Cyrill. Alexand lib. 9. in Ioan. cap. 7. *Cæteris quidem diſcipulis vel quoniam non parua charitate Chriſto afficiebantur, munditiem inerat. Proditori verò tum auaritiæ crimen, quàm affectionis ergo Chriſtum infirmitas inabſtergibiles peccatorum ingeſſit ſordes.* Ecce mundities noſtra in eo, quòd amemus Chriſtum; cuius amoris defectus ſordes gignit inabſtergibiles. Ioan. 13. Cyril. Alex.

§. II.

Nullo magis parentes familiæ ſplendorem æternant, quam dum filios erudiunt in amore, & timore Dei.

NOtandum eſt illud huius capitis principium nimirũ, *Confirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis,* &c. & penè immediatè ait: *Dilexit autem Salomon Dominum ambulans in præceptis Dauid patris ſui.* Quando enim de præceptis, & inſtitutione Dauidis veniebat, quòd Salomon diligeret Dominum, non mirum, quod Dauidicum regnum in eius manu confirmaretur. Facit quippe ad confirmandum, & æternandum familiæ ſplendorẽ, quòd parentes reddãt filios in diuina affectos. Dicebat Dei ſponſa Cantic. 8. *Ego murus, & vbera mea ſicut turris.* Quis vnquam audiuit tale, Cant. 8.

quod matri vbera in fortiſſimas, & munitiſſimas turres creuerint? Vnde illi tam nouum & inauditum accidit munimentum, & robur? Eò ſpectabant huius matris vbera, vt paruulos filius cum lacte doctrinam virtutum, & affectum erga Deum docerent; quo mirum in modum confirmabantur, & muniebantur contra omnia aduerſa.
Iuſtus. Ait D. Iuſtus Org. ibi: *Ego murus, quia ipſe ædificauit me, qui fortiſſimus eſt, & pugnat pro me. Vbera mea ſicut turris, conſtruente Deo, proceritate iuſtitiæ creuerunt, & in me paruulos, qui in Chriſto ſunt, nutrimus; & donec ad perfectionis cibum perueniant, eos educere non deſinunt, quoadvſque eis dicatur: Relinquite infantiam, & venite, & ambulate in viis prudentiæ.* Tot muri, tot turres conſurgunt pro tuanda, & æternanda domo, quod parentum ſolicitudines fuerint de erudiendis filiis, in virtutibus, & Dei timore, vt ambulent in viis eius. Qui patres hæc filiis procurauerint, & illos, & familiæ ſplendorem æternant. Vnde non poſſum non ridere ſtultiſſimas curas illorum parentum, qui ambientes clariſſimam poſteritatem, nil priùs amant in filiis eſſe, quam ingentes diuitias, ampliſſimos bonorum redditus, quibus per ſingulos annos ornentur. Neſciunt miſeri in vna virtutis inſtitutione, & Dei amore firmitatem, & claritatem poſteritatis conſiſtere; in diuitiis autem, & bonorum terrenorum cumulo non firmitatem,
Num. 33. ſed excidium. Numer. 33. dicebat textus de Iſraelitis: *Profecti igitur de Rameſſe, menſe primo, quinta decima die menſis primi, ſecerunt altera die Phaſe filij Iſrael in manu excelſa videntibus cunctis Ægyptiis, & ſepelientibus filios primogenitos, &c.* Et mirabar, quod tam particulariter notarit textus, quòd Ægyptij ſepelirent primogenitos ſuos egredientibus Iſraelitis. Quid enim magnum, quòd Ægyptij primogenitos ſepelirent, cùm egrediebantur Iſraelitæ? Crediderim non tam reſpectum eſſe ad id, quod tunc temporis materialiter fiebat, quam ad id, quod omni tempore fit à parentibus erga filios. Parentes enim qui eò deſudant, vt diuitias, & honores temporales relinquant filiis, vt clariſſima primogenia inſtituant, mihi crede, primoge-
Hieronym. nitos ſuos ſepeliunt, non viuificant. Ait D. Hieronym. epiſt. ad Fabiol. manſione prima. *Ægyptij ſepeliunt primogenitos ſuos, & patres mortui terrenis operibus opprimunt mortuos filios.* Quot terrena bona, tot terræ aggeres congerunt parentes, quibus opprimant, & ſepeliant filios ſuos. Fallar, ſi ampliſſimi Hiſpanorum maioratus non plures primogenitos oppreſſerint, & ſepelierint, quàm confirmarint, honeſtauerint. Frequentiſſimi primogeniti abeunt in pauperiem, & ruinam, & minores fratres in ſtudiis, & virtutibus nutriti in dignitates euolant clariſ-
Luc. 15. ſimas. Luc. 15. Pater ille familias primogenito ſuo dedit partem ſubſtantiæ, quæ contingebat illi, & quid inde? Nonne illud in eo ſepeliuit? *Sane diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè*; & factus eſt porcorum cuſtos. Quis magis ſepultus? Sed vbi fame edoctus cœpit patris præcepta optima meminiſſe, & ad magnalia ſurgere. Vt dicat D. Iuſtus Orgelit. in cap. 8 Cant. *Ille filius, qui de ſiliquis porcorum paſci cupiens ſaturari non poterat ad conuiuium, quod*
Iuſtus. *de pingui occiſo vitulo pater præparauit reficiendus inducitur.* Non diuitiæ, ſed virtus, & affectus in patrem Deum hominem reuocarunt in vitam.

§. III.

Principis tui virtutibus hærendum.

HOc præſtantiſſimum in Salomone, quod patris ſui virtutibus hæret, quippe ait: *Dilexit autem Salomon Dominum ambulans in præceptis Dauid patris ſui.* Non declinauit à patris virtutibus circa Deum, ſed maximè illis incubuit. Quis bonus non id curet? Carpebatur à Iudæis Ieſus, quòd diſcipuli eius Sabbatho vellebant ſpicas, qui-
Matth. 12. bus veſcebantur. Et ait Dominus Matth. 12. *Non legiſtis, quid fecerit Dauid, quando eſuriit, & qui cum eo erant? Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit?* Multis poterat os calumniantium obſtruere, ſed maluit eos in primis reuincere, exemplo Dauidis. Et cur in pri-
Athanaſ. mis ad exemplum Dauidis recurrit? Ait D. Athanaſ. hom. de ſemente: *Ille qui ex Dauide eſt, Dauidis meminit.* Vt filius Dauid ſic ſe oſtendebat inſiſtere Dauidis virtutibus, nec ſe degenerem eſſe ab illo. Numquam enim Ieſus meus non reſpondit principij ſui virtutibus. Dicebatur de illo Pſalm. 112. *Qui in altis habitat, & humilia reſpicit.* Pſalm.
Et Cant. 5. *Species eius vt Libani, electus vt cedri.* Cedrus Cant. 5.
altiſſima arbor eſt, comis ſuis cœleſtia contingens. Et cur Ieſus tam altæ arbori voluit comparari? Vt ab alto patris ſinu prodierat, ſic licet in terra radicauerit, cœleſtia tangebat, vt reſponderet primæ origini. Ait Diuus Ambroſ. lib. 2. de virg. *In altis habitat, & humilia reſpicit. Et* Ambr.
ſpecies eius, ſicut cedrus Libani, quæ comam nubibus, radicem in terris inſerit. Principium enim eius in cœlo, poſteriora eius in terris, fructus cœlo proximos ediderunt. Vt principium habebat in cœlis, ſic cœlis reſpondebat in operum fructu: ne quis fugiat non reſpondere virtutibus propriis originis.

§. IV.

In filiis ſuis caſtigat Deus vel minutiſſima, vt probetur amor eorum.

NOn erat tunc temporis peccatum adolere in excelſis, ſed erat tantùm quædam imperfectio, vt concors eſt expoſitorum ſententia, & tamen id non diſſimulat, ſed caſtigat in Salomone Deus, aiente textu, *excepto quod in excelſis immolabat*, &c. Et quando immolatio in excelſis non peccatum erat, ſed ad ſummum aliqua imperfectio; cur non magis diſſimulatur in Salomone? Cur illi obicitur à ſacro textu? Dixerat in primis: *Dilexit Salomon Do-* Deut. 10.
minum, &c. qui autem ex Dei dilectoribus eſt, magis debet ſibi vel à minimis timere. Deut. 10. ſic lex cauebat: *Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum*, &c. Expēde illa, *Timeas, & diligas*; credebam enim timorem longè ab amore poſitum eſſe, neque ſimul poſſe eſſe amare, & timere. Quod ſi amare Deum tenemur, qui fieri poteſt, vt timeamus Deum? Eo quòd amemus, debemus magis, vel à minimis timere; vt ſcitum illud ſit,

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Quo enim vehementiùs amas, eo ſolicitior debes eſſe ne offendas, & vel ab vmbris debes timere. Ait D. Irenæus Irenæ.
lib. 4. c. 31. *Donat hominibus per adoptionem patrem ſcire Deum, & diligere eum ex tota corde, & ſine auerſione ſequi eius verbum, non tantùm abſtinentes à malis operationibus, ſed etiam à concupiſcentiis eorum. Auxit autem etiam & timorem: filios enim plus timere oportet, quàm ſeruos, & maiorem dilectionem habere in patrem.* Ecce tibi quo ardentiores amatores fecit, eo & timidiores; filiorum enim vehementiſſimè amantium patrem eſt, magis cauere, & timere eius offenſam. Matth. 12. Dicebat Matth. 12.
Dominus: *Dico autem vobis, quòd omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Quid ſeuerius? Ille ipſe, qui venit ſaluum facere, quod perierat, qui dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri; à quo accepimus ſpiritum adoptionis, non ſeruitutis; ille, inquam, ipſe adeò in nos ſeuerum ſe exhibet, vt vel verbulum otioſum in iudicium vocet. Et cur Domine non magis diſſimulas in tuis leuia illa? Cur propter leuia oſtendis tantam diſtrictionem? Aiebat ſuprà D. Irenæus: *Vt ſciamus, quoniam* Irenæus
non ſolum factorum reddimus rationem vt ſerui, ſed etiam ſermonum, & cogitationum, tanquam qui & libertatis poteſtatem accepimus, in qua magis probatur homo, ſi reuereatur, vt timeat, & diligat Deum. Expende illud, *in quo magis probatur homo*, quippe ex quo ſeruitutem exuimus, & accepimus ſpiritum adoptionis, ſpiritum filiorum, patrem amantium, ſtrictiùs vel in minimis probamur, ſi verum habeamus amorem, qui enim verè amat, debet timere vel à leuiſſimis vmbris offenſionum.

§. V.

Culpæ quæ aliquod virtutis ſpecimen præbent, magis ad veniam pertinent.

HOc imperfectionis notatū fuerat in Salomone, quod in excelſis immolaret, & tamen cùm venitur ad ſacrificiū, quo ſapientiā ex Deo comparauit, ſic textus ait: *Abiit itaque in Gabaon, vt immolaret ibi, illud quippe erat excelſum maximum*, &c. In tanto ſacrificio, Dei apparitione honorato, Deique muneribus ditato cur neceſſum fuit notari in maximo excelſo peractū fuiſſe holocauſtū? Nonne immolatio in excelſis ſaltem ad imperfectionē pertinebat tunc tēporis? Cur nō diſſimulatur imperfectio illa in ſacrificio, quod tot bona Salomoni attulit? Crediderim affectū illū immo-
land

landi in excelſis ortum in Salomone ex eius erga Deum
religione, qua procurabat, omnia præſtantia, & excelſa
Deo eſſe dicata. Qui affectus licèt exceſſum, & imperfe-
ctionem, imò aliqualem culpam importaret, tamen in
eo, quòd virtutis ſpecimen, & effectum præbebat, magis
Pſalm.5. ad veniam appropinquabat. Dixerat Pſalm. 5. *Perdes omnes,
qui loquuntur mendacium.* At Exodi 1. inueniuntur fœminæ
obſtetrices Hebræorum, quæ coram Pharaone mentitæ
ſunt, vt pueros Hebræorum vitæ reſeruarent, ex quo non
parua munera à Deo ſibi compararunt. Quando ergo
mendaces perduntur à Deo, quomodo hæ fœminæ men-
daces à Deo in bonum abeunt? Fuit in earum mendacio
effectus non paruus virtutis, nimirum erga innocentes
pueros compaſſio, & illorum à morte liberatio, ne mire-
mur in tanto virtutis effectu vorari culpam mendacij, vt
Auguſt. fœminæ in bonum abeant. Ait ibi Auguſtinus, *Multa qui-
dem videntur pro ſalute, aut commodo alicuius, non malitia, ſed
benignitate mendacia. Quare illarum in Exodo obſtetricum, quæ
Pharaoni falſam renuntiarunt, vt infantes Iſraël non necarentur.
Quoniam qui tantùm hoc modo mentiuntur, merebuntur aliquan-
Didym. do ab omni mendacio liberari.* Nec non & Didymus de men-
dacio Raab Ioſue 2. loquutus ait circa eundem Pſalm.
*Mendacium loquentem non ex ſola voce, ſed ex propoſito, &
affectu oportet iudicare; ne qui hoc olim per diſpenſationem fece-
runt, minis ſubiaceant, vt Raab, quæ mentita viſa eſt erga illos,
qui exploratores viros bonos quærebant interficere. Cum vera pro-
poſitum hominis vim ingentem habeat, non erit conſentaneum in-
ter eos qui perduntur, aut loquuntur mendacium, ipſam deputari.*
Numquam non excuſabilis eſt aliquo modo is, qui ad
aliquem exceſſum it, ex affectu magnam aliquam virtu-
tem ad Deum & proximum operandi. Quod quia in pec-
Amos 2. catoribus non inueniebat, clamabat Deus Amos cap. 2.
Stridebo ſuper vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno. Et cur
Deus aduersùs impios ſe plauſtro onuſto fœno compa-
rat? Vt oſtendat, quàm intolerabiliores ſint illi, qui ni-
Ruffin. hil virtutis etiam in exceſſibus ſuis exhibent. Ait ibi Ruf-
finus: *Meritò Deus noſter maiorem ſe ſarcinam pronuntiat experi-
ri, eorum peccata tolerando, in quibus nihil queat de pretioſis ſta-
dijs reperire, ſed qui omnes ad vile fœnum, quod facile ignibus
conſummatur, acceſſerunt.* Maximè onerant Deum peccata
illorum, in quibus nullus virtutis affectus, aut effectus
ſentitur; illi autem tolerabiliores cenſentur, & minus
veniæ repugnant, quorum inter peccatorum nubila, quæ-
dam quaſi virtutum fulgetra affulgent. Sic ab ambitioſis
famæ opera miſericordiæ fulgurant, quibus multa bona
in Republica ſtabiliuntur, nec parum augetur diuinitatis
cultus. Qui autem in bonum proximorum & Dei cul-
tum ſuos exceſſus dirigunt, fortè, vt cum Auguſtino lo-
quar, impetrabunt aliquando ab omni faſtu liberari.

§. VI.

Maria humilibus maximè fauet.

ITerum expendo illud de Salomone dictum: *Iuit itaque
in Gabaon, vt immolaret ibi: illud quippe erat excelſum ma-
ximum*, &c. Erat equidem in Gabaon tabernaculum a
Moyſe factum: inſuper erat æneum altare; non erat arca
Dei, quæ inde tranſlata in Sion ciuitate Dauid morabatur.
Cur ergo Salomon non magis ad Sion, vbi erat arca ac-
ceſſit, quàm ad Gabaon, vbi ſolùm erat tabernaculum ſine
arca? Cur magis bonum ſibi expectauit à loco taberna-
culi, quàm à loco arcæ? Vt Salomoni erant cordi excel-
ſa, & ſublimia, ſic maiora expectabat à Moyſi tabernacu-
lo, quàm ab arca, in qua repræſentabatur Maria, quæ ma-
gis fauet reſpicientibus infima, & humilia. Dum Ieſus Be-
thaniæ eſſet poſt ſuſcitatum Lazarum, & eius menſæ ac-
Ioan.12. cumberet, ait Ioan. 12. *Maria ergo accepit libram vnguenti nar-
di piſtici, & vnxit pedes Ieſu.* Cuius facti memoriam faciens
Matth.26. Matth. 26. ait: *Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vn-
guenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius*, &c. Eadem fuit fœ-
mina, quæ à Matthæo, & Ioanne deſcribitur, vt ex D. Au-
guſtino probat noſter Toletus in Ioannem. Eius tamen
nomen Matthæus reticuit, quod explicatè poſuit Ioan-
nes, dicens: *Maria ergo*, &c. Et cur Matthæus reticuit
Mariæ nomen, quòd Ioannes manifeſtè explicuit? Duo
fecerat illa, & pedes, & caput Ieſu vnguento vnxerat,
Matthæus autem intentus ad capitis vnctionem, Mariæ

nomen prætermiſit; non enim adeò Marianum eſt, alta
fouere, & ſublimia. Ioannes autem, vt qui pedum vn-
ctionem notabat, non potuit non meminiſſe Mariam, ad
eiuſque nomen euolare, cuius eſt fauere humilibus, &
imis. Ex quo D. Ambroſius lib. 2. de Pœnitent. cap. 7. ait: Damaſc.
*Ipſa Maria mittit vnguentum in pedes Ieſu. Ideo forte in pedes,
quia vnus de infimis ereptus eſt morti. Omnes enim Chriſti corpus
ſumus, ſed alij forte ſuperiora membra ſunt. Vt erat Chriſti Apo-
ſtolus, qui dixit. Experimentum quæritis eius, qui in me loquitur
Chriſtus? Vtinam ego pes eius eſſe merear, & mittat in me Ma-
ria vnguentum ſuum pretioſum, & vngat, & peccata mea exter-
gat.* Ecce tibi vt Ambroſius amet fieri pes Ieſu, hoc eſt,
vnus è minimis, & infimis, vt ſic fruatur fauore Mariæ,
cuius nominis virtus in humiles inclinat. Vt meritò dicat
Damaſcenus orat. de dormition. Mariæ apud Metap. *Ma-* Ambroſ.
*ria auerſatur vanam gloriam, quæ ponit ſtudium in rebus inanibus.
Ampullis ſuperbiæ hoſtiliter auerſatur, &c. Charitatem, & miſe-
ricordiam, & humilitatem in honore habet tanquam ſuas nutrices.*
Equidem ab humilitate alta humiles nouit fouere, &
exaltare.

§. VII.

Omnia magna Mariæ adſcripta.

DE Gabaon ait textus: *Ille quippe erat excelſum maxi-
mum.* Et meritò dicitur excelſum maximum de loco,
in quo erat Moyſi tabernaculum, ne miremur omnia ma-
gna dicari Mariæ, quæ verum eſt Dei hominis tabernacu-
lum. Dicebat namque illa Luc. 1. *Fecit mihi magna, qui po-
tens eſt.* Ad quæ Andreas Cretenſ. homil. 2. de Aſſumpt. ait: Luc. 1.
*Quid enim ex iis, quæ ſunt longè maxima, non in ea proceſſit cum
maximo virtutis abundantia: Quid verò ex iis, quæ ſpectant* Cretenſ.
*ad oſtendenda miracula, non productum eſt admirabile, ideo vt
omnium miraculorum, quæ quomodocumque facta ſunt, aut fiunt,
eam eſſe effectricem in omnium reſonet auribus?* Itaque quæ ma-
xima ſunt, & miraculoſa omnia Mariæ dicantur; adeò vt
cùm Ieſus eam à miraculi operatione ſeparatam vellet
oſtendere Ioan. 2. ait: *Quid mihi & tibi mulier?* Mulierem Ioan.2.
vocat, non matrem, nec Mariam, ſolam enim quà mu-
lier in communi erat, vt logicè loquar, non qua Maria
Deipara à magnorum miraculorum operatrice virtute
erat ſeparanda. Vbi autem maximum aliquod, aut ma-
gnum miraculum ſpectabatur, ibi iam adumbraba-
tur Maria. Ardebat in monte rubus, nec comburebatur,
tur, quod ſpectaculum miratus Moyſes ait Exod. 3. *Va-* Exod.3.
dam & videbo viſionem hanc magnam. Vnde magnam, niſi
quia inde præfulgebat Maria? Ait Andreas Cret. homil. 2. Cretenſ.
de Aſſumpt. *De te reſonarunt omnes ſpiritus interpretes. Moyſes
primus, cum vidiſſet rubum, te prædixit, aiens: Tranſiens vide-
bo magnam hanc viſionem.* Sic in magna viſione non potuit
non Mariam Deiparam indigitare, cui omnia magna ſa-
crantur.

Sap. cap. 9. Deus patrum meorum, & Do-
mine miſericordiæ, qui feciſti omnia ver-
bo tuo, & ſapientia tua conſtituiſti ho-
minem, vt dominaretur creaturæ, quæ
à te facta eſt; vt diſponat orbem terra-
rum in æquitate, & iuſtitia, & in dire-
ctione cordis iudicium iudicet: da mihi
ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam,
& noli me reprobare à pueris tuis, quo-
niam ſeruus tuus ſum ego, & filius an-
cillæ tuæ, *&c.*

§. VIII.

*Veri Dei religio totam hominum antecedit
originem.*

POſt ſacrificia mille in Gabaon peracta, ſic Salomon
ſeſe pro ſapientia acquirenda in preces effudit. Ait
enim: *Deus patrum meorum, & Domine*, &c. & cùm ait:
patrum meorum, crediderim illum non ſiſtere in immedia-
tis parentibus ſuis, ſed ad totam collectionem progenito-

rum ſpectare vſque ad primum parentum omnium fontem, & originem. Parum enim commendaretur veri Dei cultus, niſi oſtenderetur primam hominum originem anteceſſiſſe, ab illiſque mundi progenitoribus,& conditoribus extitiſſe. Illud enim erat ſalſorum Deorum ſignum
Deut. 32. datum Deut. 32. *Noui, recentéſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum*; quippe ſi vetuſtiſſimos humanæ originis cancellos ſcruteris, ſolus Deus verus, & Chriſtus eius inuenitur à primi ſæculi patribus cultus. Vt meritò dicatur
Apocal. 13 Apocal. 13. *Agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi.* Nullus enim pater iuſtus apparuit à prima conditione orbis, quẽ beati immaculati Agni præuiſus & coltus ſanguis non purpuraſſet. Ex quo prudentiſſimè Aurel. Prudent. confi-
Prudent. cit Ethnicos in carm. pro S. Romano. Vbi ſic:

Antiquitatem Romuli, & Mauortiam
Lupam renarras primum, & omen vulturum,
Si res nouellas reſpicis, nil tam recens:
Vix mille ſoſtis implet hanc ætatulam,
Curſus dierum, conditore ab augure.
Sexcenta poſſum regno pridem condito
Proferre toto in orbe, ſi ſit otium
Multo ante claro, quàm capellam Gnoſiam
Suxiſſe fertur Iuppiter, Martis pater.
Sed illa non ſunt, hæc & olim non erant.
Crux iſta Chriſti, quam nouellam dicitis
Naſcente mundo factus vt primum eſt homo
Expreſſa ſignis, expedita eſt literis,
Aduentus eius mille per miracula
Prænuntiatus ore vatum conſono.
Reges, Prophetæ, iudiceſque & Principes
Virtute, bellis, cultibus, ſacris, ſtilo
Non deſtiterunt formam pingere crucis.
Crux prænotata, crux adumbrata eſt prius,
Crucem vetuſta combiberunt ſæcula.

Quid pulchrius? Planè non dabis aliquam Ethnicorum, infideliumve ſectam, quam non anteceſſerit multis retro ſæculis præformatio, & prædicatio chriſtianæ crucis. Siue primum hominem ſpectes iuxta lignum vitæ; ſiue filium eius Abelem in occiſione mortis, ſiue Sethum filiorũ Dei patrem, ſiue Enos orantem ad Deum, ſiue Noemum currentem ad ſalutem per lignum. Omnes hi vnum, & verum Deum mundi conditorem, & Chriſtum eius ſæculi ſaluatorem inueniuntur inſpirauiſſe. Quis apud illos Baal? Quis Iupiter, Mars, Apollo? Quis Mahoma, Lutherus, Caluinus? Planè iſti noui, recenteſque venerunt, quos prorſus ignorarunt Patres illi. Sola quæ eſt vera Chriſti religio, omnium eſt antiquitate prima. Nota eſt hiſtoria cantatiſſima illius partus Thamaris, de qua locutus textus Geneſ.
Geneſ. 38. 38. ait: *Inſtante autem partu apparuerunt gemini in vtero; atque in ipſo effuſione infantium, vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum, dicens: Iſte egredietur prior. Illo verò retrahente manum, egreſſus eſt alter*, &c. De illo, qui præmiſit manum, & coccini ſignum accepit, dictum eſt: *Iſte egredietur prior.* In quo monſtrabatur populus Chriſtiano ſanguine prænotatus omnibus aliis tuliſſe primas, & cum ipſa ſæculi origine confluxiſſe. Quò ſpectans dicebat Chryſo-
Chryſoſt. ſtom. apud Lyppoman. in catena: *Quod figura futurorum fuerit, res ipſa declarat. Quomodo enim erat poſſibile, quod poſtquam manus ligata coccino, iterum contraheretur, & daret poſteriori tranſitum, niſi diuina quadam virtus hæc priùs diſpenſaſſet, & ſicut in vmbra quadam profiguraſſet, in Phares quidem Iudæorum populum, in Zara autem gentes, quæ in Chriſtum crediderunt? Nam ante legem plures erant religione, & pietate præditi, non ſecundum legem; ſed fide vitam agentes. Sacrificiis enim Deum agnoſcebant, & venerabantur, vt Enoch. Noë, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Iacob.* Non equidem natura, ſed Dei virtus gubernabat ortum illorum infantũ, vt in Zara Chriſti ſanguine rubricatus populus, & in Phares populus monſtraretur Iudaicus. Licet enim Zara poſterior naſci videretur, tamen prior fuit præmonſtratus, dum ab origine mundi populus Chriſtianus in primis illis patribus mõſtrabatur. Qui ſacrificiis ſuis, & moribus, & religione Chriſtum habebant. Vna enim Chriſtiana religio in Enoch, Noe, & Melchiſedech radiabat. Hinc quærentibus, cur Filij Dei incarnatio non ſtatim in primis eſſet facta die-
D. Leo. bus mundi, ſed in vltimis? Sapienter reſpondit Diu. Leo ſerm. 3. de Natiuit. cap. 4. *Ceſſent igitur illorum querelæ, qui impio murmure diuinis diſpenſationibus obloquentes, de Dominicæ natiuitatis tarditate cauſantur: tanquam præteritis temporibus non ſit impenſum, quod in vltima ætate eſt geſtum.* Quod prædicauerunt Apoſtoli, hoc annuntiauerunt Prophetæ, nec ſerò eſt impletum, quod ſemper eſt creditum. Sapientia verò Dei hac ſalutiferi operis mora capaciores nos ſuæ vocationis effecit, *vt natiuitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat exceſſura menſuram, tanto conſtantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio eius, & antiquior præceſſiſſet, & crebrior.* Sic in filij ſui natiuitate captabat authoritatem fidei Deus ex eius prædicationis antiquitate, vt hæretici confundantur in ſuis nouitatibus.

§. IX.

Sordes generis virtutum floribus obteguntur.

Et patrum ſuorum, & eorum crimina à Deo condonata dum meminit Salomon, ait: *Deus patrum meorum, & Domine miſericordiæ.* Vbi Lyra: *Qui pepercisti patri* Lyra.
meo peccatum de morte Vriæ, non refugit Salomon patres & homicidas, & adulteros meminiſſe: vt qui ſciret quaſcumque generis ſordes poſſe contegi floribus virtutum. Ieſu genealogiam narrans Matth. 1. ait: *Dauid autem Rex* Matth. 1.
genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. Et Sara, & Rebecca, ſanctis fœminis prætermiſſis, ſolas meminit adulteras, idololatras, & inceſti crimine pollutas. Et cur fœculentos lacus euoluit, dum limpidiſſimi Saluatoris tractat originem? Ait D. Ambroſius lib. 3. in Lucam: *Ne quis pu-* Ambroſ.
taret generis maculam impedimento poſſe eſſe virtuti: vnde neque inſolens de generis ſui nobilitate ſe iactaret, nec parentum crimina verecundior erubeſceret, cui obumbrenda originis feditas daretur, flore virtutis. Cui præ manibus ſunt virtutum flores non erubeſcat natalium ſordes; nulla fœditas tanta eſt, quæ non tollatur, & venuſtetur flore virtutum. Matth. 15. Matth. 15.
Ecce mulier Chananæa finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei: Miſerere mei, &c. Chananæorum genus ſeruile malè habebat apud Iſraelitas, & nihilominus non detrectat Matthæus in hac fœmina generis vilitatem producere. Quando genus vile, & famoſum eſt, cur non magis illud diſſimulas? Ait D. Baſilius Seleuc. orat. 20. *Chananæa mulier, ſed* Baſil.
animi probitate genus refutabat, naturam vicit fides. Nemo Chananæos accuſat; ſoluit mulier maiores ſuos. Expende illa, *animi probitate genus refutabat*; quippe virtutum flores ſic venuſtabant generis maculas, vt tota illarum abſconderetur fœditas, & malitia. Quis pellucentes roſas conſpicatus attendit ad radicum ſpinas?

§. X.

Chriſtiani præſtantia, quòd nihil habeat tuum præter Deum.

Expende adhuc, quod dicat Salomon: *Deus patrum meorum.* Ea erat veteris virtutis infantia, quæ patres terrenos ſuos agnoſcebat, nec ab eorum auellebatur vberibus. Nec miror, nondum Sapientia increata deſcenderat à regalibus ſedibus, nondum Verbum caro factum erat, quòd dedit hominibus poteſtatem *filios Dei* Ioan. 1.
fieri, Ioan. 1. Ex tunc enim nec patres terrenos, nec aliud præter Deum corde tenemus. Ex quo pulchrè D. Proſper Proſper.
cecinit lib. de prouidentia Dei, inquiens:

En homo quanto tibi eſt gratis collata poteſtas!
Filius eſſe Dei, ſi vis, potes, Omnipotens te
Spiritus vmbratum Verbi virtute creauit,
Nec te corporeo patrum de ſemine natum
Iam reputes, pereant captiua exordia carnis.
Nil veteris coniuge nouo; non hic tibi mundus;
Non hic vita data eſt, nulla hic tua, nec tuus ipſe es.
Emptus enim es, pretiumque tui reſoluere fas eſt,
Qua potes, vt ſoluens ſis ditior, & tibi creſcant
Quæ dederis, creditque tibi pars ipſa redemptor.

Ex quo paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis redemptor, omnia noſtra nobis eripiuntur, nihil noſtrûm nobis relinquitur, nec patres, nec mundus, nec vita, nec nos ipſi noſtri ſumus, ſed pro omnibus vno Deo diteſcimus. Sic bonus Ieſus nihil præter ſe relinquit à nobis poſſideri. Matth. 4. Iacobus, & Ioan- Matth. 4.
nes vocati ab eo, *relictis retibus, & patre ſecuti ſunt eum.* Non

ſolùm

ſolùm omnia retia, ſed & patrem relinquunt, vt pateat quàm præter Ieſum omnia ſunt nobis corde abiicienda.
Tertull. Quò ſpectans Tertullianus lib. de Idololatria, cap. 12. ait: *Iam tunc demonſtratum eſt nobis, & pignora, & artificia, & negotia propter Dominum derelinquenda, cum Iacobus, & Ioannes & patrem, nauémque derelinquunt.* Nil noſtrum è terrenis manere finitur, quando nec pater terrenus nobis per-
Pſalm. 44. mittitur. Quin potiùs illud Pſalm. 44. intonat: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Ex quo enim Dei filia conſtituitur, iam tenetur vel parentibus carnalibus nuntium remittere.

§. XI.

Solus creator poteſt mentes humanas ab omni errore, & ignorantia cuſtodire.

IMperaturus ſapientiam, qua errores, & ignorantias fugeret Salomon, nil prius in Deo meminit, quàm virtutem eius creatiuam. Ait enim: *Qui feciſti omnia verbo tuo, & in ſapientia tua conſtituiſti hominem, vt dominaretur creaturæ, &c. Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, &c.* Ecce tibi creatorem, & factorem omnium meminit Deum, vt ab illo ſapientiam poſtulet. Et cur neceſſum fuit Deum memorari creatorem omnium, vt poſtuletur ſapientia ab illo? Vnius creatoris omnium opus eſt, ignorantiæ tenebras, & errores abigere, qui ſunt ſapientiæ inimici
Geneſ. 1. Geneſ. 1. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum, & appareat arida.* Scio terræ creandæ opus vnius Dei fuiſſe in principio, & quòd terra ab aquis ſepararetur, cur neceſſum fuit à Deo etiam mandari, & perfici? Cur non Angelis permiſſum eſt, quòd aquas in vnum locum congregarent, & terram aſpectabilem relinquerent. Erant in aquis tenebræ, iuxta illud: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Quòd autem à terra ignorantiæ tenebræ, & vagæ ventus doctrinæ tollantur, non Angeli, ſed vnius creatoris omnium poteſt eſſe opus. Pro quo ſtat D. Anaſtaſ. Si-
Anaſtaſ. naita lib. 1. Exaëmer. inquiens: *Appareat terra, vt qui iam olim ſpiritus erroris increparit, & eos Ægypto expulerit, nunc autem in tempore eius aquas fecerit reſtagnare; vt & ei, & nobis reuocet in memoriam, quòd ipſe eſt mundi conditor, qui eam à tenebris, & errore liberauit.* Reſtagnatis aquis, ignorantiæve tenebris, & erroribus expulſis, dum apparet terra conſpicua, manifeſtè oſtenditur opus creatoris in illa. Nullus enim poteſt ab omni errore liberare humanam men-
Iſai. 4. tem, niſi qui fuerit creator illius. Iſaias cap. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit de medio eius in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris.* Sordes ibi abluendæ putantur à D. Baſil. peccata per ignorantiam facta. Quæ quidem abluuntur ſpiritu iudicij, & ardoris dato, hoc eſt, iuxta Cornelium à Lapide, ſpiritu communicato, iudicij certi, quod verè illuminans mentem, eam facit optimè de rebus iudicare. Sed illud notandum, quod illæ ignorantiæ ſordes non ab alio, quàm à Deo dicuntur mundandæ. Et cur vnus Deus illas mundabit? Ait
Optatus. Optatus Mileuit. lib. 5. aduersùs Parmenianum; *Videte Deum vnumquemque mundare. Sordes enim & maculas mentis lauare non poteſt, niſi qui eiuſdem fabricator eſt mentis.* Ad vnum creatorem ſpectat ſordes humanarum mentium abluere, ſiue illæ ignorantiæ, ſiue erroris ſint.

§. XII.

Sub diuinæ Trinitatis auſpicio nihil non bonum plaudit.

PEtiturus ſapientiam à Deo, tres diuinas perſonas propriis illarum attributis diſtinguit, dicens: *Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia, verbo tuo, & ſapientia tuo conſtituiſti hominem, &c.* Expende ibi tria trium diuinarum perſonarum attributa; miſericordiæ bonitas Spiritui ſancto; potentia faciendi patri, ſapientia filio attribuitur. Sic, vt notat Salianus, Deum ſibi noſter candidatus ſapientiæ conciliat ab innata bonitate, potentia, & ſapientia, tribus primariis trium diuinarum perſonarum attributis. Nec miror, ex hac enim Trinitatis diuinæ prænotione nihil non bonum in ſua ſapientiæ petitione præſignat. Dicebat Dominus Petro Ioannis 13. *Qui lotus eſt,* Ioan. 13.
non indiget, niſi vt pedes lauet. Et ſanè, qui bene lotus eſt, non indiget lauari, ſed qui malè lotus eſt, lauari indiget. Dominus autem non dicit, qui bene lotus eſt, ſed abſolutè ait, qui lotus eſt, quo aliquis reſtat ſcrupulus in propoſitione illa. Porrò totus ſcrupulus tolleretur, ſi dixiſſet, qui bene lotus eſt, non indiget lauari. Cur ergo non addidit illud aduerbium, *bene*? Loquebatur forſan Dominus ibi de lotione, quæ fit ſub diuinæ Trinitatis auſpicio, iuxta illud Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine* Matth. 28.
Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et ſub tantæ Trinitatis auſpicio nihil non bonum intelligitur euenturum. Ait Optatus Mileuitan. lib. 5. aduersùs Parmenianum: *Qui* Optatus.
lotus eſt, &c. De eo lauacro pronuntiat, quod de Trinitate celebrandum eſſe mandauerat, non de Iudæorum, aut Hæreticorum lauacris, qui dum lauant, ſordidant: ſed de aqua ſancta, quæ de trium nominum fontibus inundant, &c. Sed dum non addidit verbum bene, *indicat, quia quidquid in Trinitate factum fuerit, bene eſt.* Fœlix, qui ſub hoc diuiniſſimæ Trinitatis auſpicio militat, multum habet, vt omnia ſibi bene ceſſura ſperet. Omnia enim bona ſub Trinitate veniunt, & abſque Trinitate nihil boni venit. Gen. 4. dicebat: *Ad* Geneſ. 4.
Cain autem, & ad munera eius non reſpexit Dominus. Et cur Dominus ad Cain non reſpexit? Ait textus apud Septuag. *Nonne ſi rectè offeras, non rectè diuidas, peccaſti?* Offerebat Deo munus, ſed non ſub diuinarum perſonarum diuiſione, & inde in malum venit. Ex quo D. Hieronym. in c. 5.
Amos Iudæos conficit, dicens: *Bene quidem vnum Deum colunt, & rectè offerunt, ſed in eo non reſpiciuntur, quia non rectè diuidunt, in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.* Expende illa, *In eo non reſpiciuntur, quia non rectè diuidunt,* &c. qui enim ſub diuinæ Trinitatis auſpicio non ſunt, ab illis auertit Deus oculos ſuos, vt reſpiciat, & benè habeat eos qui Trinitatis fide inſigniuntur. Hieron.

§. XIII.

Summa præſtantia in eo, quòd primi opificis lineamentis inſiſtas.

VT regnandi ſapientiam acquirat, Deum exorat Salomon creatorem hominis regnaturi. Sic enim ait: *Deus, &c. qui feciſti omnia verbo tuo, & in ſapientia tua conſtituiſti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta eſt, vt diſponat orbem terrarum in æquitate, & iuſtitia, & in directione cordis iudicium iudicet; da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, &c.* Ecce tibi regnandi ſapientiam poſtulans, nil magis in Deo memorat, quàm primi hominis regnaturi opificium; non paruam in eo præſtantiam oſtendens, quod videatur velle primi Regum opificis lineamentis inſiſtere. Inde præcellentiam Chriſti Domini Tertull. extollens lib. 4. in Marcion. ait: *Nihil Chriſtus noui intulit,* Tertull.
quod non ſit ex forma, ex lenitate, ex miſericordia, ex prædicatione quoque creatoris. Vtinam ſic vniuerſi homines ſeſe lineamentis accommodarent creatoris in operibus ſuis, vt nihil niſi ex forma eius efficerent, nec amarent efficere. Quod adeò erat cordi Ieſu, vt nec digitum moueret, quin primi reſponderet lineamentis opificis. Ioan. 6. ait
ad diſcipulos ſuos: *Nonne ego vos duodecim elegi?* Et quid ſi Ioan. 6.
plures, aut pauciores in Apoſtolos elegiſſet, nonne & in eo ſancta, & immaculata appareret eius voluntas? Cur ergo à pluribus, vel paucioribus eligendis abſtinuit? Crediderim id factum, vt probaretur ſe primis ſemper creatoris lineamentis inſiſtere. Tertullianus lib. 4. in Marc. Tertull.
Cur duodecim elegit, & non alium quemdam numerum? Huius numeri figuras apud creatorem deprehendo. Duodecim fontes Elim, & duodecim gemmas in tunica ſacerdotali, & duodecim lapides à Ieſu de Iordane electos, &c. Quando creator in oſtenſionibus ſuis ad duodecimum numerum confugerat; Ieſus vt ſe oſtenderet, duodecimo numero Apoſtolorum gaudet, ne de creatoris forma declinaret. Similiter Ioan. 1. intuitus Ieſus Petrum, dixit: *Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Petrus.* Et cur Simonis nomen in Petrum mutat? Ait Tertullianus ſuprà: *Mutat, & Petro nomen de Simone, quia & creator Abrahæ & Saræ, & Auſeæ nomina reformauit, hunc*

vocando Ieſum, illis ſyllabas adiiciendo. Adeò ex creatoris ſummi forma procedebat Ieſus, vt quia creator in primo populi Iſraelitico fundatore Abrahamo adiiciendo literas nomen mutarat, ſic ipſe Eccleſiæ ſuæ fundamentum nactus Simonem, eius nomen mutauit. Sic bonus ſummi opificis lineamentis adimplendis inſtabat.

§. XIV.

Quod ſemel Deus bonum in homine fecit, & iterum in eodem reficere non grauatur.

PRudentiſſimè Salomon conciliat Deum ad ſibi præſtandam ſapientiam regnandi, ex eo quòd iam id à Deo homini fuerit datum. Ait namque: *Qui in ſapientia tua conſtituiſti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta eſt, vt diſponat orbem terrarum in æquitate, & iuſtitia, & directione cordis iudicium iudicet: da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam,* &c. *quoniam ſeruus tuus ſum ego,* &c. *homo infirmus,* &c. Quando iam homini regnaturo, prouiſa eſt à Deo ſapientia, vt in æquitate, & iuſtitia, & directione cordis iudicium iudicet; meritò eam ſibi Salomon ex Deo petit. Is enim eſt Deus, qui quod ſemel bonum fecit in homine, iterum ſoleat in eodem reficere. Paulus ad Ga-
Galat. 4. lat. cap. 4 ait: *Miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege; vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Vt hominem in priſtina libertate aſſereret, miſſus eſt à patre filius. Et cur ad hoc potius filius, quàm Spiritus ſanctus mittitur? Ait
Auguſt. D. Auguſtinus homil. 17. de Tempor. *Ideo Deus noſter filium miſit ad hominem liberandum, vt cui dixerat: Faciamus hominem, ipſe etiam liberator eſſet, qui & creator.* Appropriatum fuit filio, quòd hominem rectum, & perfectum ad Dei imaginem condiderit, vt ſpeciali etiam iure ad eum pertineret; eadem poſtea præſtare homini lapſo, & infirmo. Quod enim ſemel Deus dedit homini bonum, promptior eſt, vt iterum præſtet idem ei, qui indigeat. Hinc mundum ingrediens, & apud homines diuerſans, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Quippe dedit Deus nobis poteſtatem, vt filij Dei nominemur, & ſumus. Cur non contentus eſt dare poteſtatem, quòd ſerui, & famuli eius diceremur? Cur maluit nos magis filios, quàm famulos eius fieri? Ab initio, in prima conditione homo, vt filius è manibus Dei proceſſit, ideo & iterum modò amat Deus eamdem filia-
Tertull. tionis libertatem nobis dedere. Ait Tertullianus lib. 1. in Marc. *Factus ſum filius ſtatim cùm me manibus eniuus eſt, cùm de ſuo halitu mouit. Ille me nunc rurſus filium nuncupat, iam non in animam, ſed in ſpiritum pariens.* Sic priſtina bona hominibus data non grauatur Deus eadem modò nobis præſtare.
Ioan. 20. Sic Ioan. 20. locutus de Ieſu rediuiuo, ait: *Hoc cum dixiſſet, inſufflauit; & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum.* Et cur inſufflauit? Dederat in principio per inſufflationem animam indutam Spiritu ſancto, quæ cùm exuta per peccatum eſſet, non grauatur Deus ad eumdem flatum recurrere, vt perditum Spiritum in homine reſtauraret. Vt di-
Cyrill. Hier. cat D. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 17. *Altera hæc eſt ſufflatio, quandoquidem illa prima obſcurata eſt per voluntaria peccata, vt impleatur, quod ſcriptum eſt: Aſcendet ſufflans in faciem tuam, liberans te de tribulatione. Vnde aſcendet? Verùm ex inferno? Sic narrat Euangelium, quòd poſt reſurrectionem ſufflauit,* &c. Itaque quem primum diuiniſſimi oris dedit afflatum in hominis faciem; eumdem repetit, cùm amat hominem reparare.

§. XV.

Dei ſedes inde noſcitur, quod nunquam ab illa vera abſit ſapientia.

NOn otiosè dictum eſt illud: *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.* Adeo enim aſſiſtrix eſt ſapientia ſedibus diuinis, vt inde clarè innoteſcat ſedes Dei eſſe, quòd ſibi veram ſapientiam habeat affixam. Dum ſummum populi ſui Præſulem, nimirum ſummum Sacerdotem, primámque tunc temporis Reipublicæ ſedem ornat Deus veſtibus. Exod. 28. poſt tunicam, & ſuperhumerale adhibet circa pectus palmarem veſtem, *Rationale* vocant, in qua duodecim pretioſi lapides tribus diſtincti lineis pellucebant. Inſuper in eodem rationali poſitæ erant, *Doctrina*, & *Veritas*. Tandem de illo ait: *Facies in rationali catenas ſibi inuicem cohærentes ex auro puriſſimo; & duos annulos aureos, quos pones in vtraque rationalis ſummitate, catenáſque aureas iunges annulis, qui ſunt in marginibus eius, & ipſarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere ſuperhumeralis,* &c. Sic rationale doctrinæ, & veritatis catenis copulabatur Sacerdotis veſti, ne inde poſſit euelli, ſed firmiùs adhæreret, vt notat D. Hieronymus. Et cur præter duo alia cinctoria, quibus Sacerdotis veſtes ſtringebantur, adhuc rationali adduntur catenæ, quibus firmius adhæreat? Rationem attigit Origen. homil. 6. Origen.
in Leuit. fatus: *Poſtquam nuditas tecta eſt, & indumentis turpitudo velatur; poſteaquam munitus operibus, & cingulo vtroque firmatus eſt, logium ei, id eſt, rationale nunc traditur. Logium ſapientiæ iudicium eſt, quia ſapientia in ratione conſiſtit.* Vt logium, ſiue rationale veram ſapientiam denotabat, ſic primæ in ſpiritualibus ſedi, nimirum ſummo Sacerdoti debuit vel catenis alligari, vt firmiter, & inſeparabiliter illi adhæreſceret. Nec enim alio clarius noſcitur diuina ſedes, quàm ex adeò ſibi firmiter affixa, & adhæreſcente ſapientia, & veritate. Hinc, qui ab hac ſede alienati fecerunt ſibi peſtilentiæ cathedras, meritò à D. Iuda Apoſtolo in canonica ſua vocantur *ſydera errantia*; eo maximè, quòd nullum verbum doctrinæ firmiter adhæreſcens habeant, ſed errones per diuerſa trahantur. De quibus ibi
ait Beda: *Sydera errantia nunquam in eodem loco vbi prius fecerant, ortum, vel occaſum faciunt: ſed modò ad infima zonæ brumalis deſcendunt, modò ad alta zonæ ſolſtitialis aſcendunt. Sic nimirum, ſic hæretici, qui lucem veritatis promittentes, numquam in eodem ſtatu docendi perdurant, ſed modò ſic, modò ſic doctrinam ſuam transformat.* Mihi crede, & experientiæ, nulla conſtantia doctrinæ, & ſapientiæ inuenitur niſi apud Dei ſedem, cui ſoli ſapientia eſt affixa. Beda.

Sapient. 9. Et ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur. Tu elegiſti me Regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum, & filiarum, & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare ſimilitudinem tabernaculi tui, quod præparaſti ab initio, & tecum ſapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres, *&c.*

§. XVI.

Omnia euaneſcunt, niſi in ſapientia, quæ Deum ſpectat, fundentur.

VEriſſimum illud à Salomone dictum: *Si quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur.* Vna equidem ſapientia, quæ Deum ſpectat, valet omnia bona humana firmare. Exodi 28. ornabatur ſummus Sacerdos Dei imperio, illis veſtibus, in quibus, teſte Philone, & Hieronym. vniuerſæ creaturæ repræſentabantur. Poſt quas veſtes indutas ait
textus: *Facies & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris, ſanctum Domino. Ligabiſque eam vitta hyacinthina; & erit ſuper tiaram, imminens fronti pontificis.* Et quid in hac lamina aurea? Crediderim eam ſapientiam, quæ Deum ſpectat, ſignificari; ſine qua nullus alius ornatus, nullum aliud bonum poſſet conſeruari. Vt dicat D. Hieronym. Exod. 28.
epiſtol. ad Fabiol. de veſte ſacerdotali: *Lamina aurea rutilat in fronte: nihil enim nobis prodeſt omnium rerum eruditio, niſi Dei ſcientia coronemur. Lineis induimur, ornamur hyacinthinis, ſacrato baltheo cingimur, dantur nobis opera, rationale in pectore ponitur; accipimus veritatem, profert ſermo doctrinam: imperfecta ſunt vniuerſa, niſi tam decoro currui dignus quæratur auriga, & ſuper creaturas creator inſiſtens, regat ipſe, quæ condidit.* Quid pulchrius? Vniuerſi hominum ornatus, omnia bona creaturæ collata vni, imperfecta ſunt, currunt in nihilum Hieronym.

hilum, niſi ſapientia illa, quæ Deum ſpectat, & Deum ad omnia adducit, & ſuper omnia ponit, illis omnibus aſſiſtat. Sine hac cæteræ omnes ſapientiæ, ſiue aſtutiæ mundiales in nihilum ibunt. Cauet enim lex Leuit. 20. *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo*, &c. *interficientur ambo de medio populi ſui.* Septuag. ponunt, *de genere ſuo.* Circa quæ verba ait Iſychius in Leuit. lib. 6. *Ergo contempletur menſtruatam Gentilium ſapientiam, longè enim à Deo eſt. Cum hac ergo peſſimum eſt dormire, id eſt, delectari in ea. Propter quod non ſimpliciter dixit: Interficientur, ſed addidit, de medio populi ſui: vel ſecundùm Septuag. ex genere ſuo. Quia qui ſapientiam tradit Gentilium, quæ præuaricatur creatorem neſtium, & ſcientiam eius, & pietatem, non eſt mirum iam, vt nominetur homo*, &c. Caue homo ſapientiam illam, quæ non excedit ſapientiam Gentilem, aut Ethnicam, quæ non Deum creatorem meminit, nec attendit pientiſſimum regimen eius, ab omni immunditia, & ſanguine purum. Hac enim ſapientia plenus, non homo es, ſed bellua parata in macellum. Quò ſpectans Paulus 1. ad Corinth. 2. aiebat: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: Sapientiam verò non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruuntur*, &c. Expende illud, *Neque principum huius ſæculi, qui deſtruuntur*, Non meminit in præſenti Principes huius ſæculi, ſine addito illo, *qui deſtruuntur.* Et cur neceſſum fuit illud addere? Agebat de illorum ſapientia fugienda, & ideo addidit, qui deſtruuntur, vt oſtendat mundiales potentes, quam ferantur præcipites in ruinam ſapientia ſua. Et quidem quibus non eſt ſapientia Deum ſpectans, omnibus aliis ſapientiis in interitum ibunt.

Leuit. 20. Iſychius. 1. Cor. 2.

§. XVII.

Præſules nihil ſuum in ſubditis reſpiciant.

BOnus Rex Salomon ingenuè fatebatur ſubditos non ad ſuum, ſed ad Dei dominium pertinere, dicens: *Tu elegiſti me Regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum, & filiarum.* Vtinam ſic vniuerſi Præſules agnoſcerent ſubditos non ad ſe, ſed ad Deum pertinere; non ſibi ſeruos, ſed Deo populum, & filios eſſe. Hoc planè ab omnibus Præſulibus requirebat Dominus dicens Petro Ioann. 21. *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* Suas vocat Dominus oues, quas Petro paſcendas committat, ſuas, inquam, vocat, ne quis Præſul in ſubditis aliquid quærat ſuum. Ait D. Auguſt. ibi: *Paſce oues meas, ſicut oues meas paſce, non ſicut tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam; dominium meum, non tuum; lucra mea, non tua, ne ſis in eorum ſocietate, qui pertinent ad tempora periculoſa, ſed ipſos amantes.* Huc ſpectent vniuerſi Præſules, ſi velint periculoſi temporis euadere diſcrimina, quòd ſubditos non ſuos putent, ſed Dei filios, Deique greges eſſe exiſtiment, ad eiúſque pertinere dominium. De Moyſe notanter dicitur Exod. 3. *Moyſes autem paſcebat oues Iethro ſoceri ſui.* Circa quæ verba ait Euſeb. in catena: *Quæ verò ad paſtionem ouium pertinet, quadraginta annorum numero docetur, propterea quòd per quadraginta annos oues eatione præditæ illi credendæ erant.* Quot annis præficiendus erat Iſraelitis, tot antea præfectus fuit ouibus in deſerto, vt ouicularum regimen eſſet illi meditatio præfecturæ, & regni. Sed qui ad homines regendos inſinuabatur, in vita paſtoritia, vide, quibus ouibus præficitur, nimirum ait: *Paſcebat oues Iethro ſoceri ſui.* Paſtores fuerunt vniuerſi filij Iacob, ſed qui oues ſuas paſcebant; Moyſes autem non ſuas oues pauit, ſed oues ſoceri ſui. Et quando alij Patriarchæ oues ſuas paſcebant, cur Moyſes non ſuas, ſed ſoceri oues pauit? Erat in Moyſe paſtoralis cura meditatio præfecturæ, & regni; qui autem principatui præficiuntur, ſic ſe gerere debent, vt qui oues ſuas non paſcant, ſed Dei, qui de ſingulis ſtrictiſſimam rationem reddere debent.

Ioan. 21. Auguſt. Exod. 3. Euſeb.

§. XVIII.

Non mirer, ſi dominetur terræ, qui inuexit in illa religionem.

DVo data ſibi à Deo meminit Salomon, nimirum & Regem eſſe populi Dei, & templi in illo populo erectorem. Ait enim: *Tu elegiſti me Regem populo tuo; & iudicem filiorum tuorum, & filiarum; & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ*, &c. Et quando datum fuit Salomoni ædificare templum in populo Dei, non miror, quòd datur illi in populo illo regnare. Religio enim terræ inuecta non raro eiuſdem terræ dominium inuectori ſuo præbet. Gen. 13. dicebat Abrahamo: *Surge, & perambula terram in longitudine, & latitudine ſua, quia tibi daturus ſum eam. Mouens igitur Abraham tabernaculum ſuum, venit, & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ eſt in Hebron, ædificauitque ibi altare Domino.* Dominio terræ promiſſo Abraham illectus venit in Hebron, ædificauitque ibi altare Domino. Et cur poſt dominium terræ ſibi promiſſum ædificat altare in Hebron? An quia peracta ibi religio efficaciſſimum medium eſſet, vt promiſſum de regno impleretur, terramque illam poſſideret? Ait Rupertus lib. 5. in Geneſ. cap. 10. *Non caſu, ſed ordinatiſſima Dei diſpoſitione iuſſus perambulare terram, venit in Hebron. Adam enim maximus ibi ſitus eſt inter Enacim. Vbi ergo ille, vbi primus parens orbis ſitus eſt, ædificat altare nomini Domini, hoc iam titulo ſe ſe prædicat hæredem totius mundi.* Vbi ſic altare ædificatum in terra, quam tenebant oſſa parentis totius orbis, totius etiam orbis imperium protendebat ſuo ædificatori. Adeò eſt religio potens parare regna ſuis cultoribus.

Geneſ. 13. Rupert.

§. XIX.

Inde tota ſapientiæ præſtantia, & firmitas, quòd cœleſtia in primis reſpiciat. Qua princeps debet pollere.

NOn quamcumque ſapientiam petit ex Deo Salomon, ſed illam, quæ omnium creatori affuit. Ait enim: *Quæ nouit opera tua, quæ affuit tunc, cum orbem terrarum faceres.* Et cur hæc ſapientia maximè à Salomone exquiritur, quæ affuit creationi mundi? In creatione mundi nihil prius, quàm cælorum opus fuit executioni mandatum. Ait Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Circa quæ verba diſcretè Theophylus Antioch. lib. 2. ad Autolicum ait: *Homo quidem ſuper terra ædificium ponere ſolet; nec niſi fundamento iacto, faſtigium ædificio imponere poteſt. Cæterum Dei potentia hinc innoteſcit. Quapropter prophetia teſtatur creationem cæli factam eſſe primò, non vt hominum more fit, ſed in modum faſtigij, Dicit enim: In principio creauit Deus cælum*, &c. Ecce tibi Creator mundi quam aliam rationem condendi init; homines enim iactis in terram fundamentis pergunt vſque ad faſtigium, nihil prius facientes in ſuis ædificiis, quàm ſcrutari terræ viſcera. At creator rerum a faſtigio incipit, primóque agit, vt appareat cælum. Ex quo meritò Salomon non aliam, ſed hanc ſapientiam creatoris æmulatur, hàncque poſtulat, qua in mundi opificio non terra, ſed cælum ſpectatum priùs, & conditum fuit. Sapientia enim, quæ cælum ſpectat in primis nullum non bonum in animis noſtris firmat, & ſeruat inconcuſſum. Quò ſpectans Pſalm. 103. ait: *Super montes ſtabunt aquæ.* Et mirabar, quòd in montis decliui poſſint ſtare aquæ. In profundis vallium non miror, ſi ſtent, & ſtagnentur aquæ, at in montium altis cacuminibus, quis eas detineat, ne præcipitentur naturali fluxu? Quomodo ergo ſtabunt aquæ in montibus? Ait Arnobius ibi; *Quicumque ſurſum cor habent, montes ſunt, & ſuper ipſos ſtant aquæ. Stat ſuper ipſos baptiſmatis ſanctificatio, ſtant in fide recto, non circumducuntur omni vento doctrinæ.* Planè quando ſic ſapis, vt alta, & cœleſtia in primis ſpectes, mons redderis, in quo ſtent vel aquæ: in quo fluxiſſima quæque, quæ facillimè ab aliis dilabuntur, firmiter permaneant, nullis cedentia ventis, nec procellis. Hoc te in omnibus bonis ſtabilem facit; ex hoc te in illa ſapientia oſtendis, qua creator à cæteris mundi fabricatoribus diſcernitur. Quod meritò ſpectabat Salomon ſapientiam requirens creatori aſſiſtentem, vt illa princeps redderetur ab omnibus aliis ſubditis diſcretus, ne incurreret diſcrimen præuiſum ab Oſea. Ait enim Oſeas cap. 4. *Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos, & viſitabo ſuper eum vias eius*, &c. Et quantum malum eſt, quòd Sacerdos fieret, ſicut populus. Equidem magnum eſt malum, quòd paſtor fiat ſicut ouis, in nullo ab

Geneſ. 1. Theophyl. Antioch. Pſalm. 103. Arnob. Oſ. 4.

ab illa diſcretus, ſic decliuis ad terram, ſic cœlum non ſpectans, ſed terram De quo pulchrè D. Bernard. epiſt. 42. diſſerit ſatus: *Si inſtar mei, qui ouis ſum, paſtor meus, & ipſe incuruus graditur, vultum gerens deorſum, & terram ſemper reſpiciens, & ſoli ventri, mente inhians pabula quæritans; in quo diſcernimur? Væ, ſi venerit lupus, non erit, qui prævideat, qui occurrat. Decet ne paſtorem more pecudum, ſenſibus incubare corporeis, hærere infimis, inclinare terrenis; & non potius erectum ſtare, vt hominem; cœlum mente ſuſpicere, quæ ſurſum ſunt, & quærere, & ſapere, non quæ ſuper terram?* Quid pulchrius? Debet equidem princeps ea ſapientia pollere, quo in omnibus primum cælum ſpectet, & quæ ſurſum ſunt, quærat; quo à cæteris ſubditis maneat eſſentialiter diſcretus, & in omnibus bonis habeat ſtabilimentum.

Bernard.

Sapient. 9. Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam, quid acceptum ſit ante te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potentia. Et erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum iuſtè, & ero dignus ſedium patris mei. Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei, *&c.*

§. XX.

Parentes plus à filiis, quam à ſeruis otia arceant.

ILla petitur ſapientia ex Deo, quæ Deo ipſi conſidet, dicit namque: *Mitte illam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret.* A ſede magnitudinis diuinæ ſola illa ſapientia poteſt prouenire, quæ eſt diuini Patris filius. Non enim Angelus, non creatura, ſed ipſiſſimus Dei filius Patri conſidet. Et mirabar, quòd ſapientia, quæ filius Dei eſt, petatur, vt veniat ad laborandum; nimirum ait: *vt mecum ſit, & mecum laboret.* Et cur pater mittat filium ad labores peragendos? Quis pater non magis prouidet filiis quietem? Equidem ſi mundiales parentes ſpectentur, hi eo totis viribus incumbunt, vt filiis omnium laborum expertem parent vitam, indignè ferunt, quòd ſerui non laborent, ſed otioſi ſedeant, honori gloriæque ducunt, ſi filij in perpetuo otio ſint. Quod otium filiorum ſummis ſuis laboribus, & impendiis corporis, animæve ſalutis cōparant. Huc ſpectant congeſtæ à Patribus diuitiæ, redditus annui obfirmati, ingentes maioratuum fructus, ne filij laborent de victu acquirendo, ſed otio vacent. Quo fit, vt dū filios in otio ſtatuunt, præproperum comparent familiis excidium. Quidquid enim parentes laborantes acquiſiuere, filij otioſi citiſſimè conſumunt. Longè aliter, qui diuini patris aguntur ſpiritu, hi enim libentius ſeruis, & mancipiis otium permittunt, quàm filiis. Dicebat Paul. ad Gal. 4. *Miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Ecce tibi Pater cœleſtis miſit filium, non vt otioſè ſederet, ſed vt ſub iugo legis exiſtens laboraret pro redimendis hominibus. Et hæc eſt miſſio filij. Nonne magis oſtenditur ibi miſſio ſerui, quando ad labores mittitur? Abſit, imò in eo euidentiſſimè oſtenditur Deus, non Dominus, aut herus erga ſeruum; ſed pater erga filium, quòd eum ad labores mittat. Sic aiebat cœleſtis Pater apud Damaſcen. orat. de transfigur. loquens de filio: *Ipſum audite. Qui enim hunc ſuſcipit, me ſuſcipit, qui eum non herili authoritate, ſed paterno modo miſi.* Mittit eum ad labores, & non mittis herili authoritate, ſed paterno modo? Qui paternus modus eſt in mittendo filio ad labores? Id ipſum eſt clariſſimum paternæ affectionis indicium, quod filium nō patitur eſſe in mundo otioſum, ſed laboribus incumbentē plurimis. Si herum, aut dominum ageret erga hunc, forſitā illum otio indulgere permitteret, vt permittit illis, qui daturi ſunt pœnas apud inferos, vt vilia mancipia. At quia patrem agit, in eo oſtendit filium, quòd ad labores eum mittat. Cùm baptizabatur Ieſus Matth. c. 3. *Ecce vox de cælo, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et cōtinuò ſubdit Matth. c. 4. *Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu vt tentaretur à diabolo.* Expende illud *tunc*, ad quod tempus relatum eſt, nimirum ad tempus, quo Ieſus in Baptiſmo filius Dei declarabatur. Vbi enim filius Dei apparuit, ſtatim ad præliorum negotia, & laborum tentationes paratur. Præliorum enim negotia, & tentationum labores filiis ſuis proprios eſſe oſtendit diuinus Pater. Ait Imperf. hom. 5. in Matth. *Tunc ductus eſt Quando? Quando Pater clamauit de cælo: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Vides ergo, quia nemo baptizatur igne tentationis, niſi qui ſalius fuerit filius Dei.* In labore, & pugna eſſe, adeò eſt proprium ſtemma filiorum Dei, vt ut minime pater permittat otiari, ſed vt filios oſtendit, ad labores mittit, & negotia certaminum. Vt hinc parentes diſcant mundiales, quòd tunc magis filiis conſulunt, cùm illis vel negotia præliorum, vel alios labores, quam cùm otia parant.

Galat. 4.

Damaſcen.

Matth. 3.

Matth. 4.

Imperfect.

§. XXI.

Quo maior ſapientia eſt, eo in ærumnis doloris aculeos magis acuit.

NOn vt quieſcat, & in deliciis ſit, ſed vt laboret, petitur ſapientia, ait enim: *Vt mecum ſit, & mecum laboret.* Et verbum illud *laboret*, in Græco, teſte Lorino, ſignificat laborare cum anxietate, & ſuſpiriis. Quis hoc expectaret à ſapientia, quod anxios, & ſuſpirioſos labores inducat, & non magis quietem, & tranquillitatem cauſet? Equidem veriſſimum eſt a ſapientia venire, quo in ærumnis magis dolorum ſtimuli acuantur. Quo ſpectabat Eccleſiaſtes c. 1. fatus: *Qui addit ſcientiam, addit & laborem*, alij legunt, *dolorem.* quippe ſapientiæ lumina faciunt, vt ærumnarum momenta trutinentur, & ponderentur magis, vnde acriores dolorū flammæ ſolent excitari. Ieſus Dominus meus in cruce conſtitutus ad tantū doloris peruenit, vt clamaret Matth. 27. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Vox erat naturæ in ſumma conſtitutæ anxietate. Sed & inter illa tormenta viſione fruebatur beata, qua Deum clare videbat, & cætera omnia creata. Qualiter ergo tot dolorum tenebræ cum tāta viſionis claritate poterant ſtare? Ait D. Laurent. Iuſtin. de triumph. Chriſti agone c. 19 *Vno ſiquidem tempore, & Dei fruebatur viſione, & intolerabili paſſione gemebat. Altiſſimo verò diuinitatis conſilio actum eſt, dum pendens clamaret: Deus, Deus meus vt quid dereliquiſti me? Vt tota diuina fruitionis gloria militaret ad pœnam. Nam quemadmodum omnes cognitione anteceſſit, ita etiā & mœrore. Appoſita eſt illi ſcientia, appoſitus eſt dolor. Secundum bonitatis, ſapientiæ, charitatis, maieſtatiſque Dei notitiam, doloris cremabatur incendio.* Quid pulchrius? Piaculum eſt aliquid vel addere, vel eripere.

Eccleſ. 1.

Matth. 27.

Laur. Iuſtin.

§. XXII.

Sapienti inimicum otium, labor amicus.

MEritò dicit de ſapientia: *Vt mecum ſit, & mecum laboret*; non enim ſapiens animus otio gaudet, ſed labore. Sapientis erat illa vox Cant. 7. *Manè ſurgamus ad vineas, videamus, ſi floruerit vinea, &c.* Vtinam omnes non otioſi tota die ſtarent in plateis, ſed operarij nunquam non cogitarēt vineas, hoc eſt, nunquam non cogitarent vitam ſuam honeſtis, lucroſiſque exercere laboribus? Aiebat D. Bernard. ſerm. 63 in Cant. *Viro ſapienti ſua vita vinea eſt, ſua mens, ſua cōſcientia. Nihil quippe incultum, deſertúmve in ſe ſapiens relinquit. Stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta, inculta, & ſordida. Non eſt vinea ſtulto. Quomodo vinea, vbi nihil plantatum, nihil elaboratum vſpiam apparet?* Equidem labores vineæ diſtinguūt inter ſapientem, & ſtultum In ſapiente nihil non elaboratum, & cultum inuenies, vndique apparet plantata, & germinans, & florens diuina vitis; non ſic in ſtulto, qui vt omnia negligit laborioſa, ſic nihil oſtendit pertinens ad vitem diuinam. Ait enim Prou. 24. *Per agrum hominis pigri tranſiui, per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ.* Non vites, non palmites, ſed vrticæ replent vitā hominis ſtulti. Vbi enim non labor, ſed otium, ſed negligentia apparet, ibi non manet vitis diuina D. Bern. ſupra: *Audis ſapientem irridentem ſtultum, quòd bona naturæ, & dona gratiæ, quæ per lauacrum acceperat, tanquam illam, quam plantauerat Deus, & non homo, vineam in non vineam negligendo redegit.* Omnis plantatio diuina per otium, & negligentiā perditur ab ſtulto. Quò ſpectat illud Pſalm.

Cant. 7.

Bernard.

Prouerb. 24.

Bernard.

Digitized by Google

Pſalm. 77. *Bernard.* Pſalm.77. *Occidit in grandine vineas eorum.* Circa quæ Bern. ſuprà: *Oſtendit vita priuatas, quæ ſterilitate damnatæ ſunt.* Nequit enim ſpiritus vitæ manere in eis, qui totius operis, & fructus ſterilitate plectuntur. Deſidia enim & negligentia in mortem mittit, & longè facit à Deo alumnos ſuos. Ieſu *Zachar. 3.* Sacerdoti magno dicebat Angelus Zachar.c.3. *Dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hîc aſſiſtunt.* Græcè autem dicit: *Dabo tibi conuerſantes in medio ſtantium iſtorum.* Stantes vocat Deus eos, qui ſibi aſſiſtunt. Et cur ſtantes vocat? Vt eo habitu oſtendat eos minimè ſubiectos eſſe otio, & deſidiæ. Ait D. *Cyr.Alex.* Cyr.Alex.ibi: *Perpende, quomodo ſcriptura vbique Angelos ſtare pronunciet, ſtationis vocabulo ſignificans eos ignauiæ non ſuccumbere; ſed mentem velut erectam, & infirmitatis expertem, & cum Deo ſtantem retinere. Curuatur enim, & quidem perfacile mens humana, & pigritia leui negotio corripitur.* Pigritia ad curuationé, & deiectionem valet; qui autem illa carent, nec infirmitatem nouerunt, ſed Deo proximi aſſiſtunt. Semper enim labor hominem firmat. Vt dicat D.Chryſoſt. ſerm. de interdict. ar- *Chryſoſt.* boris: *Facile hoſtis malitia coaleſcit, ſi pigreſcat animus repugnātis. Roborantur vires exercitatione frequenti. Cæterùm laboris deſidia inſoleſcit hoſtis ſæuitia. Inimicus enim citò deuincitur, ſi qui dimicaturus eſt, prælia meditetur.* Expende illa, nimirum: *Laboris deſidia inſoleſcit hoſtis ſæuitia,* nullum enim malum non acuitur, vbi adeſt laboris deſidia.

§. XXIII.

Tunc cœleſtis Pater integro filiorum numero certiùs gaudet, cùm eius filius hominibus adiungitur.

SApientia, qui filius eſt Dei à conſeſſu Patris petitur ad hominem venire, cùm dicit: *Mitte illam de cœlis ſanctis tuis & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret.* Sic petitur, vt mittatur filius de patris conſeſſu; manebit ergo paterna ſedes vacuata filio? Relinquet illa miſſio filij patrem ſolitarium, & orbum? Abſit, imò nunquam pater integriori filiorum numero gaudebit, quàm vbi datus eſt filius eius coniungendus hominibus. Dicit enim: *Mitte illam à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit,* &c. quando autem filius miſſus eſt, vt cum homine ſit, non potuit pater integriori numero filiorum non gaudere. Rem explicat Quintiliani locus habitus ex declamat.5. nimirum pater quidam habebat duos filios, quibus relictis ipſe ſolus peregrè profectus eſt. Interrogatus autem, cur ſic ſolus viam ageret? Cur non magis alterum filiorum ſecum inſeparabiliter habe- *Quintil.* ret? Reſpondit apud Quintilian. *Filium nec peregrè profecturus elegi, iunxi fratrem, aptaui comitem, & vtroque patris latere nudato, viſus ſum magis habiturus vtrumque, ſi pariter eſſent.* Dum bonus pater filium filio copulat, etſi videbatur orbari: filio tamen tunc credebatur magis habiturus omnes filios, ſi illi pariter eſſent. Sic Deus in miſſione filij ſui ad homines, etſi videatur à ſe alienare filium, dum filium Deum homini filio copulat; tunc magis cenſetur habere vtrumque filium, & Deum, & hominem, *ſi pariter eſſent.* Dum Dei filius nobiſcum ſit, nobiſcum agat, nobiſcúmque laboret; tunc Deus pater integriorem ſibi retinet numerum filiorum. Scitum *Ioan. 1.* eſt illud Ioan. 1. *In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Habebantur equidem Iſraelitæ Dei filij, ad quos miſſus eſt naturalis filius Dei, qui dum cœpit illis adiungi per fidem, viſus eſt pater certius *Auguſt.* habiturus omnes filios, & naturalem, & adoptiuos, ſi pariter eſſent. Pulchrè enim dicebat in præſenti Aug. *Vnicus natus eſt, & noluit manere vnicus. Si aliquis habeat filium vnicum, gaudet de illo magis, quia ſolus omnia poſſeſſurus eſt. Non ſic Deus, ſed vnicum illum, quem genuerat, & per quem cuncta creauerat, miſit in hunc mundum, vt non eſſet vnicus, ſed fratres haberet adoptatos.* Expende illa, *vt non eſſet vnicus,* &c. qui enim pater præſcierat multos ſibi filios adoptione futuros, miſit filium ſuum vnigenitum ad illos, vt cum illis ageret. Sed ô bone, quando filij Iſraelitæ ſpreuerunt te, iuxta vocem Iſaiæ, & longè facti ſunt à te, adhuc ad eos mittis vnicum, qui tecū erat filius. Cur non magis quieſcis in illo vnico filio, tecū illum habens? Cur quaſi nudato vtroque latere patris illū mittis? Equidem mittit vnicum, ne vnicus ſit, ne maneat vnicus, ſed adiunctus aliis eiūm fuerit, videatur pater magis habere vtrumque & naturalem, & adoptiuum, ſi pariter ſint. Vtinam & Dei filius maneat nobiſcum, vt ſic cœleſtes ſedes impleantur Dei filiis.

§. XXIV.

Labor Deo, & mihi communis expetibilis ſit.

NOn petitur ſapientia, qui Dei filius eſt, à Salomone, vt cum illa delitietur, ſed vt cum illa laboret. Dicit namque, *vt mecum ſit, & mecum laboret.* Cur non magis ſpectat delitias in hac petitione, quàm labores? Non ſpectat labores ſolitariè, ſed labores ſibi, & filio Dei communes, qui quidem valde expetibiles ſunt. Hinc Nazianz. orat.14. cùm ab Arrianis, multo maledicto percuteretur, dicebat: *Nazianz.* *In quo maximum aliquid, atque in primis magnificum habet hæc maledicentia, illud eſt, quod vnà cum Deo maledictis impetimur. Iidem enim Deitatem reiiciunt, & eum, qui de Deo diſſerit, contumeliis afficiunt. Quare nihil horum graue, ac moleſtum eſt.* Sic bonus maledictis cum Deo impeti, maximum, & magnificum æſtimabat; nullóque modo graue, nec moleſtum, ſed & ſuaue, & appetendum. Quis non æſtimet ſortem ſubire communem ſibi, & Deo? Matth.20. dicebat Ieſus filiis Zebedæi: *Matth.20* *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Satis ad rem quæſiſſet de calice paſſionis bibendo; cur addidit, *quem ego bibiturus ſum?* Ait D.Chryſoſt.ibi: *Alliciens, inquit, quem ego bibiturus ſum, vt communicatione laborum cum ipſo promptiores redderentur.* *Chryſoſt.* Expende illud, *alliciens;* quippe paſſionis calix communis Dei filio, & nobis maximè allectiuus eſt, vt appetamus illum, imò vt gaudenter curramus ad illum. Propter *Coloſſ. 1.* quod dicebat Paul. ad Coloſſ.1. *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea,* &c. Non ſolùm tolerans, ſed gaudens erat in paſſionibus pro illis. Et cur gaudens in paſſionibus pro illis? Cauſam ſubicit, cùm ait: *Et adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea.* Vt enim Chriſtus pro aliis paſſus erat, ſic Paulus in ſe adimplebat, patiens aliqua pro aliis, etſi enim multa deerant Paulinæ paſſioni ex iis, quæ Ieſus paſſus fuerat, tamen ad illa omnia adimplenda alacriter pro- *Hieronym.* grediebatur, eò quòd illa & ſibi, & Ieſu communia erant. Huc ſpectat D.Hieronym. fatus: *Vſque adeo non terreor perſecutionibus præſentibus, vt mihi paruum eſſe videatur, quod patior quoadvſque in me paſſio adimpleatur.* Dum in ſe impleri videbat quidquid paſſionum Chriſtus pertulerat, in paſſioni- *Ioan. 15.* bus gaudebat, quas communes ſciebat ſibi, & Deo. Dicebat *Paulin.* Dominus Ioan. 15. *Nolite mirari, ſi odit vos mundus, quia me priùs odio habuit.* Circa quæ ait D.Paulin. epiſt.27. *O beata iniuria diſplicere cum Chriſto! Magis nobis timendus eſt amor talium quibus ſine Chriſto placetur.* Sic ibi.

§. XXV.

In omnibus certa moderaminis leges ſeruandæ.

HOc maximè ad ſapientiam ſpectat, nimirum: *Deducet in operibus meis ſobriè.* Cùm dicet *ſobriè,* non ſpectat ad ſobrietatem illam, quæ opponitur ebrietati, ſed ad illam, quę modum ponit in rebus, certóſque illi fines præſcribit. In nullius enim virtutis exercitio non eſt modus ſeruandus, & *Eccleſ. 7.* certi tenendi fines moderaminis. Quò ſpectans Eccleſ.c.7. *Nazianz.* ait: *Noli eſſe iuſtus multum, neque plus ſapias, quàm neceſſe eſt.* Quę ſic expenduntur à Nazianz. orat.26. *Ne magnopere iuſtus ſis, ne ſupra modum ſapiens. Par etenim iuſtitia, atque ſapientiæ detrimentum affert actus tam in ſermone, quàm in actione animi impetus, à bono nempe, & à virtute propter exceſſum excidens. Nemo igitur ſapientior ſit, quàm conueniat, nec lege exactior, nec luce ſplendidior, nec norma rectior, nec præcepto diuino ſublimior.* Equidem & in bonis exorbitare non leue eſt periculum; ſic tenenda *Prouerb. 4.* eſt virtutis ſemita, ne amore virtutis veniamus ad exceſſum vitij. Monebat Prou.4. *Ne declines ad dexterā, neque ad ſiniſtram.* Declinatio ad ſiniſtram nulli non mala eſt, qua in *Ibid.* perditionem itur; at declinatio ad dexteram cur vetatur? Nonne in dextera ſunt omnes virtutes? Dicebat enim Prouerb.4. *Vias quæ à dextris ſunt, nouit Dominus.* Si ergo ad Deum pertinent viæ dextræ, cur non declinemus ad illas? Idem dicit, quòd vias dexteras Deus nouit, & quòd non declinemus ad illas; nonne hæc contraria ſunt? Abſit, non contrarietas eſt in virtute, ſed in exceſſu; virtus eſt, quòd ad dexteram

teram eas, ſed ſi nimium dexter ſis, non eſt virtus, ſed vitiũ. Ait Nazianz. ſuprà: Ne declines, inquit, ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ne per contraria in malum æquale incidas. Quamquam alioqui, quòd natura dextrum eſt, his verbis laudat, Vias dexteras nouit Deus. *Qui fit igitur, vt qui dextrũ laudat, idem rurſus à dextro nos abducat? Intelligit profectò, quòd dextri ſpeciem habet, cùm tamen tale non ſit. Æquè enim inutiles ſunt iners, & ſupina ſegnities, & imperitus feruor: illa ad bonum minimè accedens, hic autem vlteriùs cadens, & dextro dexterius aliquid efficiens.* Expende ruinam imperiti zeli, & feruoris, nimirum *dextro dexterius aliquid efficiens*, quippe vitiosè ad dexteram inclinat, qui dextræ leges, & fines præteruolat in actionibus ſuis, vt faciebant illi, de quibus Nazianzen. ait: Nazianz. orat. 1. *Pro bono illo, & manſueto immodicè pugnant: qui Deum plus amant, quàm vtile ſit.* Sunt qui ſic rapiuntur Dei virtutiſque zelo, vt nullas leges vereantur in inquirendis, & caſtigandis impiis. Hi immodicè pugnant pro Deo, nec eis talis pugna cedit in ſalutem; & Deum plus amant, quàm vtile ſit, nec is amor eſt, ſed amoris imago, quæ in ciuitate Dei deſtruitur.

§. XXVI.

Honoris zelus non parum proficit ad firmandum hominem in virtute.

SCitè dictum illud: *Cuſtodiet me in ſua potentia.* Græcè dicitur, *Cuſtodiet me in ſua gloria*; quippe ſub gloriæ, & honoris pallio homo ingenuus maximè cuſtoditur & firmatur in virtute. Vltima mundi excidia narrans Matth. Matth. 24. cap. 24. *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo.* Et mirabar, quòd ſtellæ cælis fixæ inde cadere poſſent. Quò figebantur ſtellæ cælis, cuius ablatione in terram cadunt? Splendor ille honoris luminis ſtellas tenet in cælo fixas; qui ſi marceſcat, non Origen. mirer, ſi à cælis cadant. Dicebat Origen. homil. 30. in Matth. *Sic autem permarceſcente ſtellarum lumine, reliquum earum corpus craſſius factum, vt non valeat exaltari ſicut prius, cùm à lumine ipſo portatum extollebatur, cadet de cælo.* Expende illud, *A lumine ipſo portatum extollebatur*; quippe ſtellarum corpus ſub luminis, & ſplendoris pallio, portatur, & extollitur, & altiſſimis cæli culminibus fixum firmatur, quo ſplendore, & lumine ablato, inde cadit, & per terram voluitur. Sic ſic homines dum ſplendidi honoris luce feruntur, cælo hærent, cælique affiguntur culminibus. Et quando honoris, dignitatiſque ſplendor alumnos ſuos non facit altiſſimo Deo propinquos? Dicebat Dominus Luc. 14. Luc. 14. *Amice aſcende ſuperius*; aſcenſum perſuadet amico ſuo, nouerat enim aſcenſum honoris plurimum valere, vt ingenui homines firmentur in amicitia diuina. Vt me- Bernard. ritò dicat D. Bernard. lib. 2. de conſid. *Qui dixit: Amice aſcende ſuperius; amicum fore fidit.* Non equidem perſuaderet amico honoris aſcenſum, niſi crederet ab alto honoris poſſe hominem firmari in diuina amicitia. Conducit enon parum honoris zelus, vt quis eleuetur ad alta, & figatur cæli ſublimibus. Iacebat aliquando cadauer hominis Dei percuſſum à Leone, cui Deus etſi peccatori honorem pro- 3. Reg. 13. uidit ſepulturæ, dicit enim 3. Regum 13. *Poſuit cadauer eius in ſepulchro ſuo, & planxerunt eum,* &c. & illum Deus per leonem caſtigat, & nihilominus prouidet, ne eidem honor ſepulturæ deficiat? Et cur honorem ſeruat ei, quem ſpoliat vita? Vt oſtendat, quam ſeruandus ſit honor ipſis reis, vt qui plurimum valeat, vt eos erigat a ruina. Ex quo mone- Bachiar. bat Bachiarius epiſt. ad Ianuar. de recip. lapſis: *Eum, quem percuſſit diabolus, debito omnibus honore tumulemus. Solet Chriſtus de tali ſepulchro mortuos ſuſcitare.* Dum ſub honoris zelo teneris, proximus es, vt ſuſciteris à Chriſto. Multi enim ſunt, quibus honor occaſionem præbet, vt renuntiet malo: qui ſi inhonori eſſent, in terra reptarent. Matth. 26 dicebat Matth. 26. Ieſus diſcipulis: *Vnus veſtrum me traditurus eſt*; quo vehementiſſimè eorum animi percutiebantur, dum ſibi vnuſquiſque timet illud malum. Cur ſic Domine affligis immerentes? Cur non magis proditorem nominas, vt cæteri non D. Leo. doleant? Ait D. Leo ſerm. 7. de Paſſ. *Dicens itaque Dominus: Amen dico vobis, quòd vnus veſtrûm me traditurus eſt, notam ſibi traditoris, ac proditoris conſcientiam demonſtrauit, non aſpera, nec aperta impetum increpatione confundens; ſed leni, & tacita admonitione conueniens: vt faciliùs corrigeret pœnitudo, quem nullo deformaret abiectio.* Sic cauit inhonorum quid inferre impio, quem honoris fræno amabat adhuc à malo continere. Proh vim honoris! Non paucos retinet in pietate, & ſanctitate! De Iſraelitarum itinere in exitu de Ægypto locutus Moyſes Numer. 33. dicebat: *Profectique de Phihahiroth* Numer. 33. *tranſierunt per medium mare in ſolitudinem,* &c. Ecce tibi vnde proficiſcuntur, vt ſecuri pertranſeant mare, nimirum proficiſcuntur de Phihahiroth, quod ſignificat os nobilium. Vt meritò dicat D. Hieronym. epiſt. ad Fabiol. *Non poterant ad rubri maris gurgites peruenire, & Pharaonem cum ſuo exercitu videre pereuntem, niſi poſtquam habuerunt in ore nobilitates.* Equidem poſtquam nobilitatis honor illis affuit, ſic firmati ſunt, vt per medium maris euaderent.

§. XXVII.

Non naturæ, nec nomini, ſed operibus fidendum, vt parentum dignitatibus adſcribamur.

MEritò ait Salomon: *Erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum iuſtè, & ero dignus ſedium patris mei.* Non ſanguinis origine, nec nominis conſeruatione, ſed operibus virtutum ſedes patris ſui tenere procurat. Mundialium hoc viliſſimorum eſt, qui ſola nominis, & originis prærogatiua ad maiorum euolant glorias. Ea forſan ratione, quia nec parentes aliud in ſucceſſoribus æſtimant, quàm dilatationem nominis ſui. Quod minimè ſtat in ſapientiæ diuinæ via, hæc enim non tam ad nomen, quam ad opera ſolet reſpicere. Ioan. 2. dicit de Ieſu: *Multi credide-* Ioan. 2. *runt in nomine eius, videntes ſigna eius, quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis.* Et quando Ieſus tot tantaque bona credentibus largiebatur; cur in præſenti adeò parui æſtimabat hos credentes, vt minimè ſe credat illis? Nota, quid de iis textus dicat: *Crediderunt in nomine eius*, hoc eſt, nomen Ieſu multa recipiebant veneratione, & mirum in modum erant affecti erga illud: at præter hanc nominis æſtimationem, nihil aliud peragebant, nullo virtutis opere reſpondebant tanto magiſtro. Ne miremur, quòd minimè fuerint accepti illi. Ait Origen. ibi: *Ieſus non iis, qui* Origen. *in ſe crediſſent, ſemetipſum non permiſit, ſed iis, qui eius nomini crederent. Credere enim in eum, & in eius nomine credere, differunt. Ad eum igitur potius, quàm ad nomen eius adhæreſcere debemus, ne eius nomine virtutes facientes, ea audiamus, quæ iis dicta ſunt, qui in eius tantùm gloriati ſunt nomine; ſed Pauli imitatione audeamus dicere: Omnia poſſum in eo, qui me confortat, Ieſu Chriſto.* Sunt equidem qui Ieſu nomine ſuſcepto, & venerato contenti ſunt, nec fidem habent ad aliud, quàm vt nomen diuinum ſuſcipiant, & in ore frequenter habeant, ab omnibus aliis operibus virtutum abſtinentes, imò fugientes. Ij nec noſcuntur à Ieſu, nec ſedes à diuino patre accipiunt, quas qui amat accipere, non de nomine eius ſolo accepto glorietur, ſed magis de operibus virtutum. Vt meritò dicat Dominus Matth. 7. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Do-* Matth. 7. *mine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatẽ patris mei.* Quæ verba pôderãs D. Hilar. epiſt. ad Conſtãtiũ, qui Chriſti nomine inimicus Chriſti gloriabatur, ait: *Agnoſcis ne, nūc* Hilar. *diuinæ in te prophetiæ veritatem, & dominicæ ſententiæ fidem, quia non profeſſio nominis in cæleſte regnum, ſed obedientia Paternæ voluntatis admittitur? At vide tu, ſi proferens nomen Domini in verbis, voluntatem perficias Dei Patris in rebus.* Non nominis profeſſio, ſed obedientiæ diuinis præceptis exhibitæ executio in cœleſtis patris regnum, & ſedes admittit. Vtinam & mundiales parentes illos ſolos heredes admitterent, qui opera virtutum referrent, non qui ſolùm ferant nomen idem.

§. XXVIII.

Corpus ſapienti non eſt domus, ſed hoſpitium.

DVm ſapientia nobis non adeſt, ſic ſumus in corpore, quaſi in domo propria, dicit namque: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum,* &c. Ecce tibi vocat corpus corruptibile terrenam habitationem;

bitationem ; & eſt quidem corpus hoc terrena inhabitatio, ſed non ſapienti. Sapiens enim habet corpus non pro domo, & habitatione propria, ſed pro hoſpitio, & tabernaculo peregrinantis. Quò ſpectans D. Petrus epiſtol. 2.
2. Petr. 1. cap. 1. dicebat : *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* Notanter corporis depoſitionem vocat depoſitionem tabernaculi, vt oſtendat ſe in corpore quaſi in hoſpitio fuiſſe, non quaſi in domo propria, & habitatione. Quid tunc ? Ait Clemens Alexandrinus, libro 4. ſtromatum capite 8.
Clem. Alex. *Iam verò ſapientis anima, & eius qui eſt cognitione præditus, vt quæ hoſpitio à corpore excipiatur, in id ſecretè gerit, & honorificè, non id ipſum nimiam affectionem attendens, aut indulgentiam, vt quæ ſit è veſtigio relictura tabernaculum, ſi excidendi, & migrandi tempus eam vocauerit. Aduena,* inquit, *ſum in terra, & peregrinus.* Quàm aliter homo ſe gerit in hoſpitio ac in propria domo. Erga omnia hoſpitij ſe rectè gerit, & honorificè, nimiam affectionem minimè ibi conſtituit, ſed omnia guſtat quaſi in tranſitu, ſciens inde quamprimum recedendum. Sic ſapiens anima corpus ſuum quaſi hoſpitium habet, cuius vaſa in honorem tractat, non in contumeliam. Cauétque circa corpus nimium affici, omniáque eius curſim, & in tranſitu reſpicit, tanquam ea, quæ confeſtim relinquenda ſunt. Huc reſpiciant vniuerſi ſapientes, & credant ſe in corporibus tanquam in tabernaculis citò relinquendis habitare. De ſapientia incarnata locutus. Ioan.
Ioan. 1. cap. 1. ait : *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Græcè legitur, *Tabernaculum fixit in nobis.* Carnem aſſumpſit, non quaſi habitationem, & domum, ſed quaſi hoſpitij tabernaculum, à quo illi erat citò migrandum. Quod facere debent quique amant corporalibus laqueis non implica-
Seneca. ri. Sic Seneca epiſt. 71. ait : *Vis aduerſus hoc corpus liber eſſe? Tanquam migraturus habita. Propone tibi quandoque hoc contubernio carendum.* Quis nimis afficitur ad aduerſorium ; & non magis etiam dum ibi exiſtit, in propriam domum intendit
2. Cor. 5. animum. Dicebat D. Paulus 2. ad Cor. 5. *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem habemus ex Deo, domum non manu factam æternam in cœlis,* &c. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus,* &c. Iuxta Chryſoſt. ſententiam tabernaculum vocat corpus corruptibile, domum autem vocat idem corpus glorioſa incorruptibilitate donatum. Dum ergo in tabernaculo eſt, nihil aliud agit quàm ſuſpirare, & ingemiſcere pro domo æternitatis. Proh ſapientiſſimum animum ! Ait Cle-
Clem. Alex. mens Alex. ſuprà. *Sicut aliquis, qui procul peregrè proficiſcitur, diuerſoriis, & habitaculis, quæ ei in via occurrunt, vtitur, curam quidem gerens rerum loci in quo diuerſatur, habitationem autem & poſſeſſionem ſicut, & vſum relinquens, nulla metus affectione cœleſtem amplectens manſionem. Scimus enim, quòd ſi terrena noſtra habitatio tabernaculi diſſoluta fuerit, ædificium à Deo habemus domum æternam in cœlis. Etenim in hoc ingemiſcimus, habitaculum noſtrum, quod eſt è cœlo ſuperindui cupientes.* Sic vtamur corpore, vt diuerſorio vtimur, cuius res, & vaſa tractamus, ſed erga illa minimè afficimur, ſuſpirantes in eo pro æterna, & ſtabili domo noſtra.

§. XXIX.

Spiritus opus eſt, quod terrenis non hæreas, nec carnalibus.

ECce tibi, qui terrenis, & corruptibilibus tenentur, & opprimuntur, nimirum ſenſus, & anima ; quippe ait : *Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum,* &c. Anima hominis, & ſenſus humanus grauantur, & deprimuntur terrenis, & corporalibus, non Dei Spiritus, qui in homine exiſtens facit eum de iis terre-
Iſai 44. nis, & corporalibus triumphare. Aiebat Iſaias cap. 44. *Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea, dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam.* Expende hæc, *& ſpiritum calcantibus eam* ; duo enim à Deo in homines ſunt profecta, nimirum afflatus, & ſpiritus; in afflatu intelligitur anima rationalis, quæ infuſa primò fuit per ſpiraculum Dei : ſpiritus autem eſt Spiritus ſanctus per dona ſupernaturalia communicatus. Afflatus ergo Dei, id eſt, anima rationalis in omnibus eſt, qui ſunt ſuper terram. licèt ſint demerſi terrenis. Spiritus autem Dei non in omnibus, ſed in illis, qui nouerunt conculcare terrena, & omnes corruptibiles cupiditates expuere. Etenim de Dei ſpiritu venit, quòd terrenæ immunditiæ expuantur, conculcentur. Ait D. Irenæus lib. 5.
cap. 12. *Aliud eſt afflatus vitæ, qui & animalem efficit hominem, & aliud ſpiritus viuificans, qui & ſpiritualem efficit eum. Et ideo Iſaias ait : Sic dicit Dominus, qui fecit cœlum, qui firmauit terram, & quæ in ea ſunt, & dedit afflatum populo, qui ſuper eam eſt, & ſpiritum his, qui calcant illam. Afflatum vitæ communiter omni, qui ſuper terram eſt, populo dicens datum ; ſpiritum autem propriè his, qui conculcant terrenas concupiſcentias.* Irenæus.
Anima hominis in ſe relicta non poteſt non deprimi, & immergi terrenis, & corporalibus, quæ dum videris deſpici, & conculcari ab hominibus, iam id deputa Spiritui diuino. Ad ſpiritum pertinet, quòd de terrenis, & carnalibus triumphes. Cant. 1. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos,* &c. Cant. 1.
Animæ ignoranti ſe dicitur, quòd exeat poſt greges ſuos, & paſcat hædos ſuos, hoc eſt, quòd regat, & ſubiiciat ſibi reprobos carnis affectus, conculcans vel illorum veſtigia. Sed vnde anima deuenire in tantum regnum poteſt aduerſùs carnis affectus ? Id oſtendebatur illis verbis : *Egredere*; egrediendū ſibi in primis à ſe eſt, & ad ſpiritum accedendum, in quo proculdubio conculcabit, quidquid eſt carnalis illecebræ. Ait D. Ambroſ. lib. de Iſaac. cap. 4. *Hæc eſt ergo quod ait : Exi tu in calcaneis gregum, & paſce hædos tuos ; quia per greges regnum intelligimus, eo quòd poteſtatis ſit gregibus præſidere. Præſidet autem vnuſquiſque ſibi quadam poteſtate regali, ſi coerceat in ſe corporis luxus, & ſeruituti redigat carnem ſuam. Vnde pulchrè ait ad animam : Exi, id eſt, exi à ſeruitio, exi à carnis imperio, atque dominatu, exi non in carne, ſed in ſpiritu.* Ambroſ.
Equidem nullus exiet ad detriumphandas illecebras carnis niſi multum ſpiritus adſit. Ne credam ab hominibus infultus carnis ſuperatos, in quibus vix aliquid cernitur non carnale. Clamabat Pſaltes : *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ ?* Cupiebat euolare à carnalibus laqueis, & non petebat alas aquilæ, ſed columbæ, quæ referebat diuinum Spiritum. De multo enim ſpiritu venire debet, quòd carnalia ſuperes. Pro quo monebat D. Ambroſ. lib. 1. de Virg. *Sume igitur alas virgo, ſed ſpiritus, vt ſuperuoles vitia, ſi contingere cupis Chriſtum.* Sic ibi. Pſalm. 54.
Ambroſ.

§. XXX.

Ab vnius Spiritus ſancti lumine res manifeſtantur, ſicuti ſunt.

QVàm infirmum eſt lumen oculorum noſtrorum, & lumen intellectus humani, vt oſtendat vel ea, quæ ſunt præ manibus? Pulchrè ait Sapiens in præſenti: *Difficilè æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cœlo ſunt, quis inueſtigabit ? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum ?* Neceſſaria quidem eſt Spiritus ſancti aſſiſtentia, vt cœleſtia & diuina percipiantur, cùm nos etiam circa hæc, quæ in proſpectu ſunt, cæcutiamus. Etiam ſi oculi, & mens noſtra excæcatur, vix percipit communia hæc, & viſibilia, ſi abſit Spiritus ſanctus; vbi autem hic adſit, etiam à ſenſibus remota parent. Aiebat Nabuchodonoſor Danieli cap. 4. *Ego ſcio, quòd ſpiritum ſanctum Deorum habeas in te, & omne ſacramentum non eſt impoſſibile tibi ; viſiones ſomniorum meorum, quas vidi, & ſolutionem eorum narra,* &c. Dan. 4.
Expende quas res ſibi explicari poſtulat, nimirum ait, *quas vidi.* Si tu vidiſti ô Rex, & oculis tuis attigiſti, cur petis, vt tibi explicentur ab illo, qui non vidit? Si ea, quæ vidiſti ignoras, cur ea non ignorentur magis ab illo, qui minimè vidit? Ipſe inſinuat cauſam aiens : *Scio, quòd ſpiritum ſanctorum Deorum habeas.* Vel, vt legit D. Cyrillus Hieroſol. *Scio, quòd Spiritus Dei ſanctus eſt in te* ; vbi autem credebatur Daniel habere in ſe Spiritum ſanctum, meritò cenſebatur poſſe explicare ſacramenta à ſe non viſa, maiori claritate, & certitudine, quàm explicaret ille, qui præ oculis habuit. Cyrill. Hier.
Ait D. Cyrillus Hieroſol. catech. 16. *Ipſe viderat viſionem, & neſciebat. Dic, inquit, mihi viſionem, quam ego vidi, & quæ ſit, neſcio. Cernis vim Spiritus ſancti ? Videntes neſciunt, non videntes agnoſcunt, & interpretantur.* Ne fidas oculis tuis, nec intellectui tuo in cognoſcendis diuinis, ſed contende tibi acquirere Spiritum ſanctum, ſine quo etiam quæ vides oculis, & contrectas manibus, non agnoſcis; & cum quo etiam quæ Idem.

ab omni ſunt ſenſu remota, tibi apparebunt clara. De ſancto Stephano dicit Act. 7. *Cum autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* Quanta hæc viſio? Quàm perſpicaces oculi, qui cælum penetrarunt, & omnia conſpexerunt vſque ad conſeſſum Patris? Vnde tanta vis Stephani oculis obuenit? An ex propria natura? Abſit, ſed ex eo quòd dicitur plenus Spiritu ſancto. Ait D. Cyrill. Hieroſ. catech. 17. *Vidit cælos apertos, vidit & filium hominis ſtantem ad dexteram Patris. Vidit autem non ſua virtute, ſed vt inquit Scriptura, cùm eſſet plenus Spiritu ſancto, ſuſpiciens cælum, vidit gloriam Dei.* De Spiritus ſancti aſſiſtentia ſic potuit illuminari, vt vel oculis carneis cœleſtia ſecreta penetraret.

Actor. 7.

Cyrillus Hieroſol.

3. *Regum* 3. Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicens: Poſtula, quod vis vt dem tibi. Et ait Salomon: Tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid patre meo miſericordiam magnam, ſicut ambulauit in conſpectu tuo, in veritate, & iuſtitia, & recto corde tecum, cuſtodiſti ei miſericordiam tuam grandem, & dediſti ei filium ſedentem ſuper thronum eius, ſicut eſt hodie.

§. XXXI.

Dum ſe magis oculit Deus in via, ſolet magis inflammare & implere humana corda. Vbi de Euchariſtia.

POſt longas pro ſapientia preces dormiuit Salomon, & dormienti ſtatim affuit Deus per ſomnium, conceſſurus illi & poſtulata, & multa alia dona. Ait enim: *Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicens: Poſtula à me,* &c. Et cur nocte, & in ſomniis venit Dominus daturus Salomoni & ſapientiam, & diuitias, & felicitatem? Cur non magis clara luce accedit tot tantiſque bonis impleturus hominem? Neputemus à Deo occulto, & velato nihil boni venire in nos poſſe. Imò & dum ſe ſe occulit Deus, & tenebris obuoluit, maiora ſolet nobis impertiri bona. Euntibus diſcipulis in Emaus poſt reſurrectionem, apparuit illis Ieſus non clarè, ſed obuelatus ſub peregrini forma; talem enim eum eſtimarunt illi, dicentes Luc. 24. *Tu ſolus peregrinus es,* &c. & cùm poſt Solis occaſum in hoſpitio accumberent, & cœnarent, cognouerunt eum in fractione panis; qui cognitus ſtatim diſparuit. Tunc illi dicebant: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Expende, quando profitentur ſe inflammatos corde à Ieſu; non equidem quando panem frangens manifeſtus adeò apparuit, vt cognoſci poſſet. Sed quando occultus ſub forma peregrina loquebatur illis in via. Et cur non magis illos inflammat cum agnoſcitur in panis confractione, quàm cùm in via loquitur? Vt occultior erat in via ſub peregrini forma, ſic tunc impertitur illis maiora. Quò pulchre ſpectans Drogo Hoſtienſis lib. de ſacram. Paſſ. ait, *Dum loquereris in via duobus diſcipulis, & nubes peregrina faciem tuam tegeret; nonne inquiunt, cor noſtrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via? Ardebat nimirum intus columna ignis, quia foris columna nubis loquebatur ad eos.* Duæ ab antiquitus columnæ ſibi correſpondentes Dei præſentiam monſtrabant, nimirum & columna nubis, & columna ignis, nec vna erat ſine alia. Cùm ergo Deus in columna nubis nobis loquitur, ſic occultus, ſic tectus, quaſi ſub nube fuerit obſcuratus; ideo hoc facit, vt columnam ignis lucidiſſimam noſtris ingerat animis. De occultato Deo ſub nube, & tenebris nunquam non fulmina iaculantur, quæ intima noſtra diuinis repleant flammis. Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole.* Tot Solis radij mulierem circundabant, vt illis videretur amicta. Sed vnde ad ſe clariſſimos Solis radios traxit mulier? Ait D. Bernard. Mariæ Deiparæ: *Veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit illa te gloria ſuæ maieſtatis. Veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris.* Ex quo ſub virginea & carnis Mariæ nube occuluitur Sol iuſtitiæ, clarioribus illam radiis impetit. Nunquam enim & clariores, & ardentiores radios non mittit Sol diuinus de ſub nubibus. Quis neſciat ſub nube, & tegmine panis Deum in Euchariſtia abſcondi? Et quis neſciat inde ardentiſſimis amoris flammis comburi hominum animas? Aiebat Iſaias cap. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion,* &c. *in ſpiritu iudicij, & in ſpiritu ardoris.* Ecce tibi ſpiritus ardoris à Deo iaculatur, vt abluat, & purificet hominum animas. Et qualiter hic ardoris ſpiritus iaculatur? Vbi noſter poſuit, *in ſpiritu ardoris*, legit Hector Pintus, *in ſpiritu paſtus.* Et quid paſtus cum ardore? Multum plane; cùm enim ſub nubibus panis vinique ſe Deus occulit, in illiſque latet, eos ardores iaculat in homines, quibus ab omni macula valeant purificari. Proh Dei noſtri latebras! Quia foris ſub nube eſt, intima noſtra ardentiſſimo igne peruadit.

Luc. 24.

Drogo Hoſtienſis.

Apocal. 12.

[B]ernard.

Iſai.

Pint[us]

§. XXXII.

Dona temporalia vel dormienti largitur Deus, ſpiritualia autem regni cæleſtis, non niſi laboranti ſtrenuè.

AIt textus: *Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicens: Poſtula,* &c. Adeo quietè accedit Dominus ad Salomonem, ne dormientem excitet. Quam aliter ad Apoſtolos venit Actor. 1. *Factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis,* &c. Et cur illic tanta quies in Dei aduentu, quæ nec dormientem excitat; hic autem tam vehemens ſtrepitus, vt nulli permittat quieſcere? Ad Salomonem veniebat Deus daturus temporalia bona, ſapientiam politicam, diuitias, victorias de hoſtibus; quæ autem temporalia ſunt, ſolent dari à Deo, vel dormientibus. Ad Apoſtolos autem veniebat inſtructurus homines ad æterna regna capienda, quæ minimè capient niſi laborantes? per multos ſudores, & violentias. Dicebat Diuus Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſ. 17. *Ne tantæ gratiæ deſcendentis lateret magnitudo, tanquam tuba cæleſtis intonuit: factus eſt, inquit, repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis; ſignificando præſentiam illius, qui id concedit hominibus, vt vi rapiant regna cælorum.* Vbi dandum erat homini, quod raperet cœleſte regnum, non aliter accedit Deus, quàm cum vehementi ſtrepitu, & quaſi tuba intonans ad bellum. O magnitudinem cœleſtium æternorumque donorum! O vilitatem temporalium! Vis euidenter noſcere, quàm vili æſtimet Deus Bona temporalia etiam ſplendidiſſima? Nota, quibus dentur à Deo; dantur dormientibus, & ſomno ſtertentibus, & hominibus prorſus inertibus. Non ſic ſpiritualia & æterna, quæ vt notæ magnitudinis ſunt, non niſi per multas vigilias, multóſque labores capientur. Matth. 27. datus fuit Ieſus meus militibus, qui *plectentes coronam ſpineam poſuerunt ſuper caput eius.* Et quando nihil pertulit Ieſus, quod non fuerit ab illo alta prouidentia admiſſum; mirabar, quòd ſic permiſerit vndique ſpinis cingi. Nonne ille erat, qui in plateis clamabat, vt omnes accederemus ad eum? Cur modò ſic ſe ſpinis ſepit, & aditum quaſi occludit? Aiebat Clemens Alexandrinus lib. 2 Pædag. cap. 8. *Quia etiam corona eſt typus fidei. Vita quidem, propter ligni ſubſtantiam, lætitia autem, propter coronæ appellationem: periculi verò propter ſpinam, neque enim citra ſanguinem licet ad verbum accedere.* Crede mihi, non niſi per labores, & ſolicitudines acceditur ad regnum Verbi diuini. Dicebat ille Cantic. 2. *Ego flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter ſpinas,* &c. Ex quibus ſic in rem præſentem fatur Diuus Ambroſius libr. 1. de virg. *Florem quoque tibi demonſtra carpendum; illum vtique qui dixit: Ego flos campi, & lilium conuallium, tanquam lilium inter ſpinas; quod eſt euidentis indicij, ſpiritualium nequitiarum ſentibus virtutes obſideri, vnde nemo fructum referat, niſi qui cautus accedat.* Per ſpinas & tribulos eundum, vt florem immarceſcibilem capias.

Actor.

Cyr. Hier.

Mat

Cle[m.]

Cant.

A[mbr.]

§. XXXIII.

Eo Deus efficacior oſtenditur in transmutando homine, quo magis ex animo & corde ab homine recipitur.

ADhue pondero illud: *Apparuit Dominus Salomoni per ſomnium in nocte*, &c. Et cum videam plurimis ſanctiſſimis viris apparuiſſe Deum in ſomnis, vt Abrahamo, Ioſepho, & Magis; nihil functum Salomoni ſuſpicor, ex eo quòd Deus illi per ſomnium, & nocte apparuerit. Quin potiùs inde fœlicem aliquam mutationem a puero in virum ſapientem ex Deo illi obuenturam conijcio. In ſomno enim, vt notat noſter Pererius lib. 1. in Dan. quæſt. 4. ſopito ſenſuum exteriorum ſtrepitu, & occluſo aditu ſpecierum, quæ mirum in modum animum diſtrahunt,
Perer. *liber animus ſibi totus præſens, & præſto eſt.* Cui tunc accedens Dominus, vt liberiori animo, & corde exceptus, ſic illuſtriores, & fœliciores mutationes ibi perficiet.
Iob. 33. Quo adduco illud Iobi cap. 33. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lecto. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina. Vt auertat hominem ab iis, quæ fecit, & liberet à ſuperbia*, &c. Deus bone, vt hominem ineruditum in ſapientem mutes, & ad bona accipienda trahas, quòd dormiat, expectas, & per ſomnium accedis ad illum? Cur non magis vigilantem conuenis, & attentum inſtruis? Vt in ſomno ſenſuum impedimenta abſunt, quæ Deum ab ingreſſu cordis auocare ſolent; ſic liberior animus potentiores oſtendit Deo cordis vias, in quo receptus nullas non cauſas mutationis fœlices. Quò ſpectans D. Proſper opuſc. de Prouident. ait:

Proſper. *Vtque illos veterum complexa eſt gratia ſolos,*
Qui Chriſtum videre fide: ſic tempore noſtro
Non renouat quemque Chriſtus niſi corde receptus.

Quid pulchrius? Non renouat quemquam, inquit, Chriſtus, niſi corde receptus; ne miremur, quòd renouaturus hominem, & mutaturus in melius, expectet Dominus tempus, quando ſopitis ſenſibus facilior patet vſque ad intima cordis ingreſſus. Solo enim in corde receptus amat mutare hominem in melius. Exod. 15. diſperibat populus Iſraelita ſiti propter amaritudinem aquarum, quæ illis
Exod. 15. aderant. Clamauerunt ad Deum: *Qui oſtendit ei lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* Non contentus fuit cum ligno à foris tangere aquas, vt dulceſcerent, ſed totum lignum intra ipſas aquas coniecit. Et cur non ſuffecit tactus ligni à foris, ſed neceſſum fuit totum illud intra aquas conijcere, vt illas ab innato amore mutaret in dulcedinem? Oſtendebantur ibi mutationes in melius à Chriſto Domino in ſuis faciendæ, quæ minimè perficiuntur, niſi lignum vitæ Chriſtus in medio cordis plantetur. Ait D. Machar. homil. 47. Iubet ergo Deus Moyſi proijcere lignum in aquam amaram; lignóque ſic immiſſo facta eſt aqua dulcis, & ab amaritudine
Machar. mutatur, &c. *Propterea Deus immittit lignum vitæ in ipſum fontem cordis amarum; qui ab amaritudine transmutatus & contemperatus cum ſpiritu Chriſti, dulcedinem recipit; & fit idoneus, & cedit in obſequium domini ſui, quia fit ſpiritus geſtans carnem. Væ illis, in quem lignum vitæ non fuerit iniectum, quia non poteſt aliquam idoneam mutationem obtinere.* Expende illa, *immittit lignum vitæ in ipſum fontem cordis amarum*; non aliàs, ſed corde exceptus Chriſtus nos amat in melius immutare. Felix qui ſic valet mortificare, vel ſopire ſenſus ſuos, vt animos, & cor accedenti Ieſu pateat, ille in virum perfectum reformabitur, cœleſtémque dulcedinem in ſe guſtauit. Cuius autem cordi hoc viuificum lignum non hæſerit, nec vlla illi obtinget bona mutatio.

§. XXXIV.

Deus non permanet niſi in Sanctis.

NVllo magis oſtendi poterat Dauidis ſanctitas, & iuſtitia, quàm ex longa Dei permanentia cum illo. Sic enim dicit: *Tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid patre meo miſericordiam magnam, ſicut ambulauit in conſpectu tuo in veritate, & iuſtitia, & recto corde tecum*, &c. Et quidem totum idneceſſarium erat veritatis, & iuſtitiæ, & recti cordis, vt cum Deo eſſe crederetur Dauid. Nequit enim Deus tandiu permanere in homine, qui non inſiſtit iuſtitiæ habendæ & ſanctitati. Dicebat Dominus Ioan. 18. *Regnum meum* Ioan. 18.
non eſt de hoc mundo. Et mirabar, ſic abijci à Deo regnum mundiale, quod ipſe creauerat. Quando enim Deus creator eſt omnium rerum, quæ res poteſt dici non eſſe illius? Cur ergo mundi regnum quaſi alienum à ſe abijcit? Nonne & illius creator eſt? Equidem erat Deus regni mundialis, vt cæterarum omnium rerum creator; ſed quia in mundiali regno cœperunt bona mundialia præponi Deo, in quo tanta indignitas claruit, non potuit Deus manſionem facere, nec ſedem ſuam collocare, ſed vt alienum abijcit, & extraneum. Vt dicat D. Cyprianus ſerm. de ieiunio, & tentatione Domini: *Ipſe dixit regnum ſuum de* Cyprian.
hoc mundo non eſſe; non quòd creationem ſuam remouens dæmonum ſubiecerit poteſtati; ſed quia in his, qui amorem mundi Dei amori præponunt, non dignetur diuinitas ſibi facere manſionem. Nullus adeò per vitia reperitur, ad quem Deus non veniat, vt illum ad melius promoueat, manſionem autem non facit, nec ſedem ſuam conſtituit, niſi in eis, qui longè à peccatis abſunt. Dicebatur Ioſepho Matth. 2. *Accipe pue-* Matth. 2.
rum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi, vſque dum dicam tibi. Hoc ſingulare, & nouum, quod puer Ieſus, vnicus Dei filius naturalis, fons omnis ſanctitatis ad Ægyptum deportetur, ibique eſſe à patre præcipiatur. Nonne Ægyptus omnis turpitudinis officina erat? Nonne ibi omnium vitiorum ſentina viſebatur? Qui fieri poteſt, vt ſit Dei filius in terra illa cum hominibus tanta vitiorum fœditate conſpurcatis? Vide quid dicat textus: *Eſto ibi vſque dum dicam tibi*; infertur Ieſus Ægypto, ſed non vt ibi permaneat, datur hoſpes, non ciuis, vt ſit in hoſpitio, non in domo. Ait D. Leo ſerm. 2. de Epiphan.
Tunc autem etiam Ægypto ſaluator illatus eſt, vt gens antiquis erroribus dedita, iam ad vicinam ſalutem, per occultam gratiam ſignaretur: & quæ nondum eiecerat ab animo ſuperſtitionem, iam hoſpitio reciperet veritatem. Expende illa: *Hoſpitio reciperet*, Leo.
&c. vt enim non reiecerat ſuperſtitionem, ſed in idololatria erat, ſic in illa non aliter, quàm in hoſpitio erat Deus. Qui enim in hoſpitio eſt, non permanenter eſt, ſed tranſitoriè; vt qui inde citò abſcedere debet. Sic Deus vbi aliquando ad peccatores accedit, non accedit permanſurus, ſed tanquam hoſpes ſtatim abiturus. In illis autem permanet, qui puritati, ſanctitatíve inſtant acquirendæ.

§. XXXV.

Nihil magnum niſi in Chriſto Ieſu.

PRædicat Salomon miſericordiam Dei grandem conſeruatam in Dauide, dicens: *Cuſtodiſti ei miſericordiam tuam grandem, & dediſti ei filium*, &c. Et vnde hæc miſericordia grandis fuit? An ex nuda propagatione ſeminis in regno? Vel ex regni amplitudine, aut cumulo victoriarum, & diuitiarum? Abſit; parua enim hæc ſunt, etſi ſplendidiſſima carnalibus videantur; illud ſolum magnum quod ad Chriſtum ex ſemine Dauidis oriturum attinet. Hoc ſingulare in Dauide, non quòd ei regnum ſeruaretur, nec quòd filij ei Reges ſuccederent, ſed quòd per peccatum non amitteret promiſſionem de Chriſto naſcituro; ſed quòd adhuc poſt peccatum illi Chriſtus maneret, in quo ſolo habita eſt miſericordia magna. Aiebat Dominus per Oſeam cap. 6. *Quid faciam tibi Ephraim, quid fa-* Oſ. 6.
ciam tibi Iuda? Miſericordia veſtra, quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens. Et quidem Ephraimo dederat Deus & Iudæ ſplendidiſſimum regnum populi ſui, in qua largitione adeò parua dicitur oſtendi diuina miſericordia, vt non excedat nubeculam manè in ortu Solis apparentem nec roris guttulam. Quod ſi largitio regnorum adeò parua tibi videtur, quid magnum illis ſatagis dare? Scio vnum ſolum eſſe magnum, nimirum ſi Chriſtus illis detur, ſine quo cætera omnia ſunt parua. Ait Rupert. ibi:
Miſericordia hæc parua illa eſt, quam intendens ille, in pinguedine, inquit, terræ, & in rore cœli deſuper erit benedictio tua. Parua namque miſericordia eſt temporalium abundantia rerum. Porrò miſericordia magna illa eſt benedictio, quæ ſimpliciter Iacob data eſt. Sic namque benedicendo magnam illi miſericordiam imprecabatur, Rupert.

batur, eam ſcilicet, vt de ſemine eius Chriſtus naſceretur. Cum vno Chriſto nobis grandia, & magna veniunt; ſi Chriſtnm tollas, paruum, & exile inuenies etiam in poſſeſſione cantatiſſimi terræ regni. Meritò enim hoc ſi paruum creditur, quaſi ros manè pertranſiens. Vt enim vanè gloriaretur campi herba, quod manè roris guttulis, quaſi gemmis ſplendeſceret. Sic vana & exilis gloriatio eſt illorum, qui de tranſeuntibus, & citò euaneſcentibus, gloriatur regnis. Ille ſolus glorietur, qui non hæc parua, ſed magnalia illa Ieſu ſpectat, in eius ingreſſurus regnum quod ſolum magnum debet cenſeri. Hinc Dauid Pſal. 50.

Pſalm. 50. clamabat: *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam.* Et qui regnum de manu miſericordiæ diuinæ tenebat, quàm aliam magnam miſericordiam ſpectat? Vnam equidem magnam miſericordiam æſtimat, ſi ſibi adhuc Chriſtus ſeruetur, in huius enim ſolius conſeruatione magnum quid putat ſibi ſeruari, etiam ſi omnia deſint.

Rupert. Ait Rupertus ſuprà; *Statim addit: Secundùm magnam miſericordiam tuam. In quo? Nimirum in eo, vt nequaquam promiſſione Chriſti de ſuo ſemine naſcituri fruſtraretur, propter cauſam Vriæ Æthæi. Nam inde eſt, quod poſtmodum dicit, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, ſubauditur, miſerere mei conſeruando miſericordiam magnam, quam promiſiſti.* Sic Dauid, vt vnam miſericordiam ſibi factam magnam æſtimat, quæ erat de Chriſto habendo, hanc ſolam metuit ſibi auferri, ſine qua parui, aut nihili æſtimat mundi regna. Vtinam & mihi hoc magnum detur, quòd ſim Ieſu mei ſeruus, in cuius comparatione ſcit ipſe, quòd omnia mũdi bona vilipendã.

§. XXXVI.

Bona noſtra æſtimabiliora fiunt, de aliorum viſis malis.

Mirabar quòd tantus ſit Salomon in extollenda Dei miſericordia, quòd conſeruaret regnum Dauidis vſque ad filios. Dicit namque? *Cuſtodiſti ei miſericordiam tuam grandem, & dediſti ei filium ſedentem ſuper thronum eius,* &c. Communiſſima eſt hæc Dei miſericordia, quòd filij ſedeant in thronis patrum. Et nullus filiorum Regum inuenitur in Scriptura, qui inde Deum laudet, quòd aſcenderit in thronum patris præter Salomonem, qui ſæpiſſimè hoc prædicans ingentes tribuit Deo laudes. Et cur Salomon ſingularis eſt in hac laude? Erat tunc adhuc præ oculis omnium Saulis electio in regnum, & reprobatio; vt primò quæſitus à Deo fuerat, vt primus in Iſraele regnaret, cuius tamen regnum minimè ad filios peruenit, ſed illis reiectis cum patre, propter patris peccata, regnum fuerat ad Dauidem tranſlatum. Quæ notans Salomon de illorum clade ſuam fœlicitatem æſtimabat, quòd nulla peccata impediſſent, quòd poſt Dauidem, eius filius regnaret. Sic antecedentium clades æſtimabiliorem reddebat Dauidis regni firmitatem. Deleturus Dominus terram diluuio iuſſit Noemo, vt conſtrueret arcam, qua

Geneſ. 7. conſtructa ait Gen. 7. *Ingredere, & omnis domus tua in arcam.* Sic prouidebat Dominus homines, qui à diluuio per arcam liberati, iterum in terra poſt diluuium genus reſtaurarent humanum. Sed poſſet Deus alios homines de nouo facere, qui mundum inſtaurarent, cur maluit hos paucos ſeruare? Vt hi videntes communem cæterorum omnium cladem magis ſalutem ſuam æſtimarent, indéque Deum anxiùs prædicarent. Ait D. Proſper. opuſcul. de Prouid.

Proſper.

Illæſa mundo pereunte ſuperſtat arca,
Non quia non alios populos Deus edere poſſet,
Sed multis fractus morbis; vt ſemine ab ipſo
Idem homo in Chriſti corpus naſcendo veniret,
Vtque Deo iuſto meritorum iudice, partam
Noſſemus requiem Sanctis, in clade malorum.

Expende iſta: *Noſſemus requiem Sanctis,* &c. quippe malorum clades viſa nunquam non conſpicabilem, & æſtimabilem facit requiem fœlicium. Nec ob aliud vxor Loth

Geneſ. 19. Geneſ. 19. præceptum de non reſpiciendo retrò infringens, *verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Cur in ſalis ſtatuam? Vt ſal condit, & ſaporat eſcas, vt quæ antea inſipidæ videbantur, de adiuncto ſale aptiores reddantur guſtui. Sic caſus illæ fœminæ ſaporauit, & condidit aliorum immunitatem, &

Clem. Alex. ſalutem. Ait Clemens Alex. lib. 2. ſtrom. c. 6. *Effecit eam tanquam petram ſalis, non ſtultam, & quæ nihil ageret imaginem, ſed quæ condire, & confirmare poſſet, eum, qui poſſet reſpicere ſpiritualiter.* Expende illa, *quæ condire,* &c. quippe multi vix geſtant incolumitatem, & ſalutem ſuam, in qua ſunt: videntes autem aliorum ruinas, & clades, non parum inde guſtum incipiunt percipere, quòd ſe incolumes videant.

3. *Regum* 3. Et nunc Domine Deus tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum. Et ſeruus tuus in medio eſt populi, quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari, & ſupputari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſis, & diſcernere inter bonum, & malum, *&c.*

§. XXXVII.

Neſcit Deus vocare ad munus hominem, ad quod omnia conuenientia non tribuat.

Strictiſſimè trahit Salomon in ſua poſtulata, ea petens, quæ muneri accepto ex Deo videntur neceſſaria. Ait enim: *Tu regnare feciſti ſeruum tuum,* &c. *Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit,* &c. Quando opus Dei erat Salomonis regnum, ad Deum etiam pertinebat omnia præſtare, quæ conducebant ad regnum bene adminiſtrandum. Neſcit enim Deus munus præſtare, in quo non tribuat, quidquid ad decorem, & perfectionem illius videtur

Geneſ. 1. neceſſarium. Fecerat ab initio Deus hominẽ Gen. 1. *Vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, vniuerſæque terræ.* Vt nimirum Rex eſſet vniuerſarum rerum ſublunarium. Ad quem tamen condendum vltimò acceſſit, videlicet die ſexto, poſt cõdita, & ornata alia vniuerſa. Et cur acceſſit Deus ad condendum hominem? Cur non in primis pulcherrimã hanc creaturam condidit? Equidem vt homo Rex fiebat omnium, ſic eius conditio fuit dilata vſque dum in omni regio habitu, & ornatu poſſet in ſua ſede locari? Ait Na-

Nazianz. zianz. orat. 43. *Quòd ſi poſtremus homo creatus eſt, idque cum Dei manu, atque imagine ornatus ſit, nemini mirum videri debet. Conſtruendum enim prius tanquam Regi palatium erat, atque ita Rex introducendus, omni iam ſuo ſatellitio ſtipatus.* Cauit equidem Deus in efformatione hominis Regis, ne quid illi deficeret ad decus regium neceſſarium. Quin potiùs in primo regni ingreſſu appareret, in ſede decenti, & omni iam ſatellitio ſuo ſtipatus. Nequit enim Deus munus dare, ad quod non tribuat omnia conuenientia, & neceſſaria. Hieremias ad munus concionatoris miſſus à Deo, obiiciebat pueritiam

Ierem. 1. ſuam c. 1. dicens: *A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Cui ſtatim Dominus reſpondit: *Noli dicere: Puer ſum; quoniam ad omnia, quæ mittam te ibis; & vniuerſa quæcumque mandauero tibi, loqueris.* Expende illa: *Noli dicere: Puer ſum;* & quidem puer ipſe erat, & ob pueritiam longè remotus à munere loquendi ad populos, quod munus diſertum, & conſummatum virum requirebat. Et quando puer erat, cur iubet Deus ne ſe dicat puerum? Ex quo ad munus virile in docẽdis populis à Deo electus, & poſitus fuerat, iã puerilẽ inſcitiã exuerat, & quidquid conſũmati viri erat, habebat. Nunquã enim nõ dat Deus electis ſuis, quidquid cõducit

Origen. ad munus, ad quod eos elegit. Ait Orig. ibi hom. 1. *Vir erat Hieremias habens iam ſibi commiſſam à Deo gratiam in ætate corporis adhuc pueriti. Propter quod ait ei Dominus: Noli dicere, quia puer ſũ. Signumque huius rei, quia nõ ſit iuuenis, ſed vir conſummatus, oſtẽdit, dicens: Quoniam ad omnes, ad quoſcumque mittam te, ibis,* &c. Quamuis corpore paruus puer ſit, tamen quòd iã acceperit a Deo eſſe conſummatum, & perfectum virum, inde patet, quòd à Deo deſignatus erat in tale munus, quod perfectũ, & diſertum virũ requireret. Monebat Ieſus Matth 6.

Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum.* Et rationẽ attingens D. Nyſſen.

Nyſſen. orat. 4. in orat. Dnĩ. ait: *Qui tibi dat diem, etiam dat, quæ ſunt neceſſaria ad diem.* Neſcit enim Deus negare ea, quæ petit conceſſum munus.

§. XXXVIII.

Digitized by Google

§. XXXVIII.

Nil magis regium, quàm id, quod populi vtilitati conducit.

BOnus Rex Salomô totus eſt in petenda ſapientia, quæ dirigat in bonum ſubditos, dum ait: *Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit.* Et crede mihi, nullibi clarius perſona Regis agitur, quàm vbi in primis conſulitur vtilitati populi. Rex Regum dicebat Pſalm. 2.
Pſalm. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, &c. Ecce tibi Dei filius Rex vniuerſorum à patre conſtituitur; & vt conſtitutus Rex apparuit, ſtatim ad illum vox Patris intonuit, dicens: *Poſtula à me & dabo tibi gentes.* Non aliud, quàm gentes iubet à Rege conſtituto poſtulari. Et cur ſolas gentes poſtulat? Vt Rex erat, in nullo magis ſe talem demonſtraret, quàm ſi ſubditis ſuis nationibus ſaluandis inſtaret. Pulchrè ad hæc aiebat Cle-
Clem. Alex. mens Alexandrinus lib. 4. ſtromat. cap. 7. *Iam vero ex perſona Dei Domino dictum eſt: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Petitio maximè regia, quæ docet hominum ſalutem petere ſine mercede.* Et quis non agnoſcat regium ſplendorem in petitione, quæ ad populi ſalutem ordinatur? Equidem ille regaliſſimus princeps eſt, cuius petitiones eò tendunt, vt meliùs habeant populares. Iacob proprij gregis augmento ſtudens virgas decorticatas medijs canalibus ponebat, quarum contuitu ſic ſigillabatur ouium imaginatio, vt fœtus varios pulchrioriſque coloris parerent, qui ad
Geneſ. 30. ſortem Iacob ſpectarent. Sic habes Geneſ. 30. *Tollens Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas; detractiſque corticibus, in his quæ ſpoliata fuerant candor apparuit, atque in hunc modum color effectus eſt varius. Poſuitque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua; vt cum venirent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent. Factumque eſt, vt in ipſo calore coitus oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diuerſo colore reſperſa*, &c. Ecce tibi decorticata virga ob oculos poſita omnium fœtus varij coloris faciebat, vt pertinerent ad Iacobi partes, in quo maximè meliorabantur. Qualis ergo erat hæc virga? Crediderim in illa eſſe totam virtutem regalem quando ipſa decorticabatur, vt oues tranſirent in meliorem partem. Quò ſpectans Clemens Alex. lib. 1. Pædog.
Clem. Alex. c. 10. ait: *Iacob autem paſcebat oues Laban, quæ relictæ fuerant, habens regale ſignum, virgam ſtyracinam, quæ per lignum meditabatur naturam mutare in melius.* Expende illud: *Habens regale ſignum, virgam*, &c. Quippe virga decorticata, quæ nitebatur oues ad meliorem traducere, regale ſignum erat. In illo enim maximè oſtenditur virtus regia, quòd ſubditis ſuis etiam proprio impendio prouideat commodum melius.

§. XXXIX.

Præſtantiſſimum Principem decet populares ſuos non ſolùm ad temporalia, ſed ad æterna ducere.

ILla erat petitio Salomonis: *Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit.* Circa quæ adhuc lis eſt inter Doctores, qualis ſapientia peteretur à Salomone? Salianus noſter putat eam ſapientiam à Salomone poſtulari, qua prudentia ciuili, & gubernandi peritia continetur. Pineda autem multis probat eam poſtulatam ſapientiam, quæ non ſolùm ciuilium, ſed & diuinorum, & æternorum cognitionem, & doctrinam amplectitur. Cui eo libentiſſimè ſubſcribo, quo miſerantiùs aſpexi diſertiſſimorum virorum ingenia ſic occupata in his ciuilibus iuribus, circa fundos, vineas, domoſque dominis attribuendas, vt via cogitent de tabernaculis æternis. Spectat ergo ad præſtantem Principem, ne tota aula intonet ciuilibus iis negotijs, ſed magis & ibi ſciantur, tractentur æterna, quæ ad animas ſubditorum ſpectant. Gloriabatur ipſa diuina ſapientia
Eccleſ. 24. Eccleſiaſtici cap. 24. dicens: *Sicut platanus exaltata ſum iuxta aquas in plateis.* Hoc glorioſum diuinæ ſapientiæ eſſet, quòd in plateis inueniretur; ait enim D. Ambroſius lib. de Iſaac

cap. 5. quòd illam non inuenit ſponſa, *quia in foro quæſiuit, vbi lites ſunt, in plateis, vbi nundinæ rerum venalium.* Non ſolet Ambroſ. equidem diuinorum ſapientia inueniri in foro, aut in plateis, vbi negotia ſæcularia geruntur, & voces Aduocatorum, & Iuriſprudentum perſtrepunt. Quod ſi ibi vix inuenitur, quomodo ipſa gloriatur, ibi non ſolùm inuentam, ſed & exaltatam ſicut platanum? Crediderim hoc accidere in foris, & tribunalibus fœliciſſimorum Regum, quorum ſtudium eò tendit, vt in omni ſua ditione, non humana, & ciuilis, ſed diuina ſapientia ſupereminear. Ex quo dicebat Gilib. Abb. ſerm. 5. in Cant. *Quanta peruerſitas, ſi ſapientia, quæ litibus vacat, quæ lucra ſectatur, ſupereminet, & diuina* Gilib. Abb. *latet? Supereminet litigioſa, & ea quæ pacifica eſt, quæ bonis conſentiens contempta deliteſcit velut in obſcuro?* Equidem hoc in peruerſorum plateis inueniretur; at in glorioſorum Principũ aulis ſapientia diuina & ſuperexaltatur, & ſupereminet. Pſal. 104. locutus de ſancto Ioſeph vinculis tradito in Ægypto ait: *Miſit Rex, & ſoluit eũ, Princeps populorũ, & dimiſit eum.* Pſalm. 104. *Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Vt erudiret Principes eius ſicut ſemetipſum, & ſeniores eius prudentiam doceret.* Et quam prudentiam docebat Ioſeph Ægyptiis Principibus in magiſtratu ſuo? An ſolam illam prudentiam ciuilem, & œconomicam, aut politicam adminiſtrationem circa temporalia bona. Accipite D. Proſperum ibi ſantem: *Nec hoc quidem in illa ſublimitate Ioſeph* Proſper. *hiſtoria refert, quòd Ægyptios ſenes ſapientia imbuerit ſpirituali. Sed qui fieri poſſet, vt vir tantus, vnius veri Dei cultor, alendis tantummodo Ægyptiorum corporibus, & ſolis terrenis rebus proſpiciendis eſſet intentus: non autem curaret, vt eorum quos habebat ſubditus, etiam animos erudiret?* Piaculum foret, vel verbulum tanti Patris præterire in re adeò graui; indignum enim putat & alienum à præſtanti, & fideli Principe, quòd ſolùm circa corporea, & temporalia ſubditorum occupetur, & non magis circa æterna, & ſpiritualia.

3. Reg. 3. Dixit Dominus Salomoni: Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium, ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi, *&c.*

§. XL.

Supra homines eſt, qui à propria voluptate, & vtilitate abſtinet pro aliis.

MAgnum hoc dictum de Salomone, nimirum: *Vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Nec miror, quod ſic ſuper omnes efferatur Salomon, qui enim nihil ſuum, nec volupe, nec vtile quærebat, ſed ſolam ſapientiam ad ſubditos gubernandos, iam videbatur quaſi exceſſiſſe ſortem humanam. Cautiſſimus ille Lycurgus Lacedæmoniorum legiſlator, dicitur templum Apollinis adiiſſe, vt inde iuriſprudentiam compararet. Cui reſpondit Apollo apud Theodor. ſerm. 9. de legibus: Theodor.

Qui mea nuper adis hæc pinguia templa Lycurge
Chare Ioui, & ſuperas cunctis habitantibus arces,
Sis vter, inquiris, Deus, an mortalis habendus?
Sed magis eſſe Deum credo, qui limina noſtra
Aduenias, legum cupidus, iuſtique tuendi.
Protinus ipſe tibi leges dabo.

Nec immeritò ſupra omnes mortales eſſe credebatur ille, qui nihil aliud ſibi quærebat ex Deo, quam eam prouidentiam, quæ cæteris eſſet ſalutaris. Nec miror quòd talis ab Ethnicis vel ſupra mortales, vel Deus habeatur, quando etiam à noſtris ſoleat putari quid proximum diuinitati. Dicebat Dauid Pſalm. 131. *Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſom-* Pſalm. 131.

num oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis. Donec inueniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob. Expende quot, quantáque priuata bona à ſe abiiciat Dauid, vt vnum locum, & tabernaculum exquirat, quo cæteri poſſent Deo ſacrificare. Et vbi inueniet tabernaculum illud tantis ſibi ademptis proprijs quæſitum? Planè qui ſic omnia priuata commoda abiiciebat, vt vnum omnibus commune quæreret, iam inde ipſe & tabernaculum erat, & locus, quo poſſit diuinitas capi. Ea quo dice-

Proſper.

bat D. Proſper. ibi: *Vt enim quis locus ſit Domino, & tabernaculum Deo Iacob, à propria vtilitate debet ad commune bonum tranſire: non in ſe requieſcere, neque in ſuis delectationibus dormitare; quod faciunt, qui ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti: quæ autem ſunt Ieſu Chriſti, non ſingulorum membrorum ſunt, ſed totius corporis bona ſunt, & nullus non habet, de quibus nemo non gaudet.* Qui à propria vtilitate abſtinet, ſic omnes homines ſupergreditur, vt quærens vnum commune alijs bonum locus fiat, & tabernaculū Dei Iacob, ipſi diuinitati propinquiſſimum.

Luc. 2.

Luc. 2. dicebat: *Ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen erat Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus expectans conſolationem Iſrael,* &c. *Et erat Anna Propheteſſa,* &c. De Anna locutus tantùm ait: *Erat Anna,* &c. de Simeone autem notanter dicit: *Ecce erat homo;* & ſtatim repetit iterum, *& homo iſte iuſtus,* &c. Non dicit de Anna, quæ erat at de Simeone ſemel & iterum notanter ait quòd erat homo. Et cur de Simeone ſemel, & iterum notat, quòd homo erat? Rationem oſtendunt verba addita, nimirum: Et ipſe erat *expectans conſolationem Iſrael;* qui enim non ſuam priuatam, ſed populi conſolationem expectabat, multis erat oſtendendus homo, ne crederetur ſuper homines eſſe, vt qui adeò Deo appropinquabat. De illo

Eligius.

ait Diuus Eligius Nouiomenſis homil. 2. de Purificat. *Iſte ſenex Simeon magnum prœbet teſtimonium natiuitatis dominicæ, qui excreuerat in tantum iuſtitiæ culmen, vt non tam ſolummodo ſuam, ſed etiam totius populi Iſraelis quæreret ſalutem.* Quod non ſuam priuatam ſalutem, ſed communem toti populo quærebat, in tantum iuſtitiæ culmen excreuerat, vt recèns nato Ieſu maximè appropinquaret.

§. XLI.

Qui pro bonis proximorum orat, & quæ ſibi non petit, accipit ex Deo.

NOn miror, quòd Salomon acciperet ſapientiam à Deo, quam tam anxiè poſtulauerat, ſed illud miror, quòd & ea, quæ non poſtulauit, acceperit. Dicit enim: *Ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens,* &c. *Sed & hæc quæ non poſtulaſti,* &c. Et cur data Salomoni poſtulata, & non poſtulata? Poſtulata ab eo ad commodum, & vtilitatem populi pertinebant; quæ autem non poſtulauerat, ſibi maximè commoda, & vtilia erant. Meritò ergo qui ſui commodi oblitus pro commodis proximorum orat, & hæc accipit, & inſuper illa, quæ ſibi non

Luc. 1.

petierat. Sic Luc. 1. ait: *Factum eſt autem cum ſacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundùm conſuetudinem ſacerdotij, ſorte exiit, vt incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini; & omnis multitudo populi erat foris orans hora incenſi. Apparuit autem illi Angelus Domini,* &c. *Ait autem ad eum: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua. Et vxor tua Elizabeth pariet tibi filium,* &c. Qui nouit filium dari Zachariæ, cùm eius oratio dicitur exaudita, fortè credet orationem eius eò ſpectaſſe, vt filium acciperet. Sic Anna Samuelis mater, pro filio orauit, ſic multi alij quotidie. Zacharias autem minimè pro filio habendo orauit, vt multis probat D. Chryſolog. & Theophylact. & Beda: ſed orationem faciebat communem pro populi ſalute. Cur ergo oranti pro populo, & non pro filio, datur filius in ſignum orationis exauditæ? Eſt hoc ſolemne illis, qui obliti pro commodis proximorum erant, vt &

Theohyl.

ſua, pro quibus non orabant, accipiant. Theophylact. ait: *Quare Angelus ait: Exaudita eſt oratio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium? Nam Zacharias non pro filio precatus eſt, ſed pro peccatis populi. Dicunt autem, quòd quoniam pro peccatis populi orabat, futurum, quod filium generaret, qui clamaret: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Qui ſuæ ſterilitatis oblitus eò intendebat vt populi promoueret ſalutem: ſic exauditur circa populi commodum, vt etiam filium, quem non poſtulauerat acciperet, quo etiam curaretur propria ſterilitas. Sic enim redundare ſolent accepta bona in eo, qui laborat pro proximorum ſalute.

Mariæ Deiparæ dicebat Gabriel Luc. 1. *Aue gratia plena;* Luc. 1

& poſt pauca timorem, turbationémve eius depellens ait: *inueniſti gratiam apud Deum.* Gratia erat plena, & adhuc gratiam dicitur inueniſſe. Et cum gratia eſſet plena, quam aliam gratiam poterat inuenire? Quærebat gratiam non ſuam, ſed communem hominum ſaluti. Ne miremur, quòd nouæ, & iteratæ gratiarum exundationes fiant, in ea, quæ pro bonis proximorum acquirendis anxiè deſudat. Vt dicat Diuus Bernardus ſermon. in Natiuit. Ma-

riæ: *Plena eſt gratia, & gratiam adhuc inuenit? Digna prorſus inuenire, quod quærit, cui propria non ſufficit plenitudo, nec ſuo poteſt eſſe contenta bono, ſed petit ſuperefluentiam ad ſalutem vniuerſitatis.* Equidem nihil deficit, ſed omnia abundant, & ſuppetunt ei, qui non hæret in proprijs, ſed pro aliorum commodis & labores promit, & preces fundit. Vix credam defectus proprios manere in eo, cuius ſtudia proximis proficiunt. Infrà 3. Regum 11. dicebat Deus Salo- Berna

moni: *Scindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum.* Ecce 3. Reg

tibi Dauidis merita ſtant pro ſaluando peccatore filio. Quid inde? Pulchrè Diuus Ambroſius lib. 1. Apol. cap. 1.

Vbi alterum vita, & peccata delitiſcunt, ibi Dauid virtutis, & gloriæ ſuæ diuinum accepit teſtimonium. Et de eius peccato diſputamus otioſi, pro cuius merita, & gratia aliorum peccata remiſſa fiunt. Nam cum offendiſſet Salomon, ait Deus: Verumtamen in diebus tuis non faciam hoc propter Dauid patrem tuum. Vbi Dauidis merita ſtare cognoſcit pro Salomonis ſalute, ſapienter putat otioſum diſputare de peccatis Dauidis. Quæ enim peccata eſſe, vel quæ gratiæ deficere inueniemus in eo, qui adeò proficit aliorum ſaluti? Amb

§. XLII.

Diuinorum vel vmbra hominem implent.

ILlud non parui momenti eſt, quod ait textus nimirum *Igitur euigilauit Salomon, & intellexit, quod eſſet ſomnium cumque veniſſet Ieruſalem, ſtetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocauſta,* &c. Totum illud inter ſe, & Deum colloquium intellexit ſomnium fuiſſe, & ſtatim pro re obtenta proceſſit ad gratiarum actionem. Et quale hoc, quòd ſomnij repræſentationes ſic virum impleant, vt & vigilans quaſi de re obtenta gaudeat? Erant equidem repræſentationes illæ ſomnij à Deo immiſſæ, quas noſcens Salomon à diuina manu profeminatas, non miror, quod de illis, tanquam de rebus obtentis, gaudeat. Habent enim hoc diuinarum rerum imagines, vel vmbræ, vt poſſent quaſi ab ipſa veritate implere hominum animos.

Ioel cap. 2. *Erit poſt hæc, effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt,* &c. Quid ſomnia ad veram perceptionem ſpiritus? Dum dicuntur ſomnia, non intelligas hæc euanida, quæ nobis ex humoribus accidunt prædominantibus; ſed illa, quæ à Deo diuinitus inferuntur, vt donorum diuinorum imagines. Vt autem imagines ſunt diuinorum, ſi credantur, eundem valent effectum cauſare, quem rei veritates. Quò ſpectans Diuus Leo ſermone tertio de Natiuitate Chriſti locutus de figuris, & repræſentationibus, & vmbris veteris Teſtamenti, tandem ait: *Et hoc magnæ pietatis ſacramentum, quo totus iam mundus impletus eſt, tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, vt non minus adepti ſint, qui illud crediderunt promiſſum, quàm qui ſuſcepere donatum.* Itaque à figuris, & vmbris diuiniſſimi myſterij Chriſtiani, ſic per fidem in eis repræſentati veniebant antiqui ad gratias, & donationes Dei, vt venerunt poſtmodum, qui manibus acceperunt, & contrectauerunt rei veritatem. Ex quo non detrectat Ioel. 2. D.Leo

Paulus dicere ad Hebræos c. 1. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio,* &c. Primis ſæculis loquebatur Deus de ſalutari hominum remedio per Prophetas, per figuras per vmbras; nouiſſimis autem temporibus verus Dei filius apparuit, qui per ſe deduxit nos in viã ſalutis. In damnum ergo antiquorũ dilatus eſt Dei aduẽtus in vltima tẽpora? Hebr. 1

Cur

Digitized by Google

Cur non magis à principio mundi apparuit filius Dei, & habitauit in nobis? Nonne ſic melius prouideretur ſaluti omnium hominum? Equidem quantum ad ſalutem obtinendam, tam illis profuit Dei filius repræſentatus, & promiſſus in figuris, & vmbris, quàm nobis in veritate exiſtẽs. D. Leo. Vt dicat D. Leo ſerm. 3. de Natiuit. Chriſti c. 4. *Ceſſent igitur illorum querelæ, qui impio murmure diuinis diſpenſationibus obloquentes, de dominicæ natiuitatis tarditate cauſantur; tanquam præteritis temporibus non ſit impenſum, quod in vltima mundi ætate eſt geſtum. Verbi Incarnatio hæc contulit facienda, quæ facta, & ſacramentum ſalutis humanæ in nulla vnquam antiquitate ceſſauit. Quod prædicauerunt Apoſtoli, hoc enuntiauerunt Prophetæ; nec ſerò eſt impletum, quod ſemper eſt creditum.* Quod nobis contulit incarnatio Verbi facta, hoc conferebat antiquis promiſſa, & in vmbris, & figuris repræſentata. Valent enim diuinarum rerum vel vmbræ dum nos in fidem trahunt, eumdem effectum dare, quem dant rei veritates.

§. XLIII.

In animi gratitudine multa bona fundantur.

A Doni accepti intelligentia ſtatim abiit Salomon in actionem gratiarum. Dicit enim: *Cùmque veniſſet Ieruſalem, ſtetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocauſta,* &c. Hoc maximè ex gratitudine animi accepta bona commẽdabat & confirmabat. Non enim bona ex affluentia, ſed ex animi gratitudine accipientium debent commẽdari &
Geneſ. 13. æſtimari. De Lothi electione locutus text. Gen. 13. ait: *Eleuatis itaque Loth oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur, antequam Dominus ſubuerteret Sodomam, & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegitque ſibi Loth regionem,* &c. Proh hominis error in electione terræ! Heu quam cito captiuus factus luxit damna ſuæ electionis! Et vnde hæc electio claudicauit? Nonne terra præſtantiſſima erat? Non bona eius ſupereffluebant? Cur ergo non eligeret bona tanta? Debebat inſpicere, à quibus bona illa poſſidebantur, ſi enim à viris Deo largitori gratis tenerentur, non erat cur in eorum ſortem ire detrectaret. At ſi poſſeſſores ingratitudine tenebantur erga largitorem, nihil erat in bonis illis, quod non eſſet expuendum, & cauendum. Non enim bona cenſentur ex affluentia, ſed ex gratitudine ac-
Chryſoſt. cipientium commendantur. Ad hæc D. Chryſoſtomus homil. 33. in Geneſ. *Vides Loth tantum ſpectantem terræ naturam, & non aduertentem inhabitantium malitiam? Quæ enim vtilitas, dic, oro, ſi terra ſit fructuoſa, & ferax, homines autem mali? Caput enim, & ſumma bonorum eſt inhabitantium gratitudo.* Hæc non ſolùm bona accepta commendat, & firmat, ſed & cumulum eorum non paruum addit. Quis neſciat
Geneſ. 17. bona in Abrahamum à Deo profecta? Geneſ. 17. *Apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Dominus omnipotens, ambula coram mè, & eſto perfectus;* & ſtatim ſubdit præceptum de circumciſione, quod perfectiſſimè Abrahamus
Geneſ. 18. executus eſt. Deinde rurſus ait Geneſ. 18. *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre,* &c. Non ſemel, ſed & bis apparet Dominus Abrahæ. Et vnde in repetitas Dei
Chryſoſt. apparitiones venit Abrahamus? Ait Chryſoſtomus homilia 18. *Specta Domini miſericordiam, & conſidera famuli gratitudinem. Talis enim Dominus eſt Dominus noſter, vt ſi quando viderit nos in prioribus gratos, accumulet beneficia, & nunquam à ſua beneficentia deſiſtat, remunerans obedientium gratitudinem. Propter hoc, quia obediuit, iterum ei apparuit.*

Expende illa: *Quando viderit nos in prioribus gratos, accumulat beneficia;* nunquam non gratitudo noſtra plura & maiora ex Deo negotiatur beneficia.

* • *

CAPVT VII.

Fœminarum lis de filio.

TEXTVS HISTORIA:

NEC in abſcondito manſit ſapientiæ acquiſitio, prouidit enim Deus ſtatim certamen, quo claruit omnibus Salomon cæleſti fuiſſe perfuſus lumine. Duas in ciuitate fœminas coniunxerat meretriciæ vitæ ſimilitudo; vtrique filius infantulus erat, cum quibus vno in cubiculo dormituræ recumbunt. Quarum altera dum altè dormit, infantulum opprimit; quem expergefacta exanimem videns, è lecto ſurgit, & quàm tacitis greſſibus potuit, ad ſociæ lectulum accedit, & a latere dormientis matris ſurripit filium viuum, ſuumque ibi relinquit defunctum. Iam matutina luxerat, cùm inſcia altera furti infantulum requirit, cui lac præberet, & vt mortuum vidit, tanti doloris vi excitata non ſemel puerulum ad lucem inſpicit. Maternis oculis deprehendit alienum ſibi appoſitum; & apud æmulam ſeruari ſuum viuum. Deus bone, quanta ſubitò tempeſtas à mulierculis exurgit. Hæc furti, parricidiique ream ſociam accuſat; & ſibi ſuum filium dudum conclamat, illius notas multis repetit; altera è contra conuitiis mille iactatis æmulam propellit, & ambæ domum, vrbemque clamoribus implent. Currunt ad Regem, quæque ſuum clamat eſſe infantem viuum, & alteri defunctum attribuit. Nulli teſtes, nulla certa diſcrimina inter octiduanos pueros ad ſummum, æquè furebant matres vocibus, & lamentis. Tunc Rex afferri gladium mandat, quo infantulus viuus medius ſecetur, & vtrique fœminæ mediam partem adſcribit. Riſere forſan proceres puerile Regis iudicium, plorauit mater, & diriguit vel inaudita filij carnificina, & malens filium perdere ſibi, quam videre defunctum, non paucis contendit, vt æmulæ detur infantulus viuus. Renuebat hæc, & magis inſtabat, vt in infantis diuiſione ſeruaretur Regis ſtatutum. Tunc Salomon in fœmina miſerante puerulum, viſcera materna conijciens, illi infantem attribuit, alteram ſpoliatam, non caſtigatam dimiſit, vt quæ coniecturis ſolùm, non claris probationibus erat conuicta. Quod iudicium non paruum timorem popularibus intulit, qui ſe videbant ſub eo Rege viuere, cui facile erat cognoſcere vel occultiſſima.

PARS MORALIS circa textum.

NON ſolùm ſapientia datur Salomoni, ſed & occaſio ſubmittitur illam ſtatim manifeſtandi, ne Satyricus diceret:

——Vſque adeo ne
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc, ſciat alter.

Et merito Eccleſiaſt. 20. ait: *Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* Manifeſtanda ergo ſapientia Salomonis fuit quamprimum. Eccleſ. 20.

3. *Regum* 3. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem, ſteteruntque coram eo, quarum vna ait: Obſecro mi Domine, ego & mulier hæc habitabamus in domo vna, & peperi apud eam in cubiculo. Tertia autem die poſtquam ego peperi, peperit & hæc: eramus ſimul, nullúſque alius nobiſcum in domo, exceptis nobis duabus.

§. I.

§. I.

Triumphalis ſapientiæ ſpecimen maxime datur in victoria de carnali voluptate.

NOn diſtulit Deus præſtitæ ſapientiæ oſtendendæ occaſionem præbere, quin potiùs cùm Salomon lætabatur accepto dono: *Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem, ſteteruntque*, &c. Ecce tibi ſapientiæ experiundæ certamen primum per mulieres meretrices repræſentatur. Et cur prouidit Deus hoc primū certamen offerri ſapienti per meretrices? An id caſu factum eſt? Abſit; ſed vt oſtendatur, in quo maxime detur ſpecimen ſapientiæ triumphalis, datur enim in eo, quòd ſcias voluptuoſos carnis inſultus ſuperare. Cantic. 3. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum.* Dicit iam fuerant fortiſſimi hi bellatores tenentes gladios, cur inſuper additur illud, *vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum?* Ad fortiſſimorum virorum oſtenſionem nonne magis conducit gladius in manibus, quam circa femur accinctus? Gladium habere accinctum circa femur tam pertinet ad meticuloſos homunciones, quàm ad fortiſſimos Duces. Cur ergo fortiſſimos oſtendens, in illis notat, quod etiam eſt infimis commune, dicens; Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum. Poſt gladios in horum manibus oſtenſos addiderant, quod erant *ad bella doctiſſimi*, quibus non tam fortitudinem, quàm eorum ſapientiam triumphalem oſtendit, quæ inde maxime probabatur, quòd eius ſpicula nihil prius, quam femur, hoc eſt, voluptuoſos carnis inſultus debellandos reſpiceret. Ait D. Iuſtus Orgelitanus ibi: *Illi ſunt ad bella doctiſſimi, qui contra carnis ſuæ concupiſcentias nouerunt repugnare.* Hæc eſt illa ſapientia, quæ triumphat in omni certamine, & conflictu, nimirum, qui contra carnales illecebras contorquet ſpicula. Hinc hinc trutinanda eſt ſapientia profecta à Deo in homines, vt in vitæ certaminibus triumpharent, ſi prius carnales inſultus ſuperent. Aiebat de ſe Paulus 2. ad Corinth. 12. *Et ſcio huiuſmodi hominem, (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit,) quoniam raptus eſt in Paradiſum, & audiuit arcana verba*, &c. Expende ad quas ſcholas ductus eſt Paulus, vt doctrinam ſuſciperet; equidem in cœlum vſque tertium raptus eſt, ibi factus eſt auditor, qui diuinam ſapientiam omnium malorum temporalium ſuperatricem biberet. Quid tunc? Clamabat ipſe ad Roman. cap. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem*, &c. Qui ad Paradiſum raptus cœleſtem ebibit doctrinam, ad ſe rediens carnis ſentit ſtimulos. Nec miror, triumphali. Ad hæc D. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 17. *Paulus ad tertium cœlum raptus ducitur, paradiſi penetrans ſecreta conſiderat; & tamen ad ſemetiſ ſum rediens contra carnis bellum laborat, legem aliam in membris ſuis ſuſtinet.* Sequitur ſapientiam triumphalem ex Deo acceptam carnis pulsus, tunc enim illa clarè oſtenditur, ſi hæc deuincitur.

Cant. 3. — Iuſtus. — 2. Cor. 12. — Rom. 7. — Gregor.

§. II.

Non tam in blandis, quàm in duris & aſperis firmatur virtus.

MEretricum certamen Salomonem excepit in primis, iuxta illud: *Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem.* Nec miror, quòd inde augurentur aliquis Salomonis ruinam; vt enim in meretricibus oſtenduntur carnis blanditiæ, ſic qui cum blanditiis congreditur, certius currit in ruinam, quam qui cum aſperis, & duris. Exod. 3. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*, &c. Compone mulo. in Salomone apparet ſapientia in medio meretricum; in Moyſe apparet Dominus de medio ſpinoſi rubi. Vter fœlicius? De Salomone ait 3. Reg. 11. *Cum eſſet iam ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres.* De filio Dei dicit Matth. cap. 27. *Plectentes coronam ſpineam impoſuerunt capiti eius.* Iterum ad Salomonem fœminæ meretriculæ, iterum ad Ieſum ſpinæ; ſed fœminæ tandem perdiderunt Salomonem, ſpinæ Ieſum coronarunt. Fœminæ Salomonem mutarunt in peius; in ſpinis ſe Deus oſtendit immutabilem. Vt dicat Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 8. *Poſtquam Verbum legem ferre, & cum hominibus verſari deſiit, myſticè rurſus ſpinea corona coronatur, veteris deſcenſus initium inſtaurans, vt quod primum per rubum Verbum viſum fuerat, per ſpinam rurſus aſſumptam oſtenderet omnia eſſe vnius potentiæ.* Vt venit ad Moyſem in ſpino, ſic poſt plurima per ſpinam redit ad patrem, & tunc, & nunc eamdem oſtendens potentiam. Sic enim ait: *Per ſpinam rurſus aſſumptam oſtendens omnia eſſe eiuſdem potentiæ.* Conueniat huc Salomon ſi per iteratum meretricularum congreſſum oſtendat ſe eiuſdem eſſe potentiæ. Imò qui adeò ſapienter, & valenter meretricum harum ſuperauit duellum; vbi iterum ad fœminas venit, infimum, & miſerum ſub earum iugum ſe oſtendit. Sic euenire ſolet in blanditiarum congreſſibus. Non ſic vbi quis ſe in duris, & aſperis exercet, ſed prorſus in quolibet recrudeſcenti certamine ſe oſtendit potentiæ eiuſdem, vt coronam accipiat. Hinc Angelus de Ieſu dicebat Luc. 1. *& regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis.* Quippe Chriſtianum regnum non eradicabitur, ſed ſemper manebit idem. Et cur ſemper idem? Dicit etiam: Regnauit in domo Iacob, nimirum luctatoris illius, qui diu laborauit in malis ſuſtinendis quamplurimis. Ad hæc celebris eſt quæſtio apud D. Iuſtinum, an timeri poſſit, quòd vt Chriſtianiſmus vicit gentiliſmum, ſic rurſus conualeſcat gentiliſmus, & vincat Chriſtianiſmum? Quam ſic diruit Iuſtinus Mart. quæſt. 74. *Cuius cauſa ſperat gentiliſmus veteris ſuæ poteſtatis inſtaurationem. Omnino vt tormentis cogat Chriſtianos deſiſtere à cultu, & fide filij Dei, dæmonumque ſuperſtitionem ſequi. Atqui vero hæc tormenta, quibus & antea vſus eſt gentiliſmus, ſperans ſe poſſe conſeruare in integro, & gentiliſmum abolecerunt, & Chriſtianiſmum firmius ſtabiliuerunt.* Arguit ſatis probat non poſſe iam Chriſtianiſmum per tormenta extingui ab idololatria, quando Chriſtianiſmus ab initio per tormenta vicit idololatriam. Qui enim tormentis innutritus creuit, oſtendens ſe per gladios, per ignes, etiamſi hæc accedant iterum ſemper ſperari poteſt, quod ille ſit potentiæ eiuſdem.

Exod. 3. — 3. Reg. 15. — Matth. 27. — Clem Alex. — Luc. 1. — Iuſt. Mart.

§. III.

Ablatis humani cordis idolis, quàm facilè itur ad Chriſtum.

NOn prætereundum eſt, quòd fœminæ meretrices tam facilè ad Regem veniant, cùm dicat: *Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem, ſteteruntque coram eo*, &c. Et ſane meretrices fœminæ in litibus ſuis non ad alios quam ad amaſios ſuos currunt. Regum tribunalia ab his longe fugiuntur, amaſij quæruntur, qui eas vindicant de aduerſariis ſuis. Cur ergo illæ non ad amaſios, ſed magis ad Regem Salomonem feſtinant? Aiunt ipſæ: *Eramus ſimul, nulluſque alius nobiſcum in domo, exceptis nobis duabus.* Miſeræ in toto partus diſcrimine relictæ fuerant ab amaſiis ſuis, nec vllus apparuit, qui eis opem ferret, vnde natum eſt, quòd dum non vident amaſios, ad Regem currant. In quo non poſſum non meditari, qualis ſit noſtra conditio; dum enim ab oculis euaneſcunt amaſij, nec eorum opem inuenimus, facili negotio currimus ad verum Salomonem Chriſtum, cum illoque eſſe cupimus. Nota eſt hiſtoria Labani Geneſ. 31. quando ab illo cum Iacobo marito fugerunt filiæ, quarum altera, nempe Rachel, idola patris abſtulerat. Cucurrit ille poſt Iacob, cùm idola domi non vidit, & cùm peruenisset, & multa clamaret pro idolis ſublatis, ea cœpit requirere in Iacobi familia. Sed, vt ait text. *Deluſa ſolicitudo quærentis eſt.* Nullum inuenit nullum idolum vidit. Quid tunc? Dixit Laban ad Iacob: *Veni ergo, & ineamus fœdus*, &c. Cùm idola ſua non inuenit, nec ea videt, tunc Iacobo adiungitur. Proh Deus immortalis! Quam vana eſt mortalium omnium conditio. Rapimur ad idola noſtra, ea ſuſpiramus ingenti ſolicitudine; quæ ſi ab oculis euaneſcant, facili negotio currimus ad Chriſtum, illique iungimur. Ait D. Cyrill. Alexand. lib. 5. in Geneſ. apud cat. Græcam D. Lucæ cap. 3. *Idolorum ſublatio erat illuſtre facinus Eccleſiæ gentium, idola manu facta ignominia afficientis. At mundus falſos ſuos Deos non inueniens, cum Chriſto amicitiam iniit, quin & Pacis vinculum ipſi erit.* Vtinam diſpareant ab oculis noſtris adorata idola amaſij noſtri, & fallar, niſi curramus ad Chriſtum. Tenemur idolorum conſpectu, rapimur amatorum viſo, qui ſi ab oculis tollantur, facili negotio ad Ieſum ibimus. Vt Philiſthini

Cyrill. Alex.

arcam

1. Reg. 6. arcam Dei à ſe captam ad propria remitteret, 1. Regum 6. *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plauſtrum, vituloſque earum concluſerunt domi. Et poſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum, &c. Ibant autem in directum vaccæ per viam, &c. Et plauſtrum venit in agrum Ioſue Bethſamitæ, & ſtetit ibi.* Ecce tibi vbi à vaccarum oculis recluduntur vituli, & vaccæ minimè videntes vitulos ſuos plauſtro iunguntur, à nemine ductæ ipſæ currunt ad agrum Ioſue Bethſamitem, ibique ſtant. Et cur vaccæ ſpoliatæ vitulis ſingulariter currunt ad agrum Ioſue, & ibi hærent? Ait Iuſt. Mart. ibi D. Iuſtinus Mart. in colloquio cum Tryphone Iudæo: *Vaccæ nemine deducente peruenerunt non in eum locum, vnde arca rapta fuerat, ſed in prædium viri, cui nomen erat Auſes, idem quod ille, qui poſtea Ieſus cognominatus eſt, & in id prædium delata hæſerunt, manifeſta coniectura, quòd huc deducta ſunt, vi huius nominis.* Dum chariſſimos ſibi vitulos non vident vaccæ, ad agrum currunt illius hominis, qui idem nomen habet cum Ieſu, vt oſtenderentur ferri tanti nominis virtute. Nunquam enim non præualet Ieſus in cordibus illis, quæ vacuata ſunt amaſiis, & deliciis.

3. *Reg.* 3. Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte, dormiens quippe oppreſſit eum. Et conſurgens intempeſtæ noctis ſilentio tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in ſinu ſuo: ſuum autem filium, qui erat mortuus, poſuit in ſinu meo. Cúmque ſurrexiſſem manè, vt darem lac filio meo; apparuit mortuus, quem diligentiùs intuens clara luce, deprehendi non eſſe meum, *&c.*

§. IV.

Veræ matris affectus nec à filio ſeparatur defuncto.

Vide facinus mulieris meretricis, de qua dicit: *Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte; dormiens quippe oppreſſit eum. Et conſurgens intempeſtæ noctis ſilentio tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in ſinu ſuo: ſuum autem filium, qui erat mortuus, poſuit in ſinu meo.* Ecce tibi mulier, quæ vt vidit filium ſuum mortuum, nihil moratur, ſed quamprimum curat, illum à ſe abdicare, & attribuere. Meritò de hac muliere nihil boni expoſitores præſumunt, ſed in illa & ſpiritum nequam, & hæreſim figurant, quæ veræ matris minimè habent viſcera. Quæ enim vera mater eſt, ſic ad filium afficitur, vt ſeparari nequeat vel ab illo defuncto.
Ioan. 19. Ioan. 19. *Stabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius,* &c. Equidem Maria videbat filium rapi ad mortem, videbat crucifixum, videbat & in cruce mortuum; quid tunc? An reliquit illum? An ceſſit violentorum iniuriis? Abſit, ſed nec crucifixum, nec mortuum dereliquit. Ait enim textus: *Stabat iuxta crucem Ieſu mater*; expende illud, quòd ſtans iuxta crucem dicatur mater Ieſu. In Cana verò nuptiis Ioann. 2. ait illi Ieſus:
Ioan. 2. *Quid mihi, & tibi mulier?* Et cur in Cana vocatur à Ieſu mulier; in caluario autem dicitur mater Ieſu? Quod filios proſequantur ad nuptias commune eſt etiam mulierculis quibuſcumque; quòd autem filium vſque ad extremum ſpiritum, & in ipſo mortis puluere ſequaris, nec illum dimittas in eo maximè oſtēduntur materna viſcera
Guerr. Ait Guerricus Abb. ſer. 4 de Aſſumpt. *Planè mater, quæ nec in terrore mortis filium deſerebat. Meritò igitur iuxta crucem mater agnita eſt, vbi maximè probata eſt, matris ad filium ſincera charitas. Nam aliàs velut diſſimulaſſe matrem viſus eſt, ſiue cùm in nuptiis flagitanti miraculum ait: Quid mihi, & tibi, eſt mulier,* &c. Non potuit non agnoſci, & prædicari mater Ieſu, quando ſic filio hærebat, vt nec crucifixum, nec mortuum dèſereret. Huc adducam clariſſimum etiam Reſphæ facinus, cuius duo filij à Gabaonitis crucifixi ſunt, à quibus etiam mortuis ipſa ſeparari non valuit. Imò ait text.
2. Reg. 21. 2. Regum 21. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem. Et nunciata ſunt Dauid, quæ fecerat Reſpha.* Putant Lyra, & Charthuſ. non ſolam Reſpham manſiſſe iuxta cadauera Carthuſ.
filiorum, ſed cum illa plures alios fuiſſe, qui comitarentur fœminam nobilem, & illi obſequium præſtarent in cuſtodiendis illis. Et cur cùm non ſola manſerit, ſola illa à textu recenſetur? Cæteri alij manſerant, vt famuli alicuius ſpe mercedis, vna Reſpha manebat debitum ſoluens charitati maternæ, quæ nec filios mortuos deſerit. Quò ſpectans Carthuſ. dicebat: *Nuntiata ſunt Dauid, quæ fecerat Reſpha filia Aia concubina Saul; videlicet tanta eius fidelitas, & dilectio etiam circa defunctos.* Non equidem in verè matribus extinguitur dilectio materna mortibus filiorum, quinimò & eis adhærent defunctis. Luc. 7. dicit: *Ecce defunctus effe-* Luc. 7.
rebatur filius vnicus matris ſuæ. Et hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidiſſet Dominus, &c. Iam filius mortuus efferebatur extra ciuitatē ſepeliendus, & mater adhuc adhærebat defuncto. O matris affectum in filios pertinaciſſimum! Pulchrè Euſeb. Emiſſ. homil. in hoc Euang. nos deducit in cognitionē charitatis matris Eccle- Emiſſ.
ſiæ erga filios ſuos; *Toties defunctus effertur, quoties aliquis in peccato mortuus ab ea ſeparatur, quem tamen pia mater lachrymis proſequitur, quia nec fugientis filij Eccleſia obliuiſcitur.* Expende illud: *Pia mater*; quippe maternæ pietatis eſt amore proſequi filium etiam defunctum.

§. V.

Perditionis ſpiritus eſt, quod deſpectis propriis totus feraris ad extraneos.

Ecce perditæ meretricis ingenium: *Tulit filium meum de latere meo, ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in ſinu ſuo; ſuum autem filium, qui erat mortuus, poſuit in ſinu meo.* Deſpiciens corpuſculum emortui filij, ſociæ viuum filium ſibi furata eſt, illumque ſinu ſuo fouit. Nec quæ ſuum deſpicit, alienum fouit, vt ſeruet, ſed vt magis perdat; nihil enim non perdendum apparet in eo, qui de deſpectis propriis totus fertur ad alienos. De hac enim meritò dicebat Rabanus apud gloſſ. *Suos nequiter nutriendo perimit,* Raban.
& alienos quouſque perdat alliciendo perſuadet. Ecce tibi nihil non venit à perditionis ſpiritu, quando tuos deſpicis, & curris ad alienos. Quò ſpectans Hier. c. 17. dicebat: *Perdix* Hierem. 17.
fouit, quæ non peperit. Septuag. legunt: *Clamauit perdix: congregauit, quæ non peperit.* Nec immeritò auicula, quæ tota poſita eſt in alienis nutriendis, vocatur perdix, quæ vox à perdendo venit; & in ea totum perditionis ſpiritus cenſetur ingenium. Pulchrè ad hæc D. Ambroſius epiſtol. 48. Ambroſ.
ait: *Clamauit ergo perdix, qui à perdendo nomen accepit, Sathanas ille, qui Latinè contrarius dicitur, clamauit in omni vano, & perfido. His vocibus congregauit ſibi populos, quos non creauerat.* Qui à perdendo nomen habet, & de facto eò tendit, vt omnes perdat, totus eſt in congregandis; & fruendis alienis. Aliter, qui ſeruator eſt, is enim in propria venit, & nihil prius ſatagit, quàm ſuis medelam offerre. Paul. ad Ga- Galat. 4.
lat. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Et cur filius miſſus eſt? Vt in filio omnia facta ſunt, & ipſe homo factus eſt, neceſſum erat, vt ipſe veniret ad reparandum hominem, qui fecerat. Reparator enim maximè circa propria cenſetur. Ait D. Au- Auguſt.
guſt. homil. 17. de tempor. *adeo Deus noſter filium miſit ad hominem liberandum, vt qui dixerat: Faciamus hominem, ipſe etiam reparator eſſet, qui fuerat & creator.* Vix reparator inueniretur, niſi in ſuis eſſet. Quomodo enim reparator, & non perditor, qui deſpectis ſuis totus eſt in alienis? Hinc duos Iudæorum Reges, Herodem, & Agrippam componit Ioſephus lib. 19. Antiq. cap. 7. fatus: *Erat Agrippa Rex adeò na-* Ioſeph.
tus ad liberalitatem, ac beneficiis demerendos homines, vt magnis ſumptibus pararet ſibi celebritatem nominis; longè alius, quàm Herodes. Ille enim malitioſus erat, ac procliuis ad ſæuitiam, manifeſtè præferens erga Græcos maiorem, quàm erga Iudæos beneuolentiam; vt qui externas vrbes ornaret pecuniarum largitionibus, aliàs balnea, & theatra, aliàs templa, & porticus extruens: Iudæorum autem nullum oppidum ornatu aliquo dignatus eſt, nec vlla liberalitate proſecutus eſt, Agrippa contra mitiſſimo fuit ingenio, in exteros omnes ex æquo fuit beneficus, in ſuæ gentis homines benignus & promptus ad iuuandos præ cæteris. Vter præſtantior? Fallar, ſi Agrippæ vel vnus calculus deſit. Is enim, qui ſuis

fouendis

fouendis inſtat, propiùs ſeruatori accedit; vt à parte perditionis ſpiritus eſt, qui tocus ad alienos fertur.

§. VI.

A Chriſti luce venit, quòd mortalia hæc vt aliena abiiciamus.

QVem in ſinu ſuo mortuum inuenit; ad lucem bona fœmina inſpicit. Dicit enim textus: *Cumque ſurrexiſſem mane, vt darem lac filio meo, apparuit mortuus, quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non eſſe filium meum*, &c. Quem in tenebris mortuum ſenſit, dum clara luce inſpicit, inuenit non eſſe ſuum. Vtinam ſic & nos mortalia hæc bona ſub luce Chriſti inſpiceremus, & abſque dubio nihil partis noſtræ in illis inueniremus, ſed prorſus vt aliena illa reſpueremus. *Luc. 9.* Luc 9. adoleſcens quidam dicebat ad Ieſum: *Permitte mihi primum ire; & ſepelire patrem meum.* Putabat bonus mortuum eſſe patrem ſuum. Cui ſtatim Ieſus: *Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuncia regnum Dei.* Ille adhuc vocabat mortuum patrem meum, Ieſus autem non dicit, ſepeli tuoc patrem tuum, ſed ſepeliant mortuos ſuos, oſtendens nihil illi, & mortuo, ſed mortua omnia aliena ab eo, quem Ieſus illuminat. Vt *Geometra.* dicat Geometra in cat. Græc. D. Luc. *Denique relinquit mortuum, & nequaquam amplius illum tangit, vbi Chriſtum audiuit.* Vbi Chriſtus affulſit, nil amplius in mortuo putauit ſuum ſed illum, vt prorſus alienum dereliquit Ioann. 1. dicebat *Ioan. 1.* Baptiſta de Ieſu: *Vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto*, &c. Ecce tibi vbi Ieſus manifeſtatur Ioanni; manifeſtatur ſub Spiritu ſancto in ſpecie columbæ. Et cur *Auguſt.* in ſpecie columbæ? Ait D. Auguſt. tract. 6. in Ioan. *Corui de morte paſcuntur. Hoc columba non habet, de frugibus terræ viuit innocens eius victus eſt, quod verè mirandum eſt in columba. Sunt paſſeres breuiſſimi, qui vel muſcas occidunt, nil horum columba, non enim de morte paſcitur.* Nec ſolùm non paſcitur columba de morte, ſed etiam quaſi à ſe longè aliena refugit morticina. *Geneſ. 8.* De illa dicitur Geneſ. 8. quòd poſt diluuium miſſa a Noe, *Cum non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum*, &c. Et priùs fuerat miſſus coruus, & non redijt, inuenit enim vbi requieſceret. Quãdo ergo inuenit coruus, *Auguſt.* cur non inuenit columba? Ait D. Auguſt. ibi: *Cadaueri potuit coruus inſidere, quod columba naturaliter refugit.* Coruus in cadauere habet cibum ſuum; columba vt nihil ſuum in mortuo videt, ſic quaſi ab alieno fugit. Ieſus ergo ſe Ioanni oſtenſurus, non ſe aliter oſtendit, quàm ſub Spiritu ſancto deſcendẽte in ſpecie columbæ, vt diſcamus venire de ſpiritu Chriſti, quod nihil noſtrum inueniamus in mortalibus iis bonis, ſed tanquam aliena deſpiciamus, *Matth. 6.* & refugiamus illa. Matth. 6. dicebat Ieſus: *Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, &c. Hoc primo noſtrum iubemur petere, nimirum panem noſtrum petimus docti a Chriſto. An hunc corruptibilem, & emortuum panem? Cùm audio noſtrum, non adducor, vt credam peti panem hunc mortalem, ſed panem viuum, qui alit nos in æternam vitam. De ſpiritu enim Chriſti venit, quod in emortuis rebus nihil noſtrum inuenire *Tertull.* poſſimus. Quò ſpectans Tertul. lib. de orat. ait: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, ſpiritualiter potiùs intelligamus, Chriſtus enim panis noſter eſt, quia vita Chriſtus.* Expende rationem hanc: *Quia vita Chriſtus*; ideo enim non alius, ſed Chriſtus intelligendus eſt panis noſter, quia ipſe vita eſt. Vbi autem vita non eſt, ſed mors, ſed corruptio, ibi nil noſtrum intelligamus, ſed omnia ea tanquam aliena fugiamus.

3. *Regum* 3. Tunc Rex ait: Hæc dicit: Filius meus viuit, & filius tuus mortuus eſt: & iſta reſpondit, Non, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit. Dixit ergo Rex: Afferte mihi gladium, cumque attuliſſent gladium coram Rege: Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri.

§. VII.

Diuina ſapientia ex nullo alio, quàm ex virtute commendanda.

SI iudicij Salomonis corticem ſpectes, & puerile, & fatuum apparet. Dicit enim: *Diuidite infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni*, &c. Quid magis fatuum, & ſtultum? Cur ergo Salomon, qui tot precibus ſapientiam procurarat, non magis cauet adeò puerile, & ſtultum iudicium prætendere? Quod ſtultum videbatur, & ridiculum ſapientibus mundialibus, magnam habebat virtutem, vt veræ matris viſcera indagaret. Vt autem Salomon diuina pollebat ſapientia, non cauit vel per ſtultitiæ ſpecimen indagare veritatem, ſapientia namque diuina ex ſola virtute, & efficacia ſuam commendationem habet. Huc ſpectans Paul. 1. ad Corinth. 1. aiebat: *1. Cor. 1.* *Non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti. Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalui fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus.* Licèt enim verbum crucis ſtultum hominibus ſæcularibus videatur, tamen quia Dei virtus erat, & penetrabilius omni gladio ancipiti ad conuertendas animas, in illo magis amat diuina ſapientia monſtrari. Quæ refugit de alio, quam de virtute, oſtendi. Et ab illa numquam non damnatur, qui oris pompa, & oratorio apparatu nixus, minori æſtimat virtutem perſuadendi, & efficaciam. Accipe damnatum illum vatem Balaam, qui myſteria diuina tractaturus Numer. 23. ait: *Num. 23.* *Sta Balac, & auſculta. Audi fili Sephor. Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? Locutus eſt, & non implebit?* Quid inanius? Quot verba, tot tropi; & in iis nil magis elucet, quàm varietas phraſium, & venuſtas dictionum. Nec miror, non enim in iſto diuina ſapientia operabatur, vt in Salomone, ſed malefica, & adultera, quæ nihili fructus æſtimat, ſed flores. Circa quæ ait Rupert. lib. 12. in Num. cap. 19. *Bene Rupert.* *ergo illo locutionis genere formam illorum exprimit Balaam, qui verbum Dei adulterant, qui dum benedictiones cantant, de virtute verborum non curant, magiſque vocula ſua tripudium, quàm diuinorum maieſtatem attendunt ſenſuum.* Siccine ſunt adulteri, & reprobi ſapientes, qui non curãt de virtute, & efficacia, ſed de verborum floribus. Quos pungens Dominus dicebat Luc. 10. *Neminem per viam ſalutaueritis.* Et mirabar, quòd *Luc. 10.* ſic à Deo vetarentur ſalutationes obſequioſæ. Nonne hoc ad comitatem & humanitatem pertinet, quòd proximum ſalutes? Cur ergo Ieſus meus ſapientia patris ſalutationes prohibet? Equidem inde carpebat ſapientes illos, quorum in verbis nihil aliud ſpectatur, quam in ſalutationibus. In ſalutationibus autem ſola obſequia præſtanda ſpectantur, nil autem in effectu tribuitur boni. Sic multi ſapiẽter euandi ita ſuos ſermones componunt, vt nihil virtutis, nihil effectus habere poſſint, ſed ſint quaſi obſequioſæ ſalutationes per viam. Ait ſuprà Rupert. *Reuera, quaſi per viam ſalutat,* *Rupert.* *qui verbum Dei quod ore decantant, auditoribus proficere non deſiderant.* Debet autem qui diuinè ſapit, non aliunde, quam ex virtute, & profectu ſapientiam oſtentare ſuam. Quod deſiderabat D. Cyril. Alexand. in æmulo ſuo, de quo ait lib. ad Eutoptium in initio: *Oportebat ſane & ipſum, vtpote in ſacris exercitatum Scripturis, ſiquidem mens erat de diuinis, nobiſcum miſcere ſermones, ac ſolis ſacris litteris, nobiſcum commentari, neque veteres nobis ſabulas cum ſalibus in medium afferre. Meos enim ſermones pomo Tuliis confert, fortaſſis, vt oſtentet, quantum ſibi ſapientiæ peculium compararit. Nam & eloquentiſſimum ſe declarat, & multifariam eruditum, vtpote qui pomum Ennios non ignoret, atque adeò neque Priami Paridem.* *Cyril. Alex.* Sic Sanctus pungit eum, qui diuinos tractatus non de virtute æſtimabat, ſed de prophanis ſalibus. Numquam enim non ſapientia diuina æſtimanda eſt ex profectu, & virtute. Quò ſpectans Iacob Geneſ. 49. de Iuda dicit: *Pulchriores* *Geneſ. 49.* *ſunt oculi eius vino.* Ex Græco: *Gratiſici oculi eius à vino.* Circa quæ Ruffinus lib. 1. ait: *Gratiſici oculi eius à vino; quia nihil* *Ruffin.* *eſt aquaticum in verba ſapientiæ, nihil fluxum, nihil frigidum,*

ſed

ſed vinum, quod lætificat cor hominis, & quod infunditur vulneribus illius, qui incidit in latrones. Sic non de luxuriante ſtilo, ſed de profectu extollitur verbum ſapientiæ diuinæ.

§. VIII.

Diuinus Spiritus eſt abſtruſa quæque manifeſtare.

VT fœminarum animos manifeſtet Salomon, afferri mandat gladium, dum ait: *Afferte mihi gladium*, &c. Et qui gladius adeò abſtruſam rem poſſet in lucem efferre? Ambroſ. Ait D. Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 8. *Nobile Salomon iudicium, fraudem in ipſis cogitationibus occultis, & pietatem in maternis viſceribus deprehendit, vtique per Spiritus ſancti munus. Neque enim latentem conſcientiam fœminarum alia aliqua niſi Spiritus ſancti machæra penetraſſet.* Diuini Spiritus munus fuit, quòd fœminarum illarum conſcientiæ reuelarentur, de quibus nullum indicium patebat, nec teſtis. Ananias & Sapphira occultiſſimè fraudauerant partem pretij agri à ſe venditi, cúmque reliquum ad pedes Apoſtolorum afferrent, Actor. 5. ait Petrus Actor. 5. *Anania, cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri?* Sic res occultiſſimè acta in lucem venit; & Cyril. Hier. quis ſic potuit reuelare tantum ſecretum? Ait Cyril. Hieroſ. catech. 16. *Non adfuerat Petrus Ananiæ, & Sapphiræ, cùm ſua bona vendebant, ſed per ſpiritum aderat. Nullus erat accuſator, nullus teſtis; vnde igitur hoc euenit, vt noſſet? Qui erat abſque literis per gratiam Spiritus illa didicit, quæ nec Græcorum quidem ſapientes nouerant.* Vbi Spiritus adeſt diuinus, non mirer, ſi in lucem veniāt abſtruſiſſima quæque. Clamauit ad Deum Suſanna cùm damnaretur à falſis iudicibus, nec erat vnde Daniel. 13. probaretur accuſationis falſitas. Quid tunc? Ait Dan. c. 13. *Excitauit Dominus Spiritum ſanctum pueri adoleſcentis*, &c. & Ambroſ. ſtatim patefacta ſunt omnia. Vt dicat D. Ambroſ. ſuprà: *Vbi Dominum inuocauit, ſpiritum meruit, qui latentem presbyterorum conſcientiam reuelauit.* Vſque tunc latuit falſorum iudicum conſcientia; ſed vbi Spiritus diuinus acceſſit, non potuit ampliùs latere. Spiritus enim diuinus eam in lucem retulit.

§. IX.

Filij Ieſu doloribus non potuerunt non correſpondere viſcera Mariæ.

VT veræ matris viſcera prodantur, ſapienter Salomon iubet gladio percuti infantem, aiens: *Cumque attuliſſent gladium coram Rege: Diuidite, inquit, infantem*, &c. Et quæ veræ matris viſcera non pateant in tanta filij calamitate? Pulchrè circa hæc dicebat Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Ibid. ſancto cap. 7. *Naturam in affectibus quæſiuit, quæ latebat in vocibus, & pietatem interrogauit, vt proderet veritatem.* Per ſimulatū pueri vulnus pia matris viſcera interrogabat, quæ non poterant non reſpondere dolori tanto. Ex quo non poſſum non meminiſſe maternam pietatem Mariæ Deiparæ in doloribus filij ſui. Non enim ibi vnus gladius, ſed multi cuſpides diuiniſſimi iuuenis corpus configebant; non vulnus vnum ſimulatum ſperabatur, ſed lethaliſſima vulnera illata iam conſpiciebantur. Qoid interea Maria, diſſimulabat ne matrem, ne cum filio raperetur? Abſit; quæ enim veræ matris viſcera in tantis filij doloribus poſſent occultari? imò crediderim, quòd nullibi maniMatth. 26. feſtiùs mater apparuit. Matth. 26. poſt Ieſum crucifixum ait: *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.* Ecce tibi vt Matthæus, cùm multus ſit in declarandis fœminis quæ ſecutæ Ieſum, etiam in eius crucifixione aderant; de Maria matre Ieſu nec verbum facit. Vt oſtendit ibi eſſe & Ioſeph matrem, & filiorum Zebedæi matrem, cur non addidit, & Ieſu matrem, quando & illa ibi erat? Cæteræ vt à longè ſtabant, & non erant Ieſu matres, poterant in illa calamitate diſſimulari, & ignorari, niſi eas Euangeliſta notaſſet. At Maria vt vera mater Ieſu in tantis filij doloribus non egebat externo iudice, vt proderetur, ipſa ſeſe manifeſtabat, & clariſſimam oſtendebat matrem. Ait Euthym. ibi. *Tunc Dei mater propinquius cruci aſſiſtit, quàm cæteræ mulieres; idque viſcerum inflammatione Iudæorum vincente timorem; fortaſſis verò etiam circumit, cùm propter naturæ aculeos in eodem loco manere non poſſet. Et quomodo ipſius non meminerunt Euangeliſtæ? Quia de ea notum erat, quod adfuerat, & quæ matrum ſunt demonſtrauerit. Ideoque nec planctum eius deſcripſerunt.* Euthym. Vt mater non poterat in morte filij non oſtendi; ſic non curarunt Euangeliſtæ eius effectus demonſtrare, qui clariſſimi, & manifeſtiſſimi erant omnibus circumſtantibus. Nec miror, nam ſi diuiſio filij ſimulata à Salomone, ſimul & diuiſit, & confodit viſcera veræ matris cur Mariæ viſcera non ſcinderentur in tanta filij ſui ſtrage? Meritò illi dicebat Simeon Luc. cap. 3. *Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit.* Luc. 3. Quidquid enim faciebant ferrea ſpicula in filij corpore, neceſſum erat, vt id facerent in matris anima. Vt dicat Origen. ibi in caten. Græca: Orig. *Quid mater non paſſa ſit videns ſuum filium maleficorum ſupplicium ſuſtinentem? Hæc vtique paſſio Verbi immaculatiſſimæ matris quouis gladio acutior, acerbiorque accidit. Quocirca paſſionem horribilem cernens, maternis oculis propoſitam, quaſi plaga gladij eius anima concidebatur, ac diuidebatur.* Quò factum eſt, vt dolorum Chriſti maiorem ferè ſenſum ex matre eius capiamus. Quòd notauerim in illo verbo, *pertranſibit*, non enim dicitur dolor hæſurus in Maria, ſed per illam pertranſiturus. De quo ait D. Bernard ſerm. 19. in Cantic. *Pertranſiret eam vt veniret vſque ad nos, & de plenitudine eius omnes acciperemus.* Bernard. Vt dolorum Chriſti plenitudinem acciperemus nos, quaſi neceſſarium putat Bernardus, quòd illi per Mariam pertranſirent, & ad nos venirent. Quemadmodum enim ſolares radij ſpeculum ferientes, vnde maiori vi ad nos reflectunt. Sic Chriſti dolores Mariæ animam tranſuerberantes, inde maiori vi ad nos veniunt, maioremque in nobis ſenſum excitant.

3. *Regum* 3. Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus ad Regem, (commota ſunt quippe viſcera eius ſuper filio ſuo:) Obſecro Domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum: E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi ſit, ſed diuidatur. Reſpondit Rex, & ait: Date huic infantem viuum, & non occidatur; hæc eſt enim mater eius. Audiuit itaque omnis Iſraël iudicium, *&c.*

§. X.

Paſſio Chriſti in Maria omnes alios dolores proprios ſedauit.

QVæ ablatum ſibi filium vehementer dolebat, ſuamque minimè ſuſtinebat orbitatem, iam modò manere orbam procurabat. Clamat enim ad Regem; *Obſecro Domine, date illi infantem viuum.* Et cur modo ſic deſpicis carere filio? Cur tuam amas orbitatem? Viderat gladium ſtrictum, quo filius erat feriendus; & talis gladius iam iā penè filij ſanguine madidus non potuit non in matre, & orbitatis & ærumnarū aliarū ſenſum curare. Mirabar ſæpe Simeonis illud dictum ad Mariam Deiparam de paſſione filij, nimirum: *Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit.* Luc. 2. Abſtinuit à verbis ſanguinolentis, & trucibus, vt ſi diceret: doloris gladius tuam animam transfodiet, tranſuerberabit, & maluit vti ſuauiori vocabulo, dicens, *pertranſibit.* Et cum ſuauiori iſto vocabulo maluit vti; Quia dolor, qui veniebat à tanta filij calamitate, ſic afficiebat matrem, vt non totum in illam rigorem mitteret, ſed ſimul omnes alias eius ærumnas ſuauiaret. Rem explico exemplo adducto ex Egeſippo lib. 5. cap. 22. vbi à Tyranno Egeſipp. damnatus capite Matthias quidam vir nobilis vna cum filiis, poſt viſos filios occiſos, ait ipſe ad carnificem. *Feſtina carnifex, dum cruentum ſanguine filiorum gladium geris, percutere patrem, vt vulnus refrigeret: Hoc ſolum morituro medicamentum eſt, hoc ſolum non ſentitur illius mucronis, dolor vulneris.* Quid pulchrius? Ecce tibi gladius perfuſus ſanguine filiorum

filiorum creditur futurus patri in ipſa percuſſione leuamen. Nec miror, tantus enim dolor à filiorũ calamitate in paterna viſcera venit, vt omnes alios parentum proprios dolores aut extinguat, aut leuet. Hinc Satanas accepta
Iob 1. poteſtate nocendi Iobo, priùs armenta eius percuſſit, poſtremò filios. Dicit namque cap. 1. *Nuntius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & euaſi ego ſolus, vt nuntiarem tibi. Cùmque adhuc ille loqueretur venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues pueroſque conſumpſit*, &c. *Sed & adhuc illo loquente venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas; & inuaſerunt camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percuſſerunt gladio*, &c. *Ecce alius intrauit, & dixit; Filiis tuis*, &c. Sic priùs eripiuntur Iobo boues, & oues, & cameli, & percutiuntur famuli, & ipſe depauperatur, & poſtremò interficiuntur filij. Et cur malus non prius filios perdit? Cur voluit eos in poſterum eſſe ſeruati? Cauebat crudeliſſimus ſpiritus, ne in perditione rerum eſſet leuamen patri à morte filiorum. Cùm enim tantus dolor ſit, qui venit à filiorum clade in parentes, vt extinguat, vel minuat omnes dolores alios. Non cladem filiorum immiſit priùs, ſed ſubſtantiæ cladem, quæ magis morderet iuſti animam.

§. XI.

Nunquam de paternis viſceribus perditio filij venire ſolet.

ET ſtulta, & cruenta erat illa vox mulieris clamantis: *Nec mihi, nec tibi ſit, ſed diuidatur.* Quam vocem ſapienter
Bernard. ponderans D. Bernard. epiſt. 258. ait: *Vnam ſcio non patris, non matris illa vox erit: Non mihi, nec tibi ſit, ſed diuidatur.* Tam ſtulta crudelitas in filium non poteſt venire à paternis viſceribus, quæ nunquam non amãt bona filiis ſuis. Quis enim à patre dilacerari, & diſſecari ſpectet? Erant Iudæi, & Stephanus coram Pontifice ſummo; cuius in præſentia multa diſſeruit Stephanus de lege, de populi
Actor. 7. duritie. Quid tunc? Actor. 7. *Audientes autem hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei*, nimirum patris. Compone modò Iudæos, & Stephanum; illi diſſecabantur cordibus; hic integer erat & plenus Spiritu ſancto. Et quando illi diſſecantur cordibus in Stephanum, cur Stephanus nec rumpitur, nec ſcinditur à more vindictæ, ſed plenus, & integer, oſtenditur ſub diuino ſpiritu? Ait textus de illo: *Vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei*; vt dexteram patris videbat, iuxta quam Ieſus ſtabat, ſic de patre non potuit haurire, quo diſſecaretur, & periret. Diſſecabantur, qui patrem non videbant, ſed longiſſimè ab illo abibant, at qui præ oculis patrem habebat, integer, & tutus, & plenus erat diuino Spiritu.
Auguſt. Quò ſpectans D. Auguſtinus homil. 6. de S. Stephan. ait: *Et nunc tantummodo, beate martyr Stephane, terram deſpice, cælum conſpice, & Pontificem ſperne, patrem attende. Deſpice Iudæum, & Sacerdotem, & populum, conſpice in cælo Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Impleto eſt in Iudæo maledicto maledictio illa Dauidica. Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo*, &c. Iudæi diſſecati cordibus perduntur à Deo, quia noluerunt peculium eſſe patris cæleſtis; è contra Stephanus, quia patrem attendit, patrem eſt in cœlis contemplatus, inde hauſit, quo rideret humanas Iudæorum rabies. Vtinam & nos cœleſtem patrem attenderemus, & nullas in bonis noſtris ſciſſuras experiremur. De prodigo illo filio dictum eſt Luc. 15.
Luc. 15. *Adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam*, &c. Sic miſeri filij diſſipatur, dilaceratur, perditur ſubſtantia. Et vnde potuit misero obuenire talis ſubſtantiæ diſſipatio, dilaceratio: Ait textus: *Profectus eſt in regionem longinquam*, ſeſe à patre longè fecit, mirum in modum ſe à patris oculis elongauit, quo tantam expertus eſt diſſipationem, & dilacerationem
Aſterius. ſubſtantiæ. Ait D. Aſterius in caten. Græca D. Lucæ: *Noxium fuit iuniori à patre diſcedere. Dilapidationem enim prodigam, & luxuriam, & colloquia mores corrumpentia, parentis oculis pellit, atque eiicit.* Non poterat pater à filio non longè facere quidquid ad perditionem, & corruptionem ſpectaret. Dum filius eſſet cum patre, illumque attenderet, nihil inde hauriret non ſibi ſalutare. Vt pater abfuit, & ille quaſi ſine patre factus eſt, quis dicat, quantam inde diſſipationem, & perditionem traxit.

§. XII.

Quid non ſibi acquirat compaſſio in proximum.

NOn quæ infantis diuiſionem elegerat, ſed quæ compatiebatur, & tenereſcebat, accepit à Salomone infantem. Quam ſpectans ille dicebat: *Date huic infantem viuum*, &c. In compaſſione enim & teneritudine agnita fuit mater, & acquiſiuit filium. Quid enim non trahat ſibi, & acquirat teneritudo, & compaſſio? Suſcitaturus Ieſus Lazarum venit ad eius ſorores, & ait Ioann. 11. *Ieſus* Ioan. 11.
ergo, vt vidit Mariam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum, & dixit: Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. Et lachrymatus eſt Ieſus. Cùm ad ſepulchrum Lazari ſuſcitandi ducitur, tunc lachrymatur. Et cur non antea, ſed cùm ducitur ad ſepulchrum lachrymatur? Cùm ad ſepulchrum ſuſcitandi iret, volebat Ieſus ne remaneret domi Iudæorum turba, ſed magis ſequeretur euntem, vt videret ſignum Lazari reſurgentis, & inde vtilitatem perciperet. Quam turbam vt ſecum traheret, compaſſionem oſtendit, & lachrymarum teneritudinẽ. Quem enim compaſſio non ſibi trahat, & acquirat? Ait D. Chryſoſtom. hom. 62. Chryſoſt.
in Ioan. *Cum ſignum magnum eſſet facturus, ex quo multa erat prouentura vtilitas; ne turba abſente nihil lucraretur, doloris affectu multos teſtes allicit, ne prædam amitteret.* Expende illa: *Doloris affectu multos teſtes allicit*; eſt enim doloroſæ compaſſionis affectus efficaciſſimus ad trahendum illex. Iam Iſraeliticus populus amabat Dauidem, ſed nondũ ſub ſceptro eius pacificè erat, cùm Abner maximus Iſraelitarum dux inſidiosè interfectus fuerat a Ioab. Quid tunc Dauid?
Ait 2. Reg. 3. *Cumque ſepeliſſent Abner in Hebron, leuauit Rex* 2. Reg. 3.
Dauid vocem ſuam, & fleuit ſuper tumulum Abner, &c. Non potuit bonus Rex, non tenereſcere, & flere in tanti ducis funere. Nec inanis fuit Regis fletus, imò illo ſibi maximè traxit, & deuinxit populum Iſraelis. Vt dicat Theodor. Theodor.
ibi quæſt. 13. *Atqui Rex quidem dolore motus luxit, & eſt lamentatus, lamentatione autem auxit populi beneuolentiam.* Nec miror, dolor enim ille, & compaſſio manifeſtè oſtendebat in Rege erga ſubditos viſcera paterna. Et quid non conſequatur compaſſio hæc? Ait D. Nazianz. orat. 16. Nazianz.
Dicet animæ tuæ Deus: Salus tua ego ſum, & fides tua ſaluum te fecit, & ecce ſanus factus es, nec non omnia humanitatis verba ſi ſolum te dolentibus viderit humanum. Sic ibi.

§. XIII.

Mariæ Virginis lachrymæ meruerunt filium tenere rediuiuum.

IN muliere clamante: *Non mihi, nec tibi ſit, ſed diuidatur*, Synagogam ſuſpicor clamantem aduerſus Ieſum: *Crucifige, crucifige.* At cùm video Mariam lachrymis proſequentem Ieſum vſque ad ſepulchrum, iam in illa noto veræ matris viſcera, quæ filium rediuiuum tertia die acquirant. Dicit enim Salomon: *Date huic infantem viuum, & non occidatur; hæc eſt enim mater eius.* Vt enim dolore, & lachrymis in morte Ieſu ſe eius matrem veram præ cæteris oſtendit Maria, ſic crediderim illi datum Ieſum rediuiuum a ſepulchro. Nota eſt illa vidua Naim, quæ lachrymis, & luctu proſequebatur defunctum filium, hunc Ieſus meus reuocat in vitam Luc. 7. & iam rediuiuum, *dedit* Luc. 7.
illum matri ſuæ, nimirum matri exſuſcitauit iuuenis. Suſcitauit etiam amicum Lazarum Ioan. 11. & non dicitur dediſſe illum ſororibus. Et rurſus ſuſcitauit puellam filiam principis Synagogæ, Luc. cap. 8. nec ibi dictum eſt, quòd dederit illam parentibus ſuis. Cur ergo hic iuuenis Naim notanter dicitur datus à Ieſu matri eius? Crediderim matrem illam viduam potiori fuiſſe in luctu pro filio; & ideo illi potiori etiam iure & ſuſcitatus, & redditus fuit filius. Vt dicat D. Baſil. Sel. orat. 10. *Viduæ lachrymæ vnigenitum* Baſil. Sel.
Dei filium hoſte traxerunt ad reſtituendam vnigenito vitam. Non

ſic

Digitized by Google

ſic alij doluerunt pro defunctis ſuis, vt hæc vidua doluit, & lachrymata eſt pro filio. Et ideo hæc præ alijs meruit filium rediuiuum accipere. Non aliter meditor in Maria Deipara, quæ vt alios vicit in compaſſione pro filio; ſic eius dolor, & lachrymæ meruerunt de congruo ſaltem, vt redderetur illi rediuiuus filius. Planè Tobiæ cap. 10. Tobias iunior vt obtineret ſuum ad parentes reditum ex ſocero, dicebat: *Ego noui, quia pater meus, & mater mea, modò dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum in ipſis.* Sic bonus parentum dolores ſpectabat, vt feſtinaret reditum ſuum ad illos. Sic & bonus filius Mariæ Ieſu dum ageret in ſepulchro, ſpectabat matris ſuæ gemitus, & dolores, quibus deberi cenſebat præproperum ſuum regreſſum ab inferis, vt illi ſiſteretur viuus. Quò ſpectans Rupert lib. 7 de diuinis offic. cap 25. ait: *Perpendere geſtit chriſtiana deuotio, quantus torrens gaudij repentè inundans, locumque vulneris replens animam Mariæ ferro doloris confoſſam inebriauit, cùm rediuiuus filius, illi ante omnes fortaſſe mortis et materno virginem non defraudans honore victoriam ſuam innotuiſſet.* Equidem & ſolicitudo Mariæ, & compaſſio, & animæ vulnera in morte filij merebantur repleri reſurgentis gaudijs, & quod filius viuus ante omnes alios ſiſteretur, & redderetur matri. Tob. 10. Rupert.

Caput VIII.

Salomonis nuptiæ, & familia.

TEXTVS HISTORIA.

SAPIENTIA ergo nobilitatum Regem illæ vocarunt nuptiæ, quæ cùm regia ſponſa talem inferrent baſim, vt nullus ventorum turbo, nulla procellarum congeries eius gloriam concuterent. Potentiſſimi Regis Ægypti filia erat, tanto digna marito, qui vt in regno; ſic & in nuptijs adumbraret Dei filium. Nec vacua venit Ægyptia ad Salomonem, vrbem enim Gazer, quam pater Chananæo abſtulerat, flammis ereptam, munus obtulit coniugi gratiſſimum. Immenſum nuptijs addebat ſplendorem nobilitas familiæ, in principibus, in præfectis, in copia, & promptitudine munerum. Principes nouem Regi aſſiſtunt moderatores aulæ. Duodecim præfecti annonam palatij curant ſinguli menſibus ſingulis, cuius abundantia haud ignobili exercitus erat ſufficiens. Ad externam pompam alebantur quadraginta millia equorum curulium; & equeſtrium duodecim millia. Interea Salomon tanta ſapientiæ documenta præbebat, quæ eſſent ſtupori, & admirationi ſapientiſſimis.

PARS MORALIS circa textum.

POST ſapientiam infuſam meritò ſcribuntur Salomonis nuptiæ cum filia Pharaonis; vt ibi intueretur incarnatæ ſapientiæ conſilium, quæ adhuc tenebroſam Eccleſiam gentium non dubitauit copulare ſibi.

3. *Reg.* 3. **Confirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate coniunctus eſt Pharaoni Regi Ægypti: accepit namque filiam eius, & adduxit eam in ciuitatem Dauid, donec compleret ædificans domum ſuam, & domum Domini, & murum Ieruſalem per circuitum.**

§. I.

Virtus, quæ in externis etiam operibus conſpicitur, ſtabilior eſt.

NOn poſſum non expendere illud; quod dicitur, nimirum: *Confirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis.* Poſt infuſam deſuper ſapientiam Salomoni, non immediatè tribuitur ſapientiæ confirmatio regni, ſed manu. Non enim dicit, confirmatum eſt regnum in ſapientia Salomonis, ſed in manu. Et quando immediatè ante oſtenderat datam illi ſapientiam; cur non dicit confirmationem regni in ſapientia fuiſſe? Cur oblitus ſapientiæ ad manum confugit? Planè ad ſtabilitatem, & firmitatem non tam ſapientia, aut virtus intrinſecus manens facit, quàm illa, quæ etiam extrinſecus in manuum operibus lucet. Iſaias cap 42. ait: *Hæc dicit Dominus Deus creans cælos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea; dans flatum populo,* &c. Verum Ioel cap. 2. ait: *Et erit poſt hæc: effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem,* &c. Flatus dicitur dari populo; ſpiritus autem effundi ſuper omnem carnem. Et quando de flatu dicitur, quòd datur homini, cur neceſſum fuit de ſpiritu addi, quòd erit ſuper carnem effuſus? Quòd ſuper carnem effunditur, non ſolùm interna, ſed etiam externa oſtendit perfuſa. Quando ergo per flatum inſtantanea doni duratio exprimebatur, ad maiorē firmitatē doni oſtendendā appoſitus eſt ſpiritus interiora & exteriora perfundens. Virtus enim inde ad firmitatem trahendam creditur validior, ſi etiam exteriùs eluceat. Quò adduco D. Irenæum lib. 5 ſantem: *Afflatus igitur temporalis, ſpiritus ſempiternus. Et afflatus quidem auctus ad modicum, & tempore aliquo manens, deinde abit ſine ſpiramento, relinquens illud in quo fuit antè. Spiritus autem circumdans intus, & foris hominem, quippe ſemper perſeuerans, nunquam relinquens eum.* Expende illud, *circumdans intus, & foris hominem,* &c. quippe ex eo permanentiam, & firmitatem credit importari, quòd virtus ſpiritus non intrinſecus otioſa maneat, ſed quòd exteriora peruadens externis operibus maximè appareat. Ioan. 20. rediuiuus Ieſus ſtetit in medio diſcipulorum; *Inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum.* Sed Luc. 24. dicebat illis: *Vos autem ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Et quando iam per inſufflationem dederat illis Spiritum ſanctum; cur adhuc iubentur manere in ciuitate, donec induantur Spiritus ſancti virtute? In quo induantur quem iam habebant, vel ad quid exſpectabunt indui, ſi iam habebant? Habebant equidem per inſufflationem Spiritum ſanctum, ſed cuius virtus nondum exteriùs circumſpiciebatur, & ideo non totam oſtendebat firmitatem. Cùm autem ſic virtus foris luceret, vt veſtis ſolet, tunc iam non erit timor, ſed aduersùs tela diaboli firmi ſtabunt. Ait D. Cyril. Hieroſolym. Catech. 17. *Interea accipite gratiam, deinceps autem ſuſcipietis abundantiorem. Vos ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Nunc accipite ex parte, tunc accipietis perfectè: nam ille, qui ſuſcipit, perſæpe habet id ex parte; qui autem veſte induitur, vndique illa circumdatur. Non metuatis arma diaboli, habetis enim virtutem Spiritus ſancti.* Vbi virtus nos etiam externè vt veſtis ornat, & circumdat, in ea ſumus virtute, qua poſſimus firmi ſtare aduersùs diabolum. Ex quo monebat Gilibert. Abb. ſerm. 5. in Cant. *Qui penes te ſapientiam quærit, aſſidentem inueniat illam in foribus tuis, in ipſis ſenſibus tuis in modeſtia, in compoſitione hominis exterioris. A fructibus cognoſcitur, ſi apud te Ieſus moriatur.* Vanè gloriatur ſe habere ſtabilem virtutem in mente reconditam, quæ numquam appareat extrinſecus. De externis enim operibus cenſetur Ieſu inhabitantis animam ſtabilitas, & firmitas. Et quid non pateat ab externis operibus virtutum? Zacharias pater Ioannis dum infidelitatis pœnam ſoluit, manſit mutus. At poſt natum filium Luc. 1. *Poſtulans pugillarem ſcripſit; Ioannes eſt nomen eius; & ſtatim apertum eſt os,* &c. Circa quæ pulchrè canit D. Paulinus in Carm. de Ioanne Bapt.

——— Quia dextra notauit

Quod mens crediderat, peccati pœna remiſſa eſt.

Non fides quæ mente ſolùm recludebatur, ſed quæ vſque ad manum peruenit, vocem muto reſtituit.

Iſai. 42. Ioel. 2. Irenæus. Ioan. 20. Luc. 24. Cyril Hier. Gilib. Abb. Luc. 1.

§. I I.

Regium eſt vel hoſtes in amicitia fœdera admittere.

QVæ gens hoſtilior in Iſraëlitas, quàm Ægyptia? Illos durissima preſſit ſeruitute, & nunquam non illis infeſta fuit. Nihilominus cùm plures cum aliis celebrauerit Salomon Nuptias, illas maximè textus cantat, quæ celebratæ fuerunt cum Ægyptia, quippe ait: *Confirmatum igitur eſt regnum, in manu Salomonis, & affinitate coniunctus eſt Pharaoni Regi Ægypti, accepit namque filiam eius.* Cum regni confirmatione nuptias cum Ægyptia coniungit, vt hinc diſcas, quam regium ſit etiam infenſiſſimos hoſtes vocare in fœdus amicitiæ. Nec vlla alia nuptiarum fœdera ſic Salomonis regnum extulerunt, quàm hæc, quæ facta ſunt cum gente adeò hoſtili, & inimica. Poſt obtentum regnum Iſraelis vocauit Dauid Miphiboſethum Saulis nepotem, claudum vtroque pede; cui dixit 2.Reg.9.

2.Reg.9. *Reſtituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in menſa mea ſemper.* Ecce tibi filium infenſiſſimi hoſtis ſui, etſi claudum, & vilem, non dubitat Dauid vocare ad menſam regiam. Nonne inde turbabatur menſa regia, in claudo conuiua? Imò vt Miphyboſeth filius erat Saulis infenſiſſimi hoſtis Dauidis, ad regiam menſam huius admiſſus

Chryſoſt. maximè extollebat illam. Aiebat D. Chryſoſtom. homil. de Saule & Dauid: *Saule mortuo, non modo Dauid non occidit eius poſteros, ſed plura præſtitit, quàm erat pollicitus. Siquidem filium eius, cùm eſſet claudus, in ſuam ipſius domum induxit, ſuæque menſæ fecit participem, nec erubuit, neque arbitratus eſt mēſam regiam claudicatione pacri dehoneſtari, ſed decorari potiùs, ac lautiorem fieri.* Quid Pulchrius? Ad regiæ menſæ decorem creditur pertinuiſſe, quòd in illa filius hoſtis infenſi admitteretur. Ne miremur, quòd Salomonis thalamus regius honorem accipiat ex eo, quòd filiam Ægypvij hoſtis ſponſam admittat. Nunquam enim nō regium decus eſt, quòd

Matth.28. hoſtes admittas in fœdera amicitiæ. Matth.28. *Aſſimilatum eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta,* &c. *Procidens autem ſeruus ille orabat eum, dicens; Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum, dicens; Redde quod debes. Et procidens conſeruus eius rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem,* &c. Compone modò & Regem, & ſeruum, Rex ad primum ſupplicis verbum, ſtatim in gratiam admittit iniurium ſibi hominem. Seruus autem nequaquam: ſed duriſſimè ſe gerit aduerſùs conſeruum ſuum. Nec mirior, hic enim erat ſeruus, & ille Rex. Et vt regium ingenium procliue eſt ad gratiam dandam etiam iniuriis hominibus, ſic ſeruile ingenium in

Nazianz. omnes eſt duriſſimum. Ait D. Nazianzen. orat.15. *Seruus in Euangelio? Debitor quidam multorum talentorum offertur, cui debitum remittitur; ad bonum enim adducitur dominum, & illi indulgetur, ſed ipſe non indulget, ſeruilis enim erat ingenij.* Non qui ſeruilem, ſed qui regium habet animum, ſcit iniuris etiam hominibus gratiam impertire. Et adcò innata, & naturalis eſt regalibus animis hæc humanitas in hoſtes, vt in illa præſtanda minus credatur Rex feciſſe. Nota eſt hiſtoria ex 1 Reg.25. vt Dauid nactus fuerat Saulem in ſpelunca, quem facilè poterat percutere, & tamen ab eius

1.Reg.24. morte abſtinuit, dicens: *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, vt mittam manum*

Chryſoſt. *meam in eum.* Quam rem tractans Diu. Chryſoſtom. hom. de Dauide, & Saule ait: *Quid magni, aut quid mire parcere ei, quem habes in tua poteſtate? Complures enim, & alij Reges ad principatum euecti, ſeſe indignum iudicarunt in tanto regni faſtigio, ab iis pœnas exigere, à quibus olim fuerant offenſi. Nam ipſa potentia ſublimitas cauſam habet reconciliationis. Verùm neque Dauid ad principatum euectus, neque regnum adeptus Saulem habens in manu, ita illi pepercit, ne quis cauſari poſſet regni magnitudine deletam fuiſſe iram.* Sic ſapientiſſimus Doctor, vt gratiam Dauidis in hoſtem extollat, oſtendit illum non fuiſſe tunc temporis in regno. Adeo eſt enim Regibus adnata humanitas in hoſtes, vt nihil mirandum eſſet, quod Rex hoſti pepercerit. Huc trahe dicta tom 4. de Chriſto fig. lib.8. & lib.12. cap.14.

§. I I I.

Ille rectè perpendit Deo illatas iniurias, qui ſcit earum ſimiles in ſe ſentire.

INter plures Salomonis nuptias hæc publicantur, & celebrantur de illo, quòd fuerit copulatus Pharaonis filiæ; quippe ait: *Affinitate coniunctus eſt Pharaoni Regi Ægypti, accepit namque filiam eius,* &c. Ecce tibi ſapientiſſimus, & floridiſſimus, & elegantiſſimus adoleſcens ſponſam ſibi Ægyptiam, de gentis natura fuſcam, & indecoram aſſumit. Et cur hoc? Vt qui nuptias filij Dei cum Eccleſia gentium nigredine peccatorum fuſcatam cantaturus erat, in ſua fuſca, & indecora ſponſa guſtum acciperet abiectionis, & difficultatis Filij Dei in ſuo illo cum Eccleſia gentium coniugio. Nullus enim melius perpendit Dei iniurias, quàm ille, qui in ſe nouit ſimiles experiri. Dicebat Dominus Oſeæ cap.1. *Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra à Domino.* Oſe.1. Expende cur iubeatur Propheta ſibi adiungere adultera coniugem, & ex illa procreare filios adulterinos: nimirum, quia terra tota erat in Deum adulterium commiſſura. Quòd autem terra adultera futura ſit in Deum, quid hoc ad Prophetam, vt ipſe ſibi ſponſam adiungat adulteram? Prædicaturus erat Propheta, & ponderaturus crimen illud adulterij in Deum commiſſi, quòd vt meliùs ponderaret, decuit, vt vel guſtum eius in ſe ipſe ſuſciperet. Rem pulchrè tractat Ruffin. ibi aiens: *Fœdi corporis imperata coniunctio Prophetæ honorem videtur aſpicere, qui vt ſeueritatem iudicis fideliter indicaret, guſtum eius, qua Deus afficiebatur, ſentit iniuriæ.* Ruffin. Iubetur Propheta aſſumere ſibi ſponſam, quam multis beneficiis proſequatur, quibus deſpectis ipſa abeat poſt adulteros. Vt ſic fideliter iudicet de dolore diuino in ſuſtinendis peccatoribus, habens aliqualem guſtum iniuriæ, qua Deum paſſim afficimus. Ille nos ſibi adiungit, & habet in delitiis ingentia ſingulis horis accumulans erga nos beneficia. Nos ab illo deſciſcimus, & currimus poſt idola, adulteria mille paſſim committimus. Quantus inde Dei dolor exurgit? Quam iuſta querela? Quam rationalis ira? Id fideliùs nouit, qui poſt beneficia, & officia multa coniugi exhibita, illam deprehendat adulteram. Huc trahenda dicta tom 2. in Euang. lib.2. cap.2. § 3.

§. I V.

Qui indigna, & indecora propter peccatores pertulit, acrior fiet in illos, niſi reſipiſcant.

NEcnon & credo Salomonis fuiſſe proſpectum ſaluti in illis nuptiis cum Ægyptia, quando dicit: *Affinitate coniunctus eſt Pharaoni Regi Ægypti, accepit namque filiam eius,* &c. Significabatur enim in iſto coniugio, vt Eccleſia gentium accipienda erat à Deo in ſponſam. Quo & Salomon non parum acuebatur aduerſùs idololatriam, cùm videret ſe ad eas anguſtias redactum, vt acciperet fuſcam, & de gentis natura deformem puellam in coniugem propter ſignificandum Eccleſiæ gentium & Chriſti Domini coniugium. Quis enim non accendatur in peccatum, propter quod indigna, & indecora ſubiuit? Oſeæ cap.1. dictum Oſe.1. eſt: *Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum,* &c. Et cur tantum dedecus mandatur Prophetæ? In iſto coniugio ſignificabantur Iſraëlitæ, vt adulterini erant Deo, aduerſùs quos mittebatur Oſeas; & inde prouiſum eſt a Deo, vt propter illos ſignificandos tale dedecus ſubiret Propheta, quo irritaretur in illos. Ait ibi Ruffin. Ruffin. in fœdi corporis imperata coniunctione, *rurſus quaſi obligatio fiebat vltionis in impios proferendæ, hoc ipſum quod propter ſignificationem rei, indignam ſe Propheta contumeliam pertuliſſet.* Et quam horreret Propheta impios illos, & qualem de illis vellet vindictam ſumere, propter quos ſignificandos adductus fuit, vt tantum dedecus ſubiret? Quam debuiſſet Salomon horrere idolatriam, propter cuius vocationem celebrandam eò deuenit, vt fuſcam, & indecoram ex Ægypto ſponſam acciperet? Planè indecora accepta propter peccatum, maximè debet irritare accipientem aduerſùs illud. Actor. 1. dicebant Angeli diſcipulis

Ieſu

Digitized by Google

Act. 1. Ieſu Domioi, *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.* Quæ verba Rupert. meditatus Rupert. lib. 1. de Timor. cap. 8. ait: *Hæc prænuntiatio plena eſt timoris, tanquam vox tubæ grande & terribile bellum nuntiantis.* Et vnde tantus timor: tantum bellum apparet in eo, quòd venturus ſit Ieſus eo habitu, quò aſcendit in cælum? Planè aſcendit cum expreſſis ſignis paſſionis, & abiectionis ſuæ, propter peccata toleranda: cum qoibus ſi veniat, noo dubitem, quòd maximè acuetur aduerſùs illos, quos in illis peccatis inueoerit, propter Idem. quæ talia dedecora ſubiuit. Ad hæc Rupert. ſuprà: *Qualem viderant euntem in cælum? Viderunt euntem formam ſerui, viderant in manibus, & pedibus eius fixuram clauorum, viderant latus eius lancea vulneratum, & talem ſuſceperant nubes ab oculis eorum. Grande, & dulce gaudium intuentium, quia talis eleuatus eſt; & grandis timor, ac tremor expectantium, quia talis & ſic veniet.* Quippe expectantes venturum cum ſignis paſſionis, ſi adhuc in peccatis ſont, meritò debent timere, & tremere, quia vehemeoter iraſcetur io eos, propter quos talia ſuſcepit dedecora.

Cantic. 3. Egredimini, & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, *&c.*

§. V.

In primis virtutum floſculis non parua iam ſeges fructuum ſemitur.

CAntatiſſimas Salomonis nuptias miratus diuinos ſcriptor, eas inuenit in ſingulis iuſtis, qui ſe Deo, & virtuti adiunguot. Dicit enim *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius.* Duo ex Salomoois nuptos proponit fauſtiſſima, nimirum & coronam, & nuptiarum tempos. Corona ex floribus cõſtabat, tempus erat vernum; vtrumque placet Pinedæ lib. 5. de rebus Salomonis cap. 4. Cooueniunt ergo ſpooſi corona, & tempos ouptiarum in eo, quòd ab vtriſque flores proſiliaot. Et cur maluit commendare nuptias à florom tempore, & non potius à tempore fructuum, qui optatiſſimi ſunt in ouptiis? Hinc forſan diuious vates extollebat venientis ſponſæ gloriam, quæ ſufficiebat, vt in ipſo florum tempore faceret tempus fructuum. Simile dicebat Sanctus Venaotius Fortunat. lib. 8. in Beatæ Radeguodis aduentu.

Abſtuleras tecum, reuocas mea gaudia tecum,
Paſchalemque facis bis celebrare diem.
Quamuis incipiant modò ſurgere ſemina ſulcis,
Hic egomet, hodie, te redeunte meto.
Colligo iam fruges, placidos compono maniplos.
Quod ſolet Auguſtus, menſis Aprilis agit.
Et licèt in primis modò gemma, & pampinus exit,
Iam meus Autumnus venit, & vuo ſimul.
Malus, & alta pyrus gratos modò fundit honores,
Sed cum flore nouo iam mihi poma ferunt.
Quamuis nudus ager nullis oneretur ariſtis,
Omnia plena tamen te redeunte nitent.

Sic ſanctiſſimus vir in ipſos verni temporis flores ingentes Auguſti meſſes veoire dicebat ab vno Radegundis virginis adueotu. Nec mirer, quòd de taotæ virginis acceſſu vel in primis veris floſculis totæ appareaot collectæ diuitiæ autumoi. Imò inde fœlicitatem indago eorum, qui ſeſe dedunt & virtuti, & Chriſto. In tanto enim cooiugio hominis & Dei, hoc inuenio ſingulariſſimum, quòd primis virtutum floſculis copioſiſſimæ ingerantur meſſes *Pſalm. 64.* fructuum. Ad ſponſæ diuinæ floridam coronam ſpectabat Pſalm. 64. aiens: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.* Anni corooam vocat floridum illud ſertum verni temporis, cui ſtatim adiungit totam repletionem campi. Qoi enim ſub Dei benedictione inci- Gill. Abb. piunt virtutibus florere in ipſis floribus ingentem copiaoi fructuum capiuot. Vt dicat Giliber. Abb. ſerm. 20. in Cant. *Videte iam quomodo benedixit coronæ anni benignitatis ſuæ, quomodo campi eius repleti ſunt vbertate. Videte coronam, & videte copiam.* Equidem in quibus coronabatur floſculis iam viſebatur ingentis fructus copia. Quidquid fructus ſolet Auguſtus offerre, in ipſo Aprili virtutis metebat. De Abrahamo colloquente cum Deo locutus textus Geoeſ. 15. ait: *Geneſ. 15.* *Statim ſermo Domini od eum factus eſt, dicens: Non erit hic hæres tuus; ſed qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebis hæredem,* &c. *Credidit Abraham Deo*, &c. Quid eſt credidit Abraham Deo? Pulchrè ait D. Baſil. Sel. orat. 7. *Accepto promiſſione habuit* Baſil. Sel. *filium ante ſpei partum, & ſpes ipſa prius Iſaacum peperit, quàm alvus.* Ecce tibi quid habeot, qui cum Deo negotiaotur, in ipſis ſpei floribus fructus expiuot; tardior eſt natura, tardior inuenitur anous, vt fructus pariat, at ex adiunctio ibi Deo omnem præuenis tarditatem, & cum primùm gemma, & pampinus, & flos exit, iam autumnus adeſt.

§. VI.

Mariæ matri adſcribendæ omnium iuſtorum coronæ.

HAbuit & hoc Salomoo in nuptiis ſuis, quòd nuptialem coronam ei texuerit mater, iuxta illud: *In diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis ſuæ.* De more omnium nuptiarum, etiam prophanarum, vt inſinuat Sanchez, & probat Pineda lib. 5. de rebus Salomonis cap. 4. In quo parua agooſcitur iuſtoruoi hominum gratia quibus noo vulgaris mater, ſed Maria Deipara coronas texuit, vt nuptias celebrareot cum Agno. Rem adumbrabat Iudith cap. 15. vbi locutus textus de eius triumpho *Iudith. 15.* poſt Holophernis ſtragem ait: *Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus in organis, & citharis.* Quæ prolixiùs leguntur in Græco, & ſic in tranſlatione noſtri Serarij ibi habent: *Et concurrit fœmina ex Iſrael, vt ipſam videret, & benedixerunt ipſam, & fecerunt ipſi chorum ex ſe ipſis. Et ipſa ſuis manibus Thyrſos ſumpſit, deditque mulieribus, quæ ſecum erant. Et coronarunt ſe oleaginis coronis tum ipſa, quàm cum ipſa illæ. Ipſa ante populum vniuerſum progrediebatur, in chorea fœminas omnes ducens, & ſequebatur omnis vir Iſraelis armatus cum coronis, & hymnis in ore ipſorum.* Ecce tibi & fœminæ, & viri coronati ſequebantur Iuditham, vt à qoa & per quam omnes eorum coronæ veniſſeot, & fallar, ſi non ſimiliter vniuerſi iuſti viri, & fœminæ corooas ſuas acceptas referant Mariæ. Vt meritò dicat D. Ephrem orat. de laudibus Ephrem. Mariæ: *Aue virorum iuxta, mulierumque regina, & tutelaris domina ſceptrum fidelibus tuis impertiens.* Quidquid enim triumphale, & regium in hominibus conſpicitur, non dubitem illud venire ex impetratiooe Mariæ. Apoc. cap 4. apparuit *Apocal. 4.* regaliſſimus thronus, in quo princeps cœli, & terræ ſedebat, quem circumſtabant viginti quatuor ſeniores aureis coronis ornati. Ij proiicieotes coronas ante thronum dicebant: *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia,* & c. Sed & cap. 5 iuxta thronum apparuit Agous tanquam occiſus: *Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno,* &c. *& cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quia occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione. Et feciſti nos Deo noſtro regnum,* (in margine *Reges*) *& Sacerdotes, & regnabimus,* &c. Expende hæc: *Feciſti nos Deo Reges, & regnabimus;* Agno enim referunt, quòd facti ſint Reges; ſedenti autem in throno, ſolùm dicunt, *quia creaſti omnia.* Et cur oon etiam dixerunt ſedenti in throno, quòd illos fecerit Reges; id autem voi Agno referuot? Nonne ſedens io throno oſtendebatur, quod ex patre filius Dei habebat, per Agni autem ſpeciem ſola patebant quæ ex parte matris veniebaot. Meritò ergo coronas, & regnum Agno referunt, quas ſine eios gratia, & matris Mariæ ſolicitudine minimè habereot. Quò ſpectans D. Baſil. Sel. orat. de verbi Incarnatiooe ait: Baſil. Sel. *Qua lingua adeò eſt diſerta, & ſonora, qua virginem illam pro dignitate decantare queat? Per eam enim illuſtribus bonis ditati ſumus. Ex ipſa namque flos Ieſſe exortus eſt, genuſque noſtrum glorio, & honore coronatum eſt.* Debentur & ſolicitudini, & impetrationi Mariæ humani generis coronæ. Quidquid enim triumphale, quidquid regium, quidquid diademate dignum in nobis effulget, de tantæ matris venit ſolicitudine.

§. VII.

A caſtitatis triumphis maximè conſpicabilis quis ſit.

NOn ad regium diadema auri, ſed ad nuptialem florum coronam videndam filiæ Sion conuocantur, vt ſuprà Pineda noſter notabat. Quippe dicit: *Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius.* Et cur magis inuitantur ad videndũ Salomonem in corona nuptiarum, quam in corona regni? Rationem indigitat D. Chryſoſt. homil. 9 in prima epiſt ad Timoth. fatus? *Idcirco quippe coronæ imponuntur ſponſi capiti vt victoriæ ſigna ſint; quòd ſcilicet antea libidini impenetrabiles, ita demum cubiculum ingrediantur, quia ſcilicet à voluptate ſuperati non ſunt.* Quando autem coronæ inuictam nuptorum oſtendebant caſtitatem, non mirer, ſi tunc vicinia conuocentur ad eos videndos, ſimus enim à caſtitatis triumphis maximè ſplendidi, & conſpicabiles. Hinc clamabat Dauid Pſalm. 131. *Paraui lucernam Chriſto meo.* Et qualem lucernam parauit? Ait D. Cyrill Hieroſolym. catech. 12. *Alij quidam lucernam, prophetiæ claritatem interpretati ſunt, alij quidem lucernam capiebant pro Incarnatione, & Virgine.* Nec immeritò virginitatis virtuti lucerna tribuitur, vt enim lucernæ faciunt res conſpicabiles, ſic vel Dei filius, vel homo iuſtus maximè redditur conſpicabilis per virtutem virginitatis. De diuina ſponſa dicebatur Cant. 8. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Circa quæ ait D. Iuſtus Orgelit. *Vaſa in quibus caſtitas habitat, ſemper ſunt ſplendida, & Spiritus ſancti igne feruentia.* Proh virtutem caſtitatis, quàm conſpicuos, & ſplendidos tuos alumnos facis!

Pineda. Chryſoſt. Pſalm. 131. Cyril. Hier. Cant. 8. Iuſtus Org

§. VIII.

Inter paſſionis ſuæ vulnera neſcit Deus non propitius apparere ſuis.

A Matre coronatus proſpiciendus proponitur ſponſus animarum noſtrarum, dum dicit textus: *Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua.* Et non quidem mater Maria, ſed mater Synagoga, quæ illum crudelibus coronauit ſpinis. Sic Proclus, Bernard. Ruffin. Appon. Iuſtus Angelom. Honor. Anſelm. & alij relati à Patre Mart. del Rio. Et quando corona ſpinea adeò crudelis & cruenta erat, cur tam anxiè vocantur filiæ Sion, vt videant illam? Cur non magis timetur teneris, & infirmis puellis, ſi inter ſpinas accedant? Cruentæ quidem erant ſpinæ capiti Ieſu impoſitæ, at in illo conflictu ſic dulceſcit Ieſus meus ad ſuos, vt de ſpinis ipſis charitatis coronam eliciat, qua totum ſe, & floridum, & amabilem, & propitium videntibus exhibeat. Ait Theodor. lib. 2. in Cantic. *Matrem appellat Iudæam. Spinis enim illum contemptus cauſa coronauit. Ipſe verò per ſpinas ſuſcepit diadema charitatis.* Iudæa mater coronam ſpineam ponebat meo Ieſu; at ipſe ab ſpinis floridam amoris coronam eliciebat, quo verior noſtri amator oſtendebatur. Tunc enim maximè floridum, & amatorem hominum ſe oculis noſtris dabat, cùm ſub horrentium ſpinarum aculeis nos intuebatur. Et quando inter paſſionis ſuæ vulnera reſpiciens nos Ieſus, non propitius apparet? Cant. 2. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Et dilectus meus loquitur mihi, ſurge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea.* Poſt parietẽ ſtabat abſcõditè luſtraturus vias meas, & greſſus meos. Et dum tacitus luſtrat, poſt paululum tot mihi verba plena amoris facit, dum animam meam vocat amicam, formoſam, columbam. Vnde qui abſconditè meas vias luſtrabat, ſubitò oſtẽditur mei tam affectuoſus amator? An quia nihil inuentum eſt in me malitiæ? Minimè gentium; quin totus ego ſordeo peccatis: at cùm me per feneſtras ſui corporis paſſi, & perfoſſi cernebat, non potuit mihi inde non totus melleus, & propitius monſtrari. Ad hæc D. Iuſtus Orgelit. ibi fatur: *Poteſt etiam intelligi, quòd tunc per feneſtras proſpexit, quando in paſſione lancea perforato latere, ſanguine & aqua manante, redemptionis, & lauacri ſacramenta produxit.* Quòd ſi lateris vulnus feneſtra fuit, per quam nos Ieſus reſpiciebat, non mirer, quòd inde trahat, quo nos mundet & formoſos faciat, & totum ſe nobis oſtendit propitium, & amabilem.

Theodor. Cant. 2. Iuſt. Org.

§. IX.

De paſſionis Chriſti conſpectu vel infirmiſſimi vires accipiunt, vt alios acquirant Chriſto.

HÆrent præcedentium Patrum ſententiæ, putantium non aliam coronam veri Salomonis videndam proponi, quàm ſpineam, dum dicitur; *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate,* &c. Sed miror, quòd ad tam horridum ſpectaculum Ieſu ſpinis coronati inuitentur filiæ Sion. Lucæ autem cap. 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos,* &c. quos ſi inſpicias, omnes erant viri de quibus ait tandem Dominus, *Nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Ecce tibi quotquot vocantur ad Dei nuptialem cœnam, viri ſunt; quæ autem vocantur ad videndam coronam ſpineam filiæ dicuntur, nimirum fœminæ infirmæ. Et quando ad cœnam nuptialem viri vocantur, cur ad videndam coronam ſpineam fœminæ inuitantur? Habet equidem hoc conſpectus diuinæ paſſionis Chriſti, vt ab illo vel infirmiſſimæ mentes ſic roborentur, vt non ſolùm ipſæ ſequàtur, ſed & alios Chriſto acquirant, Matth. 27. locutus de Pilato ait: *Sedente illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iuſto illi. Multa enim paſſa ſum per viſum propter illum.* Et mirabile maximè eſt, quòd in tota illa ſcena accuſationum aduersùs Ieſum, nullus inuentus ſit, qui audeat iudicem alloqui in fauorem illius præter mulierculam hanc vnam. Et cur hæc vna audet ſtare pro Ieſu coram iniquiſſimo iudice? Ait illa; *Multa paſſa ſum per viſum,* &c. Plane vel viſu guſtauerat aliquid paſſionis illius, quo adeò roborata fuit, vt non ſolùm ſtet à parte eius, ſed & nitatur illi acquirere maritum. Ait ibi D. Hilarius: *Quia ipſa multum ſit paſſa pro Chriſto in eamdem gloriam futuræ ſpei illum, cum quo conuerſabatur, inuitat.* Vtinam & nos vel viſu guſtaremus paſſionem Chriſti, ô quam roboraremur, vt non ſolùm hæreremus illi, ſed præcones facti eius gloriæ alios niteremur acquirere, Matth. 28. dicebat Angelus mulieribus: *Scio quòd Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis. Non eſt hic: ſurrexit enim, ſicut dixit: venite, & videte locum, vbi poſitus erat Dominus. Et citò euntes, dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam.* Quando mittebantur nuntiaturę reſurrectionem Chriſti, priùs inuitantur, vt ſepulchrum, & ſepulchralia linteamina videant. Et cur neceſſum fuit, quòd viderent ſepulchrum, quando mittebantur nuntiaturæ Chriſti præſentiam in Galilæa futuram? Non immeritò priùs illis datur ſepulchrum videndum, vt inde roboratæ intrepidiores fiant ad nuntiandam diſcipulis Saluatoris vitam. Sic enim ibi ponderabat Ammonius in Harmonia Euangel. inquiens: *cum lapidem ingentem ab oſtio ſepulchri motum cernerent, ac corporis Domini veſtigium, id quod referebant faſciæ, iubentur ab Angelis Chriſti reſurrectionem diſcipulis illius nuntiare, & prædicare.* Non antea, ſed poſt viſum ſepulchrum, & paſſi corporis veſtigia, nimirum faſcias viſas iubentur ire prædicaturæ diſcipulis, de conſpectu enim paſſionis, maximè roboramur, vt illius prædicatores ſimus. Huc trahe dicta tom. 2. de Chriſto figur. lib. 5. c. 23. §. 11. & tom. 3. lib. 6. c. 5. § 9.

Luc. 14. Matth 27. Hilar. Matth. 28. Ammon.

§. X.

Chriſti paſſi conſpectus maximè tenet hominem, ne exorbitet.

Filiæ vocantur ad Salomonis nuptialem coronam videndam, dum dicit: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate,* &c. Sed Lucæ cap. 14. dum Dominus nuptiale conuiuium filio parat, *vocauit multos,* quorum nullus, vt ait Dominus, cœnam guſtabit. Quando ergo viri vocati ad nuptiale conuiuium, pereant; cur non magis timet Dominus ab ſpecie nuptiarũ? Cur fœminas infirmas ad videndum nuptiale ſponſi ſertum vocat? Propter fugam nuptialis conuiuij pereunt viri; & non peribunt fœminæ fugientes à conſpectu coronæ nuptialis? Noui fœmineam infirmitatem, ſed & noui coronæ virtutem ad quam vocantur. Erat enim corona ſpinea, vt probauimus § 8. quæ viſa in Ieſu capite, vel infirmiſſimum quemquam continebit, ne in ruinam abeat. De illa dicebat Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagog. c. 8. *Hoc diadema*

Clem Alex.

Digitized by Google

ma ſpinarum inimicum iis, qui inſidiantur, eos prohibet; iis autem qui in Eccleſia ſimul verſantur, amicum, eos circumſepit, & munit. Quod ſpinea ſepes facit in arcendis malis, & defendendis bonis; hoc præſtat ſpinea corona viſa in Ieſu capite inimicos quàm longiſſimè arcet, & nos ſepit, & munit, ne in mala ruamus. [Oſe. 2.] Ait Oſeas cap. 2. *Quæ dixit: Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum. Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis.* Currenti ad vitia minatur Deus ſepem ſpinarum, ne poſſit præterire. [Theodor.] Quò ſpectans Theod. ait: *Hæc vltio miſericordiæ plena eſt, quæ impietatem facit ceſſare.* Vltio de ſpinis immiſſis in via, ne peccator currat poſt vitia, multum habet miſericordiæ, quæ facit nos à peccatis ceſſare. Et quis dicat miſericordiam illam magnam, qua Deus non vias noſtras ſpinis ſepiuit, ſed ſuum diuiniſſimum caput? Equidem hoc miſericordiæ ſuperplenum fuit, quando inde maximè detenti ſumus ne rueremus poſt peccatum. Quod enim vitium non ceſſat in eo, qui præ oculis Chriſtum paſſum habet? Poſt Spiritus ſancti aduentum Apoſtoli ebrietatis accuſabantur; quos ſic defendit Petrus Actorum 2. fatus: [Actor. 2.] *Non enim, ſicut vos exiſtimatis, hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia.* Ex eo illos excuſat, quòd erat hora diei tertia, quaſi hora tertia non potuerint inebriari. Et cur hora diei tertia ebrij eſſe non poterant? De cantatiſſimo ebrio dicebat Epigrammatarius:

Heſterno fætere mero, qui credit Azerram
Fallitur, in lucem ſemper Azerra bibit.

quaſi in nulla hora poſſit inueniri liber ab ebrietate. Cur ergo Petrus ex hora tertia arguit non poſſe eſſe ebrios Apoſtolos? Hora tertia fuerat Ieſus cruci ſuffixus, & quæ hora Ieſum paſſum diſcipulis præſentabat, minimè illos ſineret ire in ebrietatem. [Cyril. Hier.] Ait D. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 17. *Si autem non confiditis mihi, ex ipſo tempore intelligetis, verum eſſe, quod dicitur. Eſt enim hora diei tertia. Hora enim tertia crucifixus eſt, vt Marcus dicit.* Adeò potens eſt Chriſtus paſſus præ oculis poſitus, vt homines in bono firmet, & contineat; vt ex eo quòd probentur eſſe in tempore, quo Chriſti paſſionem ex aliquo excitatiuo meminiſſent, pateat vel infidelibus eos alienos eſſe ab omni vitio.

§. XI.

In vno Ieſu bonorum ſoliditas inuenitur.

NEc immeritò ad vnum Ieſum ex virginea carne florentem filiæ Sion inuitantur. Dicitur enim illis: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius.* Quæ à non ignobili Doctorum parte referuntur ad diem incarnationis, quando Verbum ſibi noſtram vniuit carnem in vtero virginali. Tunc lilium in noſtris campis apparuit, tunc flos de radice Ieſſe pullulauit, tunc corona benignitatis viſa eſt replere campos vbertate. Habentes igitur hunc florem, meritò perituros vetamur vel videre, quando in hoc vno bonorum habebimus ſoliditatem. [Tertull.] Vt dicat Tertull. lib. de corona milit. *Quid caput ſtrophiolo, aut dracontario damnas diademati deſtinatum? Nam & Reges nos Deo, & patri ſuo nos fecit Chriſtus Ieſus. Quid tibi cum flore moriturо? Habes florem ex virgine Ieſſe, ſuper quem tota diuini Spiritus gratia requieuit, florem incorruptum, immarceſcibilem, ſempiternum.* O quàm fœlices, qui à perituris floſculis, & bonis oculos auertunt, & vnum hunc Ieſſe florem Ieſum ſpectant, in quo nullam gratiam repoſitam non habent! [1. Cor. 7.] De Virginum laude dicebat Paul. 1. ad Corinth. 7. *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi,* &c. Iſta eſt infelicitas nuptarum, quæ cogitent, & ſpectent mundialia; illa fœlicior, quæ in vno florido Ieſu cogitatum ſuum habet. [Zeno.] Quò ſpectans D. Zeno lib. 1. ſerm. 8. dicebat: *Nupta cogitat, quemadmodum placeat marito; virgo quemadmodum Deo. Hæc extrariis ornamentis ornatur, longe illa ornatior, aliunde quia neſcit ornari. Hæc variis vnguentis, & odoribus flagrat, illa vnici floris ſui* (nempe *Ieſu*) *quouis prato iucundior, in cælum ipſum honore læto reſpirat.* Expende illud: *vnici floris ſui,* &c. nil aliud ſpectat, in nullo alio quieſcit niſi in vnico flore ſuo Ieſu, in quo eſt omnium bonorum plenitudo. Ex quo enim Chriſtus aduenit, vnum florem habemus, qui nos omnes impleat bonis. [Iſai. 61.] Iſaias cap. 61. *Indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. Sicut enim terra profert germen ſuum.* Græcè legitur, *vt terra profert florem ſuum.* [Cyrill. Alex.] Quæ verba ponderans D. Cyril Alex. ibi ait: *Affulgeſcente gentibus Chriſto, iuſtitia, & exultatione; quaſi florida quadam herba coronat orbem, quod oſtendit, inquiens: Et vt terra profert florem ſuum, & vt hortus ſemina ſua, ſic germinare faciet Dominus exultationem in conſpectu omnium gentium. Videtur autem florem coram gentibus dicere Dominum Ieſum,* &c. Sic enim vno flore Ieſu & coronæ, & exultationes, & abundantia omnium bonorum veniunt nobis. [Oſe. 14.] Quò ſpectans Oſeas cap. 14. ait: *Ero quaſi ros Iſraël, germinabit ſicut lilium & erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Conuertentur ſedentes in vmbra eius: viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea,* &c. Ab vno rore ex cœlo cadente, vide, quot bona parturiantur, & flores, & fructus, & odores, & protectiones, & meſſes, & vindemia. Et qui ros iſte? [Ruffin.] Ait Ruffin. ibi: *Incarnationis ſiquidem ſacramento ros gratiæ in Eccleſiarum arua deſcendit, vt paſſim diuerſis virtutibus fructuoſa viris, liliaque prodirent, & fieret multiplicationis fidelium tanta felicitas, quanta eſſet agri pleni frugibus, fructibus, floribus glorianti. Sicque conuertentur ſedentes in vmbra eius, id eſt, diuerſæ nationes ſub protectione Eccleſiæ requieſcere concupiſcent, vt & corporalis, & ſpiritualis vigoris alimonium in vino, & tritico conſequantur.* Nil floris, nihil fructus, nihil ſolidæ alimoniæ inueniri poteſt, quod non fidelibus aduenerit in vno Chriſto.

3. *Regum* 9. Pharao Rex Ægypti aſcendit, & cœpit Gazer, ſuccenditque eam igne, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis.

§. XII.

Quæ à Dei manu veniunt, in æſtimatione ſunt magna apud virum ſapientem.

MIrabar, quòd dotis gratia Salomon à potentiſſimo Ægypti Rege ſocero ſuo ciuitates in cinerem redactas acciperet; cùm dicat textus: *Pharao Rex Ægypti aſcendit, & cœpit Gazer, & ſuccendit eam igne,* &c. *& dedit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis:* Multa alia ſplendida, & ditia habebat potentiſſimus Rex, quæ poſſet dare in dotem filiæ ſuæ: cur placuit Salomoni combuſtam ciuitatem Gazer accipere de manu eius? Et ſi ciuitas hæc erat adeò vilis facta, & in cineres redacta, tamen, vt concors eſt omnium doctorum ſententia, pertinebat ad terram promiſſionis, quam Deus mandauerat populo ſuo, & quæ nondum in poſſeſſionem eius venerat. Ideò Salomon pluris fecit ciuitatem licèt vilem, & in cinerem redactam, quæ tamen iuxta Dei promiſſionem, illi obueniebat, quàm cæteras omnes diuitias Ægyptij Regis. Nunquam enim dona, quæ ex Deo veniunt, etſi parua & vilia, non æſtimabiliura ſunt apud virum ſapientem. Huc affero illud Iacob ſuſpirium, de quo ait Geneſ. 48. [Geneſ. 48.] *Cùmque appropinquare cerneret Iſraël diem mortis ſuæ, vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem; vt non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis,* &c. Sic bonus renuit oſſa ſua in Ægypto ſepeliri, ſed magis amat in terram Chanaam transferri. Et cur in mortis hora, quando ab omni terra exiturus erat, adeò in terram Chanaam ſe oſtendit affectum, vt præ ſepulchro illius contempſerit Ægyptia Mauſolea? Sciebat terram Chanaam ſibi, & ſemini ſuo ex Dei promiſſione datam, quam vt donum Dei reſpiciebat, ſic in illam æſtimationem ſuam præ cæteris oſtendebat. [Rupert.] Rupertus lib. 9. in Geneſi capite 21. *Quid autem patriarcha tantus, cuius cæli, tantopere de corpore curauit? Videlicet, quia terra repromiſſionis Domini erat,* &c. *Donum autem Dei qualecumque ſit, ſiue magnum, ſiue paruum, cæleſte, ſiue terrenum pro honore, vel charitate dantis pretioſum eſt, & debet eſſe in oculis ſapientis.* Inde æſtiman-

dæ ſunt res, ſi à Deo nobis obueniant; quæ enim aliunde, quam à Deo peculiariter ſunt, haberi debent alienæ. Notum eſt, vt Iacob egreſſus à terra Chanaan, in qua peregrinatus erat cum parentibus ſuis, venit in Meſopotamiam auitam ſuorum patriam, ibique ſponſas accepit filias Laban patrui ſui. Poſt multos verò dies Geneſ. 30.
Geneſ. 30. *Dixit Iacob ſocero ſuo dimitte me, vt reuertar in patriam, & ad terram meam*, &c. Et quidem Meſopotamia illi clariùs patria erat, ibi enim & nati, & defuncti aui eius, & ex illa totam ſuam originem ducebat; cur modò illam vt extraneam, & alienam contemnit, aliàque patriam vocat, in qua peregrinabatur cum patribus ſuis? Hanc habebat ex Deo, ideoque illam vt patriam propriam æſtimat, illam vt alienam contemnit. Rupertus lib. 7. in Geneſ. c. 35.
Rupert. *Nec illud prætereundum, quod ait, vt reuertar in patriam; peregrinationem patrum ſuorum patriam terramque ſuam vocans propter Deum; è contra terram patrum ſuorum peregrinationem ſuam vocat.* Originariam terram in qua auorum ſedes erat, alienam & extraneam reputat; illam autem in qua peregrinus erat, patriam habet, & vt patriam æſtimat, propter Deum, cuius promiſſione ad eum peruenerat. Sic ſapientes viri maximi æſtimant, quidquid doni ſciunt venire à Deo. Ex quo lucem capiunt D. Epiphanij verba, quibus in ſermone in Aſſumpt. Mariæ eius extollit priuile-
Epiphan. gia. Ait enim: *Virgo inuenitur eſſe cæleſtis ſponſa, & mater, quæ donorum antenuptialium nomine ſpiritum ſanctum accepit, dotis verò gratia cælum vnà cum paradiſo.* Et quando dotis gratia cœlum acceperit, ad quid additur, quod acceperit illud vnà cum paradiſo? Quid paradiſus vt tantæ Reginæ dos credatur? Totius paradiſi, imò & ſæculi dos creditur data primis parentibus, teſte Tertullian. lib. de Pœnit. ſed illa dos, & perdita, & forſan, quoad nos, inflammata fuit, quando flammeus gladius poſitus in eius oſtio. Quid ergo hæc puſilla, & perdita, & quoad nos inflammata dos ad Mariam cœli Reginam: Habebat hoc paradiſus ille, quòd peculiariter à Deo plantatus fuerat, & peculiariter ab ipſo Deo deſignatus pro ſede humanæ naturæ perſeuerantia in originali iuſtitia; ex quo tantam excellentiam accepit, vt meritò poſſet venire in dotem cœleſtis Reginæ. Compone ergo modò Salomonis ſponſam, & veri Salomonis ſponſam, & matrem Mariam, vt illam dotaret Pharao, flammas in Gazer ciuitatem miſit, & inflammauit illam. Vt hanc dotaret Deus, flammeum gladium poſuit in oſtio paradiſi. Per illam accepit Salomon primitiuæ promiſſionis terram, quaſi de domo Dei illam acciperet. Per hanc reſtitutus fuit ſtatus originariæ iuſtitiæ; nihilque in ea apparuit, quod non redoleret manus diuinas.

§. XIII.

Antiqua peccatorum clades facilè abſconduntur in præſentanea quadam fœlicitate, non ſic recentes.

NOn otioſum eſt, quòd Gazeris ciuitatis clades, & expugnatio eo vſque dilata fuit, vt poſſit dari Salomoni in dotem vxoris Ægyptiæ. Ait enim: *Pharao Rex Ægypti aſcendit, & cæpit Gazer, & ſuccendit eam igne, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis.* Erat ea ciuitas pertinens ad partem Iſraelitarum, à quibus in principio redacta fuerat ſub tributo; & poſtmodum nullo modo expugnari potuit. Et cùm Deus muniriſſimas alias Chananæorum ciuitates tradidiſſet Iſraeli, huius expugnationem diſtulit vſque ad Salomonis tempora, vt illi in vxoris Ægyptiæ dotem daretur. Et cur id molitus fuit Deus? Vt Salomon iungendus idololatria vxoribus, præ oculis haberet recentes Chananæorum clades, in quas eos idololatria deiecit. Antiquæ enim illorum clades penitus abſconderentur, ſub præſentaneis nuptiarum feſtis. Valent enim præſentes fœlicitates penitus fugare ſcelerum ſupplicia veteraſcentia. Apocal. 13. viſa eſt beſtia de mari aſcendere multis redimita coronis, cui poteſtatem magnam Draco dede-
Apocal. 13. rat. Quid tunc? Ait textus; *Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam. Et adorauerunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adorauerunt beſtiam, dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? Et quis poterit pugnare cum ea?* Et quidem ſub nomine beſtiæ huius congregatio peccatorum, impiorúmve intelligebatur, quorum innumeri non ſolùm antiquitus impugnati erant, ſed & victi, & funditus perditi. Et nihilominus eius beſtiæ admiratores, à nullo potuiſſe eam impugnari, nec tangi. Et quando nil frequentius in mundo, quam impiorum excidia, & pœnæ: vnde eſt, quòd modò putentur à nemine poſſe lædi? Apparebant modò in florido ſtatu ſui regni, multis redimiti diadematum ſertis, cuius felicitatis præſentaneæ intuitu ſic rapiuntur terreni, vt de antiquis cladibus nihil poſſibile ſuſpicentur. Ait Rupertus lib. 8. Rupert.
in Apocal. *Itaque admirantes, & adorantes, dicent: Quis poterit pugnare cum ea? Sic fatui fatua loquentur, non recordabuntur, quod quondam Pharao cum curribus, & equitibus ſuis, pugnante Deo pro Iſraele, in mare merſus ſit, quod canes comederunt Iezabel, quod Nabuchodonoſor ex hominibus eiectus eſt, quod Aman in patibulo appenſus eſt, quòd Antiochus intrinſecus computruit; quòd Nero vt dedecoroſè vixit, ita & turpius periit. Horum non recordabuntur, imò nec ſi quis commemoret audire patientur.* Sic inter præſentaneas impiorum fœlicitates, multos inuenies, qui admirentur, & adorent eos, neminem, qui quondam facta illorum excidia recordentur, nec audire velit. Quis in florenti impiæ puellæ vultu meminerit potuiſſe aliquando ſimilem à canibus decerpi? Quis in potentiſſimo Principe, in ſuperbiſſimo Imperatore dum triumphat, videt Pharaonis, Amani, Antiochi, Neronis excidia? Antiqua ſunt hæc, & quorum memoriam præſentaneæ fœlicitates funditus deleant.

§. XIV.

In mundialibus bonis non poteſt non apparere finis.

LÆtiſſimis Salomonis nuptiis illa ingeritur dos, quæ magnæ vrbis Gazer excidium, & cineres ob oculos proponat. Pharao enim Rex Ægypti aſcendit, *& cæpit Gazer, & ſuccendit eam igne, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ ſuæ, vxori Salomonis.* Et cur lætiſſimis Salomonis nuptiis adeò funeſtæ dotis munus ingeritur? Cur non potiùs quidquid lethale eſt ab ipſia arcetur? Eſt hæc bonorum mundialium notiſſima conditio, quòd non poſſit inter illa non ſe prodere lethalis finis, & ruina extrema. Quo ſpectans D. Athanaſ. orat. Athanaſ.
de Incarnat. Verbi, ait; *Quis denique alius immortales certos, confirmatoſque reddidit de immortalitate vt Chriſti crux, eiuſque corporis reſurrectio? Nam & Græci quiduis ementiti, non potuerunt tamen idolis ſuis reſurrectionem admentiri.* Quid ſapientius? Nil non mentiebantur Græci de bonis, de fœlicitatibus, de victoriis de immortalitate autem, de vita, bonisque æternis, qualia nos ſperamus per Chriſtum nihil vel mendaciter dicere auſi ſunt. Non potuerunt mentiri æternitatem in gloriis ſuis, vt enim mundiales erant, & huius creationis, non poterat non videri earum finis extremus Dan. Daniel. 7.
c. 7. ait: *Aſpiciebam ego in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerũt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorẽ, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruiẽt; poteſtas eius poteſtas æterna*, &c. Sic de poteſtate, & regno Ieſu dato à Patre veriſſimè prædicatur, quòd eſt poteſtas æterna & regnum æternum. Sed audite quid dicat de poteſtate, & regno Antichriſti Apocal. 13. *Dedit illi draco vir-* Apoc. 13.
tutem ſuam, & poteſtatem magnam, &c. *Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.* Ecce ubi quàm æmuletur diabolus Ieſu regnum, & poteſtatem, vt det ſimilem filio ſuo Antichriſto. Data eſt virtus, & poteſtas Ieſu, ſimiliter dicitur poteſtas magna data Antichriſto. Datum eſt Ieſu quòd omnes populi, & tribus, & linguæ ſeruiant ei, ſimile de Antichriſto dictum eſt. At dicitur de Ieſu, *poteſtas eius, poteſtas æterna*; id quod minimè dicitur de Antichriſto. Et cur id ſaltem mendaciter non dicit diabolus de tanto filio ſuo? Nonne alia multa falſa cõfinget de illo; et & hoc falſum non dicit, quòd nimirũ & regnum, & poteſtas eius æterna ſit? Planè talia ſunt mundialia omnia decora, & fœlicitates, vt nec mendaciter de illis poſſit prædicari æternitas. Ait Rupert. lib. 8. in Apoc. Rupert.
Porrò quod illic dictum eſt, poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur: hic in iſto contrario nullatenus ſortẽ adulterath, vt cætera ſunt inuenimus. Nec enim poteſtas ille, quæ dedit ille huic filio perditionis, æterna, ſiue incorruptibilis poteſt eſſe, vel dici. Expende illud, *nullatenus ſaltẽ adulteratum,*

ratum, &c. quippe multa alia bona ficta, & adulterata inueniuntur in illo perditionis filio; ſed inter illa nullo modo æternitas apparebit, nec ficta, nec mendaciter dicta. Talia enim ſunt hæc mundialia bona, quæ de ſe nec mendaciter æternitatem, ſed corruptionem dici permittant.
Actor. 12. Actor. 12. dicitur de Herode: *Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat, Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini.* Expende illud, *confeſtim*, hoc eſt, inter ipſum honorem exhibitum à populo. Et cur inter ipſos honores? Non paſſi ſunt mundiales honores, quòd vel mendaciter aliquid æternum in eis fingeretur. Iuxta quod dicebat Ioſephus lib. 19. de Ant. cap. 7. ex lectione Ruperti lib. 8. in Apocal. Vbi primos Solis radios argentea Herodis veſtis gremio ſuſcepiſſet, repercuſſo ſplendore duplicatam ſpectantibus lucem fulgore metalli vibrantis effudit, vt intuentibus præſtringe-
Ioſeph. ret aciem fulgor aſpectus, *& per hoc plus aliquid de eo, quod humanæ naturæ eſt, artifex arrogantia mentiretur, illico adulantis vulgi concrepant voces, honorem ſonantes, ſed exitium ferentes*, &c. Expende, vt totus ille honor ſimul cum exitio venit, ne ſupra humanum pulcrem aliquid æternum in mundialibus bonis vulgus mentiretur.

§. XV.

Chriſti ſponſis à cineribus præſtantiſſima fœcunditas exurgit.

NVnquam non ponderanda eſt dos illa vxori Salomonis à patre exhibita, nimirum: *Cæpit Gazer, & ſuccendit eam igne*, &c. *& dedit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis.* Et cur ſuccendenda fuit vrbs, & occidendi ciues vt inde ex cineribus, & cadaueribus fieret dos tantæ Reginæ? Nonne ominoſa eſſet nuptiis fœliciſſimis & cineris, & mortis ſterilitas? Ominoſa equidem forſan eſſet nuptialibus mundi feſtis, ſed non diuinis. Quæ enim Dei filio vero Salomoni nubunt ſponſæ, ex cineribus, & cadaueribus fœcunditatem præferunt præſtantiſſimam. Rachel in partu defuncta reliquit filium Geneſ. 35. quem pater vocauit Benjamin, hoc eſt, filium dexteræ. Vxor etiam Phinees in partu deficiens, dedit etiam filium vocatum Ichabod. 1. Reg. 4. Inſuper & Paulina nobiliſſima morte ſua ſic affecit maritum Pamachium, vt totum ſe dederit Chriſto. Quis non miretur ſanctarum fœminarum etiam in cinere, & morte fœcunditatem, qua ſanctiſſimos filios Deo pepererunt? Pulchrè id ponderans
Hieronym. D. Hieronym. ad Pamachium conſolatoria inquit: *De prima, Benjamin, hoc eſt, filius virtutis, ac dexteræ. De ſecunda inclytus Sacerdos Dei ex arca cognomine naſcitur. Nobis poſt dormitionem, ſomniúmque Paulinæ; Pamachium monachum Eccleſia peperit poſthumum, & patris, & coniugis nobilitate patritium, eleemoſynis diuitem, humilitate ſublimem.* Ecce tibi quàm frequens ſit ſponſis Dei, quod de cineribus eam fœcunditatem trahant, qua nobiliſſimos Deo filios parturiant. Et filios dexteræ, & inclytos Sacerdotes, & humilitate monachos illuſtres de cineribus à Chriſti ſponſa Eccleſia quotidie cernimus parturiri. Quò ſpectare non illa Iobi
Iob. 29. verba cap. 29. *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies meos.* Tritiſſima eſt alia lectio, dicens: *Sicut Phœnix multiplicabo dies meos.* In quo ſicut Phœnix? In eo crediderim, quòd de cineribus ſumit fœcunditatem ſuam.
Zeno. Ait D. Zeno ſerm. de reſurr. *Phœnix cùm maturum lethi tempus aduenerit, à ſemetipſa imitatu ſacris flammis libentiſſimè concrematur. Sepulchrum nidus eſt illi. Fauillæ nutrices: cinis propagandi corporis ſemen.* Proh nobiliſſimæ ſponſæ Chriſti! veræ mundi Phœnices, quibus & flammæ, & fauillæ, & cinis pro fœcunditate ſunt, qua virtutis filiis cœlum impleant.

§. XVI.

Qui Chriſto adiungitur, nil aliud ſpectet niſi Chriſtum.

SApienter Pharao vt dotaret filiam: *Cæpit Gazer, & ſuccendit eam igne, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ*, &c. Non antea tradidit ciuitatem in filiæ dotem, quam illam redigeret in cinerem, & vniuerſos interficeret ciues. Voluit enim ſapiens pater nihil ſpectabile ex ſuis tradere filiæ, vt vnum reſpiceret maritum. O quam ſapienter ageretur nobiſcum, ſi ex paterna domo, ex mundo nihil non emortuum, & flammis ſuccenſum videremus, vt vnum nouerimus ſpectare Chriſtum, cui ſemel adiuncti ſumus. Sapientiſſimi parentis ſunt illa verba Cant. 3. *Egredimini* Cant. 3.
filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius. Et quidem in die deſponſationis magni Principis multa ſunt ſpectabilia, ad quæ videnda vniuerſa multitudo concurrit. Cur hæ non inuitantur, niſi vt Salomonem videant? Audi ibi tres Patres apud Theodor. *His ſponſa eſt allocuta diſci-* Theodor.
pulas, diligens id, quod demonſtrari non poteſt, & humanam gloriam fugiens, cupiénſque vt ſponſum ſuum tantummodo omnes admirentur. Adeò mundialia omnia deſpiciebat, imò fugiebat ſponſa, vni adhæreſcens ſponſo diuino, vt totis viribus curaret, ne & diſcipulæ, & amicæ alium admirarentur, aut reſpicerent. Et quid aliud ſpectet, qui ſemel ſe Chriſto addixit? Actor. 10. *Aſcendit Petrus in ſupe-* Actor. 10.
riora, vt oraret. Et cur neceſſum fuit, quòd oraturus ſuperiora aſcenderet? Ait D. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Leuitic. *Nec enim tanti Apoſtoli conſilium ex ſuperfluo ſuperiore* Cyr. Alex.
delegit ad orandum, ſed quantum ego arbitror, vt oſtenderet, quòd Petrus, quia mortuus erat cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærebat, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei: & non quæ ſuper terram. Illuc aſcendebat ad illa tecta, de quibus dicit, qui in tecto eſt, non deſcendat tollere aliquid de domo. Hoc habeant, qui ſemel ſe dederunt Chriſto, infima quæque deſpiciant, & ad vnum ſemper Chriſtum reſpiciant.

§. XVII.

Præſtantem Dei ſponſam dedecent, quæ mundialibus ſunt communia.

ITaque Pharao: *Cæpit Gazer. & ſuccendit eam igne, & Chananæum; qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ ſuæ*, &c. Non enim auro multo, & argento dotauit filiam, ſed excidio hoſtium viri ſui, & incendio ciuitatum eorum. Quæ dos, vt non communis maximè exornabat puellam regiam; dedeceret enim tantorum Principum, & vxorem, & filiam, ſi dotaretur communibus. Vt diſcant ſponſæ Chriſti, quàm illas dedeceant, quæ mundialibus ſunt communia. Saul daturus filiam Dauidi 1. Regum 18. dicebat: *Non habet Rex ſponſalia* 1. Reg. 18.
neceſſe, niſi tantùm centum præputia Philiſthinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis. Et cur ad dotem filiæ ſolùm requirit Philiſthinorum cladem? Ait ipſe apud Ioſephum lib. 6. c. 11.
Nam & mihi nullam aliud talis munere optabilius: & filiæ fuerit Ioſeph.
honorificum non vulgaria iſta dona accipere. Equidem honorificum, & decentiſſimum erat tanti Principis filiæ, & ſponſæ non teneri vulgaribus iſtis, & communibus dotibus, ſed inuſitatis aliis, quæ triumphos ſpectent reportatos de inimicis viri. Et Chriſti ſponſa adhuc capietur vulgaribus iſtis; & vel viliſſimæ communibus? Abſit, ſed illi hæc vulgaria incenſa ſint, & emortua; nihilque præ ſe ferat, quod non ſit ſingulare, & inuſitatæ virtutis ſignum. De ſponſo enim eius Hieroſolymam ingrediente clamat Matth. cap. 21. ex Iſaia: *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex* Matth. 21.
tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis. Vt Rex veniebat, & tamen ſuper aſinam ſedebat. Et cur cùm ſe Regem acclamari ſinit, non in purpurea ſede, ſed in aureo curru ſe oſtendit? Sunt hæc vulgaria, & communiſſima Regum mundialium ornamenta inuenienda, vel in indigniſſimo, & dedeceret tantum Principem à vulgaribus his illuſtrari, & non potiùs à ſingulari aliquo, & inuſitato virtutis ſigno. Rem pulchrè expendit D. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 12.
ſaius: *Ecce Rex tuus venit tibi. Multi ſunt Reges: de quo igitur* Cyr. Hier.
dicit hic Propheta? Da nobis ſignum, quod alij Reges non habeant. Si enim dixeris purpuratum Regem: præoccupata eſt huiuſmodi dignitas; ſi dixeris à militibus ſtipatum, in curribus auratis ſedentem, hoc etiam ab aliis eſt præoccupatum. Da nobis ſignum proprium Regis, cuius regnum annuntias. Propheta reſpondit: Ecce

Rex tuus venit tibi iuſtus, atque Saluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, non in curribus. Solus Regum Ieſus ſuper pullo aſinæ ſedit, & cum benedictionibus tanquam Rex in Hieruſalem ingreſſus eſt. Quid pulchrius? Quidquid ſplendoris, quidquid deliciarum commune eſt & vulgare mundialibus Principibus, fugitur in Chriſto. Non à purpura, non ab auro, non à curru tantus Rex cœli & terræ clareret, in iis enim vel ineptiſſimi, & indigniſſimi conſpiciuntur. Ab aliis enim nouis, & triumphalibus virtutibus oſtendendus erat Rex, qui Eccleſiam veniebat deſponſare ſibi. Vt noſcat ſponſa, qualem ſe debeat exhibere Chriſto, nimirum quæ humana omnia decora flammis dedat, delicias fugiat, cupiditates mactet, quæ cum Deo pugnant, & ſub triumphalibus virtutum adoreis ſe ſuo ſponſo adiungat.

§. XVIII.

Præſtanti virtuti ruina in gloriam proficiunt.

DAturus Pharao filiæ ſuæ dotem Salomoni; *Cœpit Gazer, & ſuccendit eam igne, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis.* Sed eſto, quòd habitatores Gazer interficeret: cur neceſſum fuit ciuitatem ipſam ſuccendere igne? Cur non magis illam conſeruauit, vt integram traderet genero ſuo? Nouerat ſocer Salomonis virtutem, cuius gloriæ ſeruiebat militatura incendia ipſa. Quò refero pulchra D. Venantij Fortunati carmina dicta Leontio Epiſcopo in templi conflagratione lib. 1. Poemat. ait enim:

Venant. Fortun. *Vt tu plura geres, incendia tecta cremarunt,*
Et nunc laude tua pulchrius illa micant.
Nullaque flammicremæ ſenſerunt damna ruinæ
Quæ modò poſt ignes lumine plena nitent.
Credo, quòd ex ſeſe voluiſſent ipſa cremari,
Vt labor ille tuus hæc meliora daret.

Quid pulchrius? Vt plura virtutis teſtimonia in præſtanti viro innoteſcant, & ruinæ, & clades, & incendia mittuntur. Expectant enim ruinæ præſtantiſſimorum labores, qui ſciant fornices gloriæ ſuæ ſtruere vel de fauillis. Quis non horreat crudelitatem Antiochi in Machabæos pueros?
2. Machab. 7. Ait 2. Machab. 7. *Iuſſit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam; & cute capitis abſtracta ſummas quoque manus, & pedes ei præſcindi,* &c. *Et cùm per omnia inutilis eſſet, iuſſit ignem admoueri.* Ecce membrorum dilacerationem, & incendia, quibus nobilis adoleſcens reddebatur inutilis. Et quid in tam immani ſtrage Deus? Aiunt ſapienter fratres ibi: *Videbit Deus veritatem, & conſolabitur in nobis.* Quæ ruina erat, & calamitas adoleſcenti, conſolatio erat virtuti diuinæ in eo elucenti, cui omnia illa proficiebant ad triumphum. Simile quid paſſus fuerat S. Arcadius, de quo
Zeno. ait D. Zeno in eius ſermone? *Tanta fuit in martyris deuotione conſtantia, vt omni corpore paratus veniret ad gloriam. Exiliebant exectæ manus. Dum poplitibus, ſuiſque porrectis à germana coniunctione naturæ gladio ſæui latronis plantarum limes inciditur, & obſequio pedum corpus martyris viduatur. Numerent martyria, qui poſſunt numerare ſupplicia: & in vno corpore quantum diabolus publicatus eſt furere, tantum agnoſcatur Dominus triumphaſſe. O dignus glorioſi exitus finis! Cui hæc comparanda confeſſio? Machabæorum eſt iungenda numero.* Expende in primis illa: *Omni corpore paratus veniret ad gloriam;* quidquid enim corporis dabatur gladio, dabatur igni, ad gloriam proficiebat virtutis diuinæ. Deinde expende illa: *In vno corpore quantum diabolus publicatus eſt furere, tantum agnoſcatur Dominus triumphaſſe.* Reſpondent enim triumphi Chriſtiani calamitatibus, & ruinis, adeò, vt meritò martyres ament cremari, & lacerari, vt Chriſti labor effulgeat in meliorandis, & glorificandis ipſis. Quanta enim erit gloria Chriſti, vbi corpora ſuorum flammis exuſta, vorata à feris, in ſumma integritate, & ſplendore reſurgant?

3. *Regum* 4. Erat autem Rex Salomon regnans ſuper omnem Iſraël: & hi Principes quos habebat, Azarias filius Sadoc Sacerdotis. Elihoreph, & Ahia filij Siſa, ſcribæ: Ioſaphat filius Ahilud à commentariis: Banaias filius Ioiadæ ſuper exercitum, Sadoc autem & Abiathar Sacerdotes: Azarias filius Nathan ſuper eos, qui aſſiſtebant Regi, Zabud filius Nathan Sacerdos amicus Regis, *&c.*

§. XIX.

Regaliſſimi Principis eſt in principatu, & honore conſortes habere.

HOc in Salomone inuenio regaliſſimum, quòd non ſolùm ipſe Princeps, ſed multos alios principatus haberet participes. Dicit enim: *Erat autem Rex Salomon ſuper omnem Iſrael, & hi Principes, quos habebat, Azarias,* &c. Principatus honores, & dignitates non ipſe ſibi vni præripiebat, vt faciunt tyranni; ſed partiebatur cum multis. Non immeritò dabatur vitio, Domitiano Imperatori, quòd conſulatus honores aliis inuidens, ipſe ſibi ſuprà Imperium, & conſulatus arriperet. Ait enim Auſonius Auſonius.
in gratiarum actione ad Gratianum: *Seu decem, ut ſeptem Domitiani Conſulatus, quos ille inuidia alteros prouehendi continuando conſeruit, ita in eius auiditate denſim, vt hoc eum pagina Faſtorum (imo faſtidiorum) fecerit inſolentem.* Non regalis, ſed tyrannicus Imperatoris animus & inſolens inuidià raptus cauebat dignitates imperij aliis diuidere. Nonne tyrannicum eſt, quòd Princeps inuideat dignitates alicui? Non ſic regaliſſimus Salomon, ſed ipſe Princeps multos faciebat Principes, & principatus participationem partiebatur plurimis. In hoc veri Regis, & Principis Ieſu formam adumbrans, qui nihil ſplendoris, nihil gloriæ ſibi aſſumit, quod non faciat & multis commune. Apocal. 4. *Ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſupra ſedem ſedens. Et* Apocal. 4.
qui ſedebat, ſimilis erat aſpectus lapidis iaſpidis, & ſardinis, & iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ. Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorū coronæ aureæ. Vnus erat Rex, & Princeps omnium Ieſus in prima, & præcipua ſede, qui regnum & principatum naturaliter habebat. At viginti illi ſeniores, qui ſummum Regem cingebant, cur & ipſi cum coronis regalibus erant? Cur non magis deponebant coronas in conſpectu, & præſentia tanti Regis? Imò ideò coronas habebant, quia erant iuxta ſummum Regem, qui coronæ ſuæ honorem non ſibi vni ſeruabat, ſed illius multos participes habebat. Ait ibi Rupertus lib. 3. de illis: *Et coronæ au-* Rupert.
reæ in capitibus eorum, quia videlicet coronæ eius participes ſunt, cuius & nomen hæreditauerunt, & officio functi ſunt. Dicti ſunt enim ſaluatores, quia populum Dei, ne periret, ſaluauerunt. Expende illa: *Quia videlicet coronæ eius participes ſunt;* quippe Rex ſæculorum non inuidit coronas ſuis; quin coronas illis diſtribuit, ſuæque coronæ, & throni participes eos fecit. Nec vllum vnquam ſibi honorem carentiſſimus Rex Regum Ieſus meus acquiſiuit, cuius non faciat multos alios participes. Cauebat lex Deut. 21. *Quando pec-* Deut. 21.
cauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo; non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, &c. Nulli alij reo neciſo parat lex ſepulturæ honorem, niſi crucifixo? Et quando nec de lapidato, aut decollato curauit, vt ſepelirentur; cur de ſolo crucifixo id curauit? Crucifigendus erat Ieſus ſub Regis Iudæorum titulo, qui parans per illam legem ſibi ſepulturæ honorem, ſic illum ſibi parauit, vt ſimul etiam proficeret multis. Ait Rupert. lib. 13. in Ioannem.
O igitur mirabile, & antiquum crucifixi huius conſilium, qui Rupert.
tanto ante quàm veniret, ita de ſepeliendo corpore ſuo dedit præceptum, vt profuerit omnibus crucifixis ſcriptum pro ſe vno legis mandatum. Cum enim decollatos, ſiue lapidatos, aut alia vi peremptos liceret impunè inſepultos canibus proiici; ſolis crucifixis propter illum crucifigendum lex prophetica, vtpote Dei digito ſcripta ſepulturam negare prohibuit. Adeò bonus Rex Regum, & regaliſſimus Princeps honores proprios non inuidebat ſuis; vt nec ſepulturæ honorem habere vellet, quin cum pluribus aliis diuideret.

§. XX.

§. XX.

Fœlicitas ſumma Principatus, quem pacifici, & quieti extollunt.

DVm primarios Salomonis laterones video, omnes noto eſſe viros pacificos, dum dicit: Hi Principes, quos habebat: *Azarias filius Sadoch ſacerdotis, Elihoreph, & Ahia filij Siſa, ſcribæ; Ioſophath filius Ahilud à commentarijs,* &c. Et è multis alijs numeratis, vnus Banajas inuenitur, qui ad bella pertineat, exteri omnes & Sacerdotes, & Scribæ, & Præfecti annonarum, & tributorum omnes viri pacifici. Ex quo non parum extollebatur Salomonis principatus, quòd non de aliorum calamitatibus, ſed de quiete floreret, & pace ſumma. Id quod in ſuo Childeberto Galliæ Rege mirabatur Venant. Fortunat. lib. 6. inquiens:

Venant. Fort.

Illi auxere armis patriam, ſed ſanguine fuſo,
Tu plus acquiris, qui ſine clade regis.
Quos priùs inſolites laſſarunt bella periclis,
Hos modò ſecuros pacis amore foues.
Omnia læta canunt fœlicia tempora Regis,
Cuius in auſpicio floret opima quies.
Per quam tranquilla terrarum fruges abundat,
Deuotis populis eſt tua vita ſeges.

Mordet vir prudentiſſimus principatus acquiſitionē & victorias mortaliū ſanguine emptas; illud extollit in Principe, quòd ſine ſuorum, & aliorum ſanguine regnet. Vtinam huc ſpectarent vniuerſi Principes, & faſtidirent glorias, quas ſuorum clades parturirent. Maior equidem ille eſt, qui ſine clade regnat; cui pax alma ſeruit, & tranquilla ſeges abundat. Planè & tota magnitudo Salomonis inde nata fuit, dicente Deo 3. Regum 3. *Quia poſtulaſti hoc verbum, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium, ecce feci tibi,* &c. Expende illa, *aut animas inimicorum tuorum*, quippe quia non ſanguine fuſo, ſed ſapientia amauit Salomon ampliare principatum ſuum, & ſine clade regnare, ideo tantum regni decorem, & amplitudinem à Deo compararet, vt ſuper omnes fulgeret Principes. Vtinam hanc mentem ebiberent Chriſtiani Reges, & fallar, niſi idem à Deo ſuſciperent; quibus nunquam non ominoſum eſt, quod potius bellis, quàm paci habendæ ſtudeant. Non negabo in rem præſentem verba Theodorici cantatiſſimi Regis data duobus alijs, qui iam erant in arma præcincti. Dicit enim apud Caſſiodorum lib. 3. variar. 4. *Miramur animos veſtros ſic cauſis mediocribus excitatos, vt cum filio noſtro Alarico Rege duriſſimum velitis ſubire conflictum, vt multi, qui vos metuunt, de veſtra concertatione lætentur. Ambo eſtis ſummarum gentium Reges, ambo ætate florentes. Non leuiter veſtra regna quaſſatis, ſi data partibus libertate confligitis. Virtus veſtra non fiat patriæ inopinata calamitas. Quia grandis inuidia eſt Regum in cauſis leuibus grauis ruina populorum,* &c. *Nullatenus inter vos ſcandala ſeminet aliena malignitas; ſed in pace perſeuerantes, quæ ſunt inter vos, medijs amicis, placabiliter finire debeatis. Vt gentes quæ ſub parentibus veſtris longa pace floruerunt, ſubita non debeant concuſſione vaſtari. Illum enim credere debetis, quem veſtris vtilitatibus arridere cognoſcitis. Quoniam qui vult alium in præcipites caſus mittere, eum certum eſt fideliter non monere.* Quis hinc non videat, quàm dedeceat præcelſos Principes non velle ſine clade, & ſanguine regnare? Sapientiſſimè illud dictum: *Qui vult alium in præcipites caſus mittere, eum certum eſt fideliter non monere.* An fidelis Conſiliarius eſt, qui Principem in planis ambitioſè currentem trahit, vt currat per montium prærupta, per notiſſima præcipitia? Caſus belli præcipites ſunt, & valde ambigui; quæ inde naſcuntur gloriæ maximè dubiæ. Confligit ſæpe Princeps vt ampliet principatum, & nomen glorioſum acquirat, & poſt multos ſudores venit in ſummas regni anguſtias, & non rarò in ignominiam. Conſulantur hiſtoriæ, & legantur bella a finitimis Principibus inita, & fallar, ſi aliud inde ortum pareat, quàm ruina & calamitas partis vtriuſque.

3. Reg. 3. — Caſſiodor.

§. XXI.

Clariſſimorum Principum eſt amicitiam colere etiam cum ſubditis.

MVltos Reges, Principéſve inuenio, quorum facinora in Scripturis ſacris narrantur, de duobus autem tantùm audio, qui dicantur habuiſſe amicos. Alter eſt Dauid, cuius Principes dum recolit 1. Paralip. 27. ait: *Chuſi Arachites amicus Regis.* Alter eſt Salomon, inter quorum domeſticos etiam numeratur in præſenti *Zabud filius Nathan Sacerdos amicus Regis.* Vt enim ij duo Reges à Deo ſingulariter prouiſi ſunt, ſic non defuit illis amicitiæ cultus etiam erga ſubditos, quo ſplendet maximè Deus. Et quo maximè decantati ſunt duo alij clariſſimi Principes, qui ab Hiſpania orti tenuerunt dominium mundi. De Theodoſio Imperatore ait Latinus Pacat. in eius Paneg. *Ecquis Imperatorum vnquam putauit amicitiæ cultum in regia laude ponendum? Humilis hæc virtus, dubiumque virtus iudicabatur, nec Palatio digna, ſed priuatis habebatur. Iudi. facilius inueneris, qui pecuniam ex ærario, quàm qui fidem ex animo promſerit. Tu amicitiam, nomen ante priuatum, non ſolum intra aulam vocaſti, ſed indutam purpura, auro gemmiſque redimitam, ſolio recepiſti.* Sic Theodoſij laudi tribuit, quod in aula fecerit florere amicitiam, habente ipſo Imperatore amicos. Quin & multo ante Pacatum dixerat etiam Plinius de Trajano ſuo: *Iametiam in priuatorum animis exoleuerat priſcum mortalium bonum amicitia, cuius in locum migrauerant oſtentationes, blanditiæ, & peior odio amoris ſimulatio: (etenim in Principum domo nomen tantùm amicitiæ, inane ſcilicet, irriſumque remanebat. Nam quæ poterat eſſe inter eos amicitia, quorum ſibi alij domini, alij ſerui videbantur?) Tu hanc pulſam, & errantem reduxiſti. Habes amicos, quia amicus ipſe es. Diligis, cùm diligaris, & in eo, quod vtrinque honeſtiſſimum eſt, tota gloria tua eſt, qui ſuperior factus deſcendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex Imperatore ſummitteris. Imò tunc maximè Imperator, cùm ex Imperatore amicum agis.* Quid pulchrius? Vt rarus, ſic in ſupremis Principibus meritò cultus amicitiæ laudatur.

1. Paral. 27. — Lat. Pacat. — Plinius.

§. XXII.

Regum amicis ſpecialis honor deferendus.

REcenſens textus ampliſſimas Salomonis aulæ dignitates & præfecturas, ad illud peruenit, nimirum: *Zabud filius Nathan Sacerdos amicus Regis.* Nec immeritò amicitiam cum Rege ponit inter aulæ dignitates; nunquam enim non debet amicus Regis non haberi primus inter omnes Principes. Notabam aliquando Ioannis Euangeliſtæ humilitatem, qua ſe dimittebat ad pedes Angeli viſi, vt adoraret eum Apocal. 19. Angelus autem Ioannem prohibuit, dicens: *Vide ne feceris*, &c. Et cur Angelus adeò anxiè cauet, ne ſibi Ioannes adorationis obſequium exhibeat? Nonne ab alijs hominibus ſe adorari Angeli permittunt? Cur quòd ab alijs recipit obſequium Angelus, à Ioanne non recipit? Erat Ioannes ſummi Regis Chriſti familiariſſimus, adeò vt ſub nomine *Dilecti* vocaretur; ideo Angelus cauet ab illo obſequium humiliationis recipere, vt cui ſpecialis honor debebatur propter familiaritatem cum ſupremo Principe. Quò ſpectans D. Petrus Damianus ſermone 1. ait: *Refugit obſequium ab illo ſuſcipere, quem nouerat apud communem iudicem locum gratiæ familiariter obtinere.* Tanti æſtimant Angeli familiares, & amicos Regis ſui, iudicis ſui, vt homines diſcant quem in locum ponere debeant eum, qui familiaris, & amicus eſt Principis, ſub cuius gladio viuunt.

Apocal. 19. — Damian.

3. *Regum* 4. Habebat autem Salomon duodecim Præfectos ſuper omnem Iſraël, qui præbebant annonam Regi, & domui eius: per ſingulos enim menſes in anno ſinguli neceſſaria miniſtrabant. Et hæc nomina eorum, *&c.*

§. XXIII.

§. XXV.

Cœleſtis panis ex ſe nulli non abundat.

PRouidentiſſimi Præfecti Salomonis, *præbebant annonam Regi, & domui eius.* Non ſolùm Regi, ſed & vniuerſæ domui cibum parabant, vt in hoc cœleſtis cibi innuetetur bonum, cuius eſt ſufficere, & abundare omnibus. Prouerb. 6. (Prouerb. 6.) dicebat: *Si verò impiger fueris, veniet vt fons meſſis tua.* Meſſis frumenti multo ſudore colitur, & tandem domum refertur, in horreis conditur, vt abundet domino. Fons autem recondi non poteſt, ſed vbicumque claudatur, foras riuos emittit, qui abundent omnibus. Quæ ergo meſſis poteſt fieri vt fons? Equidem meſſis cœleſtis tritici, vbi impigros cultores inuenit, horrea, & clauſtra fugit, & fit patentiſſimus fons, vt omnibus abundantiam donorum præſtare poſſit. Quò ſpectans (Chryſoſt.) D. Chryſoſt. hom. 5. in Epiphan. ait. *Ex hac menſa ſpiritualium fons emanat bonorum; & hunc tu ſtatim relinquis, & curris ad theatrum,* &c. *vt iſtud aſpicias, ſedentem iuxta donorum cœleſtium fontem Chriſtum relinquis. Nam & modò ſuper fontem ſedet, non vnam Samaritanam, ſed vniuerſam alloquens Eccleſiam.* Ecce tibi cœleſtium dapum menſa, vt ſit fons bonorum, ſuper quem fontem Chriſtus ſedet, an vnam Samaritanam ſpectans? Abſit, ſed totam gentium Eccleſiam vocat, & eos proponit cibos, qui abundent omnibus. Quando ſedebat ſupra fontem Sichar, quem ſibi Iacob effoderat, non miror, quòd vnius peccatricis conuerſione contentus eſſet. Steriles enim ſunt aquæ, quæ per creaturas profluunt. At vbi ſedet ſupra fontem; qui erumpit è cœleſtis panis meſſe, non vnius ſaturitatem tractat, ſed omnium. Neſcit cœleſtis cibus non ſeſe ef- (Exod. 16.) fundere in ſaturitatem multorum. Exod. 16. *Aſcendit coturnix cooperuit caſtra; manè quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum,* &c. De coturnicibus notatur, quòd operuerint Iſraelitarum caſtra, intra eorum cadentes limina. At minutum cœleſtis panis non intra caſtra, ſed extra per circuitum apparuit. Et cur ſicut coturnix intra caſtra erat, non ſimiliter intra caſtra inueniebatur manna, ſed extra? Eſt hoc Chriſtiani epuli proprium, quòd non in vno ſtagnetur, ſed ad plures ſe extendat populos. Ait D. Cy- (Cyr. Alex.) rillus Alexandrinus lib. 3. in Ioannem cap. 33. *Legalis diſciplina, quam per coturnicem intelligimus, figuris, atque vmbris Iudæorum populum contegit. Euangelica doctrina rutilauit non in Hebræorum congregatione, ſed per circuitum caſtrorum in facie deſerti, in omnibus videlicet gentibus. In omnem enim terram intellectualis mannæ gratia fuſa eſt.* Non coarctatur ad vnum Chriſtianus cibus, ſed multis abundare præſumit. Ge- (Geneſ. 49.) neſ. 49. *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia.* Ex Græco legunt multi: *In matutino edet, & ad veſperam edet cibum.* Quæ verba ferè ab omnibus Patribus aptantur D. Paulo, qui fuit ex tribu Beniamin. Qui dicitur ediſſe in matutino, ſed veſpere cibos diuiſiſſe. Et quod fuit Paulo matutinum? Ruffinus Pauli matutinum putat tempus, quo ſub lege viuebat; veſpertinum autem tempus, quo conuerſus fuit ad Chriſtum. Cùm ergo in matutino erat, hoc eſt, ſub lege viuebat, tunc ipſe edebat, & vix ſibi abundabat: vbi autem ad veſpertinum venit, & induit Chriſtum, iam tunc cibum diuiſit, & vt cœleſtem cibum abundaret plurimis.

§. XXVI.

Nouitas vitæ neceſſaria ei, qui cœleſtes cibos tractat.

PRo annona Salomonis tractanda duodecim Præfecti conſtituti ſunt, quorum ſinguli ſingulorum menſium cibos procurent. Sic enim dicit: *Per ſingulos enim menſes in anno ſinguli neceſſaria miniſtrabant.* Non ſimul omnes Præfecti annonæ de illa comparanda pro toto anno curabant; ſed ſinguli menſibus ſingulis præpoſiti erant, ne longo ſpatio inueteraſceret illorum cura, ſed poſt quemlibet menſem nouus procurator exſtaret, qui nouello ſtudio Regi prouideret cibum. Vtinam hanc nos ebibamus œconomiam, qua ſciamus ſaltem ſingulis menſibus renouari, vt nouo affectu, & ſpiritu tractemus epulum diuinum. De viuifico potu dicebat Dominus Matth. 26. *Hic eſt enim* (Matth. 26.) *ſanguis meus noui Teſtamenti,* &c. Et cur ſanguinis calicem vocat nouum Teſtamentum? Vt oſtenderet, quàm noui, ad nouum peruenire debemus, vt enim ait Matth. 9. *Ne-* (Matth. 9.) *mo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus,* &c. nunquam bene, & viliter iunguntur nouum pannum, & vetus, nec securè aſſuuntur. Qui ergo ad noui Teſtamenti calicem accedit, caueat, ne vetus exiſtat, ſed expurgato veteri fermento intimè renouatus ſit: vt meritò dicat Paſchaſ. lib. de ſanguine, & corp. Chriſti cap. 11. *Et quia noui Teſtamenti eſt, non niſi ab innouatis, qui* (Paſchaſ.) *ſunt ſine vetuſtate peccati, communicatur.* Caue homo in negotiatione cibi cœleſtis inueteraſcere, non enim niſi ab innouatis participari ſecurè poteſt. Dicebat item Dominus Matth. 26. *Non bibam à modo de hoc genimine vitis vſ-* (Matth. 26.) *que in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.* Et quando illud in regno patris bibit? An Ieſus dicitur in cœleſti regno per ſe bibere ſanguinem ſuum, aut manducare carnem ſuam? Cùm dicit, in regno Patris, non agit de regno cœleſti, ſed de regno Eccleſiæ militantis, in quo diuiniſſimus hic cibus, & potus apparet confectus ab Eccleſiæ principibus Apoſtolis, non antea quam renouati fuerint intrinſecus per ſanctum Spiritum. Ait enim Paſchaſ. ſuprà: *Ex quo enim renouati ſunt* (Paſcaſ.) *ſancti Apoſtoli per aduentum ſancti Spiritus de cœlis, & inebriati muſto charitatis; ex eo ſanè credimus hunc calicem in Eccleſia conſecratum. Profectò vbi iam ſicut à Chriſto, ita ſanè ab eis, deinceps in nouitate Spiritus ſancti conſecratur.* Amat ſemper viuificus hic cibus, & potus renouatis virtutum affectibus tractari. Quò adducenda ſunt dicta tom. 2. de Chriſto figurato lib. 5. cap. 26. §. 29. & tom. 3. lib. 7. c. 7. §. 9. & cap. 11. §. 17.

3. *Regum* 4. Iuda & Iſraël innumerabiles ſicut arena maris in multitudine, comedentes, & bibentes, atque lætantes. Salomon autem erat in ditione ſua habens omnia regna ſecum à flumine terræ Philiſthiim vſque ad terminos Ægypti; offerentium ſibi munera, & ſeruientium ei cunctis diebus vitæ eius. Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos triginta cori ſimilæ, *&c.*

§. XXVII.

Seruus ſatur domini gloria eſt, vbi de Euchariſtia.

AD non paruam Salomonis gloriam facit, quod de eius ſubditis dicitur, nimirum erant *comedentes, & bibentes, atque lætantes.* Quid iucundius, quid delicioſius, quid beatius Principi? Geneſ. 49. *Aſer pinguis panis eius, &* (Geneſ. 49.) *præbebit delicias Regibus.* Ecce qui præbet delicias Regibus nimirum qui copiam panis inducit, quo ſaturentur ſubditi. Circa quæ verba ait Rupert. *Aſer beatus interpretatur.* (Rupert.) *Bene ergo alluſit ad nomen eius, dicens: Pinguis panis eius. Pinguedo namque vel abundantia panis quædam beatitudo eſt vulgi iudicio. Vnde Pſalmus ait: Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt, ſcilicet promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud, oues fœtoſæ abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ. Et hac beatitudine ſua præbebit delicias Regibus, delicioſo namque eſt Regibus populis ſeruitus, vbi pinguis eſt panis eius.* Equidem in abundantia panis, quo ſubditi ſaturi ſunt, habent Principes, aut debent habere delicias ſuas, & glorias ſuas. Quid delicioſius, & glorioſius Principi, quàm quòd ſubditi alimentis abundent? Tunc ſanè facillime adducuntur in quoduis Principis ſeruitium. De regnorum omnium, & principatuum fundatrice ſapientia dicit Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſe-* (Prouerb.) *ptem. Immolauit victimas ſuas: miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam,* &c. vbi noſter propoſuit: *Immolauit victimas*

mus ſuas, legit Tertullianus in lib. aduerſùs Gnoſticos: *Iugulauit filias ſuos.* Quid durius, quam iugulare filios? Quid blandius, quàm miſcere vinum, & menſam apponere? Ipſa regnorum fundatrix ſapientia & fartam apponit menſam ſuis, & ſuos iugulat, vt oſtendat in quam dura, in quam lethalia ſeruitia poteſt Princeps ſuos adducere, dum eos fartis menſis enutriat. Accipite Plinium diſ-

Plin.

ferentem in Paneg. ad Trajan. Inquit enim: *Magnum quidem eſt educandi incitamentum tollere liberos in ſpem alimentorum, in ſpem congiariorum; maius tamen in ſpem libertatis, in ſpem ſecuritatis. Atque adeò nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat, non alat, dum non occidat; nec deerunt, qui filios concupiſcant. Contra largiatur, & auferat, alat, & occidat*, &c. Quid ſapientius? Sapientiſſimi hominis ſunt illa verba ad Principem, nimirum: *Largiatur, & auferat, alat, & occidat.* Vbi enim Princeps largus in fouendis ſubditis, in paſcendis illis, iure ab illis, vbi res tulerit, petit pro ſe perferri dura. O gloria Regis noſtri, & Principis noſtri Ieſu nos mortificari, & mactari mandat pro ſuo nomine, ſed quos priùs abundantiſſima menſa excipit, diuiniſque alit alimentis.

§. XXVIII.

Princeps ne ſit partiarius in fouendis ſubditis.

NOtanter dictum eſt: *Iuda, & Iſraël innumerabiles, ſicut arena maris, in multitudine, comedentes, & bibentes*, &c. Iſraelis nomine non ſolùm vndecim aliæ tribus, ſed etiam tribus Iuda tunc temporis comprehendebatur, vt quæ cum aliis ab Iſraele parente traheret originem. Cur ergo modò ſpeciatim notatur de Iuda, quòd Iuda & Iſrael comedebant, & bibebant? Id ad non paruam commendationem Salomonici Regis factum eſt, qui etſi de tribu Iuda erat, & ideo chariorem ſibi habebat illam tribum, tamen illa non aliter alebatur, & curabatur, quam reliquæ aliæ tribus. Vtinam hinc Principes, & gubernatores diſcerent omnibus eſſe communes, & minime partiarij in fouendis ſubditis. Talem Principem quærebat

Cant. 1.

illa Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Cur in meridie? Cur non magis in matutino? Aut cur non in Solis occaſu? In matutino, aut veſpertino lux Solis partiaria eſſe videtur, propinqua ſibi ſolùm illuminat maiori ſplendore; longinqua autem fuſca permittit. At in meridie Sol conſtitutus omnibus ſeſe ex æquo communicat; quod in ſuo Principe amabat ſponſa, ne quem impleret alio affectu, quam eo, qui omnibus fouendis eſt communis. Ait ibi D. Iuſtus Or-

Iuſtus Org.

gelitanus: *Legimus in Euangelio: Si dixerint, ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, nolite exire. Hic enim, atque illic, partes eſſe noſcuntur, Chriſtus autem in Eccleſia catholica tanquam in Meridie cubans mundum vniuerſum ſuo fulgore perfudit, & in ſpiritu ferventibus requieſcit; atque ea ea charitate, qua orbem vniuerſum irradias, credentes in ſe populos quotidie paſcit.* Expende illa, *ex ea charitate, qua orbem vniuerſum irradiat, credentes in ſe populos quotidie paſcit.* Equidem paſcit Dominus quotidie fideles ſuos, illiſque exhibet alimenta vitæ; ſed quo id præſtat affectu? An partiario aliquo amore? Abſit: ſed ea charitate, qua orbem vniuerſum irradiat, ex communiſſima ad omnes charitate hoc naſcitur, quòd fideles paſcantur. Ne quis affectus in bono Principe videatur partiarius, ſed dicat, quòd de ſe dicebat Vitigis Rex apud

Caſſiodor.

Caſſiodor. lib. 10. variar. 31. *Ad gentis vtilitatem reſpiciet omne, quod agimus: priuatim nec nos amabimus.* Hæc vox cantatiſſimo Principe digna; & tunc dignior, quando ipſis rebus geſtis comprobatur.

§. XXIX.

Subditorum vtilitas quaſi propria habetur à bono Principe.

MIrabar ſæpè Salomonicæ menſæ copiā, de qua dicit: *Erat autem cibus Salamonis per dies ſingulos triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues paſcuales*, &c. Et planè tam immenſæ ciborum copiæ, non ad vnum Salomonem pertinebant; ſed ad vniuerſam eius familiam. Cur ergo, qui totius familiæ cibi erant, dicuntur ſolius Salomonis cibi? Cur non ait: Erat cibus Salomonis, & familiæ eius? Cur diſſimulato nomine familiæ, ſolius Salomonis dicitur cibus in tanta, & tam immenſa abundantia? Iure totius familiæ cibus dicitur Salomonis ſolius cibus, bonus enim Princeps credebat ſe veſci omnibus, quibus veſcebantur ſui. Conueniant huc præſtantes Principes, & diſcant, quam debeant ſibi credere proficere, quidquid lucri, quidquid vtilitatis capiunt ſubditi. Quin potiùs id in veriori Salomone Ieſu ſalubrius aſpiciant. Qui Matth. 26. dicebat: *Matth.* 2.

Non bibam à modo de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei. Quæ verba communiter referuntur à ſanctis Patribus ad tempus glorioſæ reſurrectionis Ieſu. Sed Ieſus reſurgens glorioſus ex mortuis, non ampliùs indiguit cibo, & potu ſpirituali; imò non amplius vſus eſt ſalutifero ſui ſanguinis poculo. Et quando in reſurrectionis tempore non vſurus erat myſticis diuini ſanguinis poculis, cùm dictum eſt, quòd illud etiam tunc temporis bibet nouum? Bibituri erant fideles Chriſti potum ſanguinis eius, & comeſturi carnem eius corporis; bonus autem Princeps ſe reputat edere, & bibere, quod ſui bibebant, & edebant. Ait Paſchaſ. lib. de corpore, & ſang. Domini cap. 21. *In* Paſchaſ.

regno adoptiuum de genimine vitis bibit, & vinea Sorech, quæ interpretatur electa. Rubentia enim multa in eo praelo cruces eloquantur, dum quotidie Chriſti ſanguinem de altari ſumimus. Idcirco quoties nouum ex hoc vinum bibimus in regno Dei, Chriſtus illud ſe bibere fatetur, cuius nos membra ſumus, & qui bibimus. Itaque quoties ſui bibunt ſuperſubſtantiale vinum, toties fatetur ſe illud bibere bonus Chriſtus, & Rex noſter Ieſus. Vt Principes diſcant, quam vt ſuum debeant habere, quod proficit ſubditis. Ex quo dicebat ille Matth. 25. *Matth.* 25.

Eſuriui, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, dediſtis mihi bibere. Circa quæ Paſchaſ. ſupra: *Sicut paſcitur in ſuis, & eſurit, &* Paſchaſ.

ſitit, & veſtitur, ac ſuſcipitur; ſic quoque bibit illud nouum, in regno Patris, id eſt, in Eccleſia, quoties eum digne ſui, aut comedimus, aut potamus. Sic bonus Princeps putat ſe comedere, & bibere, quoties ſui comedimus, aut bibimus.

3. *Regum* 4. Habitabátque Iuda & Iſraël abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua à Dan vſque ad Berhſabee cunctis diebus Salomonis. Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum curriliium, & duodecim millia equeſtrium. Nutriebántque eos, *&c.*

§. XXX.

A ſolo Ieſu verum fructum poſſumus percipere.

ECce tibi in diebus Salomonis erat *vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua.* Erant equidem & fructiferæ vites, & ſuauiſſimæ ficus, quæ Salomonis implerent ſubditos ſuis fructibus. Vt hinc pareret, quid habeant, qui ſub veri Salomonis Ieſu viuunt, quot fructus inde percipiant. De illis, qui ſub tenebrarum harum tectonibus degunt, locutus Oſeas cap. 4. ait: *Super capita montium ſa-* Oſ. 4.

crificabant, & ſuper colles accendebant thymiama, ſubtus quercum, & populum, & therebinthum, quia bona erat vmbra eius. Nulla eis erat vitis, nulla ficus, nulla arbor fructifera; ſed omnes erant ſub quercubus, ſub populis, ſub therebinthis. Et cur ſub iis infrugiferis arboribus erant? Nimirum ait: *Quia bona erat vmbra eius*; non quia bonus erat fructus; ſed quia bona vmbra. Non equidem extra Ieſum fructibus paſcuntur mortales, ſed vmbris & ſic cæci rapiuntur ad vmbras, vt vbicumque paruam vmbellam inueniant, ibi putent immenſam diuinitatem habitare. Ait ibi Ruffin. *Vmbras arborum paulo denſioribus mouentur, & credunt illic diuinitatis eſſe plurimum, vbi aliquid amœnitatis viderit.* Heu miſeri homines, nihil fructuoſum ſectantur,

non

non ad fructus reſpiciunt, ſed ad vmbras, ad foliorum amœnitates. Et vbi vel viride folium vident, vel vmbellam boni perſpiciunt, ſic ſtupent, quaſi inibi totam diuinitatem habeant. Sic deſipiunt miſeri homines, qui temporalia hæc auidè ſectantur, viuentes ſub Principibus tenebrarum. Qui autem ad verum Salomonem pertinent, non vmbras capiunt, ſed fructus indeficientes habent.

Oſ. 14. De his Oſeas 14. *Conuertentur ſedentes in vmbra eius: viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea; memoriale eius ſicut vinum Libani. Ephraim quid mihi vltra idola? Ego exaudiam, & dirigam eum, ego vt abietem virentem, ex me fructus tuus inuentus eſt.* Ex quo quis ad Ieſum conuertitur, & ſub vmbra eius ſedet, an ſolam inuenit vmbram? Abſit, imò ea tunc illi & tritici meſſes abundant, & vindemiæ ſuppetunt, & vniuerſi bonorum fructus affluunt. Sed expendenda ſunt illa, *Germinabunt quaſi vinea; memoriale eius quaſi vinum Libani*; non enim Chriſti aſſeclis accommodantur quælibet vineæ, ſed illæ, quæ in Libano ſunt, ad diſtinctionem aliarum, vt ait Rupertus ibi, de quibus Deut. 32. dicit:

Deut. 32. *De vinea Sodomorum vinea eorum.* Et cur neceſſaria fuit, iuxta Ruper. hæc diſcretio vinearum, nimirum vinearum Sodomæ? Equidem neceſſaria fuit vinearum diſcretio, vt oſtenderentur fructus aſſeclarum Chriſti, & fructus vitioſorum hominum. Vt enim vineæ Libani fœcundiſſimæ ſunt, & pretioſiſſimæ omnium in fructibus, ſic Chriſti Domini aſſeclæ omni pretioſo fructu abundant. Voluptatum autem mancipiis vinea Sodomorum eſt, cuius fructus & cinis, & ignis. De Sodomitis enim locutus

Clem. Alex. Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 10. ait: *Eos, vnà cum ciuitate combuſſerunt, euidente hoc iudicio, ignem, qui eſt fructus libidinis, deſcribentes.* Expende illa: *Ignem, qui eſt fructus libidinis*; circumſpice enim vniuerſas mundiales voluptates, & delicias, & fallar, ſi alium ex iis fructum excerpſeris, quàm ignem, quò miſerè crucieris. De ſola manu Ieſu & veros, & ſolidos, & dulces percipies fru-

Ioel. 4. ctus. Quò ſpectans Ioel cap. 4. aiebat: *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ, & deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum, & ſerotinum, ſicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo.* In vno Domino Ieſu iubemur gaudere, qui Doctor noſter eſt, & cum quo om-

Cyr. Alex. nia habemus bona. Vt dicat ibi D. Cyrill. Alexand. *Gaudere iubet in Domino Deo noſtro. Omne enim animi oblectamentum Chriſtus eſt, à quo, & per quem eſt omnis bonorum plenitudo, & charismatum cœleſtium donatio diligentibus eum, quaſi in temporaneis, & ſerotinis imbribus intellecta, & quaſi in frumento, quo area; & in vino, quo torcularia redundarunt, & in exuberante oleo.* Sic ibi in vno Ieſu ponuntur nobis omnia bona, & oblectamenta.

§. XXXI.

Feriſſimi quique capiuntur, & tenentur pabulo.

DIcit inſuper: *Habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum.* &c. Non dicit, quòd habebat quadraginta mille equos, ſed quòd habebat quadraginta millia *præſepia equorum.* Et cur non equos habitos explicat, ſed habita præſepia ſolùm ponit? An quia in præſepiis habitis intelliguntur etiam, qui habebantur equi? Planè, quot præſepia plena habebat, tot neceſſum erat habere equos. Nullum enim animal eſt adeò ferox, quòd non currat ad præſepe, & ſinat ſe pabulo capi, & teneri. Ionæ cap. 1.

Ion. 1. *Factum eſt verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens: Surge, & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea; quia aſcendit malitia eius coram me.* Remotiſſima erat Niniue à populo Dei, multiſque erroribus deditiſſima; cur ergo ad illam Verbum diuinum mittitur magis, quam ad alias, & propinquiores, & humaniores vrbes? Vt verbum Dei eſt pabulum, & alimentum mentis humanæ, ſic ad ciuitatem Niniuem mittitur, vt pateret, quam efficax eſt cœleſtis alimonia ad capiendos, & tenendos etiam ferociſ-

Cyr. Alex. ſimos. Ait D. Cyrillus Alexandrinus ibi: *Cur igitur, vicinis prætermiſſis Prophetam Niniuem mittit remotiſſimam, & in qua multitudo erat inculta ad Solem, aſtra, ignémque adorandum irreuocabili impetu propendentium?* Sic ſanctus Pater mirabundus addubitat. Sed quæſtioni ſtatim reſpondit, dicens, *Autumo ego omnia ſcientem Deum voluiſſe vtiliter etiam antiquioribus oſtendere, vehementer quoque alienatos, & errorum laqueis implicitos, ad cognitionem veritatis aliquando, quaſi ſagena concluſum iri, quamuis admodum terribiles, & præfractos, & magnopere indomitos. Sermo enim Dei ad alendam mentem ſatis efficax eſt.* Expende illa: *Sermo Dei ad alendam mentem*, &c. vbi enim in verbo Dei humanæ mentis alimonia præmittitur, non mirandum, ſi & capiat, & trahat, & teneat & remotiſſimos, & terribiliſſimos, & magnopere indomitos. Nulla enim bellua adeò ferox, & indomita eſt, quæ non capiatur, & teneatur cibo. De ferociſſima omnium bellua Behemoth locutus Iob cap. 4 poſt eius ferociam terribilem deſcriptam ait: *In oculis eius, quaſi hamo capiet eum.* Non equidem aliter capietur hæc bellua, Iob. 4.

niſi quaſi hamo? Et cur quaſi hamo? Hamus, vt capiat, & trahat, ſub appoſito cibo occultatur, & crede mihi nulla adeò ferox bellua eſt, quæ cibo non capiatur. De hac inquit Carthuſ. ibi: *Modus capiendi hanc beſtiam eſt, quod in via eius ſit fouea, cui aliquid ſuperponitur, cui & cibus ſupponi ſolet. Itaque elephas ſuper locum illum deueniens ruit in foueam, & capitur tali dolo. Inſuper elephanto ſic lapſo vnus venator accedens pungit, & percutit ipſum. Alter autem venator adueniens amouet primum venatorem, ne percutiat elephantem, dátque ei comedere hordeum; quod cùm ter, vel quater peregerit, elephas diligit ſe iuuantem, atque deinceps ei obediens manſueſcit: ſicque capitur per cibum ſibi oblatum, ſicut piſcis per hamum.* Equidem vel ferociſſima bellua cibo ſibi appoſito capitur, & manſueſcit & venatori obedit. Quod ſapienter Albertus Magnus apud Carthuſ. in ferociſſimis, & belluinis hominum moribus putat verum. Quis enim adeò ferox & beſtialis homo eſt, qui non capiatur cibo cœleſti? Qui non aſpiciat, & currat ad Domini præſepe, & de cœleſti cibo diſcat Deo exhibere obedientiam? Dicebat Dominus Matthæi 4. *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* Et qualiter rudes homines fieri poſſint hominum piſcatores? Ait D. Baſil. Seleuc. orat. 30. *Venite. Ego verbis veſtris eſcas implicabo*, &c. Quid efficacius, vt homines trahantur, teneantur. Carthuſ. / Matth. 4. / Baſil. Sel.

3. *Regum 4.* Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris. Et præcedebat ſapientia Salomon ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus, ſapientior Ethan, *&c.*

§. XXXII.

Quantus in vitiis amplectendis fuiſti, tantus ſis in virtutibus conſequendis.

HOc ſingulariter dictum, quòd dederit Dominus Salomoni *latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris.* Et quid eſt, quod cordis latitudo reſpondere debeat arenæ, quæ eſt in littore maris? Richard in Allegoriis Tilmanni ait: *Vt tanta ſit copia cogitationum bonarum, quanta fuit priùs multitudo inutilium, & vanarum: cùm adhuc cor tuum iuxta mare magnum huius mundi per deſiderium requieſceret, & amore nimio inhæreret.* Sunt equidem mundiales homines qui iuxta mundi bona reſidentes, eorum fluxus expectant, ſicut arena in littore maris reſidens expectat, & ſuſtinet fluxus maris. Hi cùm ad Deum veniunt, ſic ſe gerant, vt tanti inueniantur in exercitiis virtutum, quanti fuerunt in vanitatibus inutilibus. Quas enim curas, & ſolicitudines vanitatibus impenderunt, has debent impendere virtutibus. Ioan. 21. *Dixit Ieſus Simoni Petro: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei; etiam Domine tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? At ille: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei iterum: Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me?* Ecce tibi, & ſemel, & bis, & ter à Petro reſponſum amoris extorquet Dominus. Et cur non contentus fuit ſemel interrogaſſe, aut bis? Cur Richard. / Ioan. 21.

& tertiò eamdem interrogationem perfecit? Negauerat ter Petrus Dominum timori mundiali ſeruiens; ideo conuerſus ter interrogandus de amore erat, vt quantus in negatione magiſtri, tantus in amore eius oſtenderetur. Ait D. Auguſt. ſerm. 24. de Sanctis: *Reſurgendo Chriſtus abſtulit mortis timorem, & quoniam abſtulerat mortis timorem, meritò interrogabat Petri amorem. Ter negauerat timor, ter confeſſus eſt amor. Trinitas negationis deſertio veritatis, trinitas confeſſionis teſtimonium dilectionis.* Non minor Petrus in amore Chriſti fuit, quàm in negatione fuerat; quoties negauit, toties amoris ſui flammas teſtatus eſt. Quod requirit Dominus in ſuis, vt quam adhibuerint curam vanitati, eam adhibeant diuinis obſequiis. Huc trahenda dicta tom. 2. in Euang. lib. 6. cap. 6. §. 13. & 4. tom. de Chriſt. figur. lib. 8. cap. 21. §. 2.

Auguſt.

§. XXXIII.

Quæ à Ieſu venit ſapientia, omnem mundialem ſapientiam ſuperat.

ID de Salomonis ſapientia dicitur; *Præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium*, &c. Nullus ſapiens in toto noſcebatur orbe, de quo ſapientia Salomonis non triumpharet. In quo maximè veri noſtri Salomonis Ieſu radiabat ſapientia, quam qui habet, prorſus vidét vniuerſas ſapientias mundiales. Nota eſt hiſtoria Exodi capit. 7. vbi Moſis virga in ſerpentem verſa eſt; ſed & Magorum Ægyptiorum virgæ ſimiliter in ſerpentes vertebantur. Ait enim: *Proiecerûntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones; ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Serpens itaque factus ex virga Aaronis deuorauit omnes ſerpentes factos ex virgis Magorum. Et quid id portendebat? Vt ſanè quæ à Chriſti cruce ventura erat ſapientia, perditura erat vniuerſas mundi ſapientias. Sic ait Macharius Philadelphienſis Epiſcopus orat. de exaltat. crucis apud Grethſerum tomo 2. de cruce *Conuertitur enim virga verè in draconem, & conterit capita draconum, & aduerſariorum virgas deuorat; improbitatiſque artificem vnà cum omnibus ſuis adminiſtris, redarguit, eorumque fraudes, & impoſturas detegit. Sapientia enim, quæ verbi prædicatoribus per paſſionem Chriſti deſuper data eſt: omnem mundi huius falſi nominis ſapientiam, fatuam nulliuſque momenti demonſtrauit; refutatis fabulis, publicéque traductis, & omni deceptione ſublata.* Quis non videat à ſapientia Chriſtiana perdi prophanam, mundialémque ſapientiam? Quis à ligno crucis neget veniſſe eam boni, malique ſcientiam, quæ ſuperet vniuerſos mundi ſapientes? Aiebat D. Athan. orat. de Paſſione, & cruce Domini: *Hinc iam abraſa, obliterataque eſt omnis magia, & vniuerſa Græcorum infatuata eſt ſapientia. Nam in rebus diuinis, non verbis, ſed factis opus eſt: nec pronuntiatia linguæ, ſed animi affectus prodeſt.* Apparuit quidem in mundo lignum crucis, & ecce tibi vniuerſi mundi ſapientes ceſſerunt. Vt meritò dicat Paul. 1. ad Corinth. 1. *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortes.* Et qui fortes, & qui ſapientes ſuperati ſunt à noſtro crucifixo? Ait Origen. lib. 1. aduerſ. Celſum: *Qua in re non ſolùm Themiſtoclem ſuperauit Athenienſem; ſed Pythagoram, Platonemque & Reges, & exercituum duces, & ſapientes, & quoſuis hominum gloria, & magnitudine anteceſſit. Quis enim, qui non negligentiùs rerum naturam ſcrutetur, non Ieſum hunc obſtupeſcat, qui per ea, quæ ignominiam pariunt vniuerſa, gloria potuit quoſlibet hominum anteire?* Equidem nullus ab orbe condito inuentus eſt, qui ſic ſapientes, & potentes, gloria, & ſapientia vicerit, vt Ieſus vicit per ea, quæ ſtulta, & infirma videntur. Imò, vt pergit Origen. *Qui inter mortales præclariores videntur; perrari quidem gloriæ plurimum conſequi ſimul & breui potuerint. Siquidem hanc ſapientiæ ſtudio adeptus eſt quiſpiam, alius bello, & barbarorum nonnulli magicis quibuſdam præſtigiis; & alius item cæteris rebus; qui omnes, etſi non multis probentur, admirationi tamen fuere, & clari effecti ſunt. At Ieſum (vt cætera omittam) ſapientia in primis, & virtutes, ac principatus admirabilem reddiderunt. Non enim in tyrannidem cuiquam perſuaſit, vt à publicis legibus ad ſe deſciſceret; nec vt præda aduerſus homines eius ſectatores illexit: neque vt opulentus aliquis ſe adeuntibus quicquam eſt impertitus; neque de-*

Exod. 7.

Machar.

Athanaſ.

1. Cor. 1.

Origen.

Idem.

mum ita ſe geſſit, vt ſolent mendaces quidam, & vani; ſed tanquam præceptor de omnipotentis Dei doctrina, & eius cultu, optimiſque moribus diſſerebat, quo Deo conciliare hos queat, qui ſecundum ſe vixerint. Nolui prætereire hoc teſtimonium de meo Ieſu, cuius doctrina ſic omnes ſapientes, & potentes deuicit.

§. XXXIV.

De diuina ſapientia venit, quòd nullis malorum, bonorúmve incurſibus frangaris.

SApientiam Salomon à Deo datam comitabatur latitudo ingens cordis, vt dicat text. *Dedit quoque ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris.* Ecce tibi vt ſapientis cor latum debeat eſſe, quaſi arena, quæ eſt in littore maris. Vt enim arena hæc eadem ſemper apparet, ſiue pacificis, tranquilliſque fluctuum amplexibus ſalutetur, ſiue decumanis aquarum virtutibus quatiatur. Sic ſapientis cor diuinitus imbutum ea latitudine pollebat; qua æquè malorum, bonorúmve incurſus exciperet. Aiebat Pſalm. 138. *Et dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Metuebat bonus conculcari à tenebris, & tamen ſic eas tenebras excepit, quaſi lucem excepiſſet. Et vnde factum eſt, quòd à tenebris non conculcaretur? At ipſe, *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Ex quo Deus illum illuminauit, factum eſt, vt eodem modo ſeſe pateret ad tenebras, quo ad lucem; nec ex ſe magis amaret luce perfundi, quam tenebris obumbrari, & inde ſiue in tenebris, ſiue in lumine incolumis perſtitit. Dicit Diuus Auguſtinus ibi. *Vbi venerit Dominus Ieſus Chriſtus, & habitauerit animam per fidem, & promiſerit aliam lucem, & inſpirauerit, & donauerit patientiam, & monuerit hominem non delectari proſperis, nec frangatur aduerſis: incipit homo fidelis indifferenter vti mundo iſto, nec extolli, quando res proſperæ accidunt, nec frangi, quando res aduerſæ ſunt, ſed vbique Dominum benedicere; & fiet tibi, quod modò dictum eſt: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Hoc facit lumen, & ſapientia, quæ à Ieſu in nos venit, vt nimirum indifferenter vtamur hoc mundo, iidémque ſimus in tenebris, & in luce, in proſperis, & aduerſis. Quis neſciat Iobi in diuitiis, & proſperitate virtutem? Putauit tamen diabolus perdendam illam in aduerſitate, & facultate accepta nullis malis, nullis doloribus, nullis calamitatibus non impetiuit iuſti animum. Sed idem inuentus eſt Iob in aduerſis, ac in ſecundis. Vnde hoc? Ait D. Auguſtinus ſuprà: *Habebat ille interiorem lucem ipſum Deum ſuum, per quam lucem interiorem indifferenter habebat tenebras noctis illius, ſiue lucem.* Equidem quia interiùs illuminabatur Dei luce, ſic ſapiebat, vt indifferens eſſet ad tenebras excipiendas, ſiue ac capiendam lucem. Et licèt proſperitatis lux affulgeret, aut calamitatum tenebræ occurrerent, ipſe tamen idem manebat in Domino Deo ſuo.

Pſalm. 138.

Auguſt.

Idem.

§. XXXV.

Sapientis eſt non alligari vnius magiſtri placitis, in rebus, quæ ad fidem non pertinent.

NOn immeritò ſapientiæ Salomonis adnectit textus latitudinem cordis, quaſi arenam, dicens: *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris.* Et quidem ſapientiæ ſocia indiuidua latitudo cordis eſt, qua ſe quis non adſtringat vnius doctoris aut magiſtri placitis, ſed omnes percurrat, & perſpectis omnibus eligat, quod ſibi verius putabitur. Lege Scripturam, & videbis Iſaacum vnius vxoris virum; huius autem filius Iacob non vni, ſed pluribus vxoribus copulatus eſt, Gen. 29. & 30. Et cui qui in patre vnas tantùm nuptias nouerat, ipſe ad plures nuptias fuit paratus?

Accipi

Accipite Clementem Alexandrum lib. 1. Stromat. cap. 3.
Clem.Alex. fantem : *Iſaac fuit vir vnius vxoris, nempe Rebeccæ, quam transferant tolerantiam. Dicitur autem Iacob congredi cum pluribus, vt qui exponatur exercitator : ſiunt autem exercitationes per plura, & differentia dogmata. Vnde hic etiam nominatur Iſrael, qui reuera eſt, vi perſpiciendi præditus, vt qui ſit multarum rerum peritus, & ad exercendum accommodatus.* Ecce tibi ille ad ſecuram perſpicaciam mentis peruenit, qui minime vni adſtringitur dogmati, & præceptori, ſed per plures
Idem. exercitatur. De quo etiam dicebat idem cap. 4. *Qui autem ſingula refert ad rectam vitam exempla afferens ex Græcis, & ex barbaris, is valde peritus veritatis inueſtigator, & reuera conſilij, inſtar lapidis Indicis, (is eſt autem lydius) creditur poſſe diſcernere aurum adulterinum à probo.* Expende illa, *ex Græcis, & barbaris*; non enim qui vni viæ inſiſtit, etſi luciſſimæ, is tanquam Lydius lapis admittitur ad diſcernendum inter adulterinum, aut probum, falſum, aut verum. Sed qui ex omnibus doctoribus, ſiue barbaris ſiue Græcis dogmata ſumit, eáque perluſtrat, is Lydius lapis creditur, vt veritatis aurum faciliùs inueniat. Et quis putet ſapientem illum, qui præter ea, quæ ab vno magiſtro percepit, nihil ille de ſuo addit? Non Romæ, ſed Mediolani baptizatorum pedes ab Epiſcopo lauabantur. De qua conſuetudine locutus D.Ambroſ. libr. 3. de Sacram.
Ambroſ. cap. 1. ait : *Non ignoramus, quòd Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habebat, cuius typum in omnibus ſequimur, & formam. Hanc tamen conſuetudinem non habet, vt pedes lauet,* &c. *in omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam. Sed tamen & nos homines ſenſum habemus. Ideo quod alibi rectiùs ſeruatur, & nos rectè cuſtodimus.* Hæc verba ex quo perlegi, firmiter credidi non multum eſſe ſapientem, qui ſeſe ita vni addicit magiſtro, quaſi ipſe homo non ſit habens ſenſum. Et inde placere cœpit Plato, de quo ait Clemens Alexandr.
Clem. Alex. lib. 1. ſtrom. cap. 4. *Sit itaque veri amator Plato velutì à Deo incitatus dicit : Ego, inquit, ſum eiuſmodi, vt nulli alij credam niſi rationi, quæ mihi conſideranti optima viſa fuerit.* Sic ibi. nec negabo huc transferre regulam Diui Auguſtini, qui
Auguſt. epiſt. 111. ait : *Neque enim quorumlibet diſputationes, quamuis catholicorum & laudatorum hominum, velut ſcripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi fortè inuenerimus, quod aliter ſenſerint, quàm veritas habet, diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum.* Piaculum foret iis vel explicationis gratia aliquid velle eddidiſſe.

3. *Regum* 4. Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas : & fuerunt carmina eius quinque millia. Et diſputauit ſuper lignis à Cedro, quæ eſt in Libano vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete, & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam, *&c.*

§. XXXVI.

Qualis cultura ſermonis habenda in componendis humanis moribus.

NOn ſolùm diſputauit Salomon de lignis, & iumentis, & volucribus, & reptilibus; ſed & de humanis moribus etiam diſputauit. Quod oſtendunt illa verba : *Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas; & fuerunt carmina eius quinque millia.* Quæ referuntur à D.Hieronymo in Gloſſa ad Prouerbia Salomonis, in quibus humanos componere curat. Et cur de lignis, iumentis, & volucribus ſolùm diſputaſſe dicitur; ad morales autem hominis diſciplinas accedens, & parabolas, & carmina notatur effinxiſſe? Vt in parabolis, & carminibus ſingularis ſermonis adhibetur cultura, qua certis legibus, & pulchris figuris ſermo conficitur. Sic oſtendebatur, quàm debeat ſermo excoli, & compingi, vt valeat homines trahere in bonam frugem. Cant. 4. dicebat Dominus Doctoribus Eccleſiæ ſuæ : *Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa.* Cant. 4. Et quæ ſunt Eccleſiæ mammæ, nónne concionatores, qui verbo nutriunt virtutes? Ait Honorius in ſigillo Mariæ : *De quibus lac ſermonum ſaxit virginum ſobrietas.* Honor. Et meritò in Eccleſiæ mammis intelliguntur ſermones, quibus coaleſcunt in fidelibus virtutes. Namque de mammarum pulchritudine ſumitur pulchritudo, quæ ſermonem concionatorum deceat. Pro quo lepidiſſimè ait Gillib. Abb. ſerm. 31. in Cant. *Pulchra ſunt vbera, quæ paululum ſupereminent, & tument modicè : nec elata nimis, nec tamen æquata carni reliquæ, quaſi repreſſa, non depreſſa, leniter reſtricta, non fluctuantia licenter.* Gillib. *Hoc exempla, qui verba bona, verba ſpiritualia debet proferre, multorum imitetur ſtudia. Caſtigato vtatur ſermone, non fluitent verba, non ſine lege ferantur, non magis occupent pectus, quàm ornent; non habeant plus materiæ, quàm gratiæ, non plus carnis, quàm lactis.* Sunt ſunt equidem ſapienti concionatori verba caſtiganda, ne fluitent, ne ſine lege ferantur, ſed certis regulis & menſuris promantur. Supereminean licèt vulgari ſermoni, nec communibus ratiocinationibus æquentur, ſed & illud caueatur, ne plus carnis habeant, quam lactis, hoc eſt, ne plus habeant tumoris, quam vtilitatis. Quò reſpiciens D. Bern. lib. 4. de conſider. ait : *Verboſulum adoleſcentem, & ſtudentem eloquentiæ, cùm ſapientiæ ſit innatus, non alium, quàm militiæ hoſtem reputes.* Bernard. Vt mamillæ nimis elatæ, & ſine lacte potiùs dedecori, & infirmitati ſunt; ſic ſermones ampullati, qui fluitant, nullam afferentes vtilitatem. Sit ergo ea ſermoni pulchritudo procurata, quæ pro vberibus ſuis, à fœminis deſideratur. Huc trahenda dicta tom. 4. de Chriſt. fig. lib. 8. cap. 26. §. 4. & alibi.

§. XXXVII.

Altiora ſapientiæ myſteria non niſi ſapientibus dicenda.

DVas claſſes proponit Salomonicæ doctrinæ textus ſacer, in prima eius parabolas recenſet, & carmina; in ſecunda diſputationes de lignis, & herbis, & iumentis, &c. Hæc enim eius verba ſunt : *Locutus quoque eſt Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque millia. Et diſputauit ſuper lignis a cedro,* &c. Parabolarum, & carminum numerum diligenter apponit, vt parabolæ fuerint tria millia, & carmina quinque millia. Diſputationum autem de cedris, de hyſſopo, de iumentis, nullus numerus recenſetur. Et cur horum diſputationes non habentur in numero; quando parabolæ, & carmina tam diligenter numerantur? Diſputationes illæ de lignis, & herbis, & iumentis, vt ad rudiores inſtituendos ordinabantur, ſic quaſi nullius momenti, aut numeri cenſentur. Parabolæ autem & carmina vt ſapientioribus propinabantur, ſic ex numeris notatis illorum altitudo & ſublimitas oſtendebatur; vt per tria millia abſtruſiſſima Trinitatis myſteria ſignacentur, & per quinque millia diſciplinæ morales, quæ componunt ſenſus humanos. Clamabat quondam Ioel cap. 2. *Nolite timere animalia regionis, quoniam germinauerunt ſpecioſa deſerti, quia lignum attulit fructum ſuum, vinea, & ficus dederunt virtutem ſuam. Et filij Sion exultate & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem iuſtitiæ;* &c. Ioel. 2. Nunquid Prophetæ cura erat de animalibus brutis, vt illis annuntiet camporum vbertatem? Minimè, ſed animalia vocat rudiores homines, quibus humilia etiam prædicit doctrinæ pabula, quaſi in herbis, & germinibus campi. Perfectioribus autem & ſapientioribus iuſtitiæ, & diuinitatis ſublimiora myſteria reuelantur. Vt dicat D. Cyrill. Alex. ibi : *Conuenerit autem, neque iniuria ſanè, adhuc craſſis, & pecudum inſtar ſtupidis, & humiliorem doctrinam veluti herbam in parua docentibus natam impertiis : perfectis verò ſublimius intelligentiæ, & tanquam è lignis ſpecioſis efflorescentem fructum, nempe de ſanctâ, & conſubſtantiali trinitate, ſiue de diſciplina morali, quam quaſi in alto poſitam contemplamur. Proinde illos iumenta appellat; Sionis autem iam filios perfectiores,* &c. Cyrill. Alex. Itaque imperfectis humiliorem doctrinam applicat, quaſi iumenta herbis alat, ſapientioribus autem ſublimiora proponit de ſancta Trinitate, & de diſciplina morali; quæ enim ſublimia ſunt circa Trinitatis

myſteria, & diſciplinas morales, ſapientioribus ſunt euulganda. Huc trahe dicta tomo 4. de Chriſto figurato, lib. 8. cap. 26. §. 3.

§. XXXVIII.

Omnium ſenſuum cuſtodia prævaleat in eo, qui amat Deo maximè placere.

ILlud adhuc notandum, quod ait: *Fuerunt carmina eius quinque millia.* Vt quinque ſunt ſenſus humani, ſic ſingulis cuſtodiendis, capiendis millia carmina appoſuit; tunc enim gratiſſimus Deo homo apparet, cùm omnes ſuos ſenſus illi cuſtoditos habet. Imò ait ibi gloſſa: *Quinque millia, propter quinque ſenſus, quos qui in diuerſis virtutibus bene regit, beatus eſt: & per eos, quaſi carmina quinque millia Domino canit.* Non adeò canora noſtra oratio ad Deum peruenit, niſi quando procedit de quinque noſtris ſenſibus cuſtoditis, & eorum ſcandalis mortificatis. Hæc ſit ſapientis hominis cura, vt vel mille carminibus ſingulos ſenſus ſuos conſopiat, & à ſingulis ſcandala excutiat, quo maximè reddatur Deo gratus. Vbi vitulum Iſraelitæ adorarunt, dicebat Moyſes Leuitis Exod. 32. *Ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum: ite, & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum* Expende illa *à porta vſque ad portam*, non enim contentus fuit, vt in vna porta propinqui occiderentur, ſed inſuper occiſionem fieri mandat per omnes portas. Et cur per omnes portas? Ne in aliqua illarum ſcandalo manente, totum religionis opus perderetur. Quid enim prodeſt, quòd ab vna, aut altera animæ noſtræ porta, nimirum ab vno, aut altero ſenſu tollantur ſcandala, ſi in alijs perſeuerant. Crede mihi eundum tibi eſt à porta in portam, & ſingulorum ſenſuum ſcandala tibi ſunt occidenda, ſi ſecuriùs, & gratiùs ad cœleſtem Regem peruenire contendis. Quò ſpectans monebat D. Hier. epiſt. ad Geruntij filias: *Reſiſtentes nobis, remorantéſque nos, propinquum, proximum, fratres perimamus; & hæc à porta in portam; id eſt, ne cùm in porta aliqui fratrem fuerit perſecutus, portam fortaſſe aliam obſideat, & per aliam portam præmiſſus occurrat. Hæ ſiquidem ſunt portæ animæ noſtræ, per quas ad illam ſæculi blandimenta deſcendunt, & per quas ſenſus carnis introeunt, per quas niſi latè ſtrage facta viam virtutibus fecerimus, nunquam ad Regem vera pietatis peruenire poterimus.* Sunt equidem ſenſus animæ noſtræ portæ, per quas ad illam ſcandala penetrant, eundum ergo nobis eſt à porta in portam, à ſenſu in ſenſum, & in ſingulis propinqua ſcandala occidere debemus. Ne ſi ſola oculorum ſcandala ſuſtulerimus, in guſtu, aut tactu ſcandalis manentibus, totũ virtutis opus euaneſcat. Plena enim hominis ſecuritas, & inexpugnabilitas non venit niſi de vniuerſis ſenſibus cuſtoditis. Cantic. 4. inexpugnabilem proponebat turrim, aiens: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Et in quo hæc turris Dauid adeò inexpugnabilis, & munita? Ait D. Laur. Iuſt. lib. de Humil. c. 6. *Meritò tanquam turris Dauid perhibetur eſſe mens eorum, qui introrſum intra mentis ſecreta reſidentes, etiam ad ſenſuum corporalium ianuas, ſpirituales excubias ponunt pro ipſius tuitione, ac defenſione, neminem aduerſariorum intrare patientes, qui valeant voluptuoſas, perniciosáſque ſuggeſtiones ingerere.* Inde noſtræ animæ fortitudo apparet, & excubijs poſitis ad ſingulas ſenſuum portas, quæ prorſus repellant aduerſaria. Felix, qui nouit huiuſmodi cuſtodiam ſenſibus ſuis parare, qua poſita vni Deo ſeſe muniſſimum reſeruabit. Gen. 47. vbi Ioſeph vniuerſam Ægypti terram emerat, datis frumentis, vt ſe munirentur, dicebat: *Quintam partem Regi dabitis; quatuor reliquas permitto vobis in ſementem, & in cibum,* &c. Quæ verba expendens Berengoſius Abb. lib. 1. de inuent. crucis c. 6. ait: *Sicut ex præcepto Ioſeph quinta pars frugum Ægyptiorum data eſt Regi, ita quinque ſenſus noſtri deferendi ſunt in obſequium Dei, vt pro quinta parte, quæ debebatur Regibus, quinque ſenſuum noſtrorum cuſtodiam diuinis ſemper mancipemus legibus. Niſi enim ad exemplum legalis ſacramenti primogenitum hominis redimamus quinque ſiclis argenti, nihil nobis quinque vulnerum Chriſti proficere videntur, quibus in ara crucis quinque ſenſuum noſtrorum voluit ſanare cicatrices.* Quid pulchrius? Noliu verbulum præterire, vt ſciamus in quinque ſenſibus noſtris eſſe quintam partem, quam ſummo Regi debemus. Inſuper pro his eiſdem ſenſibus ſtetiſſe quinque vulnera Chriſti, quorum non guſtat virtutem, qui non cuſtodit quinque ſenſus ſuos.

Exod. 32.

Hieronym.

Cant. 4.

Laur. Iuſt.

Geneſ. 47.

Berengoſ. Abbas.

§. XXXIX.

Paſſio Chriſti mundiſſimis labiis prædicanda.

NOn prætereunda ſunt illa: *Diſputauit ſuper lignis à cedro, quæ eſt in Libano,* &c. Quod de ſapientiſſimo Salomone aſſeritur, cui datum fuit, vt diſputaret ſuper lignis à cedro vſque ad hyſſopum. Et cur neceſſum fuit notare diſputationem de lignis inceptam fuiſſe à cedro? Vt in cedro notaretur Chriſti paſſio pretioſiſſima, ſic diſputantis de illa oris ſanctitatem, & puritatem nobis tacitus commendabat. Neſcit enim paſſio Chriſti affulgere, niſi vbi puriſſimis prædicatur labiis. Ait Cant. 8 *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt? Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.* Expende illud, *ſi oſtium eſt*, hoc eſt, ſi oſtium habet. Et quale oſtium requirebatur in ſponſa, vt illi tabulæ cedrinæ adderentur? Ait Pſalm. 140 *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Oſtium ergo in ore qui habet, vt nullum malum verbum promat, ſed omni immunditiæ ſit clauſum; ei datur vt de cedro crucis loquatur, & in prædicata Saluatoris paſſione glorietur. Ait ibi D. Iuſtus Org. *Si oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis. Dicit Propheta in Pſalmis: Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Itaque ſi quis eſt idoneus ad loquendum, & velut oſtium quod aperitur, & clauditur, tempus tacendi, vel loquendi intelligit, huic tale oſtium tabulis cedrinis compingamus, vt dum odoriferum lignum in ſe ſuſcipit, cum Paulo dicere poſſit, mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini.* Ille gloriam crucis, & paſſionis Chriſti annuntiare poteſt, cuius labia oſtium habent, ne quod fœdum, aut ſpurcum, aut maculoſum verbum inde labatur. Quò ſpectans illa Cant. 5. de ſuo ſponſo dicebat: *Labia eius lilia, diſtillantia myrrham primam.* Illud in primis nota in ſponſi labiis, quòd florida ſint, nihil enim inde non floridum, non ſuauitatem halans. Quid tunc? Ad quid iam florida, & pulchra labia? Statim ait: *Diſtillantia myrrham primam.* Circa quod D. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſerm. 18. *Labia eius lilia, diſtillantia myrrham plenam. Per myrrham enim paſſionis vnguentum declaratur.* Et meritò non niſi de mundis, & floridis labiis verbum Chriſti crucis, & paſſionis ſtillat.

Cant. 8.

Pſalm. 1[40]

Iuſtus O[rg.]

Cant. 5.

Ambroſ.

§. XL.

Ieſu myſteria non tam intellectu, quàm affectu capere ſtude.

MAgnum hoc de Salomone dicitur, quòd *diſputauit ſuper lignis*, &c. Sed accipe maius de Chriſtianis ſapientibus, quòd nimirum amant lignum vitæ Ieſum. Diſputent alij cum Salomone de vitæ ligno, de victoris palma, quibus forſan per totas ſuas diſputationes non patet Chriſtus. Non diſputemus nos, ſed magis amemus hunc vitæ lignum Ieſum, & fallar, niſi eius theſauros inuenerimus. Dicebatur modò de Salomone: *Diſputauit ſuper lignis à cedro quæ eſt in Libano.* De lignis, de cedris longas texuit, & peritiſſimas diſputationes. Sed tamen cap. 5. mittens ad Regem Tyri dicebat: *Præcipe igitur, vt præcidant mihi ſerui tui cedros de Libano.* Qui diſputabat de cedris, nullam cedrum ſibi ſucciſam inueniebat, & cogebatur emendicare ab exteris, qui ſuccidèrent. Heu quoties acutiſſimi diſputatores de ligno vitæ, prorſus manent expertes illius, & coguntur emendicare inſtar ſtultarum virginum ab alijs oleum illius. Vtinam vt diſputant, ſic ament, & fallar, niſi habeant illum. Aiebat illa Cant. 3 *Per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea; quæſiui illum, & non inueni.* Quid eſt, *quæſiui illum*? id eſt, diſputaui de illo? Pulchras, & ſapientes de illo quæſtiones feci? Interea tamen non inueni illum, vtinam amaſſet, & inueniſſet. Ad hæc dicebat Gillibertus Abbas ſermon. 5. in Cantic. *Fælix, qui nominis Ieſu virtutem ſectatur. Apud illos tractetur, diſcerpetur, diſputetur, ſuper hoc nomine. Nobis ſatis eſt, ſi noſtris in clauſtris ſaltem adametur: nuſquam commoditas maior; ideoque maior confuſia nuſquam, ſi penes nos non inueniatur Chriſtus.* Vbi

Cant. 3.

Gilb. Ab[bas]

Digitized by Google

Vnum quærit à ſuis bonus pater, nimirum quòd non tam quæſtionibus, aut diſputationibus quærant Ieſum, quam affectibus. Et quibus maior eſt commoditas amandi Ieſum, maior erit confuſio, ſi Ieſum non habeat, qui magis

Pſalm. 138. tenetur à ſe amantibus. Pſalm. 138. dicit: *Non illuminatio mea in delicijs meis.* In mundi huius nocte, mediis, mundialibus tenebris inuenit ſe Dauid illuminatum, vt poſſit cernere orientem iuſtitiæ Solem Ieſum. Et vnde tantum lumen accepit? Ipſe ait: *In delicijs meis*, hoc eſt, in amoribus, in affectibus. Circa quæ Gillib. in Cant. ſerm. 1.

Gilb. Abb. *In delicijs, ait, non in ſcientiis, ita & tu noctem, ſi non pares ſcientiis, pertenta illuminare delicijs, quidquid hîc videmus per ſpeculum in ænigmate, totum in nocte eſt. Et in hac nocte poteſt Ieſum meum magis dulci quodam affectu ſuauiter ſentire, quàm ſciri ad purum.* Non equidem eſt noctis huius ſcientiis ad purum cognoſcere Ieſum, at poſſumus delicioſis ſuauibúſque affectibus tenere illum. Multa Ieſu abſconduntur diſputantibus in nocte huius vitæ, ſed nihil Ieſu non ſen-

Iſai 53. titur amantibus. De illo dicebat Iſaias cap. 53. *Generationē eius quis enarrabit?* Quaſi occulta adhuc, & ignota maneret eius ratio generationis. Sed cui manet incognita?

Eumenius. Diſputanti, ſed non amanti. Aiebat Eumenius in Panegyr. de Conſtantino: *A prima igitur incipiam origine tua Numine. Quod plerique adhuc fortaſſe neſciunt, ſed qui te amant plurimum, ſciunt.* Inde extollebat ſuum Imperatorem, quòd eius origo innota eſſet ſapientibus, ſed non amantibus. Et quidem Filij Dei amatores plus ſentiunt de origine eius de patre eius, quam ſapientes in hac vita noſcunt.

§. XLI.

Sapiens nec viliſſimum contemnit.

NVlla arbor, nulla planta adeò vilis fuit, de qua non egerit Salomon; *à cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum*, &c. Humillima, & viliſſima herba hyſſopus eſt, nec tamen Salomon dedignatus eſt de illius diſputare natura, & cultura, qua coaleſcere poterat. Vt viri ſapientes diſcant minimè fugere viliſſimorum congreſſus, ſed & vilibus & pauperibus ament ſuam impendere curam. Luc. 7. peccatrix illa mulier, vt cognouit, quòd Ieſus

Luc. 7. accumberet in domo Phariſæi, illo perrexit, & *ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius*, &c. *& vnguento vngebat.* Cur tota in lauandis pedibus Chriſti occupatur? In ea oſtendebatur Chriſti Eccleſia, quæ neminem deſpicit vilem, imò & viliſſimorum, & plebeiorum curam ſuſcipit, vt in eis lauet Chriſti veſtigia. Ait D. Ambroſ.

Ambroſ. epiſt. 89. *Aquam ergo mittit in pedes Chriſti, quaſi etiam vltimis quibuſque peccata dimittit, & dum plebeios liberat, Chriſti tamen lauat veſtigia.* Eſt hoc ſapientiſſimorum munus, quòd non detrectent minimorum curam; quòd euolent ad plebeios, & ruſticanos, illóſque inſtruant in fide, & virtutibus, quo lota appareant Chriſti veſtigia.

Capvt IX.

Salomon ad Hiram.

TEXTVS HISTORIA.

SALOMONIS gloriam miratus Hiram Tyriorum Rex, non potuit non adgaudere filio amiciſſimi ſibi Regis Dauid, miſſiſque Legatis illi in proſperis æternitatem apprecatus eſt. Quam Salomon occaſionem nactus literas Hiramo dedit, quibus paterni voti memoriā refricabat de conſtruendo diuinitati templo. Quod propter Dauidis bella dilatum, à ſe patri negata pax repoſcere videbatur. Egere autem viris, qui in lignis cedrinis cædendis præſtantes eſſent, quales Tyrij credebantur, quorum opera non vulgari remuneranda erant pretio. Annuit Hiram Salomoni, multùmque lætatus tam glorioſa Dauidis poſteritate, lectiſſimos mittit, qui cedros ſuccidant, & a Libano in mare deducant, vnde nauibus aſportantibus Ioppem deuenīant; qui portus in Salomonis ditione erat notiſſimus Ioppe vacuabantur lignis naues Hiram, ſed implebantur frumento, oleóque puriſſimo, quantum erat ſufficiens ad lautiſſimas epulas regiæ Hirami familiæ. Hinc amicitiæ fœdera inter duos Reges arctiori in dies obſtringebantur vinculo. Nec ſoli Tyrij cædebant ligna, ſed & iis addidit Salomon de Iſraele triginta millia virorum; qui ſub Adoniram nutu, eidem operi incumberent. Præterea portandis oneribus ſeptuaginta millia inſtabant, necnon & octoginta millia latomorum in lapidibus eruendis, excudendis, poliendis deſudant, quibus tria millia & trecenti Præpoſitorum facienda deſignant.

PARS MORALIS.

NON otioſè Hirami, & Salomonis fœdera præponuntur templi ædificationi; vt pateat, quàm conducant religioni amplificandæ fœdera inter Principes pacifica.

3. *Regum* 5. Miſit quoque Hiram Rex Tyri ſeruos ſuos ad Salomonem: audiuit enim, quòd ipſum vnxiſſent Regem pro patre eius, quia amicus fuerat Hiram Dauidi omni tempore.

§. I.

Beneficium ſemel acceptum nullis aliis debet obliterari incommodis.

MIraris, quòd Hiram dicatur amicus fuiſſe Dauidis, dum ait textus: *Amicus fuerat Hiram Dauidi omni tempore.* Et quando interdicta erat Iſraelitis amicitia cum gentibus illis, quorum terram expugnaturi erant; qui fieri potuit vt Dauid licitè coleret amicitiam cum Hiramo? Sto à ſententia Abulenſis in præſenti, qui putat Hiram ab Ægyptiis duxiſſe originem: & ideo Dauid in Hiramo reuerebatur Ægyptiam proſapiam, memor aliquando Iſraelem fame enectum hoſpitio fuiſſe acceptum ab Ægyptiis. Nunquam enim non præſtantis mentis eſt homo, apud quam nullis aliis incommodis illatis obliteratur memoria priſtini accepti beneficij. Huc traxerim legem ex Deuter. 23. quæ ſic cauet: *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt; nec Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius.* Qui hoſtilitatem monebat cum gentibus, Idu- Deuter. 23.
mæum, & Ægyptium excipit. Et cur Ægyptium? Nonne Ægyptius oppreſſerat ſeruitute Iſraelitas? Nonne illos perſecutus fuerat? Fateor, ſed prius illis benefecerat, hoſpitio illos exceperat, & ſaturarat famelicos. Beneficium autem antiquum nullis obliterari debet. Ait Theodor. ibi q. 26. *Cum Idumæo tamen, & cum Ægyptio conuerſari iubet; &* Theodor.
cum hoc tanquam cum fratre, cum illo verò tanquam benefico, tempore opportuno. Vrgente enim fame patres noſtri accedentes acceperant ab Ægyptiis alimenta. Lex igitur docet nos antiqui beneficij non obliuiſci. Nullis decet obliterari incommodis memoriā antiqui beneficij. Cuius præſtantes viri nunquam non debent reminiſci. Scipionem in Africam tendentem hoſtibus ſuis inferiorem in portu ſuo fouit Syphax Rex Numidiæ, inſuper illum hoſpitio excepit. Qui Syphax poſtea Romanorum hoſtis factus Scipionis res deduxit in anguſtum. Tandem bello fractus Syphax, & captus viuus Scipioni ſiſtitur. Quid tunc Scipio? Inſultauit ne hoſti captiuo? Ait Liuius lib. 30. *Mouit & Scipionem, tum fortuna priſtina* Liuius.
viri præſenti fortunæ collata, tum recordatio hoſpitij, dextraque datæ, & fœderis publicè ac priuatim ſuncti. Sic in hoſte etiam, etſi fracto & in ludibrium à fortuna adducto, non potuit Scipio non recordari priſtini hoſpitij accepti ab illo. Maximè enim præſtantia perſonæ oſtenditur in recordatione accepti beneficij. Gen. 18. Angeli excepti fuerant hoſpitio ab

Geneſ. 18. Abrahamo, quibus Sara domi latens epulas pararat. *Cùmque comediſſent, dixerunt ad eum: Vbi eſt Sara vxor tua?* Non ante epulas, ſed poſt epulas ſumptas Saræ recordantur, & nomen eius proprium in medium producunt. Et cur poſt epulas Saræ meminerunt? Volebat Deus ſeſe iam oſtendere Abrahamo, & ideo ad memoriam Saræ confugit, quæ epulas pararat. In memoria enim beneficæ ſibi perſonæ maximè oſtenditur præſtantia cuiuſlibet. Epiphan. in Ancor. ait: Epiphan. *Vt oſtenderet, qui præſens erat, quis eſſet, nomen vxoris vocabat, hoſpitio exceptus ad horam, & quod neque nominis ipſius oblitus eſſet.* In eo ſe Deus oſtendere volebat, quòd exceptus ad horam hoſpitio, hoſpitæ ſuæ nomen adhuc memoria tenebat. Eſt enim præſtantiſſimæ perſonæ, imò & diuinæ proprium benefactoris ſui memoriam tenere.

§. II.

Ieſu gloria inde præſtantior, quòd non acquiſita, ſed innata.

AVdiuit Hiram de Salomone, *quòd vnxiſſent eum Regem pro patre eius.* Vt inde appareat quàm ſit maior Ieſu gloria Salomonis gloria. Salomon enim poſt natiuitatis ſuæ aliquos annos venit ad regnum, Ieſus in ipſa ſua natiuitate Rex erat. Salomon priuatus natus ex patris deſignatione, & populi acclamatione vnctus fuit in Regem, Ieſus nullorum ſuffragiis, ſed ex ipſa natiuitate Rex apparuit. Quis ergo neget maiorem Ieſu gloriam; quæ minimè illi Matth. 2. addita fuit, ſed illi innata? Clamabant Magi Matth. 2. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Et quidem vt Ieſus ſolus Rex natus, ſic ſolus in regni gloria alios ſuperabit. Dicebat Eumenius in Paneg. de Conſtantino. Eunem. *Inter omnes Principes maieſtatis tuæ hoc habes Conſtantine præcipuum, quòd Imperator es, tantáque eſt nobilitas originis tuæ, vt nihil tibi addiderit honoris Imperium, nec poſſit fortuna Numini ſuo imputare, quòd tuum eſt, omiſſo ambitu, & ſuffragatione. Non fortuita hominum conſenſio, non repentinus aliquis fauoris euentus te Principem fecit, Imperium naſcendo meruiſti. Quod quidem Deorum immortalium munus, & primum videtur, & maximum, in lucem ſtatim venire fœlicem, & ea, quæ alij vix totius vitæ laboribus conſequuntur, iam domo parta ſuſcipere, &c. quæ ſumma ſunt, non ſperare, ſed habere.* Hæc magnitudo & in Conſtantino, & in aliis falſa, & adulatoria, in vno Ieſu meo vera. Qui ſolus naſcendo Rex fuit, & ſumma principatus non ſperauit, ſed tenuit. De vno Ieſo dicit Philipp. 2. Paul ad Philip. 2. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Qui non habet, rapinæ ſtudet, vt ſibi bonum acquirat. Et nulli Principum imperium venit, cui non fuerit additum, & aliquo modo acquiſitum. Vni Ieſu innatum fuit, quidquid Auguſt. intelligitur ſublime. Ait D. Aug. epiſt. 66. *Non itaque inæqualem Pater genuit, & æqualitatem iam nato addidit, ſed gignendo eam dedit, quia æqualem, non imparem genuit. Ideo in forma Dei æqualem eſſe Deo, non ei rapina fuerat, ſed natura, quoniam id naſcendo ſumpſit, non ſuperbiendo præſumpſit.* Meritò cauit Auguſtinus, ne intelligatur principatus diuinitatis additus Dei filio. Non enim ei additus, nec illi acquiſitus, ſed innatus, naſcendo enim habuit omnia ſublimia, ad quæ raptores ſuperbiendo feſtinant.

3. *Regum* 5. Miſit autem Salomon ad Hiram, dicens: Tu ſcis voluntatem Dauid patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei ſui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos ſub veſtigio pedum eius. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum; & non eſt Sathan, neque occurſus malus. Quamobrem cogito ædificare templum, *&c.*

§. III.

Proprio muneri maximè quiſque ſtudeat ne ſe aliò diuertat.

HOc de Dauide non ſemel dictum eſt, nimirum: *Quia nõ potuerit ædificare domum nomini Dei ſui propter bella imminentia per circuitum.* Sed de Nehemia reædificatore eiuſdem domus dicit 2. Eſdr. 4. *Vna manu faciebat opus, & altera tenebat gladium*, ſicque inter hoſtiles incurſus templum ædificabat. 2. Eſdra 4. Et quando Nehemias ab ædificando templo, nullis bellis imminentibus, imò nullis hoſtium incurſibus arcebatur; vt non illi vacaret templum ædificare? Cur aut Nehemias non priùs curat bella tollere, & poſtea quietus ædificat: aut Dauid non ſimul & bellis & ædificio impendit operã? Equidem Dauid ad hoc munus præſtandum in regnum venerat, vt nimirum hoſtiles omnes nationes Iſraeli ſubiugaret, cui muneri adimplendo ſic vacat, vt dum hoſtis imminet, nullo alio debeat animum applicare. Nehemiæ autẽ tantùm fuerat iniunctum munus reædificandi templi, à quo perficiendo nullis dimouetur bellis. Vterque autem ſic muneri proprio inſtat, vt dum illud perficiat, non curet alia. Huc ſpectans Paul. 1. ad Cor. 1. dicebat: *Gratias ago Deo meo, quòd neminem veſtrum baptizaui niſi Criſpum, & Caium, ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati eſtis. Baptizaui autem & Stephanæ domum. Cæterum neſcio, ſi quem alium baptizauerim. Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* 1. Cor. 1. Ecce tibi Paulus pro magno Dei beneficio habet, quòd per paucos baptizauerit. Et cur tanti æſtimat, quòd adeò pauci fuerint a ſe baptizati? An quia opus baptizandi contemptibile erat? Abſit: ſed quia erat extra munus præcipuè ſibi à Deo demandatum. Ait enim: *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* Itaque Deo acceptum referebat, quòd ſic intentus eſſet ſuo muneri prædicationis complendo, vt rarò & breuiſſimè aliud attenderet, nec vt baptizandis paucis ſuam operam impenderet. Ad hæc OEcumen. ibi: OEcum. *Cur gratias agis Paule, quòd neminem eorum baptizauerim, præter illos quos enumeraſti? An baptiſmus inter illa ponendus eſt, quorum parua eſt habenda ratio?* Nequaquam, inquit *ſed de hoc duplici modo, gratias ago. Altero, quòd neque ad eam rem Apoſtolatum à Chriſto acceperim.* Cùm ad munus prædicandi præcipuè vocatus eſſet à Deo, & non ad munus baptizandi; meritò Deo gratias agit, quòd ſuo muneri intentus, ad aliud non deflexerit. Id enim quiſque debet curare, ne ſuo muneri deſit, ſed illi adimplendo totam ſuam operam impendat, minimè ad aliud attendens. Angelus Gabriel Luc. 1. venit nuntiaturus Luc. 1. Mariæ verbi diuini incarnationem ex eius viſceribus, & cùm illud dixiſſet: *Aue Maria*, & de inſtanti egiſſet conceptu, vbi modum conceptionis à Maria interrogari percipit, ſtatim ait: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, &c. Poſſet & ipſe Angelus aliquid præſtare in illa diuina diuiniſſimi corporis Chriſti efformatione. Vt enim in formatione primi hominis, aliquale miniſterium præbuerunt Angeli congerentes corporis materiam, iuxta dicta 1. tom. de Chriſto figur. lib. 1. c. 1. in hiſtoria textus. Sic in Chriſti Domini formatione, quæ facta fuit in vtero virgineo, poſſet Angelus ex ſanguinibus Mariæ defæcatiores partes congerere, vt diuiniſſimum corpus formaretur à Deo. Cur ergo non ipſe aliquid ſe facturum pollicetur, ſed omnia oſtendit à Deo facienda, dicens: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te?* Cur non ait: Ego ex ſanguinibus tuis ſuperiores partes leligam, miniſtrabo, Spiritus autem ſanctus perficiet cætera? Agebat tunc Gabriel nuntij munus, cui adimplendo intentus, cætera omnia relinquit Deo. Ait Diuus Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 17. Cyrillus Hieroſol. *Non opus eſt multa facere verba, vt diſcas impollutam fuiſſe illam generationem. Docuit enim id Gabriel, dicens ad Mariam: Nuntius ego ſum eorum, quæ fieri debent, ſed non cooperator, quamuis Archangelus. Et vt non ignores, quid mei ſit muneris, gaudium ego annuntio tibi, quomodo autem paries, non à me a eſt gratia: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, &c. Sic refert Cyrill. Angelum ſe continuiſſe intra proprij muneris metas, vt nil magis curarit teſtari, quàm, quòd a ſe munus meri nuntij non fuerit exceſſum, cætera omnia remittens Deo. Et quidem non paruæ virtutis eſt, quòd ſic homines proprio intendant muneri, vt maximi ducant, ſi in illo videantur perfecti. Huc trahenda dicta 4. tom. de Chriſto fig. lib. 3. cap. 21. § 4.

§. I V.

Reſtauratio gratiæ perditæ per peccatum laborioſior debet eſſe.

TEmplum Domini in ſumma pace, & quiete ædificatur, iuxta illud: *Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum; nec eſt Sathan, neque occurſus malus. Quamobrem cogito ædificare templum*, &c. Dum bella imminebant, dum hoſtes inſtabant, non ædificatur templum, ſed cùm omnia eſſent in quiete, & pace. At cùm poſt euerſum templum, reædificatio eius inſtat, non expectatur quies, ſed mediis in hoſtium conflictibus, operam ædi-

2. Eſdr. 4.

ficio Nehemias nauabat. Sic enim de illo, 2. Eſdræ 4. *Vna manu faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Et cur Nehemias mediis bellorum periculis, inter ipſa hoſtilia arma permittitur ædificare domum Domini; Dauid autem & Salomon non niſi in ſumma pace, & quiete ædificabant? Nehemias non primò ædificabat templum, vt Dauid & Salomon; ſed iam destructũ reædificabat, & reſtaurabat & ideo ad maiores ſudores, & labores vocabatur. Vt videant homines poſt deſtructam gratiam, quanto acriùs debeant

Beda.

pugnare, pro illa reparanda. Pulchrè ad hæc dicebat Beda in gloſſa: *Nec prætereundum eſt, quòd cum Dauid, vel Salomon eamdem ciuitatem ædificarent, nil de armatis ſtructoribus, vel aduerſariis impugnantibus dicitur, ſed deſtructio propter peccata maiori laboris induſtria reficitur. Similis autem eſt ædificatio ſpiritualis; vt in Baptiſmo per fidem, & confeſſionem ſanctæ Trinitatis ſine labore, per gratiam Dei, ciuitas, & domus eius efficiamur: poſt diabolo ſuadente ad peccata relabimur, neceſſe eſt maiori ſtudio affictionis*, &c, Cùm primùm Dei domus ædificamur, facili negotio, & ſine ſudore id fit: per id ſolum, quòd aqua Baptiſmi abluimur. Vbi autem hæc ædificatio deſtruitur per noua peccata, iam vt eam reſtauremus, magnos debemus ſubire conflictus, multas ſuperare difficultates.

Act. 8.

Eunuch. ille Actorum 8. dicebat; *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Meritò vbi per Baptiſmum in ſe Dei templum excitare volebat, ait; Quis prohibet? Quaſi diceret, nullus adeſt Sathan, nullus occurſus malus, qui prohi-

Nyſſ.

beat, quietè, & ſine labore fiet ædificatio. De quo Nyſſenus orat. de non differendo Baptiſmate ait: *Minimè operoſum à ſe petitum Baptiſma accepit.* Expende illud, *minimè operoſum*; non enim multum operis, & ſudoris eſt, quando per Baptiſmum domus Dei ædificamur. Vbi autem deſtructo per peccatum ædificio, ad illud reſtaurandum accedi-

Irenæus.

tur, hic labor, hoc opus eſt. Quod oſtendens D. Irenæus lib.... cap. 9. in fœmina quadam poſt Baptiſmum à Mago circumuenta ait: *Cum eſſet vxor eius ſpecioſa, & ſententia, & opere corrupta eſſet à Mago, & ſecuta eum eſſet multo tempore; poſt deinde cum magno labore fratres eam conuertiſſent, omne tempus in exomologeſi conſummauit.* Expende ab illis, *cum magno labore*; quippe vt a lapſu, & gratia perdita valeamus in bonum reuocari, numquam fit ſine ingenti difficultate, & labore magno.

§. V.

Principum, nobiliúmque religione ornatur Eccleſia tempore pacis.

VBi nullus apparuit hoſtis, ſed pax alma per circultum affulſit, Rex Salomon ſeſe ad ædificandum templum accinxit. Ait enim: *Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum; nec eſt Sathan, neque occurſus malus. Quamobrem cogito, ædificare templum*, &c. Sic Salomonis, ſic multorum Regum, Principumque religio ornare cœpit Eccleſiam, ex quo pax fuit, & ſecura quies

Iſai. 60.
1. Cor. 1.

fuit. Dicebat Iſaias cap. 60. Eccleſiæ Chriſti: *Mamilla Regum lactaberis.* Paulus autem ad Corinth. 1. cap. 1. *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes, ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* Et ſi non multi potentes, nec multi nobiles ad Eccleſiam veniebant, quomodo illa lactabatur mamilla Regum? Quomodo verum eſt, quòd Reges diuitiis ſuis ornarent, & promouerent Eccleſiam, ſi rarus potens, aut nobilis ad illam veniebat. Diſſident ergo & Paulus, & Iſaias? Abſit; ſed Paulus loquitur de tempore perſecutionis, & belli, quando ſtricti enſes, ardentes flammæ per circuitum fidelibus imminebant. Tunc non multi potentes, non multi nobiles veniebant ad Ieſum temporalibus bonis inhærentes, tormenta, morteſque fugientes. Vbi autem nullus Sathan apparuit, nullus tyrannus, nulla Eccleſiæ impugnatio, ſed pax, & quies per circuitum erat. Tunc Reges, Principeſque Eccleſiæ ædificandæ operam ſuam dedere. Quo re- Cyril. Hier.

ſpiciens Diu. Cyril. Hieroſolym. catecheſ. 18. ait: *Primum quidem in perſecutionibus; & tribulationibus Martyres, & Sanctos diuerſis coronis patientiæ, & multum florentibus coronauit Dominus, quibus & ipſa Eccleſia ornata eſt; nunc verò temporibus pacis gratia Chriſti debitum habet honorem à Regibus, & illuſtribus.* Ecce tibi omni tempore coronæ viſebantur in Eccleſia; tempore perſecutionis, & belli coronæ Martyrum parturiebantur, quibus Eccleſia exornabatur, ſed tunc non multi potentes. nec multi ſeculariter nobiles, infirma enim mundi eligebantur ad confundenda fortia. Sed temporibus pacis ecce tibi Reges, & Principes; corona & purpura Eccleſiam promouent. Hinc tempora pacis, & *Iſai. 11.*

tranquillitatis in Eccleſia deſcribens Iſaias capite 11. ait. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur.* Et lupi, & leones cum agnis, & ouibus morantur, quia tempore pacis & Reges, & Principes cum cæteris fidelibus ab Eccleſiæ pa- Cyril. Hier.

ſtoribus gubernantur. Vt meritò dicat D. Cyrill. Hieroſol. catech. 17. *Nonne hoc tempore ſpirituales lupi cum agnis ſimul paſcuntur? Nonne habet Eccleſia Vitulum, & taurum cum leone ſimul paſcentes: ſimul ad hodiernam vſque diem coram mundanos Principes regi, & inſtrui ab Eccleſiaſticis?* Habet hoc Eccleſia tempore pacis, quòd inter agnos ſuos ſint etiam potentiſſimi Reges mundi, & Principes qui eius obedientiæ ſubiaceant.

3. *Regum* 5. Præcipe igitur, vt præcidant mihi ſerui tui cedros de Libano, & ſerui mei ſint cum ſeruis tuis: mercedem autem ſeruorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris; ſcis enim quomodo non eſt in populo meo vir, qui nouerit ligna cædere ſicut Sidonij. Cùm ergo audiſſet Hiram verba Salomonis, lætatus eſt valde, & ait: Benedictus Dominus, *&c.*

§. V I.

In correctione proximorum, maximè potentium, magna dexteritas, & ſapientia neceſſaria.

A Rege Tyri, & Sydonis petit Salomon viros: qui cedros ſuccidant, aiens: *Præcipe igitur, vt ſuccidant mihi ſerui tui cedros de Libano.* Et ſubdens rationem cur ab illo ſucciſores cedrorum quærat, ait: *Scis enim quomodo non eſt in populo meo vir, qui nouerit ligna cædere, ſicut Sidonij.* Et meritò vbi ligna cedrina ſuccidenda erant ad templi fabricam, cæſores quæruntur, qui maxima in cædendis lignis polleant dexteritate. Ille enim ſolus munus habet cædendi cedros in templum Dei, qui dexteritatem in cædendo habet. Quippe ille ſolus illuſtres, & præclaros viros cædit, hoc eſt, corripit, & caſtigat, vt valeant ſeruire domui Dei ædificandæ, qui magna prudentia viget, & dexteritate. Eccleſiaſtici cap. 49. de Ioſia charitiſſimo *Eccli. 49.*

Rege Hieroſolymorum dicebat: *Ipſe eſt directus diuinitus in pœnitentia gentis, & tulit abominationes impietatis.* Erat tunc temporis populus Iſraeliticus in magnis criminibus, quem ad Deum trahere dum Ioſias curat, ait textus 4. *4. Reg. 23.*

Reg. 23. vt magnates omnes coegit templum adire, illudque omni idololatriæ labe mundare. Pro quo bene dicitur de illo: *Et ipſe directus eſt diuinitus in pœnitentia gentis.* quæ verba in rem noſtram ſic refert Vatablus: *Hic in populo reformando dexteritate vſus eſt, & abominandas impietates ſuſtulit.* Sic qui ad ſuccidẽdas abominationes, ad corripien- Vatabl.

dos homines, illoſque in bonum trahendos à Deo mittuntur, maxima pollent dexteritate, & prudentia ſecan-

di. Erat maximus ille Dauid inter adulteria, & homicidia, quaſi luxurians condenſis ramis arbos. Quid tunc Deus?
2.Reg.12. Quæſiuit cæſorem ſapientem Nathanum, de quo ait text. 2.Reg.12. *Miſit ergo Dominus Nathan ad Dauid; qui cum veniſſet ad eum, dixit ei: Duo viri erant*, &c. Quid ais bone, venis vt regiam cedrum ſuccidas à crimine, & narrationem aliorum diſponis? Cur ingreſſus non ſtatim ferrum ſtringis? Cur non percutis? Sapiens cæſor, & tempus obſeruabat; & modum ictus, quo arbos illa caderet vtilius.
Chryſoſt. Quod ponderans Chryſoſtom. in Pſalm. 50. ait: *O ſapientia medici! Intrauit portans gladium, vt ſecaret vulnus, ſed infirmanti non oſtendit, ne abhorreret medicinam ſtatim vt introiuit, non dixit: O inique, ò immunde, ſed ferrum erat abſconditum*, &c. *Cùm verò tempus inuenit, ſtatim percuſſit, & abſcidit ſine grandi plaga vulnus.* Proh ſapientiſſimus cæſor cedrorum; non ſic communiter inueniuntur in populo noſtro, qui ſciant cedros cædere, qui nolint corripere potentes homines! Fecit Nathan in corrigendo Dauide, quod facere ſolent ſapientes domitores leonum. De quibus D. Ambr.
Ambroſ. lib. 2. in Cain cap. 1. *Ceditur canis, vt expalleſcat leo: & qui ſua iniuria exaſperatur, coërcetur aliena, alteriuſque exemplo frangitur.* Sic Nathan cæſurus Dauidem, priùs effictam priuati viri perſonam excidit, vt ſic in alio expaueſcens Rex, ipſe in ſe ſuperflua pateretur cædi. Sic cæſoris ſapientia, & dexteritas dedit nobiliſſimam cedrum Domini Dei. Nec non & Ioſeph, de quo habes Geneſ. 37. vt fratres ſuos ſeuerè quaſi exploratores accipit, & ſimul conuiuio excipit; poſtmodum furti arguit, & tandē ſe illis manifeſtat, eoſque conſolatur. Pro quo aiebat D. Greg. hom. 21. ſuper
Gregor. Ezech. Ioſeph fratrum facinus & dimiſit, & vindicauit. In rigore clementiam tenuit, vt delinquentibus nec ſine vltione pius exiſteret; nec ſine pietate diſtrictus. *Ecce hoc eſt magiſterium diſciplinæ, vt culpis, & diſcrete nouerit parcere, & piè reſecare.* Sicque feriat, vt proſit; ſic ſuperflua, & inutilia ſecet, vt præſtantia relinquat. Quam diſcretionem dedit Deus flammis vltricibus, quæ in purgatorio parant iuſtorum animas, vt Deum videant. Ait enim D. Auguſtin.
Auguſt. homil. 16. & 50. *Per fluuium igneum tranſibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta tranſeundi mora. Quantam exegerit culpa, tantum ſibi ex homine vendicabit quædam flamma rationabilis diſciplina. Et quantum ſtulta iniquitas ſuggeſſerit, tantum ſapiens pœna decoquet.* Expende illa duo, nimirum: *flamma rationabilis diſciplina, & ſapiens pœna.* Meritò enim illa flamma & rationalis, & ſapiens cenſetur, quæ ſcit in iuſtis illis ſic reſecare, & conſumere mala, vt purior fiat eorum iuſtitia.

§. VII.

Præſtantes viri maximè diuino verbo capiuntur.

TYrij Regis ſeruos petit Salomon, vt cædant cedros, ad Dei templum, cui operi etiam addit ſeruos ſuos, quippe ait: *Præcipe igitur, vt præcedant mihi ſerui tui cedros de Libano, & ſerui mei ſint cum ſeruis tuis.* Et quando Tyrij Regis ſerui validiſſimi videbantur ad cædendos cedros, cur neceſſum eſt illis addi ſeruos Salomonis? Nonne cedri præcidi poterant à ſolis primis? Planè, ſi non in litera hæreamus, ſed euolemus ad ſpiritum, vt in Tyrij Regis ſeruis intelliguntur mundiales ſapientes, ſic in ſeruis Salomonis apparent Apoſtolici viri. Cedri autem Libani, hoc eſt, præſtantes, & primarij homines non ſic à vitiis præciduntur, vt templum Dei fiant, per ſapientiam mundialium rhetorum, vt per verbum diuinum, quod ſumitur de canonicis,
Angelom. apoſtoliciſque Scripturis. Ait Angelomus in gloſſa: *Serui Hiram præcidentes cedros de Libano, doctores ſunt de gentibus, qui eos, qui mundi rebus, & gloria lætantur à ſuperbiæ faſtu corrigendo ſuccidunt, & ad obſequium Chriſti transferant. Cum quibus ſerui Salomonis inſtant memorato operi, quia primi doctores de gentibus neceſſe habebant Apoſtolorum, qui à Domino didicerunt, eruditione inſtrui.* Equidem vt ſapientes mundiales ſuperbos, & primarios homines frangerent, & traherent ad Chriſtum, non id valerent efficere eloquentia ſua nec eruditione ſua. Neceſſariò debuit illis addi Apoſtolorum eruditio, quæ eſt in diuinis libris. Non hominis, ſed Dei vox eſt, quæ claras hominum mentes trahit ad humilitatem Chriſti. Vt dicat
Pſalm. 28. Pſalm. 28. *Vox Domini confringentis cedros*, &c. Cùm claras Libani cedros inflecti videas, id vni voci diuinæ tribuas.
Auguſt. Quò ſpectans D. Auguſt. epiſt. 64. ſic monebat: *Si quid minuatur cum dolore fiat, de Scripturis commendando vindictam futura, ne nos ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeatur. Ita priùs mouebuntur ſpirituales, vel ſpiritualibus proximi, quorum authoritate, & leniſſimis quidem, ſed inſtantiſſimis admonitionibus cætera multitudo frangatur.* Expende ab illis, *de Scripturis commendando vindictam*, &c. Sic enim noſter ſermo debet præ ſe ferre Dei verbum poſitum in ſacris Scripturis, vt nihil noſtrum ibi appareat, ſed totum credatur eſſe diuinum, aut Apoſtolicum dictum, quo citiùs frangentur, & capiuntur præſtantiſſimi quique. Quæ enim elatio non cedat teſtimoniis diuinis? Addit ibi Auguſtinus. *De contentione autem, & dolo, quid me attinet dicere, quando iſta vitia non in plebe, ſed in noſtro numero grauiora ſunt? Horum autem morborum mater ſuperbia eſt, & humanæ laudis auiditas, quæ etiam hypocriſim ſæpe generat. Huic non reſiſtitur niſi crebris diuinorum librorum teſtimoniis incutiatur timor.* Nulla alia eloquentia, niſi diuinis teſtimoniis elatæ mentes confringuntur. Idem.

§. VIII.

Vnius diuinitatis opus eſt, quòd tibi bonus ſucceſſor accidat.

SAlomonis virtutem & ſapientiam miratus Hiram, non niſi à Deo credit talem ſucceſſorem Dauidi datum, dicens: *Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit Dauid filium ſapientiſſimum ſuper populum hunc plurimum.* Nec immeritò in eo, quòd filius adeò prudens, & ſapiens ſuccedat patri, agnoſcit Gentilis homo opera diuinitatis. Non enim poteſt non cognoſci diuinitatis exiſtentia peculiaris, vbi homini bonus ſucceſſor datur. Imò Plinius non ſolùm diuinitatis aſſiſtentiam, ſed ipſam diuinitatem eſſe credebat in prædeceſſore, cuius bonus erat ſucceſſor. Dum enim ponderat, quod Traianus prædeceſſorem ſuum inter Deos retulerat, ſic fatur in eius paneg. *Tu ſyderibus patrem intuliſti, non ad metum ciuium, non in contumeliam Numinum, non in honorem tuum, ſed quia Deum credis. Sed licèt illum aris, puluinaribus, Flamine colas, non alio magis tamen Deum & facis, & probas, quàm quòd ipſe talis es. In Principe enim, qui electo ſucceſſore Fato conceſſit, vna, itémque certiſſima diuinitatis fides eſt bonus ſucceſſor.* Sic Plin. ille Gentilis diuinitatis prædeceſſoris certiſſimum iudicem credebat eſſe in ſucceſſoris notiſſima virtute. Qui autem de diuinitate ſapientiùs ſentimus, non poſſumus non credere ſaltem peculiarem eius aſſiſtentiam præceſſiſſe, vbi ſucceſſor datur, qui prædeceſſoris vel ſeruet, vel augeat virtutes. Geneſ. 4. dicit: *Cognouit quoque Adam vxorem ſuam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens: Poſuit mihi Dominus ſemen aliud*, &c. Alios antea pepererat filios, nimirum Cain, & alium de nullo tamen dixit, quod à Deo poſitus, & datus fuiſſet, niſi de Seth. Et cur in Cain partu non etiā agnouit opus diuinum, vt agnouit etiam in partu Seth? Rationem indigitat textus cap. 5. Geneſ. dicens de Geneſ. 4.
Adam: *Genuit filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vocauitque nomen eius Seth.* Naſcebatur Seth futurus in virtutibus, & ſapientia patri ſimillimus, ideo in eius natiuitate mater eius magis agnoſcit diuinitatis aſſiſtentiam, cui vni attribuendus eſt ſucceſſor prædeceſſori ſimilis in virtutib. Geneſ. 5.
Ad hæc D. Chryſoſt. hom. 21. in Geneſ. fatur: *Cum de priore loqueretur filio Cain, nil tale aſſignauit, iam antea ſignificans illius in malum procliuitatem. Hic autem*, inquit, *ſecundùm ſpeciem, & ſecundùm imaginem ſuam; hoc eſt, eorumdem morum, & qui ſeruet paternos characteres, qui reparare poſſit ſua virtute prioris peccatum. Ideo & mater nomine impoſito filio, cum gratiarum actione hoc nomen indidit, & neque naturæ, neque partui adſcribit natum puerum, ſed Dei virtuti.* Quòd Adæ ſucceſſor fuerit Seth filius eius multis præditus virtutibus, id nulli alij meritò tribuitur, quàm Deo; de cuius peculiari aſſiſtentia venit, quòd tibi bonus ſuccedat. Chryſoſt.

3. *Reg.* 5. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & abiegna, iuxta omnem voluntatem eius. Salomon autem præbebat Hiram viginti millia coros tritici in cibū domui eius, & viginti coros puriſſimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos. Dedit quoque Dominus ſapientiam Salomoni, ſicut locutus eſt; & erat pax inter Hiram & Salomonem, *&c.*

§. IX.

§. IX.

Imputribilis caſtitatis pretium in Euchariſtica cibo.

ECce tibi ligna cedrina quid referant Hiramo, nimirum viginti millia coros tritici. Quippe ait: *Hiram dabat Salomoni ligna cedrina. Salomon autem præbebat Hiram viginti millia coros tritici.* Nec miror, nam quoties quis imputribili caſtitate conſpicuos affectus vero Salomoni Ieſu meo ſiſtit, ab illo cæleſtis tritici epulum accipere oſtenditur dignus.
Apocal. 2. Apocal. 2. Pergami Epiſcopum carpebat Dominus, dicens: *Habes tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari,* &c. *Similiter pœnitentiam age,* &c. *Vincenti dabo manna abſconditum.* Ecce tibi cui promittitur manna, cæleſte pabulum, nimirum illi, qui Balaami conſilia circa fornicationes, & adulteria vicerit, & propulſauerit. Balaam enim conſilium dederat Moabitis, & Madianitis, vt præmitterent puellas ornatas, quæ Iſraelem ad voluptatem, & coitum traherent, vt ſic deſtitutus à Deo perderetur. Qui ergo conſilia laſciuiæ repulerit, & caſtitatis incorruptibilitatem perſuaſerit, is cæleſti ditabitur pabulo.
Rupert. Quò ſpectans Rupertus lib. 4. in Apocal. ait: *In iſto gradu vincere, eſt doctrinam Balaam, id eſt fornicationes, primum in ſemetipſa per virtutem continentiæ, deinde in aliis per virtutem ſcientiæ deſtruere. Porro qui hoc modo per virtutem continentiæ vincit, ille ſacramentum corporis, & ſanguinis Domini dignè percipit.* Nunquam poteſt eſſe panis cœleſtis cum Balaami conſiliis circa laſciuiarum voluptatum corruptelas; neceſſum eſt, vt perdatur Balaami conſilium laſciuum datum Madianitis, vbi accipiendus eſt panis diuinus. Dicebat quidam Iudic. 7.
Iudic. 7. *Videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere, cumque perueniſſet ad tabernaculũ, percuſſit illud, atque ſubuertit.* Quod vt audiuit alius, reſpondit: *Non eſt hic aliud, niſi Gladius Gedeonis.* Panis apparebat, qui credebatur gladius Madianitas deſtruens. Et quid panis habet cum gladio ad deſtructionem Madianitarum? Vt Madianitæ corrupti erant laſciuis Balaami conſiliis, ſic meritò oſtendebantur deſtruendi vel ab vmbra pabuli diuini. Eſt equidem cœleſtis panis gladius, qui ſecet, & perdat conſilia laſciuiæ.
Cant. 3. Cant. 3. *En lectulum Salomonis ſexaginta ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum.* In femore ſedes laſciuiæ intelligitur paſſim in Scripturis. Qui ergo enſis apponitur ibi?
Iuſt. Org. Ait D. Iuſtus Orgelit. *Ille enſem ſuper femur ſuum vtiliter baiulat, qui carnales libidines ſpirituali cibo mortificat.* Bene enſis cenſetur ſpiritualis cibus aduerſùs libidines, quo purgantur, & expoliuntur incorruptæ cedri Libani, nempe mentes virgineæ. Vbi enim diuiniſſimus cibus eſt, nihil non purum, nil non incorruptum, & imputribile, adeò vt non eò accedere audeat ſpiritus laſciuiæ immundus.
Matth. 12. Ait Matth. 12. *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, perambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit; tunc dixit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens, inuenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alias,* &c. Ecce immundus ſpiritus cum tota vniuerſitate immunditiarum reuertit in hominem. Et vnde ſic audet? Ait; *Inuenit eam vacantem.* Dum mens humana vacua eſt, & inanis à cœleſti cibo, non mirer, quòd ab omni immunditia impetatur, quæ minimè auderent accedere ad pectus diuinis epulis occupatum. Pro quo aiebat Algerus lib.
Algerus. 1. de Sacrament. capite 16. *Non enim hac ſingulari victima tantummodò peccatorum abſolutionem à Deo conſequimur, ſed & contra tentationes munimur, quia cùm ex perceptione corporis Chriſti viderit aduerſarius habitum noſtrum occupatum cæleſtis fulgore præſentiæ, intelligens locum tentamentis ſuis includi per Chriſtum, fugiet, ac recedet.* Audet equidem immundus ſpiritus in domum vacantem; at in domum cœleſtibus epulis plenam, & occupatam, minimè audet, ſed longè ab illa recedit.

§. X.

Diuini Spiritus eſt, nec paleam accipere ſine remuneratione.

NOta illud; *Hiram dabat Salomoni ligna cedrina. Salomon præbebat Hiram viginti millia coros tritici,* &c. Salomon accipit ligna, & cibos reddit, in hoc veri Salomonis Ieſu imago perfecta, cuius eſt, nec paleam accipere ſine remuneratione ingenti. De illo enim ſapienter dicebat D. Baſil. Sel. orat. de Incarnat. Verbi: *Loco in diuerſorio, nullo reperto, reclinatur in præſepio, interim æterna tabernacula parat in cœlo. A Magis dona accipit, & pretium pro peccatis dependit.* Paleas accipiebat in præſepio, & tabernacula nobis parabat in cœlo. Munera Magorum ſumebat, & ſeſe totum effundebat in noſtrorum peccatorum pretium. *Baſil. Sel.*
Sic Deus pro palea accepta remunerationem parare cœpit, vt oſtendat, quam Deum æmuletur, qui nihil accipit, quin cogitet de remuneratione referenda. Ioan. 1. de Ieſu ait: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Et cur hominibus tantam poteſtatem dedit, qua poſſent fieri filij Dei? Acceperat ipſe ab homine, quo filius hominis erat, & ex quo accepit id, ſtatim cogitauit dare hominibus, quòd filij Dei fierent. *Ioan. 1.*
Athanaſ. de Incarnat. Chriſti: *Accipiens mortalem hominem patrem, dedit hominibus ſuum patrem immortalem, quod ex eo dicto apparet: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* *Athanaſ.* Nuſquam videbis aliquid à nobis accipere, quin ipſe aut par, aut maius quid det. Adcóque illius proprium eſt dare, cùm accipit, vt illos à ſe alieniſſimos reputet, qui neſciant remunerare accepta. Per Oſeam enim cap 6. de Iſraelitis idololatris dicebat: *Ipſi autem ſicut Adam præuaricati ſunt pactum meum.* *Oſe. 6.* Et non nemini ſem dubitatio premit, cur Adam comparetur idololatris Iſraelitis? Adamus non obediuit Deo, at non adorauit idola, nec coluit ligna, opera manuum hominum. In quo ergo potuit aſſimilari Iſraelitis idololatris? In eo ſolùm, quòd multa accipiens à Deo in paradiſo, nihil Deo reddidit, propter quod meritò reputatur inter alieniſſimos à Deo. Accipite Ruffinum ibi fantem: *Adam ſi violator fuit præcepti, nullis tamen legitur idolis ſupplicaſſe, nec aliquod eorum criminum, de quibus Iſrael arguitur, perpetraſſe. Vnde ergo illi primo homini degens in ſummis ſceleribus, comparatur? Haud ob aliud profectò, quàm quòd ſi non æquè ſacrilegi, æquè tamen docentur ingrati.* *Ruffin.* Multa, & penè inenarrabilia acceperat Adamus in paradiſo ex Deo, & inter tot tantaque accepta, nihil legitur ipſe Deo donaſſe, imò illi obedientiam denegauit. Ne miremur, quod ex hac ingratitudine æquetur Adam hominibus, qui maximè a vero Deo alienabantur, colentes Deos falſos, ligna, & lapides. Tantum abeſt a Deo, qui nihil reddit, cùm multa accipit.

3. *Regum* 5. Elegitque Rex Salomon operarios de omni Iſraël, & erat indictio triginta millia virorum. Mittebátque eos in Libanum, decem millia per menſes ſingulos viciſſim, ita vt duobus menſibus eſſent in domibus ſuis: & Adoniram erat ſuper huiuſmodi indictionem. Fuerúntque Salomoni ſeptuaginta millia, qui onera portabant, & octuaginta millia latomorum, *&c.*

§. XI.

Præſtantior Dei ſedes non tam multitudine, quàm vel in paucorum deuotione.

TEmplo ædificando per Salomonem operam dabant in præſenti centum & octuaginta millia virorum. Quippe ait: *Erat indictio triginta millia virorum.* Rurſus addit: *Fuerúntque Salomoni ſeptuaginta millia, qui onera portabant, & octuaginta millia latomorum,* &c. Tot millia miniſtrabant Salomoni in templo ædificando; Ieſus autem duodecim elegit Apoſtolos ad totius Eccleſiæ ædificationem.

tionem. Et quando Salomon tot millia hominum elegit pro Dei templo, cur Ieſus ſolos duodecim elegit Apoſtolos, niſi vt oſtenderet, præſtantiorem Dei ſedem non tam à multitudine venire, quam ab ædificantium deuotione? Pro quo ipſe dicebat Matthæi 18. *Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* (Matth.18.) Duo, aut tres congregati in nomine Ieſu ſedem illi faciunt, à qua minime diſcedat. Hinc paucos, ſed feruidos Chriſti imitatores conſolatur Diuus Ennod. lib.2. epiſtola 14. fatus: (Ennod.) *Regnat adhuc Chriſtus in numero veſtro, qui ſibi non tam in multitudine, quàm in deuotione complacuit.* Equidem deuotio, & feruor fidelium etiam paucorum numero, gratiorem exhibent Deo locum. Cùm puer Ieſus à parentibus duceretur in templum Luc.2. vt legis præcepta implerentur, duo inibi iuſti inuenti ſunt, qui illum agnoſcerent. Ait enim: (Luc.2.) *Ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus*, &c. *Et erat Anna Propheteſſa*, &c. Duo hi iuſti adducuntur ab Spiritu ſancto in templum, qui exciperent Ieſum, eiuſque prædicent gloriam. Et cur ſoli duo? Cur non potius magna aliqua multitudo hominum adducitur tanti myſterij ſpectatrix? Ait Guerricus Abbas ſermone 2. de Purificatione: (Guerr.) *Hi duo vario decore virtutum adornauerunt thalamum tuum Sion ad ſuſcipiendum Chriſtum Regem, non parietes templi tui, ſed penetralia cordis ſui; ſecreta cubiculi, vbi adorare patrem in ſpiritu, & veritate iubemur, vbi & ſuſcipitur, qui in manu factis ſe nequaquam habitare teſtatur. In iſtis ſuſcipit Chriſtum fidelis Sion; aliàs vix habet, vbi caput reclinet ſuum. Sufficit tamen iſtorum occurſus ad omnem ſolemnitatem, & lætitiam; eo quòd conſummatio inundet lætitiam, & conſummatio, atque abundans iuſtitia paucorum, facilè compenſet infidelitatem multorum.* Non quia multi, ſed quia feruidi, quia iuſti, quia ſancti gratam Deo ſedem exhibent. Habes Chriſtiane vnde gratiſſimum Deo ædifices templum, ſi vel vnicum cor tuum immaculatum, & virtutibus ornatum illi præbeas. Dicebat ſapienter Chryſoſtomus homilia 26. ad Pop. (Chryſoſt.) *Opto igitur, & volo; & libenter etiam mullari ſuſtinerem, vt multitudine decoratam Eccleſiam, ſed multitudine probabili. Si verò nequit hoc fieri, paucos illos probabiles eſſe volo. Non videtis, quòd melius eſt vnum pretioſum habere lapidem, quàm multos obolos? Nonne videtis, quòd melius eſt ouem vnam ſanam habere, quàm decem millia ſcabie repleta? Non cernitis, quòd in regno pauci, in gehenna multi? Quid mihi cum multitudine? Quæ vtilitas? Nulla*, &c. Nulla vtilitas in multitudine ad Dei ſedem parandam, ſi multitudini deſit deuotio, & virtus. In quo enim hæc fuerint, etiamſi vnus ſit, Deo placebit præ aliis multis. Hinc locutus Dominus de gloria transfigurationis ait Luc.9. (Luc.9.) *Sunt aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei.* Ecce tibi transfiguratio vocatur regnum. Et quid cum regno habet commune illa transfiguratio? Nonne regnum multis conſtat ſubditis; & in illa transfiguratione duo tantùm ſubditi viſi ſunt? Duo in ea viſi ſunt, nempe Moyſes, & Elias, ſed duo hi integrum regnum referebant Chriſto. Vt dicat Ioannes Xiphilinus Patriarch. Conſtant. orat. de cruce: (Xiphilin.) *Viſo enim Ieſu transfigurato, & Moyſe, atque Elia, ſeu ſatellitibus quibuſdam viderunt Chriſtum in regno.* Quippe vel in vno Moyſe, & Elia Chriſti regnum referebatur ampliſſimum.

§. XII.

Ieſu propria ſedes ab vnitate & concordia.

TOt miniſtrorum millia eò ſpectabant, *vt tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi*, &c. Pro templi Salomonici fundamento multi tollebantur lapides, & grandes, & pretioſi. Non ſic pro fundamento Eccleſiæ Chriſtianæ, de qua ait Paul. ad Epheſ.2. (Epheſ.2.) *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit*, &c. Illic multi lapides, hic vnus lapis memoratur, nec miror, eſt enim hæc ædificatio Chriſti Ieſu, cui magis vnitas placet. Vt dicat D.Zeno lib.2. ſerm.24. (Zeno.) *In totius fabricæ fundamentis, non ſicut in Iudæo templo plurimi; ſed magnus, præclarus, pretioſus, ac ſpecioſus vnus eſt lapis.* Nunquam enim non ab vnitate coaleſcit chriſtiana fabrica. Quidquid diuiſionis eſt tollat, & vnitatem procuret, quiſquis & Chriſto, & in Chriſto domum amat illi gratam ædificare. Dicebat ipſe Matthæi 18. *Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum*, &c. (Matth.18.) Expende illud, *congregati*; non enim intereſt, quòd ſint duo, vel tres, vel plures in nomine Ieſu, niſi ſint in eo congregati, & adunati. Vnitas namque Ieſum trahit. Ait D. Hilar. in Matth. canone 18. (Hilar.) *In tantum Ieſus humanæ pacis ſtudet concordiæ, vt vnitatis merito, omnia, quæ à Deo precanda ſint, impetranda eſſe confirmet. Et vbi duo, aut tres pari ſpiritu, ac voluntate collecti ſint, ibi ſe medium eorum pollicetur futurum. Ipſe enim qui pax, atque charitas eſt, ſedem in bonis ac pacificis voluntatibus collocauit.* Tanti eſt vnitas, & concordia, vt Ieſu gratiſſimam ſedem paret.

§. XIII.

Nuſquam non labor, & onus homini, vel in vitiis, vel in virtutibus.

PRo templo ædificando, *fuerunt Salomoni ſeptuaginta millia, qui onera portabant.* Et ſi pro templi ædificatione adhuc onera hominibus imponebantur, quando in hac vita erit homo ſine onere? Pulchrè dicebat Diu. Bernardus ſermone 15. in Pſalm. Qui habitat: (Bernard.) *Oneriferum animal homo tempore ſuæ mortalitatis.* Dum in hac mortalitatis ſemita fuerit homo, nuſquam erit ſine onere, ſiue mundo ſeruiat, ſiue Domino. Matth. 11. clamat Ieſus: (Matth.11.) *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos*, &c. *Iugum enim meum ſuaue eſt, onus meum leue.* Oneratos mundialibus ſarcinis ad ſe vocat Dominus; & quid dicit? An, venire, vt abiiciatis onera? vt ſitis, vt ſine ſarcina ſitis? Abſit, ſed venite, ait, & tolletis iugum meum, & onus meum; licèt illud ſuaue, hoc ſit leue, tamen iugum, & onus eſt, ne vnquam homo ſit ſine onere. Ad hæc D.Bernard. ſuprà: (Bernard.) *Laborantes ad refectionem inuitat, ad requiem prouocat oneratos. Non interim onus ſubtrahit, aut laborem; magis autem onere alio, alio labore commutat; ſed onere leui, ſuaui iugo, in quibus requies, ac refectio, & ſi minus appareat, tamen inuenitur. Graue onus iniquitas. Sub hac gemebat ſortitur, qui dicebat: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, ſicut onus graue grauatæ ſunt caput meum. Quod ergo onus Chriſti, quod onus leue? vt quidem ego ſentio, onus beneficiorum.* Non tollitur onus, ſed mutatur; ſub mundo, ſub peccato onera ſunt grauia, & importabilia, quæ faciant vel gigantes gemere. Sub Chriſto leue eſt onus, & ſuaue iugum, vtraque non à tyranno, ſed à benefico Principe imponuntur. In Chriſtianæ vitæ oneribus non ſeruitutem exhibes, ſed accipis beneficium; quot onera ſub Chriſto, tot tibi ſunt beneficia. (Idem.) Vt meritò dicat Bernard. *Onerat nos, cùm exonerat Deus, onerat beneficio, cùm exonerat peccato. Vox onerati: Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vox onerati: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Planè & Dauid Pſalm. 115 ſentiebat onus beneficiorum, quando anxiùs retributionem procurabat. Sed & Petrus Luc. 5. penè beneficiorum oneri ſuccumbebat, quando quaſi ea refugiebat vt peccator. (Iob 31.) Clamabat etiam Iob poſt ſuam teſtatam innocentiam, poſt munditiem à peccatis, cap.31. *Semper enim quaſi tumentes fluctus ſuper me timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Et quando in te nullum peccatum agnoſcis, quando te multis vides virtutibus ornatum; quid tibi à Deo times? Sub quo gemis onere? Gemebat adhuc poſt peccata ablata, ſub beneficiorum onere. Ex quo D.Bernard. (Bernard.) *Vox onerati: ſemper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum. Semper*, inquit, *timui, ſicut ante, ſic poſt acceptam indulgentiam peccatorum. Beatus homo, qui ita ſemper eſt pauidus, nec minore angitur ſolicitudine, ne fortè obruatur beneficiis, quàm peccatis.* Quid pulchrius? Planè ex hoc onus beneficiorum ſentiebat S.Franciſcus Xauier, cùm iam ferre non potens clamabat: *Satis eſt Domine, ſatis eſt.*

§. XIV.

§. XIV.

Meditationis ſeceſſus aptiſſimus vt Chriſti Domini cognitionem indat.

NOn in templi area, ſed in monte erant, qui lapides quadrarent, & perpolirent. Iuxta quod ait textus: *Fueruntque Salomoni ſeptuaginta millia eorum, quæ onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte*, &c. *Præcepitque Rex, vt tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi, & quadrarent eos*, &c. In communibus ædificiis latomi in ipſis ædificiorum areis viſuntur, lapidem excudentes, quadrantes, polientes. In ſola Salomonici templi ædificatione latomi in montis receſſu erant, ibique à conſpectu omnium remoti lapides expoliebant. Et cur in ſolo hoc opere tota lapidum excultura fiebat in monte? Per omnes illos templi lapides vnus quærebatur lapis primarius Chriſtus Ieſus, cuius notitiam non obſcurè præſtant abrupta montium, & ſolitariæ receſſus meditationis. Hinc ſtudioſum Scripturarum magiſtrum vocans ad ſolitariam vitam, dicebat Diuus Bernardus epiſtola 106. *Experto crede; aliquid amplius inuenies in ſyluis, quàm in libris. Ligna, & lapides docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis. An non putas poſſe te ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo? An non montes ſtillant dulcedinem, & colles fluunt lac, mel, & valles abundabunt frumento:* Sic bonus oſtendit, quàm aptæ ſunt ſyluæ, & montes, & ligna, & ſaxa, vt ſapientiam illam ſuggerant meditatori, qua perueniat ad Chriſtum, panem viuum. Quò etiam refero, quod notabat Lucas capite 1. de Ioanne Baptiſta, inquiens; *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu; & erat in deſertis vſque ad diem oſtenſionis ſuæ*, &c. Venerat Ioannes, vt annuntiaret Ieſum, illumque in medio iam eſſe, vel digito oſtenderet. Et cur ſe tanto præpararit muneri, adhuc puerulus ad eremum contendit, ibique agit vitam. Cur non magis contendit ad nobiles Iudæorum Academias, in quibus Scripturarum enodatione inſtructus ex illis dignoſceret Chriſtum? Paulus vt ſuam de Chriſto annuntiationem commendaret, aiebat Actorum 22. *Ego ſum vir Iudæus, natus Tarſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta ciuitate, ſecus pedes. Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ legis*, &c. Sic præconem ſuum Dominus ad doctiſſimum Gamalielem deduxerat, vt ab illo erudiretur Scripturis. Et quando Paulus ad Doctores legis deducebatur, vt ibi Scripturas diſceret, ex quibus oſtenderet Chriſtum, cur Ioannes non ad ſcholas, non ad Doctores, ſed ad ſyluas, ad prærupta montium, ad deſerti rupes deductus fuit? Equidem & de Chriſto aliquid plus ſancti inuenerunt in ſyluis, quàm in libris. Aliquid plus ligna, & lapides ſolitudinis docuiſſent, quàm Gamaliel, vel doctus alius ſcriba. Dicebat Diu. Chryſoſtomus homilia 1. in Marcum: *Fuit Ioannes in deſerto. Fœlix iſta conuerſatio, deſpicere homines, Angelos quærere, vrbes deſerere, & in ſolitudine inuenire Chriſtum.* Fallar, ſi tanti ſunt gymnaſia, & ſcholæ, & libri, quanti ſyluæ, & prærupta montium, vt Ieſus inueniatur, dum inibi adſit eius ſequela, & virtutum meditatio. Cantic 2. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus*; non ait, ſaliens in libris, ſed ſaliens in montibus, quaſi montes occurrentem iam exhibeant Ieſum meditantibus. Inde Bern. vbi ſuprà. *Tu frater, qui Prophetas legis, putas intelligis, quæ legis? Nam ſi intelligis, ſentis vtique ſenſum propheticæ lectionis eſſe Chriſtum. Quem videlicet, ſi apprehendere cupis, citiùs illum ſequendo, quam legendo conſequi potes. Quid quæris Verbum in verbo, quod iam caro factum præſtò eſt oculis?*

Iam de latibulo Prophetarum egreſſus eſt ad oculos piſcatorum, iam de monte vmbroſo proſiluit in campum Euangelij.

Sic ibi.

†

Bernard. (margin, beside "tam, dicebat Diuus Bernardus epiſtola 106.")
Luc. 1. (margin, beside "tabat Lucas capite 1.")
Actor. 22. (margin, beside "nuntiationem commendaret")
Chryſoſt. (margin, beside "Chryſoſtomus homilia 1.")
Cant. 2. (margin, beside "tic 2.")
Bernard. (margin, beside "iam exhibeant Ieſum meditantibus")

CAPVT X.

Salomonis templum.

AD notiſſimum Orbis miraculum accedo, nimirum ad Salomonici templi oſtenſionem; cuius materies etſi clauderet omnes naturæ diuitias, ſic ab arte vincebatur, vt ſtupori fuerit potentiſſimis Imperatoribus mundi. Videres profundiſſimas valles æquatas Moriæ montis cacumini, vt inde cumuletur latitudo, quæ ſpatio conſtruendæ machinæ ſufficeret. Vndique ab imis muri, qui fundamenti darent firmitatem, & ſpectantium oculos opplerent vaſtiſſima pulchritudine. Tres fuere notiſſimæ eius partes, nimirum, Veſtibulum, Sancta, Sancta Sanctorum, quorum menſuras, & decora, vſque hodie mirantes notæ Orbis fabricæ ſilent. Ea tamen perfecit Rex, terrarum ditione paruus, ſed maximus Dei auxilio, cuius vnius ſapientiæ, & poteſtatis fuit, tantum opus ad perfectionem deducere.

PARS MORALIS circa textus literam.

SATIVS duxi ſingulas cantatiſſimi operis partes explicare, dum pro moribus inſtruendis, ſingularum myſteria produco.

3. *Reg.* 6. Factum eſt ergo quadringenteſimo, & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſraël, de terra Ægypti, in anno quarto, (mēſe Zio, qui eſt menſis ſecundus) regni Salomonis ſuper Iſraël, ædificare cœpit domum Domino. Domus autem, quam ædificabat Rex Salomon Domino, habebat ſexaginta cubitos in longitudine, *&c.*

§. I.

In Chriſto ſingulis horis, & momentis tota nobis cœleſtis ſurgit ædificatio.

PRoh longam Iudæorum expectationem poſt quadringenteſimum, & octogeſimum annum egreſſionis de Ægypto illis datum eſt templū, in quo experirētur Deum propitium. Sic ait: *Factum eſt ergo quadringenteſimo, octogeſimo anno egreſſionis*, &c. Nec miror, facienda enim erat fabrica illa à Salomone Regi temporali, multis congeſtis lapidibus. Quàm feliciores Chriſtiani, qui non in Salomone, ſed in Chriſto Ieſu nitimur, qui vt vnus lapis eſt totius Chriſtiani ædificij, ſic ſingulis horis, & momentis, poteſt fieri totum Chriſtianum, & cœleſte ædificium. Ad nouam hanc fabricam vocabat fideles D. Petrus 1. can. 2. dicens: 1. *Petr.* 2.
Quaſi modò geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem, ſi tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus. Ad quem accedentes lapidem viuum, &c. *ipſi tanquam lapides viui ædificamini domus ſpirituales*, &c. Vnum præſupponit, vt omnem malitiam deponamus, vt totius peccati exuamus ſeruitutem. Et quid inde? Expectandi anni plurimi? Imò ſtatim accedentes ad lapidem viuum Ieſum totam habemus fabricam ſalutis. Nec ſemel in anno, ſed ſingulis momentis Chriſtianum ædificium affulget. Quò ſpectans D. Zeno lib. 2. ſerm. 24. ait: *Paucis inſinuabo totius fabricæ fundamentum. Non ſicut in Iudæa templo plurimi; ſed magnus, præclarus, pretioſus, ac ſpecioſus vnus eſt lapis, qui quadræ turris totam ſolus ſuſtinet molem*, &c. *O res verè miranda, quotidie ædificatur, & quotidie dedicatur, floribus perpetuis, ac diuerſis gemmis margaritis per momenta diſtinguitur.* Non neceſſum eſt adnotare diem Chriſtianæ ædificationis; vt promptum eſt ſingulis horis à peccati ſeruitute exire, ſic etiam promptum eſt, te Zeno.

viuo

Digitized by Google

viuo lapidi Ieſu adiungere, & ſingulis momentis domum ſpiritualem ædificari ſuper illum. Equidem quotidie ædificatur Chriſtianum ædificium; & per momenta nouo ornatu diſtinguitur. Quò ſpectantes Kalendarum lectiones, quæ recitantur in veſperi Dominici Natalis hora prima, ſic dicunt: *Ieſus Chriſtus filius Dei naſcitur in Bethlehem Iudæ.* Expende illud, *naſcitur*; Non enim dicit ſolùm, quòd natus eſt; ſed quòd etiam modò naſcitur, vt pateat, quàm promptum ſit per momenta nouiter nobis adiungi Chriſtum. De quo ait D. Bernard. ſerm. 6. ibi: *Semper igitur nouum, quod ſemper innouat mentes, nec vnquam vetus, quod fructificare non ceſſat, quod in perpetuum non marceſcit. Hic nouus homo, qui nullius vnquam vetuſtatis capax, etiam eos, quorum inueterauerunt omnia oſſa, in veram vitæ transferat nouitatem. Inde eſt, quòd in præſenti tam iucundiſſima annuntiatione, congruè ſatis dicitur, non tam natum eſſe, quàm naſci. Ieſus Chriſtus filius Dei naſcitur in Bethleem Iudæ.* Ecce tibi quotannis, imò quotidie, imò per momenta nobis recens Ieſus naſcitur, nobis ædificatur. Et quamuis inueterata ſint oſſa noſtra per peccatum, tamen Ieſu adiuncti in veram vitæ transferimus nouitatem.

Bernard.

§. I I.

Diuina epulæ maximè in nobis Deo habitaculum parant.

CAntatiſſimum Salomonis templum ædificari cœpit menſe ſecundo anni, vt ait textus, nimirum: *Menſe Zio, qui eſt menſis ſecundus.* Et cur in menſe ſecundo? In menſe primo anni Hebraici comedebatur paſcha agni, vnde ſapienter prouiſum fuit, vt à comeſtione agni iretur in templi ædificationem. Nunquam enim ſacræ epulæ gratam Deo habitationem nō parant. Ait Beda lib. de Salom. templo cap. 5. *Menſem ſecundum Maium dicit, namque Aprilis, quo Paſcha celebratur principium menſium apud Hebræos, primus erat in menſibus anni. Ex quo manifeſtè claret, quia mox peracto Paſcha, cœpit ædificare domum Domino, & conſecratus myſtica ſolemnitate populus, manus ad myſticum opus miſit.* Prius acceſſit populus, vt comederet agnum, & poſt agni conuiuium ritè celebratum, venit, vt templum Deo gratiſſimum ædificaret. Eſt equidem diuina menſa non parua præparatio, vt in nobis Domus Dei poſſit ædificari. Matth. 4. tentator oſtendēs lapides Ieſu dicebar, *dic, vt lapides iſti panes fiant.* Quam audaciam miratus D. Maxim. homil. 2. ibi ait: *Qua ratione, qualicumque de lapide Chriſtus terrenum faceret panem, cùm ipſe, ſicut legitur, ſpiritualis ſit & panis, & lapis?* Expende illa, *& panis, & lapis*; quippe vt Ieſus nobis panis eſt, qui manducatur, ſic & inde lapis eſt, quo in nobis domus Deo excipiendo fundatur. Quoties panem illum manducas viuificum, toties pro domo in te Deo ædificanda adiungis lapidem. Poſt nati Ieſu reuelationem ab Angelo acceptam paſtores dicebant Luc. 2. *Transeamus vſque Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum eſt, & quod Dominus oſtendit nobis.* Bethleem vſque præmittitur tranſitus, vt Dei appareat manifeſtatio apud homines. Et meritò, niſi enim de domo panis, quæ eſt Bethleem, paremur, vix habemus, vbi Deum excipiamus. Quod ponderans pulcherrime D. Bernard. hom. 6. in Vigil. Nat. ait: *vtinam inueniamur & nos Bethleem Iudæ, vt in nobis quoque dignetur naſci,* &c. *domus panis, quod Bethleem ſonat, ad præparationem videtur magnopere pertinere. Quomodo ille paratus eſt, vt excipere tantum hoſpitem poſſit, qui dicit; quia non eſt in domo mea panis? Denique quia imparatus erat quidam, neceſſe habuit amici oſtium clauſum media nocte pulſare, & dicere; Commoda mihi tres panes, quia amicus meus venit,* &c. De diuino pane habito euenit nobis, vt Deo fiamus habitaculum gratum.

Beda.

Matth. 4.

Maxim.

Luc. 2.

Bernard.

§. I I I.

Maius negotium facit Deo peccatorum noſtrorum ſuſtinentia, quàm mortis tolerantia.

SIc menſuræ templi notantur, vt tam in templo, quàm in porticu appareat longitudo latitudine maior. De templo ait: *Habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine.* De porticu verò dicit: *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis,* &c. *& habebat decem cubitos latitudinis.* Et cur in omnibus templi partibus longitudo ſemper oſtenditur latitudine maior? In latitudine oſtendebatur Chriſti Domini charitas, adeò lata, vt etiam pro inimicis mortē guſtaret; in longitudine autem eiuſdem longanimitas, qua inter homines verſabatur, eorum ſuſtinens peccata, & blaſphemias. Longè autem maius eſt Deo noſtro, peccata noſtra longanimiter tolerare, quàm mortem guſtare. Actor. 7. cùm Stephanus lapidaretur, & occideretur, hæc illi erat vox: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Cur non potiùs ſatagebat de morte ſua Deo offerenda? Cur prætermittens commendationem paſſionis ſuæ, in hæc verba vltimò ſpirauit, quibus pro remittendo peccato Iudæorum ſupplicabat? Putabat bonus maius quid eſſe apud Deum longanimitatem in ſuſtinendis proximorum peccatis, quàm mortis tolerantiam. Hinc Nazianzen. orat. 19. componens Stephanum cum parente ſuo ait: Stephanum, & patrem nulla res perinde nobiles, ac inſignes reddit, ac morum placiditas, & innocentia. Ille quidem, ne in periculum quidem vitæ adductus, eos, à quibus impetebatur, oderat; *verum cùm lapidaretur, pro lapidantibus orabat, vt Chriſti diſcipulus, pro quo etiam cruciatum ſufferebat, maius aliquid morte Chriſto offerens, nempe longanimitatem.* Multum erat, quòd Stephanus pro Ieſu mortem oppeteret, ſed illud maius, quod adeò longanimus eſſet in ſuſtinendis proximorum peccatis, vt oraret pro illis. Ne dubitemus, maius quid agere Deum, dum longanimiter ſuſtinet peccatores, quàm dum morti ſe dedit. Sunt enim peccata grauiora, quàm lethaliſſima vulnera. Matthæi 6. dicebat Ieſus: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequētibus,* &c. Sic iubet Dominus, vt oremus pro iis, qui nos ferro, & igne perſequuntur. Ioan. autem epiſt. 1. c. 5. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Ieſus etiam pro iis, qui nos ferro, & igne petunt, iubet orare, Ioannes vetat orare pro eo, qui incidet in peccatum ad mortem. Et quando pro iis, à quibus ferimur, & lethaliter percutimur, orandum nobis eſt; cur non teneamur ſimiliter orare pro tollendo proximi peccato, quod eſt ad mortem? Ait Beda ibi: *Dominus iubet pro inimicis orare, & Ioannes pro peccantibus vſque ad mortem non rogare: & hoc ideo, quia ſunt in fratribus quædam peccata inimicorum perſecutione grauiora.* Illud in rem præſentem ponderandum; *Quædam peccata inimicorum perſecutione grauiora;* & quidem apud Deum grauiora, & quoad nos intolerabiliora ſunt peccata, vt ſuſtineantur, quàm lethaliſſima hoſtium tela. Non ſic Dei charitas oſtenditur fortis in ſuſtinendis vulneribus, ac in peccatis ſuſtinendis. Maius enim illi negotium faciunt peccata, quàm vulnera. Ioann. 4 *Fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.* Quæ verba ponderans Diuus Cyrillus Alexandrinus ibi ait: *Sedet fatigatus ex itinere. Ita pellentium impietas maior videretur; qui, cùm honoribus eum afficere deberent, ſudore, laboreque perſequentes fatigant. Verùm Iudæorum quidem in his ſuperbia faciè intelligitur. Quid autem rurſus nobis Arriani? Aduerſùs quos meritò dicere poſſumus: Sodoma iuſtificata eſt à vobis, qui Iudæorum infamiam exceſſerunt. Ab illis enim Chriſtus crucifixus eſt, ab iſtis ineffabilis natura verbi blaſphematur:* Sapientiſſimè ſanctus doctor componens vulnera à Iudæis illata Ieſu, cum blaſphemiis, & ſceleribus Arrianorum, putat hæc illis grauiora, & intolerabiliora; vt quid maius morte à Iudæis illata offerret Dominus Patri, nempe longanimitatem in ſuſtinendis deliriis Arrianorum.

Nazianz.

Matth. 6.

1. Ioan. 5.

Beda.

Ioan. 4.

Cyril. Alex.

3. *Regum 6.* Fecitque in templo feneſtras obliquas. Et ædificauit ſuper parietem templi tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum templi, & oraculi, & fecit latera in circuitu. Tabulatum, quod ſubter erat, *&c.*

§ IV.

§. IV.

Vel minimum Dei præceptum ingentem carnis mortificationem indicit.

NOtanter ait textus: *Fecitque in templo feneſtras obliquas*; hoc eſt, quæ in parte exteriori anguſtæ eſſent, & in parte interiori latiſſimæ. Sic quotidie viſuntur feneſtræ in ædificiis, quæ etſi anguſtæ appareant exteriùs, ad quatuor partes interiùs excauatæ trianguli referant amplitudinem, quo magis dilatetur, & excreſcat lux, quæ excipitur. Et quid hæ in templo feneſtræ protendunt? Vt in te, qui templum Dei es, ſimile fiat; & vel de minima lucis diuinæ perceptu, ſic intrinſeca maceratione carnis dilateris, vt capacior Dei fias. Quò ſpectans Beda lib. de Templo Salom. cap. 7. loquit: *Vnde obliquæ, id eſt, latiores intus fuiſſe perhibentur, quia qui iubar ſupernæ contemplationis vel ad momentum percipit, mox ſinum cordis ampliùs caſtigando dilatat, & ad maiora capeſſendo ſolerti exercitatione præparat.* Expende illa, *amplius caſtigando dilatat*, &c. neſcit lux diuina manere in anguſto, quod enim anguſtum eſt, anguſtum capit, & paruum lucis. Sed hoc habet lux diuina, quòd licèt parua, & modica accedat, eam ſtatim carnis caſtigationem indicit, quàm latiſſima ſpatia interiùs ad maiora capienda fiant. Dum illa Cant. 5. clauſis ianuis eſſet, vix paruum foramen in oſtio domus reliquerat. Quid tunc? *Dilectus meus miſit manum per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Ecce tibi ſolam Dei manum excepit anguſtum feneſtræ, ſiue portæ foramen, & quid inde? Intima ſponſæ viſcera tremefacta ſunt, & nec minimum in ea apparuit, quòd carnis mortificationi operam non daret; ideo enim ait, quòd manus, & digiti, pleni fuerint myrrha. Sic Theodor. *Manus meæ*, inquit, *ſtillauerunt myrrham, & digiti mei myrrham probatiſſimam. Perfecta enim mortificatione ad extremas vſque particulas affecta ſum.* Et clariùs in rem præſentem Pſellus: *Surrexi ad laborioſum, & magis diuinum ordinem, vt quem antea capere non potuerom, laboribus multis, & carnis mortificatione latiorem cogitationis portam patefaciens ſponſum comprehenderem. Vnde manus meæ diſtillauerunt myrrham*, Ecce tibi, vbi vel paruum, & anguſtum portæ foramen relictum eſt, ad quod non totus Deus accederet, ſed quaſi vel minima eius pars veniret, vt ſe ſtatim anima intimè accingit in carnis mortificationem, qua latiorem interiùs campum faciat, qui totum ſponſum recipiat. Crede mihi, ſi vel anguſtum aditum præbeas luci diuinæ, vt vel modica eius pars ad te accedat, ingentem tibi mortificationem carnis indicet. Cui dum non das operam, metuo ne luci diuinæ omnes aditus habeas penitus intercluſos.

Beda. Cant. 5. Theodor. Pſell.

§. V.

Apoſtolica virtus eſt, quòd non totum virtutis, quod habes, manifeſtetur extrinſecus.

FAcit equidem Salomon in templo *feneſtras obliquas*, nimirum quæ intrinſecus latiores ſint, & extrinſecus anguſtæ. Sic explicant Beda, Angelom. Caietan. Abulen. Richard. Victor. Lyr. Vatabl. Maldon. quos refert, & ſequitur Cornel. à Lapide in cap. 41. Ezech. Et meritò feneſtræ templi in hoc ſenſu obliquæ dicuntur, quia apoſtolici viri per illas ſignificati latiores virtutum campos habent intrinſecus in ſecreto cordis, quàm extrinſecus manifeſtant. Non totum, quod virtutis habent intrinſecus, oſtendunt extrinſecus: ſed cùm latiſſimi, & largiſſimi ſint intrinſecus in diuinis virtutibus, in carnis maceratione, & pœnitentia; non totum, ſed paruam horum partem, & modicam oſtendunt extrinſecus. Actor. 6. dum Stephanus ſiſtitur iudicibus, *viderunt faciem eius, ſicut faciem Angeli.* Magnum hoc, quod Stephanus extrinſecus referat faciem Angeli. Sed accipe maius dictum de illo Actorum 7. nimirum: *Cùm eſſet plenus Spiritu ſancto.* Cùm intrinſecus haberet Spiritus Sancti plenitudinem, extrinſecus ſolam ſpeciem Angeli referebat. Vt dicat D. Fulgent. ibi: *Habens intra ſe Spiritum ſanctum, os præſe præſtat angelicum.* Non totum quod intra ſe virtutis habebat, foras effundit, ſed diuinam intus retinens latitudinem, plenitudinem, foris oſtendit ſplendorem anguſtæ creaturæ. Vt viri Apoſtolici noſcant hanc virtutem, qua maius quid ſciant retinere intrinſecus, quàm oſtendant extrinſecus. De illis dicebat Paul. ad Hebr. 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus in ſolitudinibus errantes.* Ecce tibi, quantæ hæ Apoſtolicorum virorum virtutes, ambulare in melotis, in pellibus caprinis, penuriam & afflictionem pati. Sed hæ vbi exercebantur? Ipſe notat, aiens: *In ſolitudinibus errantes*, in ſecreto ſolitudinis ſuæ. Circa quæ D. Ephrem in confeſſ. & repreh. ſui ipſius ait: *Sed etiam Apoſtolus referens quoſdam in melotis, ac pellibus caprinis verſatos eſſe, conſequenter dixit, in ſolitudine ſic ipſos facere ſolitos. Nam in ciuitatibus habitum mutabant: neque enim ſcire volebant homines, quid nam ipſi agerent.* Largiſſimi, & latiſſimi intrinſecus cùm eſſent, in ſolitudine ſua, in ſecreto ſuo, ad pœnitentias, ad carnis mortificationem, ad ſpiritus compunctionem; non totum ad publicum trahebant, ſed inſtar Moyſis tantarum claritati virtutum velamen opponebant, & partem modicam oſtendebant, ne populus crederet ſibi inacceſſibilem eſſe virtutem. De miniſtrantibus in templo locutus Dominus Ezech. 44. ait: *Neque aſcendet ſuper quicquam laneum, quando miniſtrant in portis atrij interioris, & intrinſecus.* Sic miniſtrantibus intrinſecus vſus lanæ interdicitur, & nudioris amictus vſus permittitur. *Cùmque egredientur atrium exterius ad populum, exuent ſe veſtibus ſuis, in quibus miniſtrauerant, &c. & veſtient ſe veſtimentis aliis, nempe laneis.* Non eadem veſtimenta permittuntur in atrio intrinſeco, ac in extrinſeco, cùm egreſſus ſit ad populum. Illic interdicitur lana, hic permittitur. Et cur hic permittitur? Quia groſſior veſtis eſt, & magis popularis, qua condeſcenſus doctorum ad populares explicandos inuenitur. Ait D. Greg. PP. hom. 11. in Ezech. *Cùm ad populum foras egreditur, oportet, vt veſtimenta in quibus intrinſecus miniſtrauerat, reponat, atque populo alijs veſtibus indutus appareat. Quia ſi in compunctionis ſuæ rigore ſe teneat, ſi in eo, quem orationis tempore habuit, mœrore perduret, exteriorum verba ſuſcipere non admittet. Groſſiora ergo veſtimenta Sacerdos exiens ante populum induat, vt mentis ſuæ habitum pro vtilitate filiorum etiam ad terrena toleranda componat.* Sic ibi oſtenditur, quantæ virtutis eſt in Apoſtolicis viris, quod non vniuerſam ſtrictionem, quam debent habere intrinſecus, foras effundant. Sed magis ita ſe attemperent extrinſecus, vt oſtendant acceſſibilem eſſe etiam popularibus virtutem.

Actor. 6. Actor. 7. Fulg. Hebr. 11. Ephrem. Ezech. 44. Greg. PP.

§. VI.

Sincera doctrina à ſanctorum Patrum ſcriptis haurienda.

VOcat tandem templi *feneſtras obliquas*, quia lumen per illas non rectà, ſed obliquè, & decliuè, veniebat. Sic maior pars authorum ſuprà citatorum. Vt iam videant, qui in Eccleſia vera ſunt, quale lumen doctrinæ accipere debeant, non equidem illud, quod credunt rectà ex Deo ad ſe veniſſe, ſed quod ex Deo ad Prophetas, & ſanctos Patres rectà venit, ad reliquos obliquè, vt ſolidam veramque doctrinam accipiamus ab illis. Quò ſpectans Eccleſiaſtes cap. 12. ait: *Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno.* Expende illa, *per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno*; nempe à Deo rectà venit ſincera doctrina, non ad nos immediatè, ſed ad ſanctos Patres, per quos nos debemus inſtrui. Iob cap. 28. dicitur: *Habet argentum venarum ſuarum principia.* Et vt in argento ſapientiæ ſermo intelligitur, ſic & de hoc verum eſt, quòd habeat venarum ſuarum principia. Et quæ ſunt venæ ſapientis ſermonis? An cerebrum cuiuſcumque? Abſit, ſed Scripturæ, & ſanctorum Patrum libri. Ait D. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 24. ibi: *Qui ad vera prædicationis verba ſe præparat, neceſſe eſt cauſarum origines à ſacris paginis ſumat; vt omne, quod loquitur, ad diuinæ authoritatis fundamentum reuocet, atque in eo ædificium locutionis ſuæ firmet. Vt enim prædiximus, ſæpe hæretici*

Eccl. 12. Iob. 28. D. Greg.

dum ſuo ſtudent peracutè oſtinere, ea proferunt, quæ profectò in ſacrarum librorum paginis non tenentur. Eſt equidem origo ſapientis ſermonis, ſinceræque doctrinæ Deus, qui illam per Prophetarum, ſanctorumque Patrum ſcripta ad nos deriuat, erroneus autem homo, vt nihili æſtimat doctrinam, quæ ad ſuum cerebrum rectà non venit, ſed per ambages Scripturarum, & Patrum, ſic miſerè perit. *1. Timoth. 5.* Quod præcauens Paul. 1. ad Timoth. 5. monebat: *Depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates.* Et quæ ſunt prophanæ nouitates vocum vitandæ ab ſtudioſo veritatis? Quæ non per conſuetas Scripturæ, & Patrum venas veniunt. D. Gregor. Ait ſuprà D. Gregor. *Dum laudari hæretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quaſi noua quædam proferunt, quæ in antiquorum Patrum libris veteribus non teneantur; ſicque fit, vt dum videri ſapientes deſiderant, miſeris ſuis auditoribus ſtultitiæ ſemina ſpargant.* Hoc erronearum mentium proprium, quod non de veterum Patrum ſcriptis ſuam hauriant doctrinam; ſed eam nouam iactent, quæ ſibi à Deo rectà venire præſumant. Quod lethale eſt in rebus pertinentibus ad fidem.

§. VII.

Sanctorum vitas inſpiciat, qui amat in virtute proficere.

SEd & illud notandum, quod ait: *Ædificauit ſuper parietes templi tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum templi, & oraculi,* &c. Itaque per circuitum Sanctuarij tria tabulata erant ædificata, in quibus tres ordines in Eccleſia ſignificabantur Ruperto, nimirum virginum, continentium, coniugatorum. Et ad quid horum ordinum repræſentatio in tabulatis cingebat per circuitum Sanctuarium? *Exod. 26.* Exod. 26. cùm de opere tabernaculi ageretur, dictum inuenio: *Facies & tabulas ſtantes tabernaculi,* &c. iubebantur enim tabulæ ſtantes in circuitu tabernaculi poni. Vbi Gloſſa interlinearis tabulas has vocat *Sanctos exemplo & doctrina Eccleſiam munientes.* Quiſquis ergo templum Dei amat fieri de omni ordine, & ſtatu præſtantes perſonas, quaſi in tabulis depictas habeat per circuitum, eaſque mente circumeat, earum & notans, & æmulans virtutes, & ſic maximè in virtute firmabitur, & *Pſalm. 26.* proficiet. Aiebat Dauid Pſalm. 26. *Circuibo & immolabo in tabernaculo Dei hoſtiam iubilationis.* Quæ verba pulchrè in Greg. PP. rem præſentem expendit D. Gregor. PP. hom. 17. in Ezech. fatus: *Ecce vt immolaret iubilationis hoſtiam, circuibat; quia niſi animam hac, illucque ad bonorum vitam exquirendam mitteret, ipſe vſque ad iubilationis ſacrificium non perueniret.* In primis bonus per circuitum ibat, præſtantiſſimorum hominum vitas quaſi in tabulis pictas mente notans, quibus ſic accendebatur, vt dignus fieret, qui Deo gratum, & iucundum offerret ſacrificium. Hinc ſponſa *Cant. 3.* Cant. 3. cupiens ſibi Deum acquirere, meritò aiebat: *Surgam, & circuibo ciuitatem,* &c. Quid vis ò bona, tu ne circuitura es ciuitatem, vt habeas Chriſtum? Et quando longi per ciuitatem circuitis, non magis Chriſtum bonis puellis eripuit? Crediderim faciliùs à te Chriſtum inueniendum, ſi domi maneas conclusa, quàm ſi ciuitatem circumeas. Sed & ſcio hunc eſſe bonũ circuitum, qui non pedibus, ſed mente fit, dum mente per circuitum ciuitatis itur, præſtantiſſimorumque notantur vitæ, quarum exemplum arripitur. Hic planè circuitus eſt animæ habituræ Chriſtum. Hunc ſpectabat ſponſa, cuius nomine *Philo.* ait Philo ibi: *Surgam, & circuibo in ciuitate: ſtudiosè quæram in ciuitate, hoc eſt, in Eccleſia, in Scripturis ſanctis, in Sanctorum vitis, & exemplis, quomodo rectè ambulare ad te debeam, & quomodo huc vſque vixerim, & ambulauerim.* Proh fructuoſus circuitus! Sint tibi tabulæ per circuitum, quibus Sanctorum vitæ inſcriptæ ſint, has circui, has nota, has æmulare, & fallar, niſi Deum in te tamquam in templo habeas.

3\. *Regum 6.* Domus autem cùm ædificaretur de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata eſt: & malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cùm ædificaretur. Oſtium lateris medij in pariete erat, domus dexteræ: & per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium. Et ædificauit domum, *&c.*

§. VIII.

Eccleſia Chriſti non ferro, ſed voce ædificatur.

DOlabantur ſic lapides, & ligna in monte, & ſic ad amuſſim ibi menſurabantur, vt cùm ad ædificium ventum eſt, vt illa componeret, nullo inſtrumentorum ictu egeret artifex: vt dicat textus: *Et malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Et meritò, ſic enim clariùs exprimebatur Chriſti Eccleſia, quæ non ferro, ſed voce ædificatur. Ait D. Bruno *Brun.* ſerm. 4. de Laud. Eccleſiæ: *Meritò autem in domo Domini, quando ædificata eſt, malleus, aut ſecuris, aut vox ferramenti audita non eſt, quia Eccleſia Dei, quæ per eam ſignificabatur, non ferro, ſed lingua ædificanda erat; non vox inarticulata, ſed ſancti Spiritus gratia illam conſtruxit.* Fundantur terrena regna ferro, & gladio, ferrum autem, aut gladius potius officiunt, quam proficiunt Eccleſiæ Chriſti fundandæ, quæ magis de voce ſapientiæ naſcitur, & augmentatur. *Geneſ. 3.* Geneſ. 3. vt arceret Deus homines à paradiſo, *Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium.* Ecce munus gladij, nimirum quòd homines arceat à paradiſo, quòd paradiſus Eccleſiæ ſit ſine hominibus. At *Actor. 2.* Actor. 2. dum Eccleſiæ architecti ad opus parabantur: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Ibi gladius ponitur, hic linguæ dantur. Et cur non magis in iſto Eccleſiæ limine ponitur gladius? Gladius magis prohibebat ædificatores Eccleſiæ; quæ in linguis habet gratiam, vnde valet fundari. Ait D. Cyril. *Cyril. Hier.* Hieroſol. catech. 17. *In ſpecie autem linguarum ignearum ſedit ſuper illos, vt noua corona ſpiritualis per linguas igneas imponatur capiti illorum. Gladio ignea antea prohibebat ingreſſum paradiſi: ignea autem lingua, ſalutarem præſtitit gratiam.* Vbi ab Eccleſiæ paradiſo arcendi homines erant, ibi ponitur gladius: verùm vbi Eccleſia ædificanda, & ſalutaris gratia præſtanda, ibi non gladius, nec ſecuris, ſed ſolæ linguæ, de quarum articulata voce venit, quòd homines trahantur. Matth. 11. ædificaturus Dominus Eccleſiã, *Matth. 11.* lapideſque viuos collecturus dicebat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, ego reficiam vos.* Quid tunc? Accipe D. Baſil. Sel. orat. 29. fantem: *Habet vocis hæredita-* *Baſil.* *tem obtinuit Apoſtolorum cœtus, hanc in manibus habentes, non inſtata tuba, cælum hominibus peruium reddiderunt; terras integras penuaſit ea vox, ſine vi capta ſunt ciuitates, prouinciæ concurrerunt, Reges adorarunt, Imperatores ceruices ſubiecerunt. O vocem, quæ communem quoddam de hominibus trophæum ſtatuit! O vocem ſalutis fontem! O verbum vnica aſcenſione terram captiuam agens! O rationem mundi purgatricem! O Verbum, quod Verbi res propter Verbum ſtabiliuit.* Non equidem arma, non gladios, non ſecures hæreditarunt Apoſtoli, quibus regna expugnarunt; ſed vnam Chriſti vocem pro hæreditate habuerunt, & illa vniuerſum orbem in Eccleſiæ ædificationem traxerunt. Huc referri poſſunt dicta tom. 4. de Chriſto figurato lib. 8. cap. 22. §. 9.

§. IX.

Capita populi, & Principes hoc propriiſſimum habeant, quòd iniuriarum, aut errorum ſubditorum nec minimum ſeruent veſtigium.

DIcit textus: *Oſtium lateris medij in pariete erat domus dexteræ,* &c quorum verborum ductu nos ducit Rupertus ad charitatiſſimum vulnus lateris Chriſti Domini, quo euidentiſſimum ad ſalutem nobis oſtium patuit. Et cùm nil crebrius audiam a patribus celebrari, quàm oſtiũ hoc lateris chriſtiani, inſuper & manuum, pedumve oſtia aperta a clauis. Illud mihi accidit mirandum, quòd capitis eiuſdem vulneribus à ſpinea corona peractis, profundiſſimum ſilentium poſt reſurrectionem habeatur. Ioan. 20. reſurgens Ieſus, vt teſtimonium vitæ recidiuæ diſcipulis

diſcipulis daret, *oſtendit eis manus & latus*; & ibidem dicit Thomæ: *Vide manus meas, & affer manum tuam, &* Luc. 24. *mitte in latus meum*, &c. & Luc. 24. *oſtendit eis manus, & pedes.* Quæ in manibus, & in pedibus, & in latere foramina vulnerum ſeruauerat, oſtia faciebat, per quæ ad ſalutem, & fidem intraret. De capitis autem vulneribus, & foraminibus ab ſpinea corona factis, nec verbum facit, & quaſi nulla remanſiſſent, ſic premit illa ſilentio alto. Et cur, qui tantus erat in oſtenſione oſtij lateris, manuumque, & pedum, nullus fuit in oſtenſione vulnerum capitis? Hanc tunc oſtendebat virtutem propriam capitibus Eccleſiæ, & populi ſui, quòd iniuriarum, à ſubditis acceptarum, ſiue errorum illorum nec minimum veſtigium ſeruent, nec vllam vnquam memoriam habeant. Sic ſic Prælati, & Principes populi abſumere in ſe debent iniurias, & errores ſub- Matth. 27. ditorum, vt nullum illarum veſtigium appareat. Matth. 27. accipientes milites Ieſum, *chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius.* Hæc fecerunt milites, & poſt multas irriſiones, *exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent.* Duo fecerunt in Ieſum milites, & chlamydem, & coronam ſpineam illi impoſuerunt: de chlamyde ſtatim dictum eſt, vt exuta fuit, de corona ſpinea nuſquam inuenies ſcriptũ, quòd depoſita eſt. Et cur quando dicitur chlamys depoſita, non dicitur co- Orig. rona ſpinea depoſita? Rem ponderat, & definit Origen. homil. 35. in Matth. inquiens: De chlamyde ſcriptum eſt, quòd denuo ſpoliauerunt eum chlamydem coccineam; de corona autem ſpinea nihil tale Euangeliſtæ ſcripſerunt: propter quod, & nos quærere voluerunt exitum rei de corona ſpinea ſemel impoſita, & nunquam detracta. *Ego igitur arbitror, quòd ſpinea illa corona conſumpta eſt à capite Ieſu, vt iam non ſint ſpinæ noſtræ antiquæ, poſtquam ſemel eas à nobis abſtulit Ieſus per venerabile caput ſuum.* Expende illud, *conſumpta eſt à capite Ieſu*, quippe venerabile Ieſu caput, ſic abſumpſit iniuriam ſibi coronam, vt nec mẽtio de illis haberetur. Et mirandum, quòd fornax ardentiſſima pectoris Ieſu non abſumpſit adactum ſibi ferrum lanceæ; nec manus, nec pedes Ieſu abſumpſerunt clauos, ſed illorum vulnera in monumentum æternum ſeruarunt. Caput autem Ieſu ſpinas ſibi impoſitas penitus in ſe abſumpſit, vt hinc pateat, quàm proprium debeat eſſe illorum, qui capita populi ſunt, quòd abſumant & iniurias, & errores ſubditorum, nec permittant, quòd eorum vel veſtigia appareant.

3. *Regum* 6. Et factus eſt ſermo Domini ad Salomonem, dicens: Domus hæc, quam ædificas, ſi ambulaueris in præceptis meis, & iudicia mea feceris, & cuſtodieris omnia mandata mea, gradiens per ea; firmabo ſermonem meum tibi, quem locutus ſum ad Dauid patrem tuum. Et inhabitabo in medio filiorum Iſraël, *&c.*

§. X.

Ne ita fides templorum à te ædificatorum magnificentia, vt non magis ſtudeas vitæ ſanctitati.

INter ædificandum templum adit Deus Salomonem, & illum monet, dicens: *Si ambulaueris in præceptis meis, & iudicia mea feceris, & cuſtodieris omnia mandata mea*, &c. Quæ & in medio operis, & in fine repetita à Deo fuiſſe cenſent Abulenſ. & Carthuſ. Et cur in tanti operis, & tam religioſi, & pij medio, & fine curat Deus Salomonem monere de cuſtodia mandatorum ſuorum diuinorum? Ne nimis fideret tam magnifico, & religioſo ædificio à ſe peracto, quando Deo non tam magnificentia templorum, quàm cordium ſanctitas placet. Hierem. cap. 7. Ierem. 7. Verbum, quod factum eſt ad Hieremiam à Domino, dicens: *Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum iſtud, & dic: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, vt adoretis Dominum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt.* In ipſo primo templi limine ſtare mandatur Propheta, vt moneat ingredientes de vitæ ſanctitate, & de fugiendis verbis mendacij, quæ dicebant, Templum Domini eſt. Et cur verba templum prædicantia dicuntur verba mendacia? An mendacium erat, quod templum illud, & magnificentiſſimum, & religioſiſſimum erat? Quòd inibi Deus peculiariter aſſisteret? Non hæc mendacia, ſed quæ ſic templum extollebant, vt facerent credere Iſraelitis, quòd templum illud ſufficeret pro illis tutandis, conſeruandis, abſque vllis aliis illorum virtutum operibus, hæc notiſſima erant mendacia, & diſcriminibus plena. Et ſimillima neotericorum hæreticorum aſſertis, qui ſic extollunt diuiniſſimum Chriſti Domini templum, ſibi ſufficiens, vt excludant à ſe omnia virtutum opera velut ſuperflua. Proh mendacia hominum deploratorum! Tu fidelis homo nulli ſic fidas templo, nec Ieſu ipſi, vt non ſtudeas virtutum operibus. Dicebat Theodoret. ibi: *Qui decipiebant eos, aiebant: Qui fieri poteſt, vt ſuperet quiſpiam templum Dei? Propheta verò denunciat eis, ne ſermonibus huiuſmodi fidant: ſed libenter mutent vitam in meliorem, & iudicia reformident*, &c. Theodor. *Suadet igitur Dominus, ne fidant templo, ſed vitæ legitimæ.* Vitæ ſanctitati ſtudendum eſt illi, qui ſecuram ſalutem amat habere; decipietur enim maximè, ſi ab operibus virtutum alienus totum ſalutis ſuæ negotium ponit in templorum à ſe erectorum magnificentia. Ait 4. Reg. 25. *Venit Nabuzardan Princeps exercitus, ſeruus Regis Babylonis, in Ieruſalem. Et ſuccendit domum Domini*, &c. 4. Reg. 25. Ecce tibi ſanctiſſimum illud Salomonis templum datum flammis à ſeruis Nabuchodonoſoris, & in cinerem redactum. Sed non multum pòſt ab eodem Nabuchodonoſor in fornacis ardentes flãmas coniecti ſunt tres pueri Hebræi, ſed licèt in mediis eſſent flammis Dan. 3. congregati Principes Babylonis, Daniel. 3. *contemplabantur, quoniam nihil poteſtatis habuiſſet ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non eſſet aduſtus*, &c. Et quando non permiſſa eſt igni poteſtas aduersùs pueros, cur permiſſa fuit aduersùs ſanctiſſimum, & religioſiſſimum Dei templum? Rupert. lib. 6. de vict. Rupert. verb. Dei cap. 25. *Non poterat hic Deus templum ſuum, quod erat Hieroſolymis, illæſum cuſtodire à flammis incendij Babylonij, qui tres pueros taliter cuſtodiuit, vt nihil poteſtatis haberet in corporibus eorum, & capilli eorum non eſſent aduſti? Planè poterat; ſed erudiendus erat mundus, vt ſciret, quòd Deus excelſus, non pulchris lapidibus, aureiſue parietibus templi manu facti delectatur, ſed fidei claritate & mundis cordibus, & ille eſt ei optabilis locus.* Quem fides, & virtutum opera faciunt in corde locum Deo, is gratus eſt, non quem faciunt ligna, & lapides pretioſi. Quò ſpectans Actor. 7. ait: Actor. 7. *Salomon autem ædificauit illi domum. Sed non excelſus in manu factis habitat, ſicut Propheta dicit: Cælum mihi ſedes eſt*, &c. Circa quæ ait D. Zeno lib. 2. ſer- Zeno. mone 24. *Salomonis accepimus templum fuiſſe luculento opere conſtructum, atque ita laboratum, vt neſciret inſpector in eo, quid potiſſimum miraretur, magnitudinem, opus, ornatum, an ne materiam. Ita enim in vnum decorem vniuerſa conuenerant, vt legitima domus Dei caduca illa ambitio putaretur. Sed hæc ſæcularia, ſine legitimo, aut deuoto cultore; nec ſufficientia, nec neceſſaria honori ſuo proteſtatur Deus dudum, dicens: Cælum mihi thronus eſt*, &c. Sic ibi.

§. XI.

Vbi Deus præſens, ibi maximè ſuos firmat.

NOn ad paruam vtilitatem Iſraëlitarum dicebat Deus: *Et inhabitabo in medio filiorum Iſraël.* Semper enim Dei præſentia proficua eſt ſuis fidelibus, vtilitatemque non paruam præſtat illis. Hierem. 7. dicebat: Ierem. 7. *Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto.* Theodoret. legit hæc vltima verba ſic, *& inhabitare faciam vos in loco iſto.* Symmach. autem ponit: *Et confirmabo vos in loco iſto.* Quid pulchrius? Idem eſt, quòd Deus inhabitet, ſiue præſens ſit habitationi noſtræ, & quòd faciat nos in ea eſſe, & ibi nos ſua protectione confirmet, ne excludamur inde. Vt dicat D. Hieron. ibi: D. Hieron. *Habitabo, inquit, vobiſcum, vt ſecuros de habitatione vos faciam: ſiue vos ipſos, iuxta Symmachum, firma habitatione fundabo, qui*

ait : Et confirmabo vos in loco. Planè habitare nobiſcum Deus, idem eſt, ac nos in habitatione firmare. Nunquam enim Dei præſentia nos non facit tutè, & ſecurè in bonis habitare. Pſalm. 139. Pſalm. 139. dicebat Dauid : *Habitabunt recti cum vultu tuo.* Hoc ſolum promittit rectis, quòd cum Deo habitabunt, ſed in eo vtilitas intelligitur maxima. Ait ibi Auguſt. Diuus Auguſtin. *Malè illis fuit in vultu ſuo, bene illis erit cum vultu tuo. Quando vultum ſuum amauerunt, in ſudore vultus ſui panem manducauerunt. Redeunt, & deſerto ſudore, finitis laboribus, pereunte gemitu, veniet illis facies tua abundans ſufficientia.* Expende illa, *facies tua abundans ſufficientia;* quippe cui venit Deus, & præſens adeſt, illi de omnibus bonis abundantiſſima ſufficientia eſt.

3. *Regum* 6. Et ædificauit parietes domus intrinſecus tabulatis cedrinis, *&c.* Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur, habens tornaturas, & iuncturas ſuas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis veſtiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete. Oraculum autem in medio domus, *&c.*

§. XII.

Mundo mortuis Ieſus maximè ſalutaris.

CEdrina erant omnia templi intrinſeca, iuxta illud, *& cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur*, &c. Et cur omnia intrinſecus veſtiebantur cedro? De cedro Plin. magna dicit Plinius lib. 14. cap. 5. *Cedrus defuncta corpora incorrupta nata ſeruat, viuentia corrumpit; mira differentia, cùm vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit.* Quid pulchrius? Habet hoc nobiliſſimum diuinitatis templum Chriſtus Ieſus, qui quidem vt lethalis eſt vitæ mundiali, ſic mortuis mundo pro vita ſit. De ſe ait Paul. ad Gal. Gal. 2. 2. *Legi mortuus ſum, vt Deo viuam: Chriſto confixus ſum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit in me Chriſtus.* Ecce tibi, vbi Paulus mundo crucifigitur, & moritur, ſtatim in illo dicitur eſſe Chriſtus pro vita. Vt dicat D. Bern. Bern. ſerm. 7. de Quadrag. *Omnino felix mors, qua immaculatum ſeruat, imò penitus alienum facit ab hoc ſæculo. Sed neceſſum eſt, vt qui non viuit in ſe, viuat Chriſtus in illo. Hoc eſt, quod ait Apoſtolus. Viuo autem, iam non ego, viuit in me Chriſtus.* Expende ab illis, *neceſſum eſt*, &c. eſt enim quaſi neceſſaria conſequentia, quòd Chriſtus pro vita ſit illi, qui mortuus eſt mundo. Eòdem ſpectabat ad Coloſſ. Coloſſ. 3. 3. dicens: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto.* Mortuorum vita penitus euanet; iden enim mortui ſunt, quia vita illorum abſolutè non eſt. Cur ergo Paulus, & mortuos vocat, & illorum vitam dicit adhuc cum Chriſto eſſe? Loquitur de morte hac morali, qua quis mundo moritur: iis enim mortuis non euanet Gilb. Abb. vita, ſed illis pro vita Chriſtus eſt. Ait Gilliber. Abb. ſerm. 26. in Cant. *Bona hæc mors, quæ veterem ſepelit nobilitatem, nouam inducit. Bonus hic exitus vitæ, vt veterem tunentes Adam, ſimul graue iugum abiiciamus. Hic vitæ carnalis exitus, captiuitatis noſtræ iugum diſrumpit; vltrà grauare non poteſt, ſed computreſcit à facie olei, ex quo inuocatum eſt ſuper nos nomen ſecundi Adam, cuius vt oleum effuſum nomen eius.* In exitu vitæ oleum ſanctum datur infirmis, qui eos aduersùs occurſus malos roboret. In huius autem vitioſæ vitæ exitu, quando mundo, & vitiis morimur, ſtatim adeſt Chriſtus, cuius nomen oleum eſt, ſub quo noua & fœlici vita viuimus, & iugum captiuitatis antiquæ ſoluimus. Equidem in eos, qui mundo moriuntur, nunquam non venit præcellens gratia ſaluatoris noſtri. Ioan. 4. Dicebat ille Ioan. 4. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Cui ei? Nimirum mortuo mundo. Is enim fontibus ſaluatoris inundatur. Ait D. Bern. Bern. ſerm. de Sanct. Clemente: *Si proficere potes vſque ad deuotionis gratiam, potaberis aqua ſapientiæ ſalutaris, & ſpiritus Chriſti ſuper mel dulcis fiet in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ac memento hanc eſſe aquam, quæ procedit de latere dormientis, & ſine moleſtia fluit. Oportuit enim iam mortuam eſſe mundo, qui in hac voluerit gratia delectari.* Qui Chriſti Spiritu delectari vult, eoque viuificari, oportet, vt iam mortuus ſit mundo; priùs enim mortificari debent, qui in Chriſto viuificantur. Iuxta quod ait 1. Re- 1. Reg. 2. gum 2. *Dominus mortificat, & viuificat.* Priùs voluptuoſæ vitæ mortem infert, & ſic mortuos ad vitam trahit. Ibi D. Gregor. PP. Greg. PP. *In quibus ordo notandus eſt. Prius quippe mortificare dicitur, deinde viuificare, quia niſi ſæculum amare deſiſtimus, Deo per amorem viuere non valemus.* Vt iam videas, quàm ſit cedro ſimilis virtus Chriſti Domini, qui mundo viuentes mortificat, & mundo mortuos viuificat.

§. XIII.

Chriſti Spiritus eſt, vt nudemus peccata noſtra in ſalutem.

ADhuc noto illa: *Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur.* Nec non & de cedro repeto data verba Plinij lib. 24. cap. 5. Plin. addens paucis in rem præſentem. Ait enim. *Defuncto corpora incorrupta nata ſeruat, viuentia corrumpit: mira differentia, cùm vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit. Veſtes quoque corrumpit.* Expende illa, *veſtes quoque corrumpit*; in quo maximè apparet cedrus ſimilis Chriſto Ieſu, cuius eſt veſtes illas corrumpere, quibus peccata teguntur. Primi parentes vbi pecca- Gen. 3. tum fecerunt Geneſ. 3. *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt* Matth. 21. *ſibi perizomata.* Et Matth. 21. videns Ieſus ficum fructibus vacuam, ſed foliis ornatam, maledixit ei, *& areſacta eſt ficus.* Et cur ſic ficum cum foliis perdidit Ieſus? An Athan. quia Ieſu eſt perdere tegumenta peccati? Ait D. Athan. q. 58. *Quia poſt tranſgreſſionem Adam accepit folia ficus, quibus obtexit ſua turpitudinis peccatum; cùm deſtrueret tranſgreſſionis peccatum, & configeret, deleretque in cruce, areſecit operculum peccati, id eſt, folia ficus, quibus Adam tegebatur.* Vt Chriſti Ieſu Dei mei erat peccatum deſtruere, ſic & eiuſdem eſt veſtes eius corrumpere, quibus tegebatur. Dum enim ex Ieſu habet homo, quòd peccata ſua manifeſtet, & nudet, proximus ſit ſaluti. Pſalm. Pſalm. 103. 103. *Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis. Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram*, &c. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis*, &c. Ecce tibi montes aſcendentes, & deſcendentes intra terminos ſuos, quorum terra à cœleſtibus rigatur. Sed quæ terra rigatur à cœleſtibus? Nimirum ea, quæ à montibus non operitur, non tegitur, dicit enim: *Neque conuertentur operire terram.* Felix mons, felix homo, qui vſque ad cælum aſcendit, æterna meditans, & vſque in ima deſcendit, infirma ſua penetrans, terrenaſque ſuas cupiditates, quibus peccatum ineſt, non operiens, non tegens, ſed nudans, ſed manifeſtans; is benedictionibus rigabitur cœleſtibus. Vt dicat ibi Ar- Arnob. nobius: Aſcendunt montes cogitantes regna cælorum, deſcendunt montes cogitantes terrenas actiones ſuas, vt in locum, quem fundauit Dominus, dirigant eas, vbi terminum poſuit, & iuſſit non tranſgredi, & terminum poſitum non tranſgrediuntur, vt operiant terram, ſicut operuit terram Adam. *Ex foliis enim ficulneis operuit terram, & abſcondit ſe. Iſti non operient terram. Et quia non eſt operta, rigat eam Dominus de ſuperioribus ſuis. Si verò tecta fuerit, & cælo abſconditur, nec de ſuperioribus rigatur.* Semper Deus infenſus eſt terræ abſconditæ, & opertæ, hoc eſt, tegumentis peccatorum, quæ ſi tollantur, & terrenæ noſtræ actiones nudentur, & manifeſtentur in confeſſione, multis cœleſtium benedictionibus rigamur, & in vitam alimur. Nemo neſcit Aaronis peccatum, quando Exod 32. fecit vitulum, qui adoratus fuit à populo, de quo tamen veniam conſecutus eſt à Deo. Verùm Nadab, & Abiu filij eius dum ignem alienum altari ponunt, Le- Leuit. 10. uit. 10. *Egreſſus ignis à Domino deuorauit eos.* & Actor. 5. Ananias reſeruans ſibi partem ſubſtantiæ ad verba Diui Petri, *cecidit, & exſpirauit.* Nunne maius fuit peccatum idololatriæ, in quo conſenſit Aaron, quàm filiorum eius peccatum, & quàm Ananiæ & Sapphiræ peccatum? Cur ergo ille veniam obtinuit, hi pœnas ſtatim dederunt? Ille maius ſuum peccatum nudauit, & inde meruit cœleſti

ſti rore rigari, & in vitam aliàs occultum, & opertum habuerunt peccatum, vnde omni ſunt venia priuati. Ait D. Ephrem in reprehenſ. ſui ipſius: *Aaron vitulo conflatili ſacrificante, adhuc excuſationem, & gratiam inuenit; & per ſacerdatium ab illa neceſſitatis macula liberatus eſt: filij verò eius Nadab, & Abiu contra præceptum Domini delinquentes, ignemque alienum offerentes, mortui ſunt, cùm illis nec ſpatium pœnitentiæ conceſſum ſit. Ananias & Sapphira Sacerdotibus ſimiles, quippe qui & ipſi nullam defenſionis inuenerant locum; quoniam in occulta quadam contemptione verſabantur.* Expende illa, *quoniam in occulta quadam*, &c. meritò qui occultam, & opertam retinebant culpam, vt à Ieſu alieni, ſic ſtatim priuantur ſalute, & incurrunt ſupplicium.

Ephrem.

3. *Reg.* 6. Oraculum autem in medio domus in interiore parte fecerat, vt poneret ibi arcam fœderis Domini. Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & operuit illud atque veſtiuit auro puriſſimo. Sed & altare veſtiuit cedro. Domum quoque ante oraculum veſtiuit auro, *&c.*

§. XIV.

Deus de præſtantiſſimis operibus ſecuriùs requiritur.

ET oraculum, vbi ponitur arca fœderis, & totum templum intrinſecus auro puriſſimo obtegitur. Dicit enim de oraculo: *Operuit illud, atque veſtiuit auro puriſſimo*, &c. *Domum quoque ante altare veſtiuit auro*, &c. *Nihilque erat in templo, quod auro non tegeretur.* Tanti eſt aurum apud Deum, vt ſuæ præſentiæ locus totus debeat auro operiri? Et ligno vili crucis deſtinauit filium, cur vel vmbram ſui inter ſolos auri ſplendores eſſe permittit? Non equidem Deus æſtimabat aurum pluris, quàm lignũ crucis, ſed in pretio auri erudiebat mundum, vnde certiùs & ſecuriùs Deum debebat requirere, nimirum de pretioſiſſimis, & præſtantiſſimis operibus virtutum. Quod aurum eſt apud homines, id ſunt virtutes, quæ Deum tenent ſecuriſſimè. Et vt aurum eſt in ſummo pretio mortalibus, ſic qui amant Deum, ſecurè acquirere, ad pretioſiſſima, & præſtantiſſima opera virtutum confugiant. Pſalm. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora eius in pallore auri.* Ecce tibi quale præmium habet, qui adeò labori incumbit, vt inter ipſos cleros dormiat non lecto, non domi. Nimirum: Erunt *pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora eius in pallore auri*; eas ad perpetem, & ſecurum volatum plumas acquiret, quæ argentum referant & aurum. De pretioſiſſimis enim & præſtantiſſimis virtutibus, ſecurè, & certò Deus requiritur. Ex quo monebat D. Chryſol. ſerm. 98. *Si vis terrenas beſtias non timere, ſi vis euitare aues rapaces, voraces vultures, hoc eſt, aëreas aues, quæ ſunt omnes nequitiæ ſpirituales, eleuare à terra, terrena deſere: ſume alas columbæ propheticæ deargentatas, ſume pennas diuini Solis fulgore radiatas, euola in ſpecie auri, vt iam nullis laqueis attentanda requieſcas ſemper, & de volatu tali valida, & de tanta manſione ſecura.* Expende illa, *euola in ſpecie auri.* & quid eſt in ſpecie auri euolare ad pericula euitanda, & ſecurè in Deo quieſcendum? Ille equidem aureus eſt volatus, qui fulgentiſſimis, pretioſiſſimiſque virtutum pennis fit, de iis enim ſecuriſſimè Deus comparatur. Ad hæc Matth. 5. docemur orare: *Pater noſter, qui es in cœlo.* Cùm enim vbique ſit Deus, cur ille è cœlis facta ſedes in oratione appropiatur? Cur non magis dicimus: Pater noſter, qui vbique es? Crediderim ideo cœleſtem ſedem Dei præcipuè in oratione memorari, vt diſcamus, vnde ſecuriùs Deus requiratur, nimirum de pretioſiſſimis, & perfectiſſimis. Ad pretioſiſſima enim virtutum opera confugiendum nobis eſt, vt inibi ſecuriùs quaſi in propria ſede habeamus. Ait Origenes lib. 2. Periarch. cap. 4. *Quod autem dicit, quia orantes operteat dicere: Pater noſter, qui es in cœlis; quid aliud videtur oſtendere, niſi Deum in melioribus mundi, id eſt, creaturæ ſuæ partibus requirendam?* Vt in bonis infimis corporalibus aurum ſummi valoris eſt apud homines, ſic in ſupremis corporibus cœli meliores partes ſunt corporeæ, & inſenſibilis naturæ. Ideo Deus vel in auro in templo, vel in cœlis ſedem ſuam proponit, vt doceat, quòd de melioribus ſemper, & præſtantioribus partibus ſit requirendus. Quis enim ſecuriùs Deum habebit, quàm qui illum requirit præſtantiſſimis virtutum operibus?

Pſalm. 67. — Chryſol. — Matth. 5. — Orig.

§. XV.

Præſtantiſſimi viri non niſi de magnis charitatis operibus cenſentur apud Deum.

MOdò dixerat: *Altare veſtiuit cedro*; & ſtatim ſubdit: *ſed & totum altare oraculi texit auro.* Licèt enim cedrus, & incorruptibile, & pretioſum lignum erat, & ideo altare, & omnia intrinſeca templi cedris operta erant, tamen noluit Deus, vt hæc cedrorum ligna eſſent ibi manifeſta, ſed magis, quòd puriſſimo auro contegerentur, vt nihil niſi aurum in intrinſecis illis ſpectaretur. Et cur non cedrus, ſed aurum voluit in altari, & aliis internis ſpectari? Vt inde doceremur, quòd vt præcipuæ, & præſtantiores partes templi, non niſi de auro cenſebantur: ſic præſtantiſſimi viri in Chriſti Eccleſia non niſi de magnis charitatis operibus cenſentur. Luc. 7. mulier illa peccatrix ad Ieſum pergit, & *ſtans retro lachrymis cœpit lauare pedes eius.* Verùm Matth. 26. vbi Petrus peccator in eodem atrio cum Ieſu eſſet, vt recordatus eſt peccati ſui: *Egreſſus foras, fleuit amare.* Heus Petre, ſi flendum tibi eſt pro commiſſo peccato, cur foras egrederis? Cur non magis intras, & accedis ad Ieſum, & lachrymis rigas pedes eius? Peccatrix illa peccati memor, ad Ieſum intrat, lachrymaſque illi pro peccato offert; cur tu non ſimiliter, ſed magis ploraturus à Ieſu diſcedis? Aiebat D. Chryſolog. ſerm. 79. *Mulieres ergo referunt pro Chriſto lachrymas: Apoſtoli diabolo ſuperato, & victis hoſtibus, Chriſto & victoriam referunt, & triumphum.* Planè infirmæ, & fœmineæ mentes plenum putant ſe exhibere Deò obſequium, ſi pœnitentiæ, vel deuotionis lachrymulas referant. At magnæ, & apoſtolicæ mentes non tam de iis, quàm de charitatis triumphis cenſentur. Nec amant comparere in lachrymis, ſed in charitate Dei, in animarum ſalute ingentibus parta ſudoribus, in populi fidelis augmento. Accedat fœminea mens in lachrymis, at viriles, & apoſtolici animi in ſagena plena conuerſis ad Deum accedent; ſic enim magni æſtimantur apud Chriſtum. Magdalenam vnguento inungentem Ieſum carpebant diſcipoli, quòd ad maius charitatis opus in pauperibus fouẽdis manus non extendiſſet. Pro qua ſtans Ieſus Matthæi 26. ait: *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* Mulierem prætendit, vt inde excuſet, quòd non aggreſſa fuerit opus ſublimius, quod magis requiritur ab animis virilibus. Quæ verba ad ſe trahens D. Bernardus ſerm. 12. in Cantic. ait: *Nonnunquam ego cùm ſederem mihi ad pedes Ieſu, mœrens, & offerens ſacrificium ſpiritus contribulati in recordatione peccatorum meorum; aut ſaltem ad caput, ſi quando ſtarem, & exultarem in recordatione beneficiorum eius, audiui dicentes: Vt quid perditio hæc? Cauſantes, quòd ſoli viuerem mihi, qui multis prodeſſe poſſem. Verùm audiunt excuſantem Dominum, qui me quaſi de otio incuſant. Quid*, inquit, *moleſti eſtis huic mulieri? Quod eſt: Non eſt vir, vt putatis, qui poſſit mittere manum ad fortia, ſed mulier. Si quando de muliere in virum perfectum profecerit, poterit & in opus perfectionis aſſumi.* Mulieres, & infirmæ mentes in lachrymis relinquantur, compunctioni ſtudentes. A viris perfectis maiora requiruntur, vt nimirum feruentiori charitate pleni, proximorum inuigilent ſaluti.

Luc. 7. — Matth. 26. — Chryſol. — Matth. 26. — Bernard.

§. XVI.

Ex auri contemptu verum aurum naſcitur in Chriſti Eccleſia.

QVidquid intrinſecus in templo viſebatur, aurum erat, iuxta illud: *Nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur.* Actorum 3. dicebat Petrus: *Aurum & argentum non eſt mihi.* Non erat aurum Eccleſiæ Chriſtianæ ca- Actor. 3.

piti; templum autem Salomonis totum aureum erat. Et quando templum Eccleſiam auro vacuam repræſentabat, cur ipſum totum erat aureum? Meritò ut auro templi repræſentabatur Eccleſia aurum contemnens. Quia & veræ diuitiæ, & verum aurum naſcitur ex auri contemptu. Qui enim in Eccleſia Chriſti ſunt ſancti, aurei cenſentur, ex quo aurum contemnunt. Ad quos dicit D. Zeno lib. 1. ſerm. 14. *Quia in vobis fides, & pietas, quæ eſt idonea expultrix auaritiæ, manet, atque gloriatur; digni eſtis vniuerſi aurum, argentumque non tam habere, quàm eſſe. Nam vos eſtis aurum viuum Dei, Chriſti vos argentum; vos Spiritus ſancti diuitiæ, vos ſi terrena metalla contempſeritis. Vobis auro conſtructa æthereà illa ciuitas deſtinata eſt.* Aurum equidem fiunt ſancti viri, dum aurum contemnunt. Expende enim illa, *ſi terrena metalla contempſeritis*; dum hoc fiat, quod terrena metalla contemnamus, quòd diuitias temporales abiiciamus, & eam virtutem habeamus, qua auaritiam funditus expellamus aurei toti erimus, & veris diuitiis abundantes apud Deum. Has auri fodinas reſpiciebat Cantic. 5. dicens: *Caput eius aurum optimum.* Quæ legit D. Ambroſius ſerm. 15. in Pſalm. 118. dicens: *Caput eius aurum Cephas.* Notum eſt nomen Cephas datum principi Apoſtolorum, & capiti Eccleſiæ, qui ſuprà dixerat: *Aurum non eſt mihi.* Quod ſi ipſe fatetur ſibi non eſſe aurum, qualiter dicitur Cantic. 5. aurum eſſe? Dabatur ibi in capite forma Sanctorum omnium qui per abnegationem omnium bonorum temporalium aurei fiunt, & aurum in ſe exhibent, ex quo Princeps omnium regum Ieſus faciat ſibi monetam currentem, qua cælorum theſauros repleat. Ad hæc ait D. Paulinus epiſtol. 4. *Caput eius aurum*, &c. *Hoc enim aurum forma Sanctorum eſt, qui in capite corporis, vt lumina micant, & ſunt aurum ignitum Deo. Quia videlicet eos per examina paſſionum in huius mundi fornace conflatos inuenit dignos ſe. Et in his ſacram imaginis ſuæ percuſſit monetam; ipſoſque illos ſtatuens nummularios, vt ſecundum ſuam formam probabiles Domino cuderent nummos, & abolita figura Cæſaris, viuum Regis æterni nomiſma ſignarent*, &c. Aurum dicuntur illi eſſe, qui per examina paſſionum purgantur, defæcantur omni mundiali cupiditate, & ſic dicuntur Deo digni, vt in eis ſuam imaginem imprimant. Cùm enim mundialis regni à te vel figuram abiicis, vt nullum habeas affectum temporalem, tunc puriſſimum aurum fis, ex quo Rex Regum Ieſus ſuam monetam facit, ad cœleſtem gloriam comparandam.

Zeno. Cant. 5. Ambroſ. Paulin.

§. XVII.

Bona temporalia ſine auaritiæ macula tenentur per timorem Dei.

PEr totum templum figuntur aureæ laminæ cum clauis, quando dicit: *Et affixit laminas clauis aureis.* Cùm clauos audit Beda in Gloſſa, timorem Dei intelligit. Et meritò vbi aurum apponitur, timor Dei adhibetur; de timore enim Dei venire poteſt, quòd in auri poſſeſſione auaritia exſibiletur. Monebat D. Paulus Romanos cap. 13. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem.* Debemus equidem Cæſari vectigal, ſiue tributum; Deo autem debemus timorem. Et cur cùm de tributis ſoluendis ageret, meminit Dei timorem? Ne in tractatu illo nummorum ſoluendorum auaritia aliqua naſceretur, quæ maximè per Dei timorem expellitur. Ait D. Nazianz. orat. 9. *Qui à Reipub. administratione nomen ducitis, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari reddite, & quæ Dei Deo: illi vectigal, huic timorem: timorem autem cum dico, auaritiam prohibeo.* Sic bonus putat auaritiam prohiberi in eo ipſo, quòd timor Dei mandetur. Vbi enim timor Dei adeſt, auaritia non eſt; quæ regnat, cùm primum Dei timor abeſt. Vt dicat D. Zeno lib. 1. ſerm. 14. *Nemo conſiderat imminentes Dei iudicij flammas: per quas omnes mundi tranſituri ſumus. Solum colitur, de quo dictum eſt, Idola gentium argentum, & aurum.* Ecce tibi, vbi Dei iuſtitiæ timor non eſt, pro Deo habetur aurum, quod ex auaritia naſcitur.

Rom. 13. Nazianz. Zeno.

3. *Regum* 6. Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum, decem cubitorum altitudinis. Quinque cubitorum ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera; id eſt, decem cubitos habentes, *&c.*

§. XVIII.

Facillimè poteſt quis in ſortem Angelorum tranſire.

ILlud aliquando mirabar, quod ait: *Fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum*, &c. Et quando in lege fieri ſculptile vetabatur, cur permiſſi ſunt fieri duo Cherubim ex lignis? In templi fabrica proprius humanus animus ad virtutes inſtruebatur; & ideo duo Cherubim illi proponebantur ex lignis facti; vt oſtenderetur, quàm faciliùs ex hominibus poſſent fieri Angeli. Ex quo monebat D. Bruno de laudibus Eccleſ. cap. 4. dicens: *Tu quoque ſi vis Cherubim fieri, potes. Melius enim ex hominibus, quàm ex lignis fiunt Cherubim; & multi quidem ex hominibus Cherubim facti ſunt. Vis videre Cherubim? Reſpice Paulum, omni ſcientia plenum, doctorem gentium*, &c. Meliùs planè, & faciliùs ex homine poteſt Angelus, aut Cherubim fieri, quàm ex ligno. Quod ſi lignum artificis induſtria in Angelum efformat, faciliùs virtutis amor nos in Angelos efformabit. Malach. cap. 2. dicebat: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt.* Ecce tibi ſacerdos homo vt dicitur eſſe Angelus Dei. Et quomodo natura corporea ſic poteſt tranſire in naturam angelicam? Qua arte id poteſt fieri? Vno virtutis propoſito. Aiebat Chryſoſt. homil. 33. in Acta: *Quemadmodum enim licet loqui, de materia quadam, ita & de homine. Materia quædam eſt homo, fieri autem poteſt Angelus, & beſtia. Nam de quibuſdam hominibus dictum eſt: Angelus Domini eſt*, &c. *Nullus igitur doleat de natura, quaſi impeditus, ſed de ſuo electione ac voluntate. Leo ille factus eſt ex incorporeis: Ecce enim, inquit, inimicus veſter ſicut leo: nos autem Angeli à corporibus*, &c. *Nihil igitur prohibet nos Angelos fieri ſtatim ſi voluerimus.* Quod cuilibet accidit materiæ, id accidit homini, imò & meliùs, & faciliùs homini. Quæ modò arbos erat, modò fit lignum, deinde adhibitis mille ferri inſtrumentis, non paruo artificis ſudore figuratur in belluam, vel in hominem, vel in Angelum, vel in Deum. Similiter qui modo homo eſt, ſtatim Angelus poteſt fieri, non ſecuri, nec malleo, ſed virtutum electione. Vt enim qui natura Angelus erat, vitio voluntatis ſuæ factus fuit leo, & ſerpens; ſic qui natura homo eſt, bona ſua voluntate ad ſortem Angelorum accedit. Vt meritò dicat Ieſus meus Matth. 22. de hominibus: *Erunt ſicut Angeli Dei.* Quò ſpectans D. Zeno lib. 3. ſerm. 24. dum Baptiſmi Chriſtiani magnalia expendit, ait: *Cùm omnium aquarum natura ſit talis, vt cùm in profundum homines ſuſceperit viuos, euomat mortuos; aqua noſtra ſuſcipit mortuos, & euomit viuos, ex animalibus veros homines factos, ex hominibus in Angelos tranſituros.* Proh Dei Opt. Max. mirabile artificium! Rudem hominis materiam ſuſcipit, & quod alij multo labore minimè facerent, vt in Angelum tranſiret, ipſe medio aquarum profluuio perficit ſuauiſſimè. Summa quondam difficultate Hiſpani regiam cudebant monetam, & vt vel æri, vel argento, vel auro Regis ſigna imprimerent, multo conficiebantur labore. Acceſſit tandem artifex præſtantiſſimus, qui talem machinam efformauit, quæ de aquarum impetus beneficio, facili negotio, & penè ſine labore regios reddat in ære, & auro vultus ſculptos. Quis neſciat quàm ingenti labore opus ſit, vt ferrugineæ hominum naturæ imago Dei, vel Angelorum poſſet imprimi. Heu miſer homo, ſi hoc labore fiat, immensè tibi laborandum eſt. Inuenit tamen diuina ſapientia aquarum artificium, quo ſuauiſſimè, & facillimè ex animalibus veri homines fiunt, deinde in Angelos tranſituri.

Brun. Malach. 2. Chryſoſt. Matth. 22. Zeno.

§. XIX.

Miſericordia eſt vita cœleſtium virtutum.

NOn cedrus, ſed oliua materiam dedit Cherubinis faciendis, cùm dicat: *Fecit in oraculo duos Cherubim de lignis*

Digitized by Google

lignis oliuarum. Et quando omnia templi tabulata, & ipſum altare ex cedro fecit, cur Cherubim maluit ex oliua perficere? Ait D. Bruno de Laud. Eccleſ. cap. 4. *Quare de lignis oliuarum Cherubim facti ſunt, niſi vt nos ad miſericordiam prouocent? Magna eſt virtus miſericordia, ſine qua nec ipſi Cherubim eſſe poſſunt.* Sic ad omnes cœleſtes virtutes promouendas, & confirmandas facit miſericordia; vt ſine illa nec Cherubim conſiſtant, quantumuis ſint ſapientia diuinorum repleti. Virgines illæ fatuæ angelicam naturam æmulantes cœleſti virginitatis dote albicabant Matt. 25. ſed quia *non ſumpſerunt oleum ſecum*, id eſt, miſericordiam non habuerunt, iuxta ſenſum Patrum plurimorum cum Chryſoſtomo, ab Sponſi reiectæ ſunt thalamo. Nulla enim, nec Angelica, nec Cherubica virtus ſine miſericordia valet ſtare; quippe miſericordia eſt cor, à quo cæteræ omnes virtutes cœleſtes & conſiſtentiam, & vitam trahunt. Aiebat Pſalm. 61. *Diuitiæ, ſi affluant, nolite cor apponere.* Non veſt manus apponi diuitiis, ſed cor. Et quando manus diuitiis appoſitæ non grauantur, nec polluuntur, cur timetur cordi, quòd diuitiis apponatur? In corde eſt miſericordia, imò ipſa eſt cor, & ideo ab illa prorſus arcetur diuitiarum amor, qui vt miſericordiam impedit, ſic cor virtutum percutit, ne inde vitam trahant. Ex quo monebat Chryſoſtom. homil. 48. in Matth. *Imitemur ergo omnes virentes, maximè omnium humilitatem, & miſericordiam, ſine quibus ſalutem conſequi non poſſumus, vt quinque illæ virgines oſtendunt, quippe abſque virginitate multi beatitudine potientur, quam nemo abſque miſericordia conſequetur. Vna enim res ex neceſſariis, quibus ſola ipſa continetur, miſericordia eſt. Quare meritò in corde virtutis ipſam collocauimus, & cor ipſum eſſe cenſemus: quod quidem cor niſi cæteris omnibus ſpiritum prebeat, velociter extinguitur.* Habet hoc cor, quòd vbi comprimitur ne ſuos ſpiritus emittat, ſtatim extinguitur. Et ſic miſericordia diuitiarum affectu compreſſa totum virtutis corpus emori deſinit. Totum ergo virtutum cor cenſetur eſſe miſericordia, vt quæ vitam, & conſiſtentiam cæteris virtutibus præſtet. Vt dicat ex ipſo Chryſoſtomo Author catenæ Græcæ in D. Lucam cap. 6. verſu 20. *Non immeritò miſericordiam cor virtutum appellauerimus, quoniam hæc eſt ex maximè neceſſariis, & totum complectitur; & quemadmodum abſque corde non viuitur, ſic ſine hac ſalus nunquam obtinetur. Etenim hæc vniuerſa bona progignit.* Vt à corde, ſic à miſericordia omnes virtutes ſeruantur; & ſine miſericordia vel puritas Angelica perditur.

Bruno. — Matth. 25. — Pſalm. 61. — Chryſoſt. — Cat. Græc.

§. XX.

Vbi vel vmbra Chriſti, ibi & ſplendet victoria eius per lignum.

FActi igitur ſunt à Salomone duo Cherubim *ex lignis oliuarum*; qui adſtarent arcæ fœderis. Et Dominus Exod. 25. conflari fecerat ex auro ſolido duos etiam Cherubinos, qui eſſent ſuper arcam, dicit enim: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies*, &c. Et quando Cherubini illi ex auro ſolido facti erant; cur Salomon maluit ſuos duos Cherubinos ex ligno facere? De Cherubinis arcæ locutus Georg. Venet. in Harmonia Cant. 1. tom. 7. c. 21. dicebat: *Geminus Cherubinus arcæ geminam eiuſdem Chriſti naturam indicat.* Vt in Cherubim Chriſtus repræſentabatur, ſic in geminis Cherubinis geminæ eiuſdem naturæ ſe oſtendebant. Ne miremur, quòd Salomon addat in ſuis Cherubinis ligni materiam, quæ maximè in antiquis illis deſiderabatur. Nequit enim gloriosiſſimus Chriſtus repræſentari vel in vmbra, niſi & victoria eius clareat per lignum facta. Hinc Matth. 1. dicit: *Chriſti autem generatio ſic erat. Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph*, &c. Et mirabar, quòd ſic prouiſum eſſet à Deo, vt mater filij ſui ſponſa eſſet Ioſeph, qui faber erat. Cur non magis electus fuit in Mariæ ſponſum ciuis aliquis vel nullius artis, vel liberalioris? Cur magis faber electus? Ait Imperfect. homil. 1. in Matth. *Ideo & Maria deſponſata erat fabro lignario; quoniam & Chriſtus ſponſus Eccleſiæ omnem ſalutem hominum, & omne opus ſuum per lignum crucis fuerat operaturus.* Eligitur faber lignarius in ſponſum Mariæ matris Ieſu, vt nihil Ieſu poſſit apparere, quin ſimul videantur ſigna glorioſiſſimi operis eius, quod per lignum facturus erat. Adeò enim Ieſus meus erat affectus ad crucem, vt à non paucis credatur minimè ad terras venturus fuiſſe, niſi futura eſſet crux. Sic ait Andreas Cretenſ. in Exalt. crucis: *Si non eſſet crux, non fuiſſet Chriſtus in terra.* Sic vna nobis ſemper apparent & Chriſtus, & crux.

Exod. 25. — Georg. Ven. — Matth. 1. — Imperfect. — And. Cret.

§. XXI.

In ſcientia Scripturarum validiſſimum Eccleſia tutamen eſt.

AIt textus: *Poſuitque Cherubim in medio templi interioris: extendebant autem alas ſuas Cherubim, & tangebat ala vna parietem, & ala Cherub ſecundi tangebant parietem alterum.* Medio poſiti Cherubini alis ſuis attingebant vtrumque templi interioris parietem, habentes ſub alis oraculum, & arcam. Et quid, quòd Cherubim alis ſuis tegerent arcam? Ait D. Bruno de laudib. Eccleſiæ, cap. 3. *Bene autem ſub alis Cherubim arca teſtamenti ſtare dicitur; quia nihil eſt, quod ſic Eccleſiam Dei defendat, & muniat, ſicut ſermo diuinus, & ſcientia Scripturarum.* Non ſic æreis muris proteguntur, & muniuntur fideles Eccleſiæ, vt eloquij diuini meditatione, & diuinarum Scripturarum notitia. Aiebat Cant. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Vt in collo vocis ſunt fundamina non miror, quòd tot propugnacula, tot arma, & munimenta ibi inueniantur; de ſacri enim eloquij voce maximè munimur, confirmamur. Ait D. Gregor. PP. homil. 15. in Ezech. *In collo guttur, in guttare vox eſt. Quid ergo per collum ſanctæ Eccleſiæ, niſi ſacra eius eloquia deſignantur? In quo dum mille clypei pendere memorantur, per hunc perfectum numerum numerus vniuerſus oſtenditur, quia vniuerſa noſtra munitio in ſacro eloquio continetur. Ibi quippe ſunt Dei præcepta, ibi exempla iuſtorum*, &c. *Quot illic præcepta ſunt, tot peccatoris noſtri munimenta.* Nihil poteſt requiri ad munimentum noſtrum, quo ab hoſtibus liberemur, & ducamur ad Deum, quod non inueniatur in ſacro eloquio, & Scripturarum lectione. Nota eſt hiſtoria Eunuchi illius potentiſſimi ex Actor. 8. vt receſſerat à Ieroſolymis, vt ibat legens Iſaiæ prophetiam, vt accedens Philippus illi explicauit lectionem; cui ipſe ſtatim: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Sic in lectione Scripturæ, & Philippi eloquio ſalutem inuenit: de quo ait D. Chryſoſt. homil. 19. in Act. *Dignum profectò mirari, Eunuchum illum, non viderat Ieſum Chriſtum, non viderat ſignum. Vltrò videbat, quis ſtatus Hieroſolymæ, & credidit Philippo. Vnde igitur talis factus? Solicito erat animo illius, attendit Scripturæ, vacauit lectionibus: cùm & latro viderit ſigna, & Magi viderint ſtellam; hic autem nihil tale viderat, ac credidit. Tanta res eſt, at tam vtilis Scripturarum lectio.* De iis plura in aliis tomis.

Brun. — Cant. 4. — Greg. PP. — Actor. 8. — Chryſoſt.

§. XXII.

Non terrenis hæreat, ſed ſupernis aduolet, qui in conflictu Chriſtiana victoriam ſpectat.

ILlud etiam notandum, quod ait: *Et ſculpſit Cherubim, & palmas, & cælaturas valde eminentes*, &c. Equidem, pro coronide templi, & oſtiorum ſculptæ erant Cherubim, & palmæ, &c. Et ad quid hæ ſculpturæ in templo. Ait D. Bruno de Laud. Eccleſiæ cap. 4. *Erant in parietibus Cherubim, & palmæ, & aliæ cælaturæ valde prominentes. Cherubim ad ſcientiam, palmæ ad victoriam nos prouocant: in illis volare, in iſtis pugnare docemur.* Equidem in Cherubim terram excutere, & ad cæleſtia volare docemur, ſi velimus feliciter inire Chriſtianum duellum. Hinc de fortitudine victrici animatum dicebat Prouerb 31. *Facta eſt, quaſi nauis inſtitoris.* Cur quaſi nauis? Pulchrè ſimilitudinem tractat D. Machar. hom. 44. fatus: *Vt nemo poteſt traiicere, nec tranſire mare, niſi leuem, & tenuem nauiculam è ligno conſtructam habeat, quæ ſola poteſt ſuper aquas incedere, quia demergitur, & interiit quis, ſi ambulet in mari: itidem nequit anima per ſe ipſam tranſgredi, ſuperare, aut tranſmittere acerbum mare peccati, & difficilem abyſſum improborum ſpirituum, caliginis affectionum, niſi ſuſceperit ſubtilem, cæleſtem, & volatilem Chriſti ſpiritum.* Ad ſuperandam acerbitatem

Brun. — Prouerb. 31. — Machar.

bitatem peccati, ad procelloſi mundi fluctus deuincendos ſuſcipere debemus cæleſtem, & volatilem Chriſti ſpiritum. De pennato namque, & volatali ſpiritu Chriſti, quo ab imis abſtrahimur, & ſuperis aduolamus, habemus, quòd mundi aduerſaria valeamus ſuperare. Abiicienda nobis ſunt terrena, & ad cæleſtia euolandum, ſi ſuperare amamus mundi bella. Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*; & ad octauam beatitudinem accedens dicebat etiam: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Et pauperibus ſpiritu, & paſſis perſecutionem idem cæleſtis regni præmium proponitur. Nec immeritò, ſed quia duo hæc connexa ſunt, & penè vna, nimirum quòd terrenorum curam abiicias, & in ſtadio perſecutionis palmam acquiras. Quippe ſapienter ait Euſebius in cat. Græca ad cap. 6. D. Lucæ: *Primum quidem recenſentur pauperes ſpiritu: deinde verò poſt illos, generoſi Dei martyres, de quibus poſtea dixit: Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Nam per hæc ea, qui decertaturi ſunt pro cælorum regno, vt generoſos Dei duces beatos prædicabat. Ordine autem multo his tradidit idem regnum poſt pauperes ſpiritu; oportet enim priùs noſſe omne vitæ tempus ſine poſſeſſione, ac more philoſophica tranſegiſſe, deinde hoc modo ad finem Deo gratum perueniſſe.* Itaque in eo debet quis vitam tranſigere, nimirum in abdicatione rerum temporalium, vt illis exutus valeat fortiter pro Deo, & virtute pugnare, imò & triumphare.

Matth. 5.

Euſeb.

3. *Reg.* 7. Miſit quoque Rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro, filium mulieris viduæ, de tribu Nephthali, patre Tyrio, artificem ærarium, & plenum ſapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cùm veniſſet ad Regem Salomonem, fecit omne opus eius. Et finxit duas columnas æreas, *&c.*

§. XXIII.

Magiſtri bonorum operum non immeritò cenſentur parentes noſtri.

STo à ſententia Hieronymi in traditionibus Hebraicis, & Ruperti in lib. 3. Reg. cap. 18. & Saliani noſtri, quibus creditur Hiram iſte fuiſſe Hebræus ex patre, & matre, de tribu Nephthali, cuius etiam erat oppidum vocatum Dan. Quòd ſi Hiram Hebræus ex patre etiam erat, cur dicitur in textu fuiſſe *patre Tyrio*? Miſſus fuerat Tyrum ad diſcendas artes, quibus doctus euaſit, & *ideo quòd doctus in Tyro fuit, pater eius Tyrius vocatur.* Sic Hieronym. & Rupert. ſolent equidem magiſtri parentes noſtri haberi, & vocari. Quò ſpectans D. Enod in Paræneſi ait: *Præceptorem ſancti voluerunt loco eſſe parentis. Iure enim in affectionis ſupercilio tollatur, quem benignitas corrigendi promptius aſſerit, quàm ipſa natura generis. Genuiſſe enim libidinis eſt teſtimonium, erudiſſe pietatis.* Sic bonus potiori iure magiſtros in parentum album tranſcribit. De Ioſeph dicebat Gen. 49. *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu*, &c. Quæ ſic leguntur apud Ruffinum lib. 2. de Benedict. Patriarchar. *Filius ampliatus Ioſeph, filius ampliatus, zelatus, & filius meus adoleſcentior.* In quibus duo valde notanda ponuntur; alterum quòd ter dicitur filius Iacob Ioſeph, alterum quòd dicitur filius eius adoleſcentior. Et cur hìc inter omnes fratres ter vocatur à Iacobo filius? Ait Ruffinus ſuprà: *Quid ſibi vult, quòd ſolus Ioſeph inter omnes fratres tertiò filius nominatur? Ego quidem intelligo, quòd ſemel ei Ioſeph filius natus eſt, tunc cùm ex Rachel natus eſt; ſecundò verò ei, quaſi iterum natus eſt filius, cùm ei poſt perſuaſionem mortis viuere nuntiatur. Tertiò verò ei filius efficitur, cum doctrina, & eruditione, & his omnibus virtutibus, quibus ipſe Deum videbat, erudiens eum, & inſtruens etiam in ſpiritu eum filium procreauerat.* Itaque vnus Ioſeph ter filius erat, & ter fecerat Iacobum patrem, ſiue cùm ab illo genitus, vel cùm ei ex inſperato redditus, vel cum ab eo edoctus fuit ſcientiis ſalutaribus. Ille enim religioſius creditur pater, à quo bonas diſciplinas capimus. Ex quo ad ſecundum illud venimus, cur Ioſeph dicatur adoleſcentior filius Iacob, cùm conſtet poſt Ioſephum Beniamin eſſe: Sed quia Ioſeph ex Ægypto rediens poſt omnes fuit à parente ſacris imbutus diſciplinis, ideo adoleſcentior ei filius nominatur. Vnde Ruffin. pergit: *Alioquin nec conueniet ei, quòd adoleſcentior filius dicitur, cùm habeat poſteriorem ſe Beniamin, niſi in paternis eruditionibus adoleſcentior ſentiatur.* Quia poſtremus eruditionem ſacrorum à Iacobo accepit, ideo poſtremus illum patrem fecit, vt eſſet inde filius adoleſcentior.

Ennod.

Geneſ. 49.

Ruffin.

Idem.

Idem.

§. XXIV.

Laudabile in Principe, quòd in familiaribus ſuis potens natura, gratiæue dotes, quàm Fortunæ ſpectet.

NOn miror, quòd in præſenti ait text. de Hiram; nimirum: *Miſit Rex Salomon, & tulit Hiram*, &c. *artificem ærarium, & plenum ſapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus*, &c. Illud magis mirandum quod ait 2. Paralip. 2. *Dixit autem Hiram Rex Tyri per litteras*, &c. *Miſi ergo tibi virum prudentem, & ſcientiſſimum Hiram patrem meum. Filium mulieris de filiabus Dan: cuius pater fuit Tyrius, qui nouerit operari in auro, & argento, ære, & ferro, & marmore, & lignis, in purpura quoque*, &c. Expende illa, *Hiram patrem meum*; non enim dedignatur Rex Tyri vocare patrem ſuum hominem, qui ad ſummum inter præſtantes artifices numerabatur. Et quidem & dignitatis magnæ, & familiaritatis erat, quòd quis pater Regis diceretur. Et cur Rex tantæ familiaritatis dignitatem artifici auri, aut argenti, aut æris, aut ferri impertit? Ipſe præmittit, dicens cauſam: *Miſi tibi virum prudentem, & ſcientiſſimum*; quem nouerat & prudentem, & ſcientiſſimum ad familiaritatem, & penè regiam dignitatem vocat, nec artem fabrilem erubeſcit in illo. Vtinam hæc mens eſſet vniuerſis Principibus, & ad familiaritates, & dignitates traherent vel ab artibus mechanicis, quos ſcirent prudentiſſimos, ſapientiſſimos, pluris facientes naturæ, & gratiæ dotes, quàm Fortunæ. Regem ex Deo electuro Samueli denegabat filium Iſai, vilitatem artis in qua nutriebatur, obiiciens. Ait enim 1. Reg. 16. *Reliquus eſt paruulus, & paſcit oues.* Et tamen hic de poſt fœtantes electus in Regem eſt. Erat Saul reprobandus; ſed multi alij erant clariſſimi duces, nobiliſſimarum familiarum primogeniti ad regnum aptiſſimi. Cur à paſcuis trahitur puer? Cur ex arte adeò vili paruulus requiritur? Ait Diu. Baſil. Sel. orat. 15. de omnium principum Deo? *Tales animas legere nouit Gratia: quare & cura gregis diſtentum vocauit ad regnum. Nam cognita animi mente, minimè erubeſcit artem. Placet ſibi Deus abſtruſum in deſpecto corpore margaritum conſpicatus.* Hoc Dei, hoc diuiniſſimi, & perſpicaciſſimi Principis eſt, quòd cognita hominis mente, & prudentia, & ſapientia non erubeſcat vilitatem artis eius, & etiam in ferro, aut ligno abſtruſum margaritum æſtimet, & ad ſe trahat. Noſtis Ioſephi hiſtoriam, vt factus fuit ſeruus Putipharis, vt in ſeruitute agens accuſatus fuit adulterij, & in carcerem proiectus, vt inde adductus ad conſpectum Regis Pharaonis, cui famem imminentem reuelat, eiuſque leuandæ modum. Tunc Pharao Geneſ. 41. *Nunquid ſapientiorem, & conſimilem eius inuenire potero? Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet*, &c. Quem ſeruulum Putipharis audit, & in vinculis eſſe; ad regni conſortium ſtatim eleuat. Vnde hoc? Cognouit eius prudentiam, & vilitatem ſtatus non erubeſcit. Vt dicat D. Ambroſ. ibi cap. 7. *Iniuria illuſo eſt prius, quàm cognoſceretur à Rege, gratia relata vbi Regi eſt cognitus.* Vbi Rex agnouit viri prudentiam, & ſapientiam, non erubuit vel ſeruum in regni conſortium prouehere. Quò ſpectans Socrates apud Platonem 3. de Repub. dicebat: Deus in firmando homine, vobis, qui ad imperandum idonei eſtis, aurum in generatione admiſcuit. Quapropter honoratiſſimi eſtis. His verò, qui ad auxilium ferendum præſtant, argentum. Agricolis autem, & reliquis opificibus æs, & ferrum. Proinde, & qui cognati omnes ſitis, plerúmque ſimiles vobis ipſis generatis. Quandoque tamen ex aurea ſobole generari poterit argêtea, & ex argentea, aurea, & reliquæ omnes eodem modo aliæ ex aliis viciſſim. *Principibus igitur, & primum, & maximè præcipit Deus, vt nullius rei ita boni cuſtodes ſint, neque quicquam*

2. Paral. 2.

1. Reg. 16.

Baſil. Sel.

Geneſ. 41.

Ambroſ.

Socrates.

Digitized by Google

quam ita obſeruent, quàm quid in animis filiorum ipſorum ex illa ammixtum ſit. Et ſi filius ipſorum ſubaratus, aut ſubferreus ſit, nulla modo miſerabuntur, ſed conuenientem naturæ honorem tribuentes, ad agricolas, aut opifices ipſum detrudent. Et ſi rurſus ex opificibus, aut agricolis naſcatur quis ſubauratus, honore delato hunc euehent, &c. Nil putat Philoſophus à Deo magis commendatum Principibus, quàm quòd in promouendis hominibus, nihil aliud reſpiciant in vnoquoque, quam indolis, animique ſigna. Vt ſi vel in agricolis, vel in opificibus aureos præfulgeat animus, hi prouehi debeant ad Principum conſortium. Et Princeps, ſi ferrugineus ſit, ad opificum vitam detrudatur.

§. XXV.

Vt ciuile, & ſacerdotale munus difficile poſſit ab vno rectè adminiſtrari.

ACcedo ad cantatiſſimas Salomonis columnas, de quibus ait text. *Tinxit duas columnas æreas decem & octo cubitorum altitudinis*, &c. Sub quarum columnarum figura duo fulcra Eccleſiæ agnoſcit Carthuſ. nimirum authoritatem, ciuilem, & Eccleſiaſticam Similiter dum Exo-
Exod.17. di 17. Moyſi manus grauarentur; *Aaron & Hur ſuſtenta-*
Timoth. Ant. *bant manus eius*. Vbi Timoth. Antioch. orat. in crucem & transfigur. tom. 5. Gretſeri, ait: *Conſtituerunt Aaronem de Iſraelitico magiſtratu, Hur de regia. Sciebant enim Crucem Sacerdotio, & regno conſeruari.* Ecce tibi vbique ad Eccleſiam Dei conſeruandam, & ornandam, duæ columnæ, duo fulcra conſtituuntur, nimirum ciuilis authoritas, & Eccleſiaſtica; aut regia dignitas, & ſacerdotalis. Nec aliquando hæ duæ dignitates in vno conſtituuntur, ſed diuiſæ, & inter ſe ſeparatæ manifeſtantur. Nec immeritò, vix enim fieri poteſt, vt ab vno valeant bene adminiſtrari. Moriturus
Num. 27. Moyſes dum agit cum Deo de ſucceſſore ait Numer. 27. *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire, & intrare ante eos*, &c. Habebat Moyſes filios, quos non eligit in dignitates ſucceſſores, forſan, quia non nouerat adeò idoneos: ſed habebat conſobrinos, nimirum filios fratris ſui Aaron, de quorum meritis non poterat dubitari, vt qui Dei calculo ſucceſſerant in patris ſacerdotium. Cur ergo non magis hos etiam eligit Moyſes in duces populi? Qui idonei erant ad ſacerdotium, nonne magis idonei erant & ad ducatum populi? Cur illos non elegit Moyſes? Eo ipſo quòd ſacerdotes digniſſimi erant, noluit Moyſes eos eligere in ducatum & ciuilem adminiſtrationem populi, vt qui ſciret, quàm difficile ſit, quòd quis ſacerdotale munus perfectè adimpleat, intentus ciuilibus
Philo. regni negotiis. Aiebat Philo lib. de charitate: *Quamuis pater eſſet Moyſes duorum filiorum, neutrum ſucceſſorem ſibi optauit, victor affectuum erga cognatos, ac domeſticos. Et poterat, ſi filios ſuſpicabatur parum idoneos, certè fratris filios extollere iam virtute meritos ad ſacerdotium. Sed fortaſſe, aut non placebat eos à diuinis rebus diſtrahi; aut potius cogitabat, impoſſibile eſſe eundem hominem rectè curare ſimul regnum, & ſacerdotium.* Hoc ſenſit Philo; hoc dolent quotidie ſanctiſſimi Pontifices, & Epiſcopi, quorum ſacerdotali muneri annexa eſt etiam ciuilis in ſubditos authoritas, à qua ſe ipſos alienant, quoad fieri poteſt, vt præcipuè colant ſacerdotium. Vt cæteri videant Epiſcopi, cui ſe periculo deuoueant, cùm auidè arripiunt ex Principibus ciuiles adminiſtrationes, gubernationes, quibus vt per ſe intendant, remittunt aliis curandum proprium munus ſacerdotij. Ab his interrogarim ego; ſi vos, ô boni, multa mercede comparauiſſetis œconomum, qui domum veſtrā gubernaret; ipſe autem accepta hac multa mercede rem domus veſtræ traderet aliis gubernandam, vt vacaret ſibi aliò diuertere, & per ſe rem alterius minori mercede adminiſtrare. Nonne talem hominem vt ingratum, & indignum abiiceretis? Cur ergo non timetis prorſus abiici, & reprobari à Deo, cuius ſacerdotij ingentibus redditibus abſumptis, ſacerdotalis muneris curam aliis traditis, vt abſentes intenti ſitis ciuilibus regni negotiis, longè minori accepta mercede? Planè difficile erit, ſi in his non periclitemini. Huc trahe dicta tom. 2. in Euang. lib. 8. cap. 1. §. 1. & addenda dicta tom. 3. in Euang. lib. 18. §. 40.

§. XXVI.

Chriſtianum eſt non tam loqui, quàm agere.

ITaque Salomon, *Fecit duas columnas æreas*, &c. quas Rupert. componit cum duabus columnis marmoreis, quæ dicuntur Sponſi crura Cant. 5. vbi ſic: *Crura eius co-* Cant.5.
lumnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Et tam per has, quam per illas credit oſtendi duas Dei vias, nimirum miſericordiam, & iudicium: quibus totum Scripturæ ædificium innititur. Quippe dicit in lib. 3. Reg. 3.Reg.19.
cap. 19. *Fecit, ait, duas columnas æreas: columnæ iſtæ egregium, & maximum ornamentum domus Domini, quid ſignificent, ipſe author illarum nobis innuit in Canticis, dicendo in laudibus ſponſi, crura eius columnæ marmoreæ. Quænam crura ſunt ſponſi, niſi vniuerſæ viæ Domini? Planè viæ Domini vniuerſæ non niſi duæ ſunt, miſericordia, & veritas, ſiue miſericordia, & iudicium. Columnis iſtis tota penè domus incumbit, totum ſacræ Scripturæ ædificium innixum eſt.* Ita Rupert. putat columnas æreas Salomonis, & columnas marmoreas Chriſti ſponſi in vnam, eamdemque ſignificationem venire, vt nimirum miſericordiam Dei, eiuſque iudicium ſignificent. Sed quæ in Salomone æreæ ſunt, cur in Chriſto marmoreæ? Equidem vt æs vocaliſſimum cenſetur inter omnia metalla; ſic Deus antiquitus vocaliſſimus erat in publicanda vel ira, vel miſericordia ſua. Quò ſpectabat tota diuini oraculi, & ſacerdotalis Rationalis religio. Vt autem marmor minimè vocale eſt, ſed magis muto ſimile; ita Chriſtus Dominus, qui multus in faciendis virtutibus erat, in illis dicendis, publicandiſvè penè apparuit mutus. Semper enim Chriſtianum fuit, operari, ſed non publicare virtutes. Conuocatis diſcipulis Mat- Matth.16.
th. 16. dicebat Ieſus. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Notitiam ſui ex hominum ſententia requirit. Et cur magis ipſe non ſe manifeſtat? Si amas Domine tui notitiam proferri, quis ita te, tuaque nouit, vt tu ipſe? Cur tu potiùs non dicis, quis ſis, qualis erga homines, quanta illis præſtiteris, & es præſtiturus? Abſit hoc à Chriſtiano ſpiritu, cuius eſt, non tam dicere, quàm facere opera virtutis.
Ait D. Baſil. Sel. orat. 25. *Non à ſe ipſo loquuntur, nec ſe* Baſil.Sel.
ipſum manifeſtò proclamat; etenim dicere erat, ſi voluiſſet: Ego Deus de Deo, ego cælum vnà cum patre fabricatus ſum, terram panxi, aërem diffudi, ſolares radiis illuminaui, &c. *Quid agat tandem? Primum aliis, res ſuas, vt diuulgent, ſinit, alienis vocibus prædicationem concredit.* Ipſe in ſuis mutus, alienis vocibus ſua remittit. Clamabat Angelus
Luc. 2. paſtoribus nocturnò in ſilentio: *Ecce euangelizo* Luc.2.
vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem, &c. Inter Angelorum voces, quando & cælum, & terra recens natum loquuntur, ipſe ſolus apparet infans, hoc eſt, ſine voce. Hoc ſanè manifeſtiſſimum erat iudicium
Chriſtiani ortus. Ad hæc aiebat D. Baſil. Sel. orat. 25. Baſil.Sel.
Ideo à principio miracula cum partu concurrebant. Stella peregrino curſu manifeſtabat inopinatò natum infantem; Magi relicta à tergo Babylone ſaſſatum perquirebant. Simeon vociferabatur: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine. Præter hos Ioannes omnibus oſtendebat clamitans: Ecce agnus Dei. Tantis ſunt teſtes: ipſe de ſe conticeſcit. Inter tot voces Ieſum, & eius virtutes manifeſtantes, ſolus Ieſus tacebat, & mutus erat de ſuis rebus. Numquam non Chriſtianum
fuit in propriis virtutibus efficiendis tacere. Marci cap. 5. Marc.6.
dum nouit Ieſus veſtimenti ſui tactu ſanatam ſanguinis Epiphan.
fluxu laborantem fœminam, aiebat: *Quis tetigit veſtimenta mea?* Circa quæ ait D. Epiphan. in Ancorato: *Et quis me tetigit, dicit, non quòd non noſſet, quis ipſum attigiſſet, ſed vt ne per ſe ipſum diceret miraculum, quod edebat.* Vt iam diſcas, quàm de Spiritu Ieſu vetat, in propriis virtutibus tacere.

§. XXVII.

§. XXVII.

Non paruus ornatus Eccleſiæ eſt in linguarum variarum notitia.

CVm legis in textu, quòd Salomon *fecit duas columnas æneas*, &c. ſimul ſcias illas columnas poſitas in porticu templi, non pro ſuſtentaculis ædificij, ſed pro decore domus. Rupert. Vt meritò dicat Rupertus in præſenti cap. 19. *Columnæ iſtæ egregium, & maximum ornamentum domus Domini.* Et quando omnia intima templi aurea erant, quid ornamenti addere poterant columnæ æreæ? Vbi tantum ſplendebat auri, quid faceret æs? Vt æs vocaliſſimum omnium metallorum cenſetur, ſic in eo oſtendebatur linguarum donum, quod non parum facit ad ornamentum Eccleſiæ, & ad decorem. Quò fortaſſe ſpectabant primæ illæ columnæ poſitæ in Eccleſiæ limine, nimirum Actor. 2. Apoſtoli, qui, vt ait Act. 2. *cœperunt loqui variis linguis*, vel, vt Syriacus vertit, *lingua, & lingua.* Neque vnquam negabo Eccleſiæ magnum eſſe ornamentum, quòd in illa effulgeant viri linguarum periti, vt quæ in vnâ ſunt dicta linguâ, ad aliam transferantur, & ſic diuinorum ſcientia ad ſalutem omnium tradatur animarum. Ad conſtitutio- Exod. 25. nem tabernaculi dicebat Exod. 25. *Hæc ſunt, quæ accipere debetis, aurum, & argentum, æs*, &c. Et quid in ære? Ait Ori- Orig. gen. homil. 13. in Exod. *Opus eſt & æris ad tabernaculi conſtitutionem. Puto ergo æs accipi poſſe pro voce. Audi Apoſtolum: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habuero, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Ita ergo loqui linguis, & interpretari ex alia, in aliam linguam, æris oblatio eſt. Neceſſe eſt enim omnia habere tabernaculum Dei, & nihil deeſſe domo Domini.* Vt aurum ſapientiæ & fulcit, & ornat Eccleſiam Dei; ſic æs, id eſt, linguarum ſcientia, & notitia non parum facit ad decorem eius, & ad animarum vtilitatem; per hanc enim notitiam transferuntur diuina ab vna lingua in aliam, & currunt per vniuerſam terram.

§. XXVIII.

Mundialia bona cauenda.

PRo columnarum coronide in capitellis poſiti erant duo ordines malorum punicorum, dicit namque: *Malogranatarum autem ducenti ordines erant in circuitu capitel-* Brun. *li*, &c. Quorum vtilitatem ponderans S. Bruno de laudib. Eccleſ. cap. 4. ait: *Habuerunt autem & malogranata, quibus animas ſatiarent.* Erant itaque malogranata in capitellis columnarum ad paſcendas & ſatiandas animas. Verùm Exod. 29. Exod. 39. dum de talari tunica ſummi Sacerdotis agitur, dicit: *Deorſum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta; & tintinnabula de auro puriſſimo, quæ poſuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum.* In extremo tunicæ iuxta Sacerdotis pedes erant malogranata appenſa, ſingula inter duo tintinnabula aurea. Quæ cùm noto, non poſſum non meminiſſe notiſſimæ formidinis poſitæ in arboribus ab hortulanis, vt ab auibus defendant fructus. Ponitur enim aut vnum, aut plura tintinnabula, à quibus dependet longus funis, qui hortulani manu conſtrictus, & motus dum ſonare facit tintinnabula aues longiſſimè arcet à fructibus. Nonne & tintinnabula malogranatis appoſita id etiam videntur innuere, & poſita credentur loco formidinis, vt arceant nos vel à tactu illius fructus? Equidem id crediderim. Sed cur malogranata hæc, quæ ſunt in extrema parte tunicæ has tintinnabulorum formidines habeant, quibus arcemur ab illorum eſu; cùm malogranata poſita in capitellis columnarum vniuerſis pateant, imò & poſita credantur ad paſtum animarum? Malogranata in extrema tunicæ parte poſita, vt in infimis ſunt, ſic creduntur ſignificare bona hæc mundialia, & infima, ſic Philo lib. 3. de vita Moyſis, per illa elementum aquæ intelligit, & D. Hieronym. de veſte ſacerdotali, non ſolùm aquam, ſed & terram. Ne miremur, quòd in eorum vſu, & eſu præmittatur formido, vt caueamus ab iis infimis bonis, qui nolumus perire; ſed de ſupernis ſperemus cibos, qui non ruinam, ſed æternam afferunt vitam. Quis mare nauigâs non formidat potare aquas marinas, etſi diſpereat ſiti? Ita etiam qui in mari huius mundi eſt, hoc maximè debet formidare, ne bonis terrenis immergat animam ſuam. Aiebat Pſalm. 106. *Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius*, &c. Psalm. 106. Ecce tibi quibus magnalia Dei viſenda dantur, nimirum illis, *qui deſcendunt mare in nauibus*. Et ſunt multi, qui non in nauibus, ſed per ſe ipſos in mare deſcendunt, dum ſe illius committunt fluctibus nataturi: de quibus nil dicit. Cur ergo maiori præmio digni cenſentur apud Deum, qui deſcendunt mare in nauibus nauigaturi, quàm qui deſcendunt nataturi? Equidem qui in mari natant, ægrè, & difficultèr vitare poſſunt, quin aliquam licèt tenuem guttulam maris hauriant, & guſtent; qui in naui autem nauigant, nihil prorſus guſtant de marinis aquis. His ergo potiùs aſſimilari gaudet perfectos ſuos Dominus, vt qui de ſæculo nihil prorſus capiant, ſed de ſupernis vitam agant. Quos reſpiciens D. Machar. homil. 44. ait: *Sicut autem qui ſunt in* Machar. *naui, non hauriunt, aut bibunt è mari, nec ex ea victum, aut veſtitum ſumunt; ſed aliunde important in nauem: hoc modo Chriſtianorum animæ, non è ſæculo iſto, ſed deſuper è cœlo cibum cœleſtem, & indumenta capiunt ſpiritualia; & inde viuentes in naui boni, viuificique ſpiritus incedunt, & transgrediuntur aduerſarias Principum diras poteſtates.* Quid pulchrius? Qui ad fœlicitatis portum feſtinat, ſic mare huius mundi tranet, vt eius bona caueat, ſupernis inhiet, & ſic ſecura, integráque naui perueniet ad patriam.

§. XXIX.

Sumptus facti ob temporalia ruinam pariunt, facti ob æterna te Deo non abſimilem efficiunt.

MIror columnarum harum trophæa malogranatis cõſtare, & liliis, dicente textu: *Malogranatarum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli*, &c. *Et ſuper capita columnarum opus in modum lilij.* Et malogranata, & lilia ſuper has columnas viſebantur; & vt mireris magis in columnis, quas parentum, patrumve memoriæ erexit Simeon Machabæus, non lilia, non malogranata, ſed horrida arma, iacula, arcus, gladij viſebantur. Ait 1. Machab. 13. 1. Mach. 13. *Circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma ad memoriam æternam.* Et quando in templi columnis malogranata, & lilia erant, cur hic in fratrum ſepulchri columnis maluit ſuperponere arma, nimirum ſpicula, arcus, gladios? Hæc merent, qui pro temporali lucro ſe ſuaque diſpendunt; qui autem pro æternis, & ſpiritualibus, ad ſpeciem Principis, qui eſt flos campi, & lilium conuallium in fructibus eius efformãtur. Crede mihi homo, quot ſubis labores, quot iacturas facis, pro lucro temporali; tot acquiris mala, quæ te premant, quæ te mactent. Verùm quæ pro Deo, & virtute perdis, iis ſic inſigniris, vt floridiſſimi Regis Ieſu purpuream imaginẽ ſubiiſſe videaris, totuſque lilium, aut malogranatum, vt ille dicaris. Iſraelitæ fœminæ vt ſibi idola facerẽt, abſtulerunt inaurium ſuarum aurum, dederuntque id Aaroni. Quid tunc Aaron? Ait ipſe Exod. 32. *Proieci illud in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus.* Exod. 32. Equidem aurum pro idolo datum flammis vitulum generauit, qui totum Iſraelem depaſceret, aut cornu ventilaret. Verùm Dan. 3. tres pueri Hebræi *vincti cum braccis* Dan. 3. *ſuis, & tiaris, & calceamentis & veſtibus miſſi ſunt in medium fornacis ardentis.* De quibus ait ſtatim ipſe Babylonis tyrannus. *Nonne tres viros miſimus in medium fornacis? Ecce video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis*, &c. *& ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Ecce tibi tres viri cum auro, & veſtibus pretioſis dum dantur flammis, ibi in conſortium, & ſocietatem filij Dei deueniunt. Multitudini mittenti aurum in ignem, ignis retulit vitulum, cuius perirent cornu ventilati; tribus autem pueris in ignem miſſis cum auro ſuo, & pretioſa veſte, ignis retulit filij Dei ſimilitudinem, & ſocietatem. Et vnde de iis tantum bonum, & illis tantum malum? Equidem vtrorumque intentionem ignis æmulabatur; quibus intentio erat pro idolo, pro bono temporali, egreſſus eſt vitulus, qui eos depaſcat; quibus autem intentio erat pro Deo, & virtute ſui iacturã facere, imago affuit diuinitatis. Ait D. Machar. ho. 11. Machar. *Imitatus eſt ignis eorũ intentionẽ. Et prout in cogitationibus decreuerat idolo ſeruire; ſic ignis ex iniectis vaſis idolũ effinxit. Sicut ergo tres illi pueri, qui cogitabãt ea, quæ pertinebant ad iuſti-*

tiam;

riam, ſuſceperant in ſe ipſis ignem diuinum: & ignis ille format imaginem cœleſtem in homine. Et ſubdit ſtatim eamdem recapitulans ſententiam. *Qua igitur ratione ignis ex vaſis aureis formauit, & produxit idolum; ita Dominus fidelium intentiones imitatur, & pro voluntate earum format imaginem, quæ tempore reſurrectionis exterius apparebit, conglorificabitque, &c.* Itaque intentionem in ſumptibus, & iacturis tuis effectus imitatur; ſi tua das flammis, vt idola acquiras, vt mundialia hæc vana amplectaris, naſcetur inde tibi vitulus, a quo abſumaris, naſcentur ſpicula & gladij, ſub quibus cadas. Verùm ſi te, tuaque pro Deo, & virtute deuoueris perditioni, totus paradiſus malorum punicorum, & liliorum tibi cum Dei imagine reformatur, quo ſimilis filio Dei appareas, in camdem gloriam cum illo transformatur. Moyſes in aula Pharaonis educatus, & quaſi eius nepos, hæreſque nutritus, omnia hæc deſpexit pro Deo, dicente Paulo ad Hebr. 11. *Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* Quid inde? Ægyptum fugiens paſtoritiam vitam agit in deſerto, cui Dominus Exod. 7. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Remittendus in Ægyptum non aliter remittitur, quàm factus quaſi Deus. Et meritò; qui enim tot tantaque bona temporalia perdidit pro Deo, & virtute, iam inde apparere debebat filius Dei. Vt dicat D. Chryſoſt. hom. 25. in Matth. *Moyſes fuit celatus in Ægypto, dictus eſt filius Ægyptiæ. Quaſi homicida fugatus eſt, quaſi mercenarius contemptibilis ouium factus eſt paſtor. Qui quaſi homicida ex Ægypto egreſſus, poſtea ingreſſus eſt iudex Sanctorum, iam non filius Ægyptiæ, ſed quaſi filius Dei.* Sic iactura, & contemptus regni Ægyptiaci pro Deo & virtute hominem ad Dei imaginem efformauerunt, vt videretur quaſi filius Dei.

Hebr. 11.

Exod. 7.

Chryſoſ.

§. XXX.

Præſtantiſſima illa gloria, quæ non nititur externis, ſed intima homini eſt.

IN vtraque templi columna pro præſtantiſſimis omnium trophæis malogranata erant appenſa, cùm dicat: *Malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli.* Et quid in malogranatis oſtendebatur, niſi ſublimitas illius gloriæ, quæ intima eſt, nec nititur externis? Extollebat ſponſam Deus Cant. 6. dicens: *Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ.* Inde pulchritudinem, & gloriam genarum commendat, quòd ſimiles ſint malogranato, ſeu malo punico, quod idem eſt. Et quæ in eo gloria? Ait Nyſſen. hom. 15. in Cant. *Per mali punici corticem genas aruans inſignem quandam in bonis perfectionem ſponſæ tribuit. Vult enim ſignificare non alia quadam in re ſitum eſſe theſaurum ipſius, ſed ipſam ſui ipſius theſaurum eſſe: quippe quæ omnis boni apparatum in ſe complectatur. Nam vt in cortice continetur id, quod eſculentum eſt in malo punico: ſic etiam demonſtrat contineri theſaurum eius interiorem pulchritudine illius vitæ, quæ ſub aſpectum cadat.* Expende illa, nimirum: *Non alia quadam in re ſitum eſſe theſaurum ipſius, ſed ipſam ſui ipſius theſaurum eſſe;* quippe illud eſt præſtantiſſimum, & diuiniſſimum, quod quis non in alienis, non in externis, ſed in ſe ipſo habeat, quo glorietur. Quò ſpectans Ieſus dum regiam dignitatem ſuorum extollit, ait Luc. 17. *Regnum cælorum intra vos eſt;* non enim regalis ſplendor cœleſtium Principum quærendus ab externis, & alienis, à ſubditorum multitudine, à terrarum ſpatiis, ab exercituum fortitudine, à copia auri; hæc enim externa ſunt, quibus vel lignum, vel bellua poſſunt nobilitari. Sed in eo eſt ſita gloria Principum cœleſtium, quòd intra ſe habeant, quidquid regale eſt. Hinc de Rege regum locutus D. Chryſol. ſerm 99. dicebat: *Chriſtus Rex, quia tota ipſe eſt origo regnandi, Chriſtus regnum, quia in ipſo eſt regni ſui tota maieſtas.* A nullo alio quærit, quo ſibi regni ſplendorem faciat, in ſe ipſo habet totam regni gloriam & maieſtatem. De Ieſu glorificato in Thabor ait Matthæus cap. 17. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol; veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix,* in margine eſt, *ſicut lux.* Et cur neceſſum fuit veſtimenta ſic immutari? An vt ſplendentes veſtes aliquid gloriæ tanto Regi darent; Abſit; non enim Rex erat, qui à veſtimentis decorem acciperet, ſed qui totum in ſe gloriæ ſplendorem retinens illud veſtibus communicaret. Vt dicat D. Ephræm orat. de Transfig. *Veſtimenta autem ſua oſtendit eis alba inſtar lucis; quia ex toto corpore eius gloria diuinitatis ſuæ ſcaturiebat; & ex omnibus membris ſuis, lux eius refulgebat. Non enim vt Moyſi, reſplenduit eius facies extrinſecus: verùm ex ipſa ſcaturiebat diuinitatis eius gloria, & in ipſa manebat. Ex ipſo oriebatur lux eius, & in ipſa cogebatur. Neque enim alienam abiit partem, & ipſam reliquit, quia non venit ex alia obliqua, ac interere, & eum ornauit.* Erat tota Ieſu gloria ab ipſo, & in ipſo, & quia non ab extrinſeco illi obueniebat, ideo illa non nudabatur. Amet ſic non alienis, ſed proprijs gloriari, qui amat gloria nunquam nudari.

Nyſſen.

Luc. 17.

Chryſol.

Matth. 17.

Ephrem.

§. XXXI.

Laſcivia non vincitur, niſi à multitudine virtutum congregatarum.

MAlogranata, & lilia ſunt in capitellis columnarum, quia dicit: *Malogranatorum autem ducenti, ordines erant in circuitu capitelli, &c. Et ſuper capita columnarum opus in modum lilij.* Non enim lilia viſuntur ſine malogranatis, vt enim in lilijs caſtitas oſtendebatur, ſic etiam multitudo virtutum congregatarum in malogranatis, à qua ſola perditur laſciuia, & caſtitas conſeruatur. Huc reſpiciens D. Bruno lib. de laud. Eccleſiæ cap 4. dicebat: *Habuerunt autem & malogranata, quibus animas ſatiarent, & ab æſtu libidinis ſanarent.* Et quis ab æſtu libidinis liberatur, niſi qui tot virtutes habet in ſe congregatas, quot malum punicum grana? Saul 1. Reg. 14. exiuit in prælium: *Congregatoque exercitu percuſſit Amalech.* Nec myſterio vacat, quòd notet textus Amalech non fuiſſe percuſſum niſi à congregato exercitu; in Amalech enim luxuria deſignabatur, quæ non ſolet vinci, niſi vbi aduersùs illam multæ virtutes congregantur. Ait D. Gregor. PP. lib. 5. in 1. Regum cap. 4. *Quid eſt, quod exercitum congregauit, niſi quia ad extinguendum fornicationis ſpiritum victus vnus non ſufficit? Abſtinentia quidem ciborum contra hoc vitium fortiſſima eſt, ſed ſola non prævalet, velut enim miles eſt, & pugnare poteſt, ſuperare non poteſt, quia Amalech non vincitur niſi exercitus congregetur.* Et poſt pauca ſubiicit: *Nunc ergo exercitum anima congreget, quæ Amalech vult perimere, & de manu vaſtatorum eius videatur ſpiritum liberare. In horum medio reſideat, vt cincta exemplis electorum, circumdata doctrinis ſcripturarum, nullam partem ſui vacuam habeat, vnde hoſtis irrumpat.* Ægrè laſciuiam vinces, niſi te vndique circumdent agmina congregata virtutum. Semper enim debent ſtare multæ virtutes pro aſſerenda aduersùs laſciuiam integritate. Dicebat Pſalm. 44. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietate.* Quæ ponderans D. Gregor. PP. lib. 6. in 1. Reg. 15. cap. 1. ait: *Omnis gloria intus, & in fimbrijs aureis, & varietate circumamicta aſſeritur; vt innumeris virtutibus adiuncta integritas, vſque in finem deduci ſentiatur.* Sic vt integritas aduersùs corruptionem laſciuiæ ſirmetur, innumeris virtutibus opus habet.

Brun.

1. Reg. 14.

Greg. PP.

Pſalm 44.

Greg. PP.

3. *Regum* 7. Fecit quoque mare fuſile decem cubitorum à labio vſque ad labium rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudine eius, & reſticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. Et ſculptura ſubter labium circuibat illud, decem cubitis ambiens mare: duo ordines ſculpturarum ſtriatarum erant fuſiles. Et ſtabat ſuper duodecim boues, *&c.*

§. XXXII.

Pro tollendis peccatis pœnitentia non parua, ſed magna procuranda.

IAm illud textus addit, nimirum: *Fecit quoque mare fuſile, &c.* Per quod multis creditur ſignificatus Baptiſmus, ſed ſatius putat Ribera lib. 2. de templo cap. 17. ſignificari pœniten

pœnitentiæ ſacramentum. Et meritò pœnitentia mare dicitur, vt oſtendatur, quàm magna debeat eſſe, quæ ducit ad vitam. *Thren. 2.* Dicebat Threnor. 2. *Magna eſt velut mare contritio tua.* Sic pœna à Deo pro peccato illata dicitur fuiſſe magna velut mare, vt diſcamus & nos illam pœnam aſſumere in pœnitentia, quæ poſſit comparari maris magnitudini. Sic de cantatiſſima peccatrice Sancta Pelagia ſcriptum inuenio in eius effigie.

E pelago in pelagus lacrymoſa Pelagia tranſit,
Triſtiu dum lacrymis obruit acta ſuis.

Ambroſ. Quod nobis perſuadere volebat D. Ambroſius ad virginem lapſam cap. 8. dicens: *Grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem.* Fluant pœnitentiæ lachrymæ, non in parua menſura; ſed maris repræſentent magnitudinem, vt inde certiores nos faciant de ſalute. Poſt reſurrectionem ſuam Ieſus in littore maris ſtans apparuit diſcipulis, qui fruſtrà in naui erant piſcantes. Cuius monitu cùm ad nauigij dexteram retia miſiſſent, non paruam piſcium multitudinem prendiderunt. Quo miraculo illuminatus Petrus vt ad notum magiſtrum citiùs perueniret *Ioan. 21.* Ioan. 21. *Tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.* Et cur non magis expectauit nauis volatum, vt iret ad Ieſum? Cur maluit ſe maris fluctibus committere? *Chryſol.* Ait D. Chryſol. ſerm. 78. *Miſit ſe in mare, vt mare dilueret, quod negatio taliter ſordidauerat.* Vt ſe negationis crimine nouit infectum, totum curabat efficere lachrymarum mare, vt inde lotus Ieſu approximaret. Ne velit peccator peruenire ad ſalutem in parua pœnitentia, ſed in magna. *Ezechiel. 2.* Ezechiel cùm ad gentes peccatrices trahendas mitteretur cap 2. librum ex Deo accepit; *& ſcriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.* Duo erant ſcripta triſtia, & vnum ſuaue. Et cur duo triſtia? Sapienter Diuus Ambroſ. *Ambroſ.* ait lib. 2. de Pœnit. cap. 6. *Ezechiel iuſſus eſt flere Hieruſalem, & accepit librum in cuius capite ſcripta erant lamentationes, & melos, & væ: duo triſtia, & vnum delectabile, quoniam ille ſaluus erit in futurum, qui in hoc ſæculo plus fleuerit.* Expende illud, *plus fleuerit*; quaſi non de quolibet fletu, ſed fletu plurimo, & magna pœnitentia peccator tendat ad vitam.

§. XXXIII.

Nequit Deus ſic in occulto eſſe, quin aliquando & perſpicuus fiat.

IN templo ſuo Salomon *fecit quoque mare fuſile*; quippe æreum vas adeò ingens, vt vocaretur mare, intra templum conſtituit, quo ſignificabantur ſacramenta in Eccleſia Chriſti conſtituenda, quæ ſordes peccatorum abluerent. *Apocal. 4.* Apocal. autem 4. dicit: *Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum*, &c. de quo locutus Carthuſ. meritò credit & mare æreum templi, & hoc mare vitreum Apocalypſis ad idem pertinere. Sed cur quod in templo Salomonis æreum erat, in Apocalypſi oſtenditur vitreum? Occulta manent, quæ ære clauduntur, quæ in vitro ſunt, apparent perſpicua. Et quæ ſub maris ærei obſcuro occultabantur Dei ſacramenta; neceſſum fuit, vt tranſirent ad perſpicuitatem vitri. Nequeunt enim diuina in occulto diu manere, quin perſpicua fiant. *Rupert.* Ait Rupertus lib. 9. in Apocal. *Pulchrè dicitur hoc mare vitreum, quia ſicut in vitro, quod continetur, tranſlucet, ſic in octo Euangelij ſacramento iam nihil occultum eſt, ſed quod primò in figura gerebatur, nunc in re geritur, & totum manifeſtum eſt.* Quæ antiquitus ex Deo in vmbris erant, iam venerunt in lucem; & quæ denſis corticibus occultabantur, iam in perſpicuis ſunt. Sic quæ Dei ſunt vel in occultiſſimis, vix poſſunt non in manifeſtum venire. *Ioan. 13.* Ioan. 13. notans dominicæ paſſionis tempus ait: *Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus, quia venit hora eius*, &c. Et mirabar, quòd agni paſchalis tempus aſſumptum fuerit, vt in eo pateretur Agnus diuiniſſimus Ieſus. Cur hoc præcipuè tempus fuit electũ? An vt prodiret in lucem agnus ille occidendus; qui latebat in tot agnorum figuris? *Leo.* Ait D. Leo ſermone 7. de Paſſ. *Sacrilegi Iudæorum Principes, & impij Sacerdotes, qui ſæuiendi in Chriſtum occaſiones ſæpe quæſiuerant, non niſi in ſolemnitate paſchali exercendi furoris ſui acceperunt poteſtatem. Oportebat enim, vt manifeſto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promiſſa myſterio, vt ouem ſignificatiuam ouis vera remoueret.* Expende illud, *Oportebat enim vt manifeſto implerentur effectu*; quæ namque a Deo ſub vmbris paſchalis agni, tot ſæculis venerant, iam non debebant ampliùs teneri ſub vmbris, ſed ad manifeſtum, & perſpicuum effectum tendebant. Vbi enim Deus ad nos occultè accedit, iam inde quaſi exigitur externa virtutis eius manifeſtatio. Poſt longam cum Ieſu confabulationem dicitur de muliere Samaritana Ioan. 4. *Ioan. 4.* *Reliquit ergo mulier hydriam ſuam, & abiit in ciuitatem, & dixit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci. Numquid ipſe eſt Chriſtus.* Non amplius diſtulit mulier, ſed vt ipſa notitiam Chriſti accepit, illum contendit ſuis manifeſtare, prædicare. Non ſic Magdalena; cui Luc. 7. dicitur à Ieſu: *Luc. 7.* *Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace*; & minimè dicitur, quòd illa abiens verbum locuta fuerit de Ieſu. Et cur Magdalena, quæ tot tantaque à Ieſu acceperat, ſic tacens abiit, nec verbum dicitur facere de Ieſu magnalibus; Samaritana autem mulier non ceſſat Ieſum manifeſtare, prædicare? Magdalena in publico, & manifeſto coram Phariſæi familia Chriſti virtutem receperat, & gratiam; quæ vt manifeſtò facta eſt, ſic non indiguit à Magdalena prædicari In Samaritanæ autem corde occultiùs Chriſtus operabatur, ideo oportebat vt manifeſto oſtenderetur effectu, quod occulto myſterio agebatur. *Cyril. Alex.* Ait D. Cyril. Alexandrin. lib. 2. in Ioan cap. 99. *Superior iam huius ſæculi cura voluptuoſa paulo antè mulier facta eſt, nullamque ſitis, aut aquæ habens rationem ad ſublimiorem habitum per fidem inſtituebatur; & charitatis, quæ virtutum optima eſt, viribus accenſa, bonum, quod ei contigit, cæteris quoque ſurſum præbere ſtudebat: nec mirum. Occultius enim Chriſtus ſecum loquebatur, dicens: Gratis accepiſtis, gratis date.* Expende illa: *Occultiùs enim Chriſtus ſecum loquebatur*, &c. quando namque Chriſtus non palam, ſed occulte in Samaritanæ corde virtutes loquebatur, oportebat, vt mulier illas manifeſto oſtenderet effectu Ridendus quippe eſſet, qui de occultis Dei loquelis, & fauoribus gloriaretur; niſi manifeſtis virtutum effectibus eos aſſereret. Nihil enim Dei occultum eſt, quod non amet externis virtutum actibus reuelari. Vbi occultior eſſe voluit Ieſus, quam in ſacramento agni paſchalis? De cuius tamen manducatione cauet Exod. 12. *Exod. 12.* *Sic autem comedetis illum, renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus*, &c. Accincti, & cum baculis comedere iubentur agnum paſchalem. Et cur accincti comedant? *Cyril. Alex.* Ait D. Cyril. Alexand. lib. 10. in Iulian. *Vide igitur quomodo in peregrinorum humilitate comedere iuſſerit, vt res ipſæ ſignificent, quòd figuræ non ſemper duraturæ ſunt, ſed quodammodo ad veritatem currant.* Equidem quod Deus ſub vmbris occultè figurat, non amat, vt ſic ſemper maneat, ſed mauult, vt currat ad veritatem, hoc eſt, vt tandem manifeſto virtutum effectu pateat. Quod extenſis in cœlum manibus in ſilentio ores, adhuc aliquid vmbræ, & figuræ habet; nondum virtutis veritas patet, oportet autem vt non ſemper in vmbra, & figura maneas, ſed magis curras ad veritatem perſpicuam, nimirum ad notos, & claros virtutum effectus.

§. XXXIV.

Ex quo cœpit confeſſio, maximè per illam peccata leuantur.

OB pœnitentiæ typum, vt vidimus §. 32. *Facit quoque mare fuſile*, &c. Nec miror in æneo maris pœnitentiæ grauedinem denotari; dicebat enim de peccatis per pœnitentiam tollendis Pſalm. 37. *Pſalm. 37.* *Sicut onus graue grauata ſunt ſuper me.* Verùm Apocal. 15. *Apoc. 15.* *Vidi tanquam mare vitreum mixtum igne*, &c. Mare æneum templi in Apocalypſi in mare vitreum verſum eſt; nimirum mare graue, in mare leue. Sed & grauedinem ænei maris illud oſtendebat, quod humeros duodecim boum premebat, cùm dicat text. *Et ſtabat ſuper duodecim boues*, &c. at qui circa maris vitrei erant, adeò leues oſtendebantur, vt viderentur ipſi eſſe ſuper mare. Ait enim: *Qui vicerunt beſtiam, & imaginem eius, vidi ſtantes ſuper mare vitreum.* Et quando tanta grauitas erat mari æneo, vt ſub illa etiam duodecim iuuencorum humeri premerentur, vnde hæc mutata

mutata eſt in tantam leuitatem, vt iam mare non æneum, ſed vitreum ſit, & qui circa illud, non ſub illo, ſed ſupra illud ſtarent? Quanta grauitas, vbi gemitur ſub mari? Quanta leuitas, vbi ſtatur ſupra mare? Et vnde hæc leuitas in mari, niſi quia quod æneum erat, iam vitreum apparet; vt nimirum pœnitentiæ peccatorum addita ſit confeſſio ſacramentalis, qua peccata ſicut in vitro perſpicua fiunt, & inde grauedinem æneam auferunt peccatis? Ait
Rupert. ibi Rupert. lib. 9. in Apocal. *Idcirco mare vitreum dictum eſſe intelligitur, vt cognoſcas, quia omnes, qui accedunt, debent eſſe vitrei, id eſt, ſimplices per veritatem puræ confeſſionis*, &c. Ecce tibi tota æris grauedo aboletur, & leuitas vitri apparet, vbi claritas confeſſionis pœnitētiæ additur. Erāt enim grauiſſima peccata per pœnitentiam tollenda, vbi confeſſionis ſacramentum non aderat, vbi autem hoc ſacramentum confeſſionis perſpicuæ à Deo inſtitutum eſt, maximo onere peccatores leuantur. Quò ſpectans Dominus poſt
Geneſ. 3. peccatum primi hominis clamabat ad illum Geneſ. 3. *Adam vbi es?* Non quia locum ignoraret, qui omnia norat, ſed vt hominem fortè iam pœnitentem ſub aſperitate foliorum ficuum, vt ſuſpicatur D. Irenæus, ad confeſſionem perſpicuam alliceret, & inde peccatum eius maximè
Tertull. leuaretur. Pro quo ait Tertull. lib. 2. in Mar. *Interrogas Deus quaſi incertus, vt & hinc liberi arbitrij probans hominem in cauſo aut negationis, aut Confeſſionis, daret ei locum ſponte confitendi delictum, & hoc nomine releuandi.* Dabatur locus delictum releuandi, cùm dabatur locus confitendi: non poſſunt enim delicta non leuari, vbi pro remedio adeſt confeſſio.

§. XXXV.

Chriſtiani ſacramenti ſonus vniuerſum peruadit orbem.

MAre ergo æneum ſuper duodecim boues ponitur, dicente textu, *& ſtabat ſuper duodecim boues*, &c. Quia nimirum totum Chriſti ſacramētum commiſſum eſt duodecim Apoſtolis, vt in totum orbem deferretur. Et cur non magis Aquilis, quàm bobus committitur portandum in orbem myſterium? Quando boum tarditas peruaderet orbem? Non equidem neceſſum erat, vt boues illi Apoſtolici pedibus totum orbem peragrarent, ſed mugitu implerent; ideo ærei facti erant, vt enim æs vocaliſſimum
Num. 21. eſt metallorum, ſic in illo oſtendebatur, quàm latè diffundendus erat Apoſtolicus ſonus. Numer. 21. *Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Cur æneum fecit ſerpentem, & non magis ligneum? Rem tractans D. Auguſt. ſerm. 101. de temp. ait: Quare tamen ſerpens ille, non de auro, aut argento, ſed de æramento fuerit factus, videamus. Hoc mihi videtur, quod duas ſignificationes habere poſſit. Vnam, propter diuturnitatem, quia vaſa ærea durare diutiùs poſſunt. Aliā propter vocis claritatem, nam inter omnia metalla, vaſa ærea maiorem tinnitum edere, & longius ſonare ſolent. *Doctrina non in vna tantùm gente Iudæorum innoteſcere, ſed per vniuerſum mundum claro ſalutiferæ prædicationis ſonitu poterat peruenire: ideo ſerpens ille æneus efficitur, vt doctrina Chriſti in vniuerſo mundo clarius prædicetur, ſecundùm illud, quod de Apoſtolis ſcriptum eſt: in omnem terram exiuit ſonus eorum*, &c. Sic in æris typo oſtendebatur, quàm perſuaſiuius erat orbem mugitus Apoſtolicorum boum.

§. XXXVI.

Munus Eccleſiaſticum, vt in illo labores, non vt in illo delitieris.

NOtanter dicitur de mari æneo, *& ſtabat ſuper duodecim boues, ex quibus tres reſpiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem, & mare ſuper eos deſuper erat.* Itaque duodecim boues humeris mare æneum ſuſtinentes, illud ſupra ſe habebant, vt aliis lauacra præberent; non infra ſe, vt in illius aquis & bibere, & delitiari poſſent. Quò adducen illud obiectum Hebræis
Pſalm. 105. Pſal. 105. *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis.* Apud ſceleſtos illos vitulos erant comedens, & bibēs, apud templū Dei boues erant, nō comedentes, nec bibentes, ſed humeros mari ſuſtinendo præbentes. Quippe in Dei populo, & gloria, & vita perditur, vbi Apoſtolici boues, nimirum viri Eccleſiaſticis muneribus fungentes non humeros præbent, vt ſuſtineant munerum pondera; ſed præbent ora, vt bibant, & comedant, & delitientur de muneribus. De Prophetarum filiis dicitur 4. Reg. 4. *Cumque* 4. Reg. 4.
guſtaſſent de coctione, clamauerunt dicētes: Mors eſt in olla vir Dei. Nec miror, nam viri Eccleſiaſticis addicti muneribus, ſi in illis magis ollam ſpectent, qua veſcantur, & delitientur, non ibi vitam, ſed mortem inuenient. Vt clamet D. Bern. Bernard.
in Declamatione: *Væ, væ tibi clerice: mors in olla. Mors in ollis carnium: mors in huiuſmodi delitiis eſt.* Crede mihi homo, ſi te ad munus Eccleſiaſticum trahit temporalis commoditas, ſi te trahit præcipuè olla, vt comedas, & delitieris, mors tibi certiſſimè in illa olla erit, & damnatio æterna.
Dicebat Ieſus Math. 4. *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores* Matth. 4.
hominum. Sic vocabat homines, vt poſt ſe venirent ad Apoſtolicum munus, liberamque veniēdi poteſtatem faciebat.
Nihilominus ſponſa Cant. 1. adhuc orabat, dicens: *Trahe me,* Cant. 1.
poſt te curremus, in odorem vnguentorum tuorum. Dicebat Ieſus, vt veniret; illa adhuc petebat trahi. Et cur cùm per Deum liceret venire, illa venire nolebat, niſi Deo tracta? Cauebat ſanè in adeundo ſacro munere ab alio, quàm à Deo trahi; ne videretur aliam ibi, quàm Deum ſpectare commoditatē temporalem, quæ eſſet illi lethalis. Ait D. Bern. in Declam. Bernard.
Sponſa neque cubiculum, nec cellam ingredi niſi Rege introducente præſumit, ita irreuerenter irruis nec vocatus, nec introductus? Trahe me poſt te, ait illa, in odorem vnguentorum curremus. Nunc autem, trahit ſua quemque voluptas, & odorem turpis lucri ſectantes quæſtum æſtimant pietatem; quorū certa eſt damnatio. Et quidem, qui in religioſis muneribus præcipuè quæſtum temporalem attendunt, commoditateſque temporales magis colunt, horum non mirer, quòd certa dicatur damnatio. Hi enim non ad Dei imaginem, nec ad boum ſub onere laborantium, ſed ad imaginem vituli comedentis efformantur. Et non dicam vitulum comedentem edi ab iis, qui in muneribus ſacris & quæſtum quærunt, & ollam magis nouerunt ſpectare; Oſtenſæ quondam fuere Ezechieli abominationes factæ in templo Dei ab Iſraelitis, & ait cap. 8. Ezech. 8.
Ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in circuitu per totum. Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael, & Iezonias filius Saphā ſtabat in medio eorū ſtantiū ante picturas, & vnuſquiſque habebat thuribulum, &c. Miraris tantū nefas in templo Dei committi à præſtantiſſimis Iſraelitis adorantibus picturas animalium; ſed vt mirere magis, non minores abominationes, nec minus lethales, qui in Chriſti Eccleſia de muneribus ſacris quæſtum faciunt, non tam in illis attendentes ad onera, & laborēs, quàm ad paſcuam. Pro quo D. Bern. vbi ſupr. *Væ, væ in domo Dei horrendum videmus. Quid ni idololatras miniſtrantes? Mentior, ſi non idolorum ſeruitus auaritia eſt, ſi non quibuſdam etiam venter ſuus factus eſt Deus ſuus. Quod enim quiſque præ cæteris colit, id ſibi Deum conſtituiſſe probatur. Quantus ſanè videmus, qui diligunt munera, ſequuntur retributionem? Quantus, qui Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ventri?* Omnes ij idololatræ ſunt, & cum animalibus pictis, imò cùm vitulo comedente ad Gehennæ lebetes iam pertinent.

§. XXXVII.

Præſtantiſſimis viri facinoribus infirmiora eius debent obtegi, & diſſimulari.

EXpendenda maximè ſunt illa, *& mare ſuper eos deſuper erat, quorum poſteriora vniuerſo intrinſecus latitabant.* Dum mare æneum humeris ſuſtinent pro lauandis ſacerdotibus poſteriora ſua faciunt intrinſecus latitare. Quorſum hæc? Vt videas, quam abſcondi, & diſſimulari debeant infirma quæque in iis, qui magna, & præſtantia facinora in bonum commune faciunt. Non longè ab hac cogitatione Rupert. Rupert.
abeſt, qui in lib. 3. Reg. c. 23. fatur: *Planè & iſtorum boum, iſtorum Chriſti Apoſtolorum poſteriora intrinſecus latitare debent, vt videlicet non reſpiciamus, quid aliquando fuerint, ſed quid per Chriſti gratiam facti ſunt.* Et quidem in omni infirmitatis humanæ culpa, & lapſu ſpectandus eſt homo qualis ſit erga bonum vniuerſale; & occludendi, & diſſimulandi lapſus ſunt in eo, qui multis facinoribus promouet ſalutem vniuerſalem. Nota eſt hiſtoria Ionathæ filij Saul, quando poſt deuictos Philiſthæos, & populum liberatum, ieiunium foliis à parente iuratum, comedens fauum mellis,

quod caſu inuenit in campo. Et vix à Ionatha reſolutum fuit ieiunium,& Deus iram ſuam manifeſtauit, quam vt placaret Saul, Ionatham filium ſuum interficiendum t adit. Quid tuoe populus? Suſtinet Ionatham interfici? 1. Reg. 14. Imò audacter clamat 1. Reg. 14. *Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael? Hac nefas eſt*, &c. Leuior fuerat culpa hominis illius, qui die Sabbathi colligebat ligna; & tamen ductus ad mortem, populum executorem habuit. Num. 15. Ait enim Numer. 15. *Cumque eduxiſſent eum foras, obruerunt eum lapidibus, & mortuus eſt.* Similiter Acham furatus lineam auream, ſententiam mortis incurrit, Ioſue 7. Ioſue 7. *Lapidauitque eum omnis Iſrael*,&c. Et cur in iis peccatoribus, tranſgreſſoribuſque populus tacuit, & tacens illos internecioni dedit, cùm in cauſa Ionathæ maximè aduersùs latam ſententiam mortis clamauerit, & minimè paſſus fuerit eum mori? An quia illi priuati homines erant; Ionathas autem filius Regis,& Princeps regni? Poterat id ſpectare populus, at in re præſenti, non ſpectauit perſonam Ionathæ, ſed merita, & vt vidit ingentem per illum reportatam de hoſtibus victoriam,& obtentam regni ſecuritatem, ſic eius culpam obtexit, & abſcondit, vt minimè videretur dignus morte; ſed magis diceretur dignus gloria. Quò ſpectant illa verba,nimirum: *Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit ſalutem magnam in Iſrael?* Non dicunt, qui filius Regis eſt,qui hæres regni; ſed qui fecit ſalutem magnam in Iſrael; non enim perſona, ſed merita, ſed ingentia facinora præſtita in ſalutem populi faciunt, ne eius humanæ infirmitatis attendantur errores.
Gregor.PP. Ad hæc ait D.Gregor.PP. lib.5. in 1.Reg.14. *Quid eſt ergo, quod dicit, Ergo ne Ionathas morietur, niſi quia alius de eodem culpa moreretur? Quibus nimirum verbis populi nobis oſtenditur virtus magnæ diſcretionis; quia in electorum examine, non ſolùm culparum cauſæ penſandæ ſunt,ſed etiam merita perſonarum. Quia non ideo Ionathas non moritur, quia erat filius Regis; ſed quia in Iſrael magnam ſalutem fecit. Cum ergo magni viri cadunt, communi iudicio trahendi non ſunt:quia priora opera promerentur, vt poſteriorum grauitas leuigetur. Et ad abſolutionem illius,ſanctæ Eccleſiæ lucra penſanda ſunt.* Communis ſemper vtilitas à viri facinoribus orta ſpectata illius debet obtegere infirmitatis lapſus ne ad pœnam cenſeantur.

§. XXXVIII.

Si extremi iudicij ratio attentis oculis inſpiceretur, nullus eſſet, qui vellet in Eccleſia dominari.

SVſtinentium mare boum facies in manifeſto erat; de poſterioribus autem eorum dicit textus: *Quorum poſteriora vniuerſa intrinſecus latitabant.* In quibus putat Rup. agi de poſteritatibus hominis, in ſtricti iudicij ſeueritate: quæ prorſus latet eos,qui in Eccleſiaſticis dignitatibus aſſeruntur. Niſi enim rigor iudicij extremi notus in Scripturis diuinis aduersùs Prælatos,& præfectos in Eccleſia,eos lateret,nullus adeò temerarius eſſet,qui à dominatu, & prælatura non longè diſcederet. Nemo enim dæmonibus ambitioſior eſt, de quibus dicitur, quòd audito nomine Ieſu fugiant vel ab homine iam poſſeſſo. Quod Dominus per-
Marc.16. mittebat,Marc.16. fatus: *In nomine dæmonia eiicient* Dominabantur equidem dæmonia humanorum corporum,quæ vbi nomen Ieſu audiebant, quantocius ab illo dominatu recedebant, non ſuſtinentes amplius in hominis corpore eſſe. Et cur non ferebant eſſe in dominatu humani corporis,vbi audiebant nomen Ieſu? Simul cum nomine Ieſu veniebat illis in mentem ſtrictiſſimus tanti iudicis rigor futurus in vindicta ſumenda de malè adminiſtrata poteſtate; quod attentè perpendebat, nolebant amplius perſeuerare in homine ſubiiciendo, ſed ab illo maximè re-
Tertull. fugiebant. Ait Tertull. in Apolog cap.23. *At quin omnis hæc noſtra in dæmones dominatio, & poteſtas,de nominatione Chriſti valet, & de commemoratione eorum,quæ ſibi à Deo per arbitrum Chriſtum imminentia expectant,Chriſtum in Deo timentes,& Deum in Chriſto.* Expende illa, *commemoratione eorum quæ ſibi à Deo per arbitrum Chriſtum imminentia expectant;* vbi enim vel dæmones coguntur meminiſſe ea, quæ illis iudex, & arbiter Ieſus illaturus eſt,non poſſunt in homine ſibi ſubiecto manere,ſed longè ab illo recedunt. Et erit homo adeò temerarius,& audax,qui non fugiat à dominatu in Eccleſia à filiis Dei regendis, & ſubiiciendis,ſi attentè videat, qualis de iis ratio ex illo per ſummum iudicem Ieſum ſit repetenda? Satius crediderim hoc ſtrictiſſimum, & poſtremum iudicium latere Prælatos, vt ſic inueniantur,qui non refugiant præeſſe. Luc.19. ait: *Vocatis autem decem ſeruis dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.* Luc.19. Et ſimul talenta dedit, & ſimul venturi iudicis memoriam ingeſſit; verùm Ioan.21. ſolùm dicebat Petro, *Paſce agnos* Ioan.21.
meos, paſce oues meas, non addidit illud, *donec venio*; nec memoriam vllam ibi facit extremi iudicis aduentus. Et cur in tradendis talentis ſtatim adiicit memoriam futuri aduentus ad iudicium; in tradendis autem ouibus nullam facit memoriam futuri iudicis,ſed quaſi illam diſſimulat? Talenta ad illa bona pertinent, quæ homo refugere non poteſt; pertinent etiam ad bona naturalia, & ad ea,quæ dantur homini abſque electione ipſius; & ſic nullum eſt inconueniens; imò potiùs conuenientiſſimum eſt, vt cum illis venturi examinis mentionem percipiat. At ouium fidelium paſcendarum munus non niſi volenti committitur? & ideo in tradendo illo, magis diſſimulatur rigor venturi examinis; quis enim attendens ad rigorem illum, quo in Dei iudicio examinandi ſunt paſtores ouium, illud munus acciperet,& non magis refugeret? Forte dæmone peior crederetur,qui claris oculis videns,& attendens ſeueritatem futuri iudicis in exigenda ratione de ouibus ſuis,non conaretur refugere munus illud. Ad hæc pulchrè dicebat D.Chryſoſt. in cat. D.Thom. ad cap.20. Matth. *Pri-* Chryſoſt.
matum Eccleſiæ concupiſcere,nec iuſtum,neque vtile. Nullus ſapiens vult vltrò ſe ſubiicere ſeruituti,& periculo tali,vt det rationem pro omni Eccleſia,niſi forte,qui non timet Dei iudicium,abutens primatu ſuo Eccleſiaſtico ſæculariter,ita vt conuertat illum in ſæcularem. Expende illa, *qui non timet Dei iudicium.* Vbi enim Dei iudicium timori eſt, nemo ſapiens non fugit primatum Eccleſiaſticum.

3. *Regum* 7. Et fecit decem baſes æneas, quatuor cubitorum longitudinis baſes ſingulas,& quatuor cubitorum latitudinis, triũ cubitorum altitudinis. Et ipſum opus baſium interraſile erat: & ſculpturæ inter iuncturas. Et inter coronulas, & plectas, leones, & boues & Cherubim, & inter iuncturas ſimiliter, *&c.*

§. XXXIX.

Correctionis ſeueritas fauoribus eſt circummollienda.

IN primis coronulæ,& plectæ,ſtatim leones, & poſtmodum boues,& Cherubim ponuntur,dum dicit: *Inter coronulas,& plectas, leones, boues, & Cherubim;* duo enim prima ad fauorabilem lenitatem pertinere putat Beda,& ſimiliter duo poſtrema; medij autem leones ſeueritatem prætendebant diſtrictam. Qui enim Eccleſiæ baſes ſunt, eam ſeueritatis diſtrictionem exerant ad corripiendos impios, quæ ante,& poſt multis fauorabilibus appareat ſuperlinita. Sic Angelo Epheſi dicitur Apoc.2. *Scio opera tua,& labo-* Apoc.2.
rem,& patientiam tuam: quia non potes ſuſtinere malos,& tentaſti eos,qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe,& non ſunt,& inueniſti eos mendaces: & patientiam habes,& ſuſtinuiſti propter nomen meum,& non defeciſti. Sed habeo aduersùs te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque vnde excideris; & age pœnitentiam,& prima opera fac,ſin autem venio tibi,& mouebo candelabrum tuum,&c. *Sed hoc habes,quod odiſti facta Nicolaitarum.* Ecce tibi & principium & finis orationis totus ponitur in laude Angeli,ſeu Epiſcopi Epheſi;in medio autem orationis eſt acris eius reprehenſio, & acerbiſſimæ minæ de excludendo, & remouendo eo à dignitate. Sed quando tam acerbè reprehẽditur,cur ſic in principio & in fine laudatur? Eò ſpectauit ſapientia reprehenſoris,vt reprehenſionem ſuam circum molliret fauoribus,& laudibus. Rupert.
lib.2. in Apoc. *Notanda eſt diſpoſitio ſermonis, quàm artificioſa ſit. Et priuſquam emitteret auſteritatem reprehenſionis,quæ laudanda erant,collaudauit,ſcio,* inquiens, *opera tua,& laborem*, &c. *Et* Rupert.
poſt vbi corripuit,atque minas intentauit, rurſus, quod laudandum erat,laudauit,quia, inquit, *facta Nicolaitarum odiſti. Ita reprehenſionis*

ſionis amaritudinem, ne nimis offenderet, atque exterreret, collaudationis dulcedine circumlinuit. Antea coronulas prætendit, & tunc leo factus hominem percuſſit, & tandem nouis laudibus, & plectis vulnera fouit, & circumligauit. Quid ſapientius? Ioan.4. Samaritanam allocutus Ieſus dicebat: Ioan.4.
Bene dixiſti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuiſti & nunc quem habes, non eſt tuus vir. Hoc verè dixiſti. Bis mulieris meretricis verba probat, & laudat Dominus & in fine, dicens: *Benedixiſti.* Et cur Domine ſic neceſſum fuit turpis mulieris verba iteratò laudare? obiecturus mulieri turpitudinem, ab eius inchoauit laudibus, in eis finiuit, ne eius animum nimis acerbaret. Rupert. vbi ſuprà: Rupert. *Antequam diceret, quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt vir tuus. Præmiſit collaudans: Benedixiſti; & poſtquam illi, quod tot viros habuiſſet, expreſſit; iterum collaudans: Hoc, inquit, verè dixiſti. Magnum hoc, & dignè imitandum eſt magiſterium ſpiritus Dei, corripere quidem ea, quæ emendatione indigent, ſed inter corripiendum & prius, & poſterius collaudare, ſi qua benedicta ſunt, quatenus teneatur beneuolus correctus, & non refugiat,* &c. Planè qui baſes ſunt in Eccleſia Dei, vt eius virtutes ſuſteneant, ſic peccatores corripiant, vt correctiones circumlitæ ſint laudibus eorum, quæ bene dicta, ac geſta ſunt; ne magis exaſperent reum, & in peccatis indurent.

§. XL.

Chriſtiana ſacramenta non ſolùm vulneribus medentur, ſed & nos in ſalutem portant.

BAſibus æneis rotæ erant appoſitæ; dicit enim: *Et quatuor rotæ per baſes ſingulas.* Et quæ rotæ? Statim ſubdit: *Tales autem rotæ erant, quales ſolent in curru.* Baſes ergo, quæ luteres pro lauandis victimis ſuſtentabant, rotas habebãt, quales currus habent. Quo manifeſtè inſinuabatur in ſacramentis Chriſtianis, non ſolùm eſſe aquas ſalutares, ſed & currus, quo infirmi, & debiles in ſalutem portantur. Geneſ.46. dicebat Pharao Ioſepho, & fratribus, Geneſ. 46. *Onerantes iumenta ite in terram Chanaam, & tollite inde patrem veſtrum, & cognationem, & venite ad me,* &c. *Præcipe etiam, vt tollant plauſtra de terra Ægypti ad ſubuectionem paruulorum,* &c. Non ſolùm dona ex fructibus terræ mittit, qui non inueniuntur in terra Chanaam; ſed & plauſtra mittit, quæ fortè faciliùs parari poterant in Iacobi familia. Sed bonus Rex, qui optimam terram, & ſalubrem promittebat, & ad illam vocabat; cum donis ſuis, & plauſtra mittebat, oſtendens quòd & de magnificentia ſua procedebat, quòd etiam infirmi & imbecilles traherentur in tantam ſalutem. Hoc in Pharaone magnificum fuit; ſed longe in Chriſto Domino magnificentius inuenitur; cuius ſalutaria ſacramenta, & donis implent humanas mentes, & vulnera curant, & currus ſunt, qui nos portant in viam. Pro quo aiebat Guerric. Guerr. Abbas ſerm. 2. de Reſurrect. *Vt enim nec Iacob nec aliquis de domo Iacob ſe excuſaret à via, præter alia munera miſſa ſunt pauperi ſeni ſumptus, & vehicula, ne quis videlicet, aut paupertatem cauſaretur, aut infirmitatem: ita caro Chriſti tibi viaticum, ſpiritus vehiculum. Ipſe eſt cibus, ipſe currus Iſrael, & auriga eius.* Inuenies, mihi crede, in ſacramentis Ieſu, quo mundèris, quo reficiaris, & præterea inuenies vehiculum quo in ſalutem feraris. Non eſt cur in ripa hæreas piſcinæ ob portatoris defectum ad ſalutares aquas; tibi Chriſtianæ piſcinæ, vt medelam propinant; ſic & currus & aurigam offerunt, quò ocyſſime in ſalutem feraris. Luc.10. Samaritanus ille Chriſti typus vt vidit hominem à latronibus percuſſum, & ſemiuiuum relictum, miſericordia motus eſt, Luc. 10. *& appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in iumentum ſuum duxit in ſtabulum.* Ecce tibi inter tot dona infirmo exhibita, & illud addidit quòd iumentum ſuum appoſuit, vt portaretur infirmus. In oleo, & vino ſacramenta Chriſtiana agnoſco; iumentũ autem ad portandum vnde potuit venire: Ait D. Aſterius Aſterius. in cat. Græca D. Lucæ: *Quid autem eſt iumentum, quo ſemiuiuum, ac animam agentem ad hoſpitium ſaluator deduxit, niſi caro in qua ad nos venire dignatus eſt, quæ fuit quaſi vehiculum quoddam, aut diuini Verbi iumentum, in qua, & per quam omnia ſuſtinens ad Eccleſiam deduxit,* &c. Vna caro Chriſti in ſacramentis exhibita & pro medela, & pro vehiculo eſt, quo ferimur in domum ſalutis, & vitæ.

§. XLI.

Dei miſericordia in nos moras abrumpit, præueniens nos.

LVteribus, ſeu lauacris ſuſtentandis baſes appoſitæ rotas habebant, iuxta illud: *Et quatuor rotæ per baſes ſingulas,* ne crederentur ſacramenta Chriſtiana immobilia expectare accedentem, ſed magis ad eum currere, imò & occurrere, & præcurrere venienti. Pſalm.31. *Dixi, Confitebor aduerſùm me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Nondum confitebatur delicta ſua; ſed tantùm animo ſuo decreuerat illa confiteri; & ecce quòd confeſſio facere ſolet in peccatis tollendis, iam dicitur factum vel ante confeſſionem. Proh efficacia Chriſtiani ſacramenti! Ante effectiuam ſuſceptionem, in voto ſolo exiſtens ſolet iam præſtare ſalutis effectum. Huc ſpectans Guerricus Abbas ſerm. in Sabbat. 2. Quadrageſ. ait: Guerr. *Ille tam grauiter reus, nondum confeſſus erat, ſed tantùm confiteri deliberauerat: nondum ſatisfecerat, ſed tantum ad ſatisfaciendum animum inclinauerat: & de ſolo ferè propoſito concepta humilitatis veniam ſtatim obtinuit, quæ tanto tempore, tantis expetitur votis, imploratur lacrymis, ambitur obſequiis. Latronem in cruce ſola confeſſio abſoluit, illum ſola voluntas confitendi. Dixi, inquit, confitebor aduerſùm me iniuſtitiam meam, tu remiſiſti impietatem peccati mei. Vbique miſericordia præuenit. Præuenerat voluntatem confeſſionis, ipſam inſpirando, præuenit & vocem confeſſionis, quod confitendum erat indulgendo.* Non hærent immota Chriſtiana ſacramenta, vt non niſi de facto accedenti dona præbeant. Imò cum primum debitè diſponis accedere, tam te præueniunt, & occurrunt donis ſuis accedere decernenti. Non patitur enim miſericors Deus in miſeriis videre filium, conantem iam debitè exire de miſeria, & ideo magis moras abrumpit, vt occurrat venienti. Prodigus ille meditatus ſingula confeſſionis verba, in via iam erat. Quid tunc? Ait Lucas cap. 15. Luc. 15. *Cùm adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & occurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Expende illud, *occurrens,* non expectauit immotus accedentem; ſed ipſe præcurrit, & ſaluauit eum. Vt dicat Guerricus Abbas vbi ſuprà: Guerr. Abb. *Quantum videntur hæc verba, tardius videbatur patri, filio veniam dediſſe, quàm illi accepiſſe. Sic feſtinabat abſoluere reum à tormento conſcientiæ ſuæ, quaſi plus cruciaret miſericordem compaſſio miſeri, quàm ipſum miſerum paſſio ſui.* Feſtinat equidem Deus donis ſuis ad nos magis, vt non acceſſuros expectet, ſed occurrat accedere decernentibus. Neſcit enim non rapi affectu, vt præueniat nos in benedictionibus ſuis. Quod maximè patet in ſacramentis chriſtianis, quæ ſuis donis occurrunt, vt homines ſaluent. De nuptiis Cana locutus Ioann. cap. 2. ait: Ioan. 2. *Erant ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum.* Sex lapideæ hydriæ immobiles hærebant loco. Sed & petra fuit in deſerto, quæ aquam dedit populo, de qua ait Paul. 1. ad Corinth. 10. 1. Cor. 10. *Bibebant de ſpiritali, conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Compone petreas illas hydrias cum petra hac, in vtriſque aqua erat. Sed illæ immotæ ſtabant; hæc populum conſequebatur. Nec miror; illæ enim ſecundùm Iudæorum Purificationem erant? hæc autem petra Chriſtus erat, cuius ſacramentorum proprium eſt, non immobilia eſſe, ſed magis occurrere, vt ſaluent. Ait D. Ambroſ. Ambroſ. lib. 5. de Sacrament. cap. 1. *Bibebant autem de conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Non immobilis petra, quæ populum ſequebatur. Et tu bibe, vt te Chriſtus ſequatur.* Hæc ſunt Chriſti Domini ſacramenta, quæ etſi petræ habeant firmitatem, non habent immobilitatem, imò mobilia ſunt vt accedentibus occurrant, & populum conſequantur, & ſuſcipientes ſequantur, vt parati ſint nobis eorum gratiarum riuuli.

§. XLII.

Peccata commiſſa licèt ſemel, & iterum ad confeſſionem deducta, ſemper ſunt metuenda.

SVper decem baſes totidem luteres, ſeu lauacri vaſa fecit conſtitui; dum ait: *Fecit quoque decem luteres æneos: quadraginta batos capiebat luter vnus,* &c. Qui luteres pro lauandis

victimis conſtituti vnà cum mari æneo ſacramentum Pœnitentiæ referebant Riberæ noſtro lib. 5. de templo c. 19. Et mirabar, quòd pro vno ſacramento Pœnitentiæ repræſentando & mare æneum, & tot luteres in baſibus ſuis ponerentur At quid tot lauacra, tot luteres? Nonne ſufficeret ſemel, & in vno lutere, ſeu mari lauaſſe? Cur præterea tot luteres adduntur? Habent hoc maculæ, quæ in ſacramento Pœnitentiæ abluuntur, quòd & bis, & ter, & ſepties, & ſeptuagies ſepties pœnitentiæ lauacra repetant; nunquam enim de illis ablutis debet homo adeò eſſe ſecurus, vt non magis timeat ab illis ſuæ ſaluti, & noua ſemper lauacra pro illis abluendis requirat. Quo ſpectans Eccleſiaſticus cap. 5. ait: *De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu.* Circa quæ Carthuſ. *Non permittas tibi periculoſam ſecuritatem de hoc, quod peccata tuo ſint tibi remiſſa, ſed metue inde. Quia etſi confeſſus ſis, ignoras tamen an ex vera contritione.* Nunquam ſecuros ſis, etſi peccatum tuum confeſſus fueris; ſed magis inde time, & ne cauſeris iterum, & iterum illud, ad lauacrum adducere, quaſi nunquam tuæ ſaluti ab illo non metuas. Sorte diuina deprehenſus Ionathas Saulis filius, tanquam reus ieiunij violati, ſic coram patre peccatum ſuum confitebatur 1. Reg. 14. *Guſtans guſtaui in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.* Confeſſus commiſſum ſuum, & poſt tantam confeſſionem, adhuc timet ſibi à pœna mortis peccanti debita, dum ait: *Et en ego morior.* Sic ſic viri iuſti & poſt peccati confeſſionem adhuc ſunt in timore. Vt dicat D. Gregor. PP. lib. 5. in 1. Reg. cap. 4. *Quid eſt poſt peccati confeſſionem dicere: Morior, niſi mortem à ſe pœnitendo & confitendo expellere, & expulſam timere? Quod quidem proprium eſt electorum, qui peccata ſua deſerunt, & tamen hæc quaſi non deſerta pertimeſcunt. Et quidem puris confeſſionibus & auſteris pœnitentiæ cruciatibus delent, ſed quaſi non deleta vehementer timent.* Quid ſapientius? Debent nobis peccata ſemper eſſe timori, quantumuis videantur expiata per ſacramentum confeſſionis; & ſic illa ſemel & ter ad nouam trahi confeſſionem, quaſi adhuc ſint in ſuo damnabili vigore. Quò ſpectans Eliſæus monebat leproſum Regis Syriæ 4. Regum 5. *Lauare ſepties in Iordane*, vt oſtendat, quàm ſæpe iterare debeat lauacrum pœnitentiæ, quiſquis ſaluti ſtudeat obtinendæ. Ex quo dicebat Guerricus Abb. ſer. 4. de Epiphan. *Proh dolor, quanta eſt huius miſeria temporis, quia non ſolùm diuites, ſed etiam pauperes leproſi, ita inueniuntur delicati, vt vix vſque ad talos ſalubribus intingi patiantur aquis, aut ſi ſemel lauerint, mox ſibi pleniſſimè videantur mundati. At Eliſæus non ita ſentit, ſed ſignanter exprimit, ſepties lauare, & mundaberis*, &c. *Si tamen ſepties lauat, totumque ſe pleniùs, & ſæpiùs mergat, non mutatur effectus ſalutis fidem prophetico facere ſermoni.* Expende ſignum hominis de ſalute ſuſpecti, nimirum: *Si ſemel lauerint, mox ſibi pleniſſimè videantur mundati*; qui vna confeſſione contenti, ſecuriſſimi manent de peccato propitiato. Sed & aliud eſt ſignum hominis ad ſalutem feſtinantis, nimirum illud: *Totumque ſe pleniùs, & ſæpiùs mergat*, vix fieri poteſt vt è toties iterata merſione non ſanus euadat.

Eccli. 5.
1. Reg. 14.
Greg. PP.
4. Reg. 5.
Guerr.

§. XLIII.

Quæ per homines electio adminiſtratur, numquam non capit dignos, & indignos.

ILlud mirabar, quod de decem iis luteribus ait, nimirum: *Et conſtituit decem baſes, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad ſiniſtram*, &c. Et quando ij luteres, ſiue lauacra poſita erant ad ſacramenta chriſtiana repræſentanda, cur quinque illorum in ſiniſtra ponuntur. Nonne ſacramenta Chriſti nos ad dexteram ducunt? Quid eſt, quod etiam in illis ſiniſtrum aliquid capiatur? Equidem ſacramenta ex ſe pro dextris tantùm conſtituebantur, at dum in hoc ſæculo per homines adminiſtrantur, non poteſt fieri, quòd etiam ſiniſtris non communicentur. Nihil enim inuenies in hoc ſæculo per homines adminiſtratum, quod dextros, & ſiniſtros non capiat. Conceperat ſanctiſſima Rebecca ex ſanctiſſimo Iſaac, & cùm nimis vtero grauaretur, dictum eſt illi Geneſ. 25. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo.* Ex vxoribus ſanctorum Patriarcharum ſola Rebecca duos filios ſimul in vtero habuit, Iacob, & Eſau, quorum alter eligendus, alter erat reprobandus. Et cur in hac fœmina inueniri voluit Deus ſimul electi filij, & reprobi conceptum? In illa Eccleſia militans adhuc ex hominibus viatoribus conſtituta exprimebatur, quod autem ex hominibus ſit, & bonos, & malos capit. Ait Guerricus Abb. ſerm. 3. de Annunt. Dom. *Grauida eſt, ô fratres, Eccleſia, non ſicut Maria ſola Ieſu, ſed ſicut Rebecca Iacob, & Eſau; non ſolum ſcilicet bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis, & indiſciplinatis, quos tamen ipſos propter nomen Ieſu, vel forſitan aliquod initium ſubſtantiæ eius, Eccleſiæ viſcera ſuſcipiunt, & amplectuntur.* Equidem dū ſumus in hoc mūdiali ſtatu, & res per homines adminiſtrantur, nequit fieri, vt vel à ſanctiſſimis mali, & improbi admittantur, & etiam ad præſtantiſſima quæque eligantur. Matth. 23. *Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Quam, cùm impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt.* Erant igitur in ſagena illa cœleſti, mali, & reprobi. Et qui fieri potuit, vt ſagena illa non magis à ſe arceret malos? Ait Theophylact. *Sagena illa eſt doctrina piſcatorum Apoſtolorum, quæ ex miraculis, & Prophetarum vocibus connexa eſt. Hæc igitur ſagena ex omni genere congregauit Barbaros, Græcos, Iudæos, meretrices, publicanos, latrones*, &c. Vbi autem per homines Eccleſia fundabatur, licèt ſanctiſſimi eſſent, & Apoſtoli Chriſti, non potuerunt euitare, quin multos indignos, & reprobandos caperent, & ad celſiſſimas functiones eleuarent. Non eſt hominis in hac vita degentis, ſolos bonos, & dignos admittere, & capere. Apocal. 7. *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* Ecce tibi vnus eſt, qui audet deſignare electos homines, ne cum malis, & reprobis inuoluantur. Et cur Domine vni tradis hoc munus deſignandi electos tuos? Vnus nonne facilè falletur, & pro electis reprobos deſignabit? Id faceret, ſi homo eſſet deſignator ille, at Angelus eſt, qui ſolus poſſet dignos, & merentes deſignare. Ait Guerricus Abb. ſerm. 2. in Dom. in Ramis: *Iam non arbitrio hominum, ſed iudicio, & miniſterio Angelorum ſignabitur Tau ſuper frontes virorum, vt diſcernantur ſaluandi à multitudine reproborum.* Expende illud, *non arbitrio hominum*, quippe ſi hominis arbitrio fieret diſcretio, & deſignatio ſaluandorum, vel ſceleſtiſſimi poſſent ſperare ſe ſublimandos in ſuprema loca. Ideo deſignatio, quæ non admittat immerentes, neque indignos, Angelo committitur, non homini. Vide namque vniuerſas electiones, & promotiones factas ab hominibus, & fallar ſi pro maiori parte admiſſi non ſint indigniſſimi omnium.

Geneſ. 25.
Guerr. Ab.
Matth. 23.
Theophyl.
Apoc. 7.
Guerr. Abb.

§. XLIV.

A chriſtianis ſacramentis animalis homo Angelis æquatur.

ILlud in calcem huius capitis reſeruaui, quod ſæpe in cælaturis baſium repetitur, nimirum, quòd ibi eſſent *leones & boues, & Cherubim*; vel ſi mauis, iterum inuenies, *Cherubim, & leones, & palmas*, &c. Et mirabar, quòd in cælaturis baſium luteres ſuſtentantium, ſemper repræſentarentur adeò fera animalia Cherubinis ſociata. Sed vnde certius, quàm è Chriſtianorum ſacramentorum baſibus hæc ſocietas, imò & vnitas naſcatur animalis, & Angeli? vt totum illud opus ad luteres, ſeu lauacra pertinens Chriſtiana ſacramenta, eorumque effectus repræſentabat, ſic non mirandum eſt, quod feriſſima quæque animalia oſtentet Angelis ſociata. De ſacramentis enim Chriſtianis venit, quod vel efferus, & animalis homo abeat in Angelum. Hinc de Sacramento Baptiſmi agens Diuo Zeno lib. 3. ſermone 24. ait: *Cum omnium aquarum natura ſit talis, vt cum in profundum homines ſuſceperit viuos, euomat mortuos, aqua noſtra ſuſcipit mortuos, & euomit viuos; ex animalibus vero homines ſoliti, ex hominibus in Angelos tranſituros.* Equidem hoc præſtant ſacramenta Chriſtiana, quòd animalis homo poſſit tranſire in Angelum, & cœleſtibus ſpiritibus ſociari. Marc. capite 1. dicebat: *Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei. Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*, &c. De Ioanne Chriſti præcurſore mittendo locutus Iſaias illum vocat Angelum,

Zeno.
Marc. 1.

Et

Digitized by Google

Et cur Ioanoes intelligitur à Marcn in Angeln? Ipſe præmittebat cauſam, aiens: *Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia*, &c. Quaſi & Euangelium, & ſacramenta Ieſu hoc initiarent io mundo, quòd homines cenſerentur inter Angelos, & qui antea indomita, & effera erant animalia, iam crederentur Angeli, & miſcerentur Angelis. Vt dicat D.Chryſolog. ſerm.89. *Cùm Chriſtus Deus naſceretur in carne Ioannes Angelus eſt generatus in terris, vt ita officia terrena officiis ſe cœleſtibus miſcerent.* De Chriſti Domini aduentu, & gratia venit, quòd terrena, & cœleſtia animalia, & Angeli io ſocietatem, imò in vnitatem abeant. Paulus 2.ad Corinth.12.de ſe dicebat: *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim; (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit) raptum huiuſcemodi vſque ad tertium cœlum*, &c. Dum adhuc in tertis erat, iam quaſi ſpiritus verſabatur in cœlis, & in quo hæc pateiat animalis homn; Ipſe ait: *In Chriſto*, poſt indutum Chriſtum ſic profecit, vt Angelicas perfectiones ſupergrederetur. De illo ſapienter D.Chryſoſt.homil. 2 in eius laud. *Paulus in terra gradiens ſic ſe agebat in cunctis, quaſi Angelorum ſocietate frueretur. Nam paſſibili adhuc colligatus corpori illorum perfectione gaudebat, tantiſque fragilitatibus ſubditus in nullo inferior ſupernis virtutibus apparere certabat. Nam & tanquam pennatus totum docendo peruolauit orbem, & velut incorporeus labores omnes, periculáque contempſit; & quaſi iam cœlum poſſidens cuncta prorſus terrena deſpexit, & tanquã cum ipſis iam incorporeis degens, ita mgi mentis intentione vigilauit.* Sic homo antè animalis, & ferus, qui tanquam leo rugiens Chriſtianos vorabat, modò poſt Chriſti lauacrum in Angelum fuit mutatus. Imò, vt plus dicam, factus eſt ſuperior Angelis. Pergit namque ibi Chryſoſt. *Angelis quidem ſæpè diuerſarum gentium cura cõmiſſa eſt, ſed nullus illorum ita creditum ſibi populum gubernauit, vt Paulus vniuerſum gubernauit orbem*, &c. *Michaeli gens commiſſa eſt Iudæorum: Paulo verò terræ, ac maria, atque vniuerſa orbis habitatio, ipſumque deſertum, & hoc non ad iniuriam, quod abſit, Angelorum; ſed oſtendimus eſſe poſſibile illis hominem copulari, iuxtaque illorum merita conſiſtere.* Sic ibi.

Chryſol.

2.Cor.12.

Chryſoſt.

Chryſoſt.

CAPVT XI.

Dedicatio templi.

TEXTVS HISTORIA.

PRAECELLENTISSIMVM templum Hieroſolymis à Salmnne erectum ſeptennio ſaxorum magnitudine, metalli ortore, venuſtate operis, gratiæ pulchritudine non parum dehnoeſtabat ſeptem miracula orbis. Splendidiſſimn plenum erat vaſorum ornatu, ſed adhuc vacuum religione; quam illi intulit, menſe Ethanim, immenſus à Rege enactus & Principum conuentus, & populi. Non ſic malus inter ligna, vt Salomon præeminebat inter procerum turbas, quæ Regem nubili ſequebantur pompa. Tunc tubæ, & organa, & pſalmi populares demulcent, & Dei extollunt honorem. Iam ſacerdotum chorus religionem halabat; poſt quos ipſa religio in arca fœderis, in tabernaculo, in vaſis Sanctuarij implebat mortalium corda. Tandem ingens Leuitarum multitudo pompæ finem ſpecioſum imponit. Spatia procedẽtibus ſignabantur, quibus iantiſper ſubſiſterent, vt mactandis victimis, faciendiſque ſacrificiis daretur locus. Vt autem ad templum ventum eſt, arca Domini, in qua legis tabulæ claudebantur, ſub alis Cherubim ſanctiſſimi ſtatuitur in loco. Omnia ſtatim templi caliginoſa nebula opplentur, putares inibi cœli formam, cum nubibus ſuæ aperire pulchritudinem gloriæ A nebula Salmnon inhabitantis Dei templum concepit opinionem, & ſuggeſtu conſcenſo, popularibus ſignificauit totum ſanctiſſimi proceſſum operis. Vt à ſe perfectum ſtabat templum Deo, quod pater Dauid tot conceptis optauerat votis. Rurſus expanſis manibus in cœlum, flexiſque genibus, largè orat, miratus Deum immenſum voluiſſe inhabitare ſub operibus hominum. Nec leuiter tranſcurrit, pro quibus ſuns exaudiri amet in templo; nimirum prò reditu in patriam ex bello, pro pluuia, pro auertenda fame, pro depellendis morbis, pro victoria pro exuenda captiuitate, ad quæ referuntur penè humana commoda. Quorum interpretatione non ſolùm gaudeant qui corporaliter templi limina tererent, ſed & qui longè poſiti ad locum templi conuerterint oculos. Inſuper & ipſi alienigenæ tanti Sanctuarij fruantur commodis. Hæc omnia firmiſſimè credit obuentura ex relatis antiquis à Deo in populum perfectis donis. Denique ſtans placidiſſimè tribus alloquitur, multiſque hoſtiis cæſis dimittit concionem.

MORALIA IN TEXTVS litteram.

IN mentem venit illud Ioſephi aſſertum, quòd *neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus laſſitudo oborta eſt, dum ad templum peruenirent.* Ne credam me laſſari poſſe, dum huc peruenio, vt tanti celebrem templi myſteria.

3.*Regum* 8. Tunc congregati ſunt omnes maiores natu Iſraël cum Principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Iſraël ad Regem Salomonem in Ieruſalem, vt deferrent arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid, id eſt, de Sion. Conuenitque ad Regem Salomonem vniuerſus Iſraël in menſe Ethanim in ſolemni die, ipſe eſt menſis ſeptimus. Veneruntque cuncti ſenes de Iſraël, & tulerunt arcam, *&c.*

§. I.

Tota regnorum fortitudo ex religione.

COnueniunt vniuerſi Iſraelitæ cum Rege ſuo Salomone, vt templum Deo conſecrent, & arcam Domini in eo reponant. Quarum feriarum tempus non otioſè à texto ſacro notatur, cùm ait: *Conuenitque ad Regem Salomonem vniuerſus Iſrael in menſe Ethanim*, &c. Menſis autem Ethanim idem eſt, ac menſis fortium. Nec immeritò templi dedicatio, & arcæ Domini collocatio ab Iſraele & Salomone peragitur in menſe Fortium, nulla enim regnis notior fortitudo eſt, quam quæ venit ex religione. Quò adducor D.Fulg.lib.de verit.prædeſt.& gratiæ. relatum in Concil. Pariſienſ.lib.2.cap.1.in 1 tom.conc. vbi ſic: *Clementiſſimus quoque Imperator non ideo eſt vas miſericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit, ſed ſi Imperiali culmine recta fide viuat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis, ſanctæ religioni ſubiiciat*, &c. *Si præ omnibus ita ſe ſanctæ matris Eccleſiæ meminerit filium, vt eius paci atque tranquillitati per vniuerſum mundum prodeſſe ſuum faciat principatum. Magis enim Chriſtianum regitur, atque propagatur imperium, dum Eccleſiaſticæ ſtatui per omnem terram conſulitur, quàm cum in parte quacumque terrarum pro temporali ſecuritate pugnatur.* Expende ab illis, *magis enim Chriſtianum propagatur imperium, dum Eccleſiaſtico*, &c. quippe non ſic exercituum numerus, non ſic militum, ducúmque dexteritas, non ſic præliorum, pugnarúmque aſſiduitas roborat imperium vt inuincibile ſit, vt longè, latéque extendat fines ſuos? vt illud firmat, & roborat religio. Crede mihi nunquam clariorem fortitudinem Princeps ſuo imperio addit, quàm vbi quæ ad Eccleſiã Dei, cuíuſque religionem pertinent, reuerenter tractat. Conuenerant aliquando Iſraëlitæ in Maſphat, vt ibi rem religionis agerent, irreligioſitatem ſuam flerent, Deo ſacrificarent. Quos dum inermes vident, & religioni vacare, aggreſſi ſunt Philiſthiim valida manu. At mentita eſt iniquitas ſibi, & quos putauit infirmos, adeò inuenit roboratos, vt tonante cœlo, & terra tremente compulſi fuerint Philiſthiim fugere ab eorum

Folgeot.

1.Reg.7. facie. Quid tunc? Ait text. 1.Reg.7. *Egreſſique filij Iſraël de Maſpha perſecuti ſunt Philiſthæos, & percuſſerunt eos vſque ad locum, qui erat ſubter Bethchar. Tulit autem Samuel lapidem vnum, & poſuit eum inter Maſphath, & inter Sen, & vocauit nomen loci illius, lapis adiutorij.* Ioſephus legit, *Fortitudo*, ſeu, *Fortes*. Et vnde tanta fortitudo accidit hominibus inermibus, niſi ex ſacrificiis ibi exhibitis Domino, & iurata religione? Rem ſic exprimit Ioſephus lib.6.cap.2. *Cùm populus votis, & ſacrificiis operam daret, magnamque religionem, & cultus diuini curam præſeferrent*, &c. *Samuel edixit, vt conuenirent in oppidum Maſphatim; ibi hauſta aqua Domino libauerunt*, &c. *Ille iubet eos ſecuro eſſe animo, & mactata agno lactente*, &c. *priuſquam totam hoſtiam flamma abſumeret, nondum ſacro peracta, hoſtis in conſpectu aciem explicat, rem factam ſe habere putans, interceptis Iudæis imparatis ad pugnam, & tantum non inermibus. At longè aliter accepti ſunt. Primum enim terra intremuit; deinde fulminibus crebris attoniti in fugam ſpem totam ponebant. Cùm ſubitò Samuel in perturbatos irruit, cæſiſque plurimis, & fixo ibi ſuæ victoriæ termino, qui trophæi vice eſſet, appellauit eum Fortes, in ſignum donatæ à Deo in hoſtem fortitudinis.* Quid pulchrius? Ecce rei initium, nimirum: *Cùm populus magnam religionem, & cultus diuini curam haberet*; iuſſu Prophetæ in Maſphat conueniunt ſacrificaturi, vbi inermes ab armatis hoſtibus appetiti, eos percuſſerunt, & fugauerunt. Et in victoriæ ſignum erectus lapis fuit, quem vocarunt *Fortes*: numquam enim ex religione, & ſacrorum cultu non implentur fortitudine etiam nudiſſimi, qua hoſtes expugnent. Quò ſpectans Dominus Ezech.24. dicebat: *Ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & deſiderium oculorum eorum, ſuper quo requieſcunt animæ eorum*, &c. Templum vocat fortitudinem Iudæorum, cuius religione adeò fortes erunt, vt niſi ab illa deciderent, omnibus ſuis hoſtibus eſſent pauori.

Ioſeph.

Ezech.24.

§. II.

Templorum ædificator & ſe & alios in viam trahit ſalutis.

FEriæ erant dedicationis templi nuper ſtructi, & totus concurſus populi dicitur veniſſe ad Salomonem; ait enim: *Conuenitque ad Regem Salomonem vniuerſus Iſraël*, &c. Vt enim Salomon erat, qui templum ædificauerat, ſic ea ratione ad illum vniuerſi veniſſe dicuntur, vt qui ædificato templo, & ſe, & omnes in ſalutis viam deducebat. Habent enim hoc templorum ædificatores, quòd ſibi & aliis ſalutis viam oſtendant. Quò adduxerim pulcherrima carmina, quæ circa hanc rem dixit Venant. Fortunatus Leontio Epiſcopo.

Fortunat.

Ecce beata ſacræ fundaſti templa Mariæ,
Mox vbi victa fugit ſemper habenda dies,
Lumine plena micans imitata eſt aula Mariam,
Illa vtero lucem clauſit, & iſta diem.
Qui loca das populis vbi Chriſtum iugiter orent
Vnde ſalus veniat, te facis eſſe viam.
Feciſti vt libeat cunctis huc currere ciues,
Et domus vocet, quidquid in orbe manet.
O felix cuius ditat pia templa ſimultas,
Cui res iſta magis non peritura manet.
Et data res vnit, facit & bene viuere dantem,
Cum moritur terris, ducitur inde prolis.

Expende illud, *vnde ſalus venit, te facis eſſe viam*, equidem dum te ædificatorem templi facis, ſimul & te facis eſſe viam ſalutis multis. Geneſ.28. *Iacob tulit de lapidibus, qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo dormiuit in eodem loco. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes*, &c. Lapidem ſibi dormituro adhibuit Iacob, & ecce patuit ſcala ad cælum, & Angelorum concurſus in ea, & porta patentiſſima cæli. Quid fiet ei, qui non lapidem dormituro, ſed multos lapides componit vigilaturis Deo? Planè quot lapides apponis templo conſtruendo, in quo vigiliæ fiant Deo, tot ſcalas, tot tritiſſimas vias, tot portas cæli oſtendis apertas, quà Angeli facti homines ad cœleſtia euolent.

Geneſ. 28.

3. *Regum* 8. Rex autem Salomon & omnis multitudo Iſraël, quæ conuenerant ad eum gradiebantur cum illo ante arcam, & immolabant oues, & boues abſque æſtimatione, & numero. Et intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum ſubter alas Cherubim. Siquidem Cherubim expandebant alas ſuper locum arcæ, *&c.*

§. III.

Maxima omnium lætitia ab vno Ieſu.

VIde Salomonem gradientem ante arcam, ſed non ſaltantem, vt ſaltauit pater eius Dauid. Dicit enim de Salomone præſens textus: *Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſraël, quæ conuenerant ad eum, gradiebantur cum illo ante arcam.* De Dauide autem in ſimili pompa dicit 2. Regum 6. *Dauid percutiebat in organis armigatis, & ſaltabat totis viribus ſuis ante Dominum, porrò Dauid erat accinctus Ephod lineo. Et Dauid, & omnis populus deducebat arcam*, &c. Vtrobique arca deferebatur magna pompa, nec minori lætitia populi, & Regis. Sed in Dauide eò proceſſit magnitudinis lætitia, vt hominem faceret nudari purpura, & ante arcam totis viribus ſaltare. Non ſic in Salomone, qui etſi lætus, & gaudens cum populo ſuo præcedebat arcam, non ſaltabat ante illam. Et cur non fuit in Salomone tanta lætitia, quæ hominem faceret ſaltare ante arcam, vt Dauid ſaltauit? Cauſam mihi indigitant ipſiſſima verba textus, quæ de Salomone ſolùm dicunt, quòd *gradiebatur ante arcam*; de Dauide autem dicit: *Saltabat totis viribus ante Dominum.* Porrò & greſſus Salomonis, & ſaltus Dauidis erant ante arcam, ſed de Dauide ſingulariter dicuntur ſaltus eius fuiſſe *ante Dominum*, quaſi Dominus, qui in arca repræſentabatur, ſeſe magis Dauidi inſinuaret, & peculiari modo eius præcordia tangeret; ex quo non mirer, quòd maiori impleretur lætitiæ abundantia vſque ad edendos ſaltus. De ſolo enim Domino Ieſu ſumma, & perfecta lætitia poteſt emanare. Elizabeth in vtero habens Præcurſorem excepit domi ſuæ Mariam viuidiſſimam diuini nobiſcum fœderis arcam. Quid tunc? Ait illa Luc. 1. *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Ecce tibi ad præſentiam Mariæ, quæ vera erat arca humani diuiniq; theſauri dicitur Ioannes in gaudio exultaſſe, & non dicitur Elizabeth exultaſſe. Et quidem facilius poſſet Elizabeth plauſibus, & ſaltibus oſtendere lætitiam conceptam de Mariæ præſentia, quàm Ioannes, qui vinculis materni vteri tenebatur. Nilominus Elizabeth non exultat, & exultat Ioãnes. Et cur Ioannes magis lætus exultat, quàm Elizabeth mater eius? Ioanni ſingularius ſeſe inſinuabat Dominus Ieſus exiſtens in Mariæ vtero, ex quo illi obueniebat lætitia maior vſque ad ſaltus. Beda ibi; *Vide diſtinctionem. Vocem prior Elizabeth audiuit, ſed Ioannes prior gratiam ſenſit. Illa naturæ ordine audiuit, ſed Ioannes exultauit ratione myſterij. Illa Mariæ, iſte Domini ſenſit aduentum.* Expende cauſam, ob quam exultauit Ioannes, & non exultauit Elizabeth; nimirum ait: *Illa Mariæ, iſte Domini ſenſit aduentum*; non tam Ieſus, quàm Maria pulſabat Elizabetham: at Ioannem Ieſus mouebat, ex quo vno & maior, & præſtantior ad nos poteſt peruenire lætitia. Crede mihi, nulla creatura, nec Sancti, nec Angeli, nec Maria tantam poſſunt inferre lætitiam humano cordi, vt ſolus Ieſus poteſt. Miro hæredis deſiderio affectus Abraham excepit tres Angelos domi ſuæ, qui hoſpitij gratiam referentes dicunt ei Geneſ.18. *Habebit filium Sara vxor tua. Quo audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi.* Et Abraham, & Sara audiunt nuntium de habendo filio; & non Abraham, ſed Sara riſit. Et cur potiùs Sara in tali nuntio tanta perfuſa eſt lætitia, vt rideret? An illi præcipuè tunc inſinuatum aliquid expreſſius fuit de Ieſu Dei filio? Ait D.Ephrem ſer. in Abraham, & Iſaac: *Non propter Iſaac riſit Sara, ſed propter natũ ex Maria Virgine. Et ſicut Ioannes exultauit in vtero, ita & ſuo riſu Sara gaudium ſignificauit.* In ea fuit vera, & grandis lætitia, in qua ex Maria natus Ieſus præmonſtrabatur, quem vt oſtendebant ſaltus Ioannis, ſic riſus Saræ. Non enim filij dulciſſimi, & optatiſſimi ſic implent parentes gaudio, vt vnus Ieſus

2.Reg.6.

Luc.1.

Beda.

Geneſ.18.

Ephrem.

Ieſus Mariæ filius ſcit homines ſuos in gaudia trahere. Sic nobis præ oculis vnus Ieſus, & fallar, niſi eo gaudio impleamur, quòd in nobis abſorbeat omnes cauſas triſtitiæ. Gen. 45. Nota eſt illa Iacobi vox Geneſ. 45. *Sufficit mihi, ſi Ioſeph filius meus viuit.* Quam ſic in Ieſum transfert Guerric. Guerricus Abb. ſerm. 1. de reſurr. Chriſti: *O vocem fidelem, & planè dignam amicis Ieſu! Sufficit mihi, ſi Ieſus viuit. Quid mihi deeſſe poterit, ſi Ieſus viuit? Imò deſint omnia alia, nihil intereſt mea; dummodo Ieſus viuat. Cum ſic amor Chriſti totum abſorbuerit affectum hominis, vt immemor ſui, non niſi Ieſum Chriſtum, & ea, quæ ſunt Ieſu Chriſti ſentiat. Huic vtique qui ſic affectus eſt, non eſt onoroſa paupertas, iſte non ſentit iniurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat, imò nec mori ſe putat, cùm magis de morte ad vitam tranſire ſe ſciat.* Et mœror malorum omnium & paupertatis, & iniuriarum, & mortis funditus abſumitur in eo, cui vnus Ieſus affulget. Matth. 16. Quò ſpectans Dominus Matth. 16. ait: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Sectatoribus ſuis propriam abnegationem, & crucis ſublationem annuntiat. Cur non magis præmium proponit? Qualis hæc merces ſectatorum Ieſu, vt ſe abnegent, vt crucem tollant? Equidem non hoc pro parua ponitur mercede, quando enim nolli non eſt crux tollenda, velit, nolit; nulli non frequentiſſimæ ſunt occaſiones, in quibus neceſſum ſit ſe abnegare. Qui vnum Ieſum ſpectat, non timeat ſibi à cruce, nec ab abnegatione, quin potiùs ſecurè vtramque amplexetur, nullum inde ſentiet incommodum, nullum mœrorem.

§. IV.

Sapientiæ ſermo Eccleſiæ firmitudo, & animarum.

POnitur arca in præſtantiſſimo templi loco, ſub alis Cherubim: *Siquidem Cherubim expandebant alas ſuper locum arcæ, & protegebant arcam.* Circa quæ verba ait Diuus Bruno. Bruno de laud. Eccleſ. cap. 4. *Bene autem ſub alis Cherubim arca teſtamenti ſtare dicitur, quia nihil eſt, quod ſic Eccleſiam Dei defendat, & muniat, ſicut ſermo diuinus, & ſcientia Scripturarum.* Et quis neſciat maximè muniri, & confirmari animas à diuino verbo ſapienter prolato? Amos 8. Amos cap. 8. *Circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient. In die illa deficient virgines pulchræ*, &c. Vbi non inuenitur Dei verbum, neceſſe eſt, vt nec vlla virtus queat ſuſtentari. Ad Hieronym. hæc enim dicebat D. Hieronym. *Bonæ, & ſpecioſæ virgines ſunt, quæ lumen habuerunt virtutum, & ſponſi thalamum ingreſſæ ſunt. Deficient autem virgines, quæ verbum Domini non inuenient.* Licèt multis virtutibus conſpicuus ſias, minimè firmus; & ſecurus in illis ſtabis, niſi ſub diuini Verbi robore, & firmitate. Quod ſi tibi non adfuerit, protinus deficies propter nimiam infirmitatem. Inualidæ fiunt, & prorſus deficiunt ipſiſſimæ virgines, nimirum, qui ſupremum in Eccleſia tenent gradum virtutis, vbi deeſt illis, qui ſapienter verbum Dei annuntiet. Nec miror, in eo enim eſt, & robur fidelium, & firmitas. Minabatur Iſaias Iſa. 3. cap. 3. *Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ.* Ecce tibi vt fortitudo omnis, & valentia, & robur auferenda dicuntur populo, ne valeat non deficere, & cadere. Et in quo tota hæc fortitudo, & valentia, & robur auferenda ſunt? In eo quòd ſermo diuinus, & Scripturarum eruditio auferatur. Baſil. Ait D. Baſil. ibi: *Abſit, inquam, auferatur ab Eccleſia robur panis, & aquæ, ſubſidium videlicet, & facultas efficacis ſermonis, maximè efficacia accommoda alendis animabus; quemadmodum & Iudæos deſtituit vis efficax prophetici ſpiritus*, &c. *Quòd ſi Eccleſia nonnunquam laboret penuria eorum, qui tradere præualent fortia dogmata ſolidæ eruditionis, ac piene ſenſu diuino, hoc ſigno collige, robur panis eſſe ablatum.* Vbi ſacrarum literarum eruditus ſermo diuinus defuerit in Eccleſia, meritò creditur illi & robur, & fortitudo ablata. Et ſine robore, & fortitudine cur non cadat, & intereat anima? Cant. 8. Dicebat Cant. 8. *Qui habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam.* Illa illa vox requiritur in Eccleſia, quæ ab ea prodeat, qui in hortis diuinarum Scripturarum habitat; ſine qua ſolus eſt caſus, & mors ſpectanda. Guerric. Rem pulchrè ponderat Guerricus Abb. ſerm. 1. pro deuot. Pſalm. *Qui habitat in hortis, fac me audire vocem tuam. Non ſum ego, cui hoc dictum debeat videri; non ſum, qui habitem in hortis, magis mihi videor eſſe de illis, qui habitant in ſepulcris. Corpora enim peccatorum, quid ſunt niſi ſepulchra mortuorum? Vos igitur, ni fallor, eſtis, qui in hortis habitatis qui ſcilicet in lege Domini meditamini die, ac nocte, & quot libros legitis, tot hortos perambulatis; quot ſententias eligitis, tot poma carpitis*, &c. Ecce tibi, qui ſint, qui habitant in hortis, nimirum qui ſcrutantur Scripturas, vt inde verba ſalutis hauriant. Qui ab hoc ſtudio, qui ab his ſermonibus longè eſt, non habitat in hortis, ſed in ſepulchris habitat, vt in corruptionem abeat.

§. V.

Deum lethaliter alicui æquas creaturæ.

IN ſublimiori, & præſtantiori templi loco conſtituitur arca, dicente textu: *Intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum*, &c. Vt enim arca fœderis erat Dei ſedes, ſic eius locus proprius in Sancto Sanctorum, in præſtantiſſimo præſtantiſſimorum. Nec miror, ea enim debet eſſe veræ deitatis ſedes, quæ ſeſe ſupra omnes creaturas extollat. Aiebat Paul. ad Rom. cap. 6. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus*, &c. quaſi id proprium ſit veri Dei, quòd minimè cenſeatur inter alia, ſed ſit ſuper omnia. Rom. 6. Vt dicat ibi D. Anſelm. *Per hoc, quòd Deus ſuper omnia dicitur, Deus naturaliter eſſe oſtenditur. Deus enim aliquando nuncupatiuè, aliquando verò eſſentialiter dicitur. Qui verò nuncupatiuè dicitur Deus, inter omnia; qui verò eſſentialiter dicitur Deus, ſuper omnia. Vt ergo Paulus oſtenderet Chriſtum naturaliter Deum, non hunc Deum tantummodo, ſed Deum ſuper omnia memorauit.* Anſelm. Huc ſpectet quiſquis veram deitatem & adorare, & prædicare velit; vt eam minimè inter alia cenſeat, nec creaturis adæquet. De Ieſu proditore aiebat Pſalm. 40. *Magnificauit ſuper me ſupplantationem*; hoc eſt, Pſalm. 40. maximè grauauit mihi illatam offenſam. Et in quo ſic offenſam grauauit? An quòd tantum Dominum viliſſimè vendidit? Sed illud grauius videtur, quòd ſic vendidit Dominum, vt tunc temporis agni ſacrificandi vendi ſolebant. Ait Rupert. lib. 11 in Ioannem: *Verè magnifica, verè mirabilis ſupplantatio fuit, vbi emptorem, imò redemptorem omnium, hic vnus peruersè ſupergreſſus vendere præſumpſit.* Rupert. *Quomodo, vel quibus vendidit? Vtique Sacerdotibus malè ſuo paſchale ſacrificium ſic vendidit, quomodo tunc temporis apud omnes filios Iſrael ſolemni more quærebatur, & vendebatur agnus per ſingulas domos paſcha manducaturas.* Solemne erat Iſraelitis tempore paſchali agnos vendi, & emi occidendos in ſacrificio. Inter has ergo agnorum ferias Iudas acceſſit, & ſic Dominum inter agnos vendidit, quaſi vnus ex illis foret. Et quid lethalius homini? Equidem lethaliſſimum eſt Deum à creatura non diſcernere, ſed eum illis exæquare, & cenſere inter omnes. De Petro negante Ieſum locutus Marc. cap. 14. ait: *At ille negauit, dicens: Neque ſcio, neque noui, quid dicas.* Marc. 14. Hæc de Petro refert, nec aliquid ex ſe dicit, quo tantum Petri facinus accuſet. Verùm cap. 9. de Ieſu transfiguratione agens inquit: Tunc *reſpondens Petrus ait Ieſu: Rabbi, bonum eſt nos hîc eſſe, & faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Non enim ſciebat, quid diceret.* Marc. 9. Cùm negantem proponit, non illum inſcitiæ accuſat, cùm autem illum agentem de tabernaculis faciendis oſtendit, ſtatim verba ſubdit, quæ hominis manifeſtent inſcitiam. Et cur non quando negat, ſed cùm de faciendis tabernaculis curat, hominem vocat inſcium? An minus eſt negare Ieſum, quàm velle ædificare tabernacula Ieſu, Moyſi, & Eliæ? Equidem in hoc tabernaculorum facinore videbatur Chriſtus à Petro exæquari Moyſi, & Eliæ, quòd niſi ab ignorante Petro exiſſet, eſſet ibi lethaliſſimum. Ideò neceſſum fuit ibi eum ignorantem oſtendi, vt tantum facinus credatur ab eo alieniſſimum. Quò ſpectans D. Baſil. Sel. ibi ait: *Arguit ſuam ignorantiam, Dominum vnà cum ſeruis enumerans; exiſtimauit ſubiectos eſſe Domino æquales honore.* Baſil. Facinus equidem id erat ſupra trinam negationem lethaliſſimum, niſi à prorſus homine ignorante prodiiſſet. Cuius facinoris ignoratum venenum à Petro offendebat Timotheus Ant. orat. de cruce, & transfigurat. fatus: *Quid ais Petre, tria tabernacula conſtruere cogis; ſimul me & Dominum, & ſimilem ſeruis facis? Occaſionem blaſphemiæ Arria prabes; cum crea-* Tim. Ant.

turris mihi habitationem vis aſſignare? Hoc erat in illo Petri aſſerto occultum venenum, quare meritò Petrus ab Euangeliſtis tanquam inſcius excuſatur, ne crederetur tantum nephas voluiſſe. Nunquam enim nephas non eſt lethaliſſimum, quod Deum à creaturis non diſcernas. Quò ſpectabat illud Pauli de Chriſti Domini corpore 1. ad Cor. 11.

1. Cor. 11. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Circa quæ D. Anſelm. ait: *Ille accipit non ad vitam, ſed ad iudicium; quia non diiudicat corpus Domini, id eſt, non diſcernit, quàm ſit dignius omnibus creaturis hoc corpus, quod videtur eſſe panis. Inde enim Apoſtolus nunc indignè dicit acceptum à Corinthiis, quia hoc non diſcernebant à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita*, &c. Sic ibi.

3. *Regum* 8. In arca autem non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Iſraël, cùm egrederentur de terra Ægypti. Factum eſt autem cùm exiſſent Sacerdotes de Sanctuario, nebula impleuit domum Domini, *&c.*

§. VI.

In Chriſto Ieſu non ſola ſeueritas.

AIt textus præſens: *In arca autem non erat aliud, niſi tabulæ lapideæ*, &c. Paul. autem ad Hebræos capit. 9.

Hebr. 9. ait: *Arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti.* Ecce tibi in illo textu ſolæ lapideæ tabulæ dicuntur eſſe in arca; in hoc autem textu Pauli non ſolùm lapideæ tabulæ, ſed & cum illis virga florida Aaron, & manna dicuntur eſſe. Scio à Carthuſiano, & aliis omnia hæc credi in arca fuiſſe, ſed præcipuè tabulas teſtamenti, ob quam cauſam tantùm illas fuiſſe in ſuperiori textu memorata. Sed & alij credunt intus in arca tantùm fuiſſe tabulas lapideas; & iuxta illam fuiſſe manna, & virgam, ideoque ab Apoſtolo memoratum, non ſolùm quod intus in arca erat, ſed quod adiunctum arcæ. Verùm cùm noſter textus adeò ſtrictè locutus fuerit, vt ſolas lapideas tabulas in arca fuiſſe meminerit; cur Paulus maluit ſic latè de contentis in arca verba facere, vt etiam proxima memoraret? Spectabat Paulus in arca Chriſtum, cuius erat non ſolùm lapideo rigore pollere, ſed magis in dulcedinem, & teneritudinem declinare. Ait D. Anſelm.

Anſelm. in Paul. *Apoſtolus locum arcæ proximum pro arca nunc poſuiſſe non inconuenienter accipitur; quia & ad ſpiritualem ſenſum magis aſpiciebat, intelligeat per arcam Chriſtum, in quo ſpiritualiter ſunt tabulæ teſtamenti, & virga Aaron, & vrna cum manna.* Non equidem eſt adeò lapidea virtus Chriſtiana, vt in illa ſolùm inueniatur durities, & diſtrictus rigor. Sed ſimul & lapideſcere nouit, & in dulciſſimam mannæ pluuiam diffundi.

Pſalm. 113. Huc ſpectat illud Pſalm. 113. *Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Quæ verba ſic elucidat D. Guerricus Abbas ſerm. 1. de S. Benedicto fatus:

Guerric. *Erat quidem petra Chriſtus, ſed virtute, non duritie. Erat Petra, ſed quæ conuerti poſſet, imò & conuerſa eſt in ſtagna, vel fontes aquarum, vbi mollia & humilia quibus influeret inuenit corda fidelium.* Non ſemper petreus Ieſus, ſed qui in dulciſſima etiam conuertatur ſtagna aquarum, qui & petræ duritiam præ ſe ferat, & ſimul dulcedinis exhibeat ſuauitatem.

§. VII.

In ſolo Chriſto Ieſu lux, in aliis tenebræ.

EXpende illa: *Factum eſt, cùm exiiſſent Sacerdotes de Sanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam*, &c. Et cur tanti templi miniſtri ſic nebulis præpediuntur? Ibi iam oſtendebantur præſtantiſſima quæque ſine Chriſto, vt tenebroſis nebulis opprimuntur. Vt enim Sacerdotes Iudaici Chriſtum reiecturi erant, ſic in tenebris erant permanſuri, quaſi qui excluſerint lucem. Dicit Petrus Damianus ſerm. 2. de Nat. Mar. *Quòd autem nebula impleuit domum* Damian.
Dei, & non poterant Sacerdotes miniſtrare propter nebulam, hæc ſententia ſuperbos Iudæorum Pontifices, ac doctores inſinuat, qui dum incarnationis Chriſti myſteria inueſtigare deſpiciunt, debitum fidei ſuæ miniſterium per erroris nebulam perdunt. Et quid niſi nebulas, & tenebras acquirit, qui reiicit Chriſtum, in quo ſolo eſt verum lumen? De Iuda notabat Ioannes cap. 13. *Cùm ergo accepiſſet ille bucellam, continuò exiuit.* Ioan. 13.
Erat autem nox. Non enim poterat non ambulare in noctis tenebris, qui reiiciens Ieſum ab animo ſuo, etiam corpore recedebat ab illo, quod meditatus Orig. tom. 32. in Ioan. pulchrè ait: *Non erat igitur nox in iis, quibus pedes* Origen.
Ieſus abluerat, ſed dies clariſſimus, quòd mundi eſſent; & præcipuè in eo, qui in Ieſu ſinu cubabat, nox non erat; Ieſus enim eum diligebat, omnéſque tenebras expellebat. Neque in Petra profitenti, Tu es Chriſtus, nox erat. Nunc ergo etiam cum accepta bucella, Iudas continuò exiuit, tunc in eo egreſſo nox erat. Nec enim eo præſtò erat vir, cui nomen Oriens, cùm egrediendo iuſtitiæ ſolem reliquiſſet. Qui Ieſum habebant, non poterant non eſſe in luce, & die clariſſimo; ille ille comprehenditur à tenebris, qui Ieſum relinquit. Cui Ieſus non adeſt, quid ſupereſt, niſi vt tenebroſam noctem incurrat, & tenebræ eum conculcent? Et ſunt adeò amentes homines, qui vmbrarum tenebris capiantur, & Chriſti lucem fugiant. De quibus ait Oſeas cap. 4. *Super capita montium ſacrificabant, & ſuper colles accendebant thymiama; ſubter quercum, &* Oſ. 4.
populum, & terebinthum, quia bona erat vmbra eius. Expende cauſam motiuam, qua impellebantur ad lignum adorandum, nimirum ait: *Quia bona erat vmbra eius.* ſic ad vmbras, & tenebras ferebantur, vt præ illis ſolem contemnerent, quam ergo inde pœnam mereantur? Ait Ruffinus lib. 1. in Oſeam: *Repudiantes lucis, & luminis conditorem,* Ruffin.
vere quaſi ſiue tenebrarum nemoris capiebantur vmbraculis, &c. *Hanc igitur impietatem calamitatis vltimæ diſpungat illatio.* Meritò pereat, qui ab vmbris raptatus authorem lucis à ſe abiicit.

§. VIII.

Qualis fueris, talem ſe tibi Deus exhibere ſolet.

ADhuc miror illud, quod ait: *Nebula impleuit domum Domini*; præcipuè cùm Pſalm. 44. dicat de Domino: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Et quando is eſt Deus, qui in ſole amet ponere tabernaculum ſuum, cur templum ſuum in nebulis poſuit? Apparebant iam templi miniſtri in eis tenebris, quibus cæci Ieſum non agnoſcerent, ne miremur, quod cæcis hominibus veniat etiam Deus nebuloſus, talem enim ſe exhibere ſolet, quales apparent homines. Ait Petrus Damianus ſerm. 2. de Natiuit. Mar.
Ad illud ergo templum Deus in nebula deſcendit, vt cæcam Iudaicæ gentis caliginem deſignaret, in hoc, ſicut ſcriptum eſt, in Sole poſuit tabernaculum ſuum. Componit veteri virginalis templum cum templo Hieroſolymitano; ad virginale templum cum luce venit, ad Hieroſolymitanum in nebulis; ſplendidæ enim Mariæ ſplendidus veniebat; cæcis Iudæis nebuloſus apparuit. Solet enim Deus ſuorum hoſpitum induere habitum, vt quales illi ſint, talis ipſe appareat. Iob. cap. 3. mirabatur æqualitatem omnium hominum in morte, dum ait: *Paruus, & magnus ibi ſunt, & ſeruus liber à Domino ſuo.* Et quando paruus, & magnus reſpectu bonorum naturalium æquantur in morte, reſpectu Dei æquantur? Abſit, Deus enim paruis ſe exhibet paruum, & parua faciens, magnis autem ſe exhibet magnum magnáque patrans. Vt dicat Gilleb. Abb. ſerm. 3. in Cant. Iob. 3.
Et ſi ex toto te, ô Deus, vbique opereris, non tamen totum, quod potentiæ tuæ eſt vbique, imò potiùs nuſquam operaris. Indifferenti enim virtute efficis in minimis minima, & in magnis maiora. Gilib. Abb.
Sic ſe Deus temperat ad ſuſcipientium modum; vt vix alius appareat, quam eſt is, qui ſuſcipit eum. Obſcurus in obſcuris, paruus in paruis, magnus in magnis, & in lucidis clarus. Quò ſpectans Iſaias cap. 9. dicebat: *Puer* Iſai 9.
natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Nobis puer paſſibilis, & temporalis dicitur Deus naſci, non Angelis. Et cur non

Angelis talis dicitur natus? Angeli impaſſibiles erant, & æterni, nos ſoli paſſibiles, & temporales, ideo nobis ſolis dicitur natus, quia nobis ſolis ſe in paſſibili natiuitate attemperauit. Guerric. Ad hæc dicebat Guerricus Abb. ſerm. 3. de Natiuit. Domini: *Qui Deus natus erat ſibi, puer natus eſt nobis, ſe quodammodo relinquens, & Angelos tranſiliens, vt ad nos vſque deueniens vnus fieret è nobis. Qui igitur natus æternaliter ſibi, & Angelis erat beatitudo, natus temporaliter nobis, factus eſt nobis redemptio, quia nos ſolos laborare videbat antiquo noſtræ natiuitatis præiudicio.* Expende illa, *quia nos ſolos laborare videbat*, ideo in laboribus natus eſt nobis, quia nos in laboribus eſſe videbat, talem ſe exhibens ſuis creaturis, quales ipſæ erant; incorruptis Angelis incorruptus & æternus; laborantibus hominibus laborans & ipſe venit.

§. IX.

Solùm ibi benignitas Dei ſplendet, vbi Maria eſt.

ET glorioſum, & magnificum Dei templum erat à Salomone conſtructum, & dedicatum, nilominus de illo ait textus in præſenti: *Nebula impleuit domum Domini*, & mirabar quòd domus Domini hæc dicatur nebula impleta, quando de tabernaculo Dei locutus Pſalm. 44. ait: Pſalm. 44. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Quale ergo tabernaculum Dei potuit eſſe in ſole; quando magnificum Salomonis templum fuit in nebula? Aut cur Salomonis templum nebula impletur, cùm tabernaculum Dei ſit in Sole? In Salomonis templo ſoli Iudæi cæci erant, quibus non mirer, ſi nebuloſus, & durus appareat Deus; in tabernaculo autem Dei Mariæ Virginis viſcera oſtendebantur, de cuius gratia venit, quòd benignitas, & ſuauitas Dei erga peccatores ſplendeat. Crede mihi, ſolùm ibi ſplendet benignitas Dei in peccatores, vbi Maria eſt. Ait Petrus Damian. Damian. ſerm. 1. de Natiuit. Mariæ. *Ad illud templum Dominus in nebula deſcendit, vt cæcam Iudaicæ infirmitatis caliginem deſignaret; in hoc, nimirum, Mariæ tabernaculo, ſicut ſcriptum eſt, in ſole poſuit tabernaculum ſuum, vt ſedentes in tenebris, & in vmbra mortis illuminaret.* Vbi templum ſine Maria ingreſſus Dominus fuit, nebuloſus, & durus peccatoribus extitit; vbi autem templum ſibi in Maria fecit, inde tanquam lucidiſſimus Sol vſque ad tenebroſiſſimos peccatores benignitatis ſuæ radios deiecit. Qui rigor non eſt, vbi non eſt Maria? Quæ gratia non plaudit, vbi eſt Exod. 19. Maria? Exodi cap. 19. *Totus mons Sinai fumabat, eo quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace, eratque omnis mons terribilis.* Sed à Sinai monte in montem Sion contende, de quo ait textus Actor. 2. Actor. 2. *Erant omnes pariter in eodem loco, & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis*, &c. Vtrobique Deus in igne deſcendit; ſed in Sinai metum & horrorem inferens, in Sion ſuauitatem prætendens. Illic arcebat homines à monte terribilis factus: hic conuocabat vniuerſos, blandiſſimè, & ſuauiſſimè coronas prætendens. Et cur in Sinai tam terribilis Deus ad arcendos homines, in Sion tam blandus, & vocalis ad eoſdem in ſalutem trahendos? De Sion dicit, *Erant omnes pariter in eodem loco*, omnes, inquam, erant, quos paulò antè cap. 1. numerauerat, diActor. 1. cens: *Vbi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu*, &c. Ecce tibi omnes illi, qui erant pariter in eodem loco, nimirum Apoſtoli, & mulieres, & Maria mater Ieſu. Vbi autem Maria erat, non miror, quòd Spiritus diuinus deſcendens talem ſe exhibeat, qui non deterreat, ſed magis in ſalutis fructum euocet. Quò ſpectans Diuus Epiphan. Epiphan. ſerm. de laudib. Mariæ ait: *O beata Virgo ſponſa cæleſtis Maria, cælum, templum, & thronus diuinitatis, quæ coruſcantem in cælo, & terra Solem habes Chriſtum; nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum. Nubes cæleſtis, quæ tonitruum Spiritus ſancti in ſe ipſa reconditum deduxit in mundum, & imbrem ſancti Spiritus in vniuerſam terram ad producendum fidei fructum cum impetu dimiſit.* Mariæ quippe debemus, quòd Spiritus diuini tonitruus non deterreat, ſed magis ſoluatur in placidiſſimum imbrem, qui ſteriles peccatores in fructus ſalutis fœcundet.

3. *Regum* 8. Conuertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſraël; omnis enim Eccleſia Iſraël ſtabat, & ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui locutus eſt ore ſuo ad Dauid patrem meum, & in manibus eius perfecit, dicens: A die qua eduxi populum meum Iſraël de Ægypto non elegi ciuitatem de vniuerſis tribubus Iſraël, vt ædificaretur domus, & eſſet nomen meum ibi: ſed elegi Dauid, *&c.*

§. X.

Propinqui iuſtorum vniuerſas eorum glorias participant quaſi ſuas.

OStendit Dei promiſſa Dauidi de templo ædificando iam completa, dum ait: *Qui locutus eſt ore ſuo ad Dauid patrem meum, & in manibus eius perfecit.* Circa quæ dicit Abul. quæſt. 8. *Deus perfecit per manus Dauid, id, quod promiſit ei. Et in hoc laudat Deum tanquam ſit verax in promiſſis, quod ſicut promiſit, ita compleuit. Et intelligitur de illa ædificatione templi*, &c. Abulenſ. Et quando promiſſa Dauidi facta intelliguntur completa in ædificatione templi, cur dicantur completa, & perfecta manibus Dauidis? Nonne ait, *& in manibus eius perfecit*? Templum non à Dauide, ſed à Salomone ædificatum fuit, & perfectum. Cur ergo dicitur perfectum manibus Dauidis? Erat Dauid propinquus Salomoni, vt pater filio propinquus eſt; ne miremor, quòd Dauidi etiam Salomonis magnalia tanquam propria aptentur. Iuſtorum enim propinqui, ſic eorum participant bona, quaſi propria eſſent. Pſalm. 79. *Qui ſedes ſu-* Pſalm. 79. *per Cherubim, manifeſtare coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe.* Expende illud dictum Deo, nimirum: *Qui ſedes ſuper Cherubim*; ſi enim conſulas D. Dionyſium Areopagitam cap. 7. de cœleſti Hierarchia, Dei ſedem, non Cherubim, ſed thronj exhibent. Conſtat enim prima, & ſuprema Hierarchia ex tribus præſtantiſſimorum ſpirituum ordinibus, nimirum ex Seraphinis, Cherubinis, & thronis; quorum ij diuinarum ſedium præſtantia inſigniuntur. Quando ergo in thronis ſunt Dei ſedes, cur dicitur in Cherubinis ſedere? Sunt Cherubini eiuſdem Hierarchiæ cum thronis, & illis valde propinqui, ex quo habent illorum participare & dignitates, & virtutes. Ait D. Anſelm. in cap. 9. epiſt. ad Hebræos: *Ordo beatorum ſpi-* Anſelm. *rituum, in quo Deus ſpecialiter ſedet, thronus appellatur, & tamen Pſalmiſta precatur, qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare. Tanta enim in agminum diſtinctionibus ordo ſanctorum Cherubim iungitur thronis, ſedere etiam iuxta Cherubim Deo, ex vicini agminis æqualitate perhibetur.* Itaque dicuntur Cherubim ſedem Deo exhibere; non quòd ipſi ex ſe ſedem faciant, ſed quòd propinqui ſunt thronis, quorum eſt Deum in ſe habere ſedentem. Nunquam enim propinqui bonorum non participant eorum virtutes, & excellentias. Dixerat 3. Reg. 8. *In arca autem non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ.* 3. Reg. 8. Verùm Paulus ad Hebræos cap 9. ait: *In qua*, (nempe ar- Hebr. 9. ca) *vrna aurea habens manna; & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti.* Ecce tibi Paulus dicit, quòd arca haberet vrnam auream cum manna, & virgam Aaronis, & tabulas. Author autem 3. lib. Reg. aſſerit, quòd arca haberet ſolas tabulas teſtamenti. Quando ergo dicitur arca ſolas teſtamenti tabulas habuiſſe, cur à Paulo aſſeritur inſuper habuiſſe & vrnam, & virgam Aaronis? An duo hi ſacri authores ſibi inuicem contrariantur? Abſit, ſed Paulus locum propinquum arcæ, arcam vocat; & quæ erant in loco propinquo, quaſi in eadem fuiſſe arca reputantur. Sanctorum enim vicinia eaſdem cum illis participant proprietates. Sic D. Anſelm. in Paul. *Quia iuxta arcam in* Anſelm. *Sanctuario poſita erant virga, & vrna, idcirco dicit eas Apoſtolus*

in

in arca fuiſſe, &c. *Sic & in arca poteſt dici fuiſſe propter loci vicinitatem, quod erat iuxta arcam. Et Apoſtolus locum arcæ proximum pro arca nunc poſuiſſe non inconuenienter accipitur, quia ad ſpiritualem ſenſum magis aſpiciebat, intelligens per arcam Chriſtum, in qua ſunt & tabulæ, & virga, & vrna.* Vt vicinia Sanctorum participant eorum proprietates, ſic locus vicinus arcæ fœderis, quaſi ipſa arca cenſetur, eò magis, quo in arca Chriſtus ſpectabatur, cuius eſt vicinos, & propinquos in ſuas virtutes, & glorias transformare. Luc. 1. Mariæ dicebat Elizabeth Luc. 1. *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Planè puerulus Ioannes iam tunc exultabat vt gigas ad currendam viam ſuam, in qua adeò creuit, vt poſtea interrogetur à principibus ſacerdotum an Meſſias eſſet. Sed vnde adeò creuit Ioannes vt cum Chriſto poſſet æquiuocari? Accipite Guerricum Abb. ſerm. 1. in Natiuit. Ioan. ſautem: Guerric. *Flumina prorſus de ventre Mariæ fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ, & gratia oriebatur de medio paradiſi, ad irriganda ligna paradiſi; proxima erat fonti cedrus illa nobilis, Ioannem loquor conſobrinum, & amicum ſponſi: ideoque nimirum vberius irrigata in tantum excreuit, vt inter natos mulierum nihil illa ſublimius ſuſpicere poſſet* ... *Omnino Saluatori proximus erat, qui non ſolum copula ſanguinis, aut amicitia intimus erat; ſed etiam gloria annunciationis, nouitate natiuitatis, ſanctitate penè originali, virtute patiendi ante mortales alios ei propius accedebat.* Sic ibi, ex propinquitate ad Chriſtum oſtenditur Chriſto ſimilis in virtutibus Ioannes.

§. XI.

Ad apertum & ſingulare colloquium ſoli admittendi, qui præſtantia, & virtutis ſimilitudine emineant.

NOn parum extollit Salomon patrem ſuum Danidem, cùm illum oſtendit quaſi immediatè admiſſum ad Dei colloquium. Ait enim: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui locutus eſt ore ſuo ad Dauid*, &c. Ibi ex modo dicendi oſtenditur Dauid immediatè veniſſe in colloquium cum Deo. Ex quo maximè purus, & ſanctus proponitur Dauid, & in omni virtute perfectus. De primæ Hierarchiæ excellentibus ſpiritibus locutus D. Dionyſius Areop. Areopag. cap. 7. ait: *Prima igitur cæleſtium ſpirituum ſacratiſſima ſunllia, ab ipſa Deo eruditur. Cumque ad illum nulla media tota intentione feratur, purgatione caſtiſſima, ingenti lumine, & excelſiſſima, primáque perfectione pro modo, & captu ſuo plena purgatur, & illuminatur, atque perficitur.* Expende illud, *nullo medio*, quandò enim hæc Angelorum phalanx nullo mediante, ſed ipſa per ſe accedens ad Deum, illius ore inſtruitur, & eruditur, neceſſum eſt, vt omni deſæcata labe puriſſimis, & Deo ſimillimis perfectionibus effulgeat. An limpidiſſimus, & puriſſimus Deus ad immediatum & familiare colloquium trahet ſpurcum aliquem, & immundum? Abſit: non enim præſtantis naturæ eſt os ad os colloqui, niſi cum iis, qui in præſtantia, & virtute ſunt ei ſimiles. Geneſ. 41. Geneſ. 41. dicit: *Vidit Pharao ſomnium. Putabat ſe ſtare ſuper flumen, de quo aſcendebant ſeptem boues pulchræ, & craſſæ nimis. Aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine fœdæ*, &c. Similiter Nabuchodonoſor Dan. 2. vidit ſomnium, nimirum: Dan. 2. *Ecce quaſi ſtatua vna grandis*, &c. Sic magnis Principibus immiſſa ſomnia ab Angelo Dei fuere; ſed minimè illis explicata immediatè ab Angelo inueniuntur. Quin imò Ioſeph inuentus fuit, qui ex Angelo reuelationem accepit, quam ipſe Pharaoni indicauit. Et ſimiliter Danieli Angelus ſomnium explicauit, vt illud Nabuchodonoſori explicaretur. Et quando Angeli ſomnia immiſerunt iis Principibus, cur ſimiliter non eiſdem explicationes dixerunt, ſed magis elegerunt Ioſephum, & Danielem, cui explicationem dicerent? In ſomniorum immiſſione nullum erat familiare colloquium, ſed tantùm quidam quaſi nutus, & ſigna; at in explicatione neceſſariò intercedere colloquium debebat. Angeli autem ſuæ præſtantiæ, & virtutis memores, vbi accedunt ad homines idololatriâ conſpurcatos, ſibi ſuam maieſtatem, & honorem retinent, nec illis dant verba, ſed ſolùm nutus, & ſigna exhibent. Et quia neceſſum erat, vt ſomniorum myſteria dicerentur alicui, qui ea manifeſtaret, quæſiti ſunt Angelis ſimiles Ioſeph, & Daniel; qui ideo in Angelorum colloquium ſunt admiſſi. Quò ſpectans D. Dionyſ. Areopag. de cœleſt. Hierarch. cap. 9. ait: *Ea viſionum expoſitio, quæ figurata priùs ab Angelis fuerat, ſanctiſſimis viris, & qui Angelis fermè pares euaſerant, Danieli, ac Ioſeph, à Deo reuelata per Angelos fuit.* Areopag. Prius erga Nabuchodonoſor, & Pharaonem tota illa res *figurata fuerat ab Angelis*, vt qui non verbis familiaribus, ſed nutibus, & ſignis vellent agere cum illis. Sic magnæ poteſtates cum vilibus homuncionibus, verbis agere dedignantur, & ſi opus eſt, nutibus agunt. Verùm ad Ioſeph, & Danielem familiariſſimè accedunt Angeli, longiúſque, & familiarem, & apertum ſermonem terunt, omnia ſomniorum myſteria explicantes. Et cur hoc? Ait Dionyſ. de illis: *Angelis fermè pares euaſerant*, meritò enim ad familiare & apertum ſermonem trahunt eos, qui ſibi in virtutibus, & præſtantia penè æſtimant pares.

§. XII.

Honori, gloriaque ducitur, quòd infimas perſonas in familiare colloquium non admittas.

ILlud quaſi Deo inuſitatum dicit, nimirum; *Locutus eſt ore ſuo ad Dauid*; quod nunquam non crediderim ad magnam Dei demiſſionem pertinuiſſe. Præſtantium enim perſonarum gloriæ, & honori conuenit infimas perſonas ad familiare colloquium non admittere. Exod. 16. *Dixerunt Moyſes & Aaron ad omnes filios Iſrael: Veſpere ſcietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & manè videbitis gloriam Domini.* Exod. 16. Quæ ſic leguntur apud Origenem: *Veſpere ſcietis, quia ego ſum Dominus, manè autem videbitis gloriam, ſeu maieſtatem eius.* Origen. Et de quo manè loquitur? Aut de qua gloria, & maieſtate? Sunt, qui hæc referant ad diem paſſionis, & reſurrectionis dominicæ, veſpere enim Dominus paſſus eſt, & ibi inter opprobria multa, & dolores, tamen Deus apparuit, etſi in ſummâ demiſſione, & obſcuritate. Manè autem glorioſus reſurrexit, & tunc ſuam gloriam, & maieſtatem maximè manifeſtauit. Sed quomodo illo manè ſuam maieſtatem, & gloriam manifeſtauit? Nonne occultè reſurrexit? Nonne occultus manſit, dum Angeli eius reſurrectionem mulieribus narrant? Quam gloriam Ieſu vident tum mulieres, quæ ſolos vident Angelos, & cum eis ſolis fabulantur, nec Ieſu colloquio ſunt dignæ habitæ? Equidem in eo maximè gloria & maieſtas Ieſu tunc oſtendebatur, quòd non iam in colloquia familiaria admittat infimas perſonas, ſed ad eas mittat miniſtros ſuos Angelos, & per miniſtros eis verba faciat. Ait Orig. hom. 7. *Quomodo manè gloria eius viſa eſt? Cùm veniſſent aliæ mulieres prima Sabbati valde manè, inuenerunt Angelos cum ingenti claritate ad ſepulchrum ſedentes, & dicentes: Non eſt hîc, ſurrexit à mortuis. Viſa eſt ergo maieſtas Domini cum per Angelos nunciata eſt.* Idem. Demiſſa valde erat Domini gloria, cùm in cruce patiens ore proprio ad latronem etiam loquebatur. At vbi reſurgens non ipſe loquitur, nec admittit ad colloquium mulieres accedentes, ſed cum illis per miniſtros, per Angelos agit, tunc integra eius gloria, & maieſtas oſtenditur. Vt hinc nouerint præſtantes viri, quam multum gloriæ ſuæ derogent, cùm longa, & familiaria colloquia, cum fœminis, & rudibus, & temporalibus perſonis texunt. Dum Ieſus meus loquens cum fœmina Samaritana inuentus eſt à diſcipulis ſuis; ait Ioan. 4. *Mirabantur, quòd cum muliere loqueretur.* Ioan. 4. Vbi Euthym. *Mirabantur, quòd cùm talis eſſet, cum vili muliere diſputaret.* Euthym. Nunquam enim non magnæ demiſſionis, & abiectionis opus eſt, quòd præſtans perſona cum vilibus ſermonem habeat.

§. III.

Gratia acta Deo in tribulationibus, illum faciunt nobis aſſidere.

EX quo populum ſibi Dominus ex Ægypto redemit, ſedem in eo ſibi parari oportebat. Quis enim ſibi populum

pulum acquirit, in quo ſedem habere non ſtudeat? Et tamen Dominus poſt acquiſitum populum de ſede ſtabili habenda non curat, vſque dum apparuit Dauid in mundo. Sic ait text. *A die, qua eduxi populum meum Iſrael de Ægypto, non elegi ciuitatem de vniuerſis tribubus Iſrael, vt ædificaretur domus, & eſſet nomen meum ibi; ſed elegi Dauid*, &c. Et cur tandiu diſtulit Deus de ſede in populo habenda tractatum. Cur ad hunc incipiendum magis Dauidem expectauit? A prima eductionis de Ægypto die in nullam tribulationem incidit populus, in qua non maximè doleret vicem ſuam, & murmura, & querelas vel in Deum, vel in duces ſuos excitaret. Si Ægyptij apparent armati Exod. 14. ibi fletus populi, & querelæ, & murmura; ſi poſtmodum deeſt aqua, vel panis, ſi deſunt carnes, ſi quælibet alia imminet tribulatio, ſtatim in murmura, & querelas abeunt. Quàm aliter Dauid, in nullam venit tribulationem, in qua non conderet Pſalmum, quem Deo caneret. Vide Pſalmum 3. cuius titu-
Pſalm. 3. lus ſic eſt: *Pſalmus Dauid cum fugeret à facie Abſalon*; & ſic in multis aliis tribulationibus, vt vix aliqua ei eueniſſe inueniatur, in qua non fecerit Deo Pſalmum. Ne miremur, quòd talis ſic ad ſe Deum trahat, vt de ſede ibi habenda tractet. Validiſſimus enim eſt gratiarum actionis cantus in tribulatione, vt Deum ſibi trahat, ſecúmque inhabitare faciat. Dan. 3. tres pueri Hebræi à Rege Babylonio in for-
Dan. 3. nacem ardentem coniecti ſunt, in qua illi poſiti *vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes: Benedictus*, &c. Quid tunc? Ait textus: *Tunc Nabuchodonoſor Rex obſtupuit, & ſurrexit properè, & ait Optimatibus ſuis: Nonne tres viros miſimus in medium ignis compeditos? Qui reſpondentes Regi dixerunt: Verè Rex. Reſpondit, & ait: Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis eſt in eis, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Ecce tibi Dei filius viſus eſt aſſidere tribus pueris in fornacem miſſis. Et vnde factum eſt, quòd tres pueri ſic filium Dei traherent, vt vellet illis aſſidere? Hoc credideri factum eſſe cantico illo, quo in fornacis tribulatione
Auguſt. gratias Deo agebant. Ait D. Auguſt. ſerm. de tempore Barbarico: *In quibus pueri micans gratia ita innituit, vt ligati in fornacem mitterentur, deambulantéſque viderentur, os aperientes, Dominúmque laudantes, flammas ad ſe non admitterent, & ſecum filium Dei habere meruiſſent, antequam in mundo homo apparuiſſet.* Nondum filius Dei habitarat in nobis, nondum apud homines ſedem fixerat, & iam aſſidebat tribus illis pueris. Nec miror, quando illi in media fornacis tribulatione canticum edebant Deo. Adeò enim potens eſt cantus gratiarum actionis in tribulatione, vt trahat Deum. Ait enim ibi: *Dominum laudantes flammas ad ſe non admitterent, & ſecum filium Dei habere meruiſſent.* Sic ibi.

§. XIV.

Prius in corde faciendum eſt, quidquid externè Deo facis.

Dicebat & illud Salomon: *Steti pro Dauid patre meo*, &c. *& ædificaui domum nomini Domini Dei Iſrael. Et conſtitui ibi locum arcæ*, &c. Felix Salomon, quòd domum cedrinam Deo fecit, & in quadris lapidibus, aureiſque tabulatis locum arcæ parauit; ſed felicior, ſi quod in externis his Deo parabat, in corde etiam intimus pararet. Quò debet ſpectare, quiſquis in externis obſequiis amat Deo placere, vt nimirum quòd paraturus eſt externum munus Deo, id priùs, & ſimul in corde efficiat. Matth. 27. Chriſtianæ
Matth. 27. paſſionis tragœdiam euulgans ait: *Ieſus emiſit ſpiritum. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierunt, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem.* Quippe ſancti multis reſurgentes, & à monumentis exeuntes venerunt in ciuitatem, & ſeſe multis oſtenderunt. Et cur neceſſum fuit, vt inter tot prodigia reſurgentes Sancti ſeſe videndos exhiberent? Quando omnes à monumentis ſurrecturi ſumus, corporáque è ſepulchris aſſumpta Deo exhibituri, neceſſum fuit illis apparitionibus excitari, vt totum reſurrectionis futuræ negotium modò in cordibus noſtris exerceamus.

Vt dicat D. Leo ſerm. 13. in Paſſ. *Contremiſcat in redemptoris* *D. Leo.*
ſui ſupplicio terrena ſubſtantia, rumpantur infidelium mentium petræ, & qui mortalitatis grauabantur ſepulchris, diſcuſſis obſtaculorum mole proſiliant. Appareant nunc quoque in ciuitate ſancta, in Eccleſia Dei, futuræ reſurrectionis indicia, & quod gerendum eſt in corporibus, fiat in cordibus. Quid pulchrius? Expende illa aurea, nimirum: *Quod gerendum eſt in corporibus, fiat in cordibus.* Debet equidem in corde priùs præſtare homo quidquid externè, & corporaliter præſtiturus eſt Deo. Amat enim Deus in corde hominis videre, quidquid præſtantiæ in externis, materialibúſque operibus exhiberi ſolet. Geneſ. 1. *Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt* *Gen. 1.*
lux. Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona. Sic lucis huius opus apparuit Deo gratioſum. Nihilominus dicebat Paul. 2. ad Corinth. 4. *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem* *2. Cor. 4.*
ſplendeſcere, qui illuxit in cordibus noſtris, &c. Duo dicuntur à Deo facta, alterum in materiali mundi conſtitutione, alterum in hominum cordibus. In mundi conſtitutione, cùm tenebræ omnia occupaſſent, dixit: *Fiat lux, & facta eſt lux.* Vbi autem viſa eſt hæc materialis lux ſplendeſcere, & probata Deo: nil citius procuratum eſt, quàm quod ſimile ſpectaculum homines in cordibus ſuis exhiberent, ſpirituali luce ibi ſplendentes. Sed quando iam extrinſecus perfectum erat lucis opus; cur neceſſum fuit lucem etiam excitare in cordibus hominum? Non equidem ſiſtit Deus in externorum operum ſplendore; niſi & ſimiliter effulgeant humana corda. Rem ſapienter ponderat Anſelmus ibi fatus: *Quoniam Deus, qui in mundi conſtitutione* *Anſelm.*
dixit, id eſt, verbo ſuo fecit de tenebris lucem ſplendeſcere, quoniam dixit: Fiat lux, & facta eſt lux; ipſe eſt, qui illuxit in cordibus noſtris. Et qui tunc per verbum ſuum in mundo corporalem fecit lucem, ipſe nunc per idem verbum in nobis ſpiritualem dedit lucem. Non hæſit Deus in materialium, corporaliúmve operum ſplendore; ſed ex quo fecit corporalem lucem in mundo ſplendeſcere, dedit operam, vt ſpiritualis lux ſplendeſceret in cordibus hominum. Ne nos hæreamus in externorum operum ſplendore; ſed magis curemus, vt quodlibet lucidum & ſplendidum corporale, & externum opus, priùs fiat cum omni ſplendore ſuo in intimis animi præcordiis.

3. *Regum* 8. Qui cuſtodiſti ſeruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei; ore locutus es, & manibus perfeciſti, vt hæc dies probat. Nunc igitur Domine Deus Iſraël, conſerua famulo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei, dicens: Non auferetur de te vir coram me, qui ſedeat ſuper thronum Iſraël, *&c.*

§. XV.

In vno Deo miſericordia, & iuſtitia non ſe mutuo impediunt.

Præmiſerat Salomon, dicens: *Non eſt ſimilis tui Deus in cœlo deſuper, & ſuper terram deorſum.* Et vnde probat non eſſe in cœlo, & in terra ſimilem Deo? Ait ſtatim: *Qui cuſtodiſti ſeruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es.* Quando Dauid iuſtiſſimè à Deo meruit puniri, imò & per iuſtitiam grauiter punitus eſt, tamen illi integra ſeruata ſunt omnia miſericordiæ verba facta à Deo. Hoc planè vni competit Deo, quòd in eo iuſtitia, & miſericordia non ſe mutuo impediant, ſed ſimul ad ſuos vſque fines procedant. Pſalm. 144. dicebat Deo: *Memoriam abundantiæ ſuauitatis* *Pſal. 144.*
tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt. Ecce tibi ſimul in Deo meminit ſuauitatem miſericordiæ, & ſeueritatem iuſtitiæ. Et qui meminiſti Dei ſuauitatem; Dei dulciſſimam miſericordiam, cur ad iuſtitiam ipſius exultas? Cur non magis times omnem miſericordiæ ſuauitatem abſorbendam eſſe, vel iuſtitiæ memoria? Fieret hoc ſanè in homine, non in Deo, in quo ſolo non ſe mutuo impediunt ij duo affectus; ſed amicabilem concordiam habent. Ait circa hæc Diuus Hilarius. *Habet Dei iuſtitia mi-* *Hilar.*
ſerandi

ſerandi voluntatem, neque tamen per miſerandi voluntatem ita à ſe erit demutata, ne iuſtitia ſit. Humana autem iuſtitia ſolet in id deuenire, ne miſericors ſit, & miſericordia ita ſe præſtare, ne iuſta ſit. Hoc in Deo præcipuum, non cœlum feciſſe, quia potens eſt, non terram fundaſſe, quia virtus eſt, non hominem animaſſe, quia vita eſt; ſed miſericordem eſſe, qui iuſtus eſt, ſed miſerantem eſſe, qui Rex eſt, ſed diſſimulantem eſſe, qui Deus eſt. Expende ab illis: *Hoc in Deo præcipuum*, &c. quippe cùm Deus ſit ipſiſſima vita & potentia, non mirum quòd omnia creet, quòd homini det vitam; hoc habet præcipuum, & incommunicabile, quòd iuſtiſſimus & ſeueriſſimus iudex cùm ſit, nullomodo ab hac virtute declinans miſericors ſit. Et ſimul & miſericordiam, & iuſtitiam perfectiſſimè adimpleat. Non hominis, ſed Dei hoc eſt proprium. Quis homo ſuauitate miſericordiæ poſſeſſus non à ſe longè faciat iuſtitiæ rigorem? Et quis homo aculeis iuſtitiæ exagitatus miſericordiam exulare non cogit? In vno ſolo Deo hos affectus ſimul in ſuos vſque fines ire cognoſces. Exod. 14. vbi mare ſciſſum eſt, duo populi ingreſſi ſunt
Exod. 14. viam ab aquis relictam: *Reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cunctí exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. Filij autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris.* Expende, vt in eumdem locum conuenerunt, & miſericordia Dei, & ſummus rigor iuſtitiæ, nec tamen ſe mutuo impediunt, ſed & iuſtitia pœnas exigit à ſuis, & miſericordia ſuos in ſalutem deduxit. Quod miratus D. Hilarius in Pſalm. 144.
Hilar. ait: *Sanctitas Dei iter populo ſuo, diuiſo mari præbuit, ſed eadem ſanctitas, & terribilis fuit virtus, cum ingreſſis in ipſum iter impiis, vbi fuerat ſalus religioſorum, ibi pœna conſtitit impiorum.* In eodem loco & ſalus, & pœna fuere, & miſericordia ſaluans, & iuſtitia caſtigans; nec iuſtitia rigoroſiſſimè exercita impediebat, quominus miſericordia ſuos dirigeret, nec miſericordia detinebat iuſtitiam. Sed vnaquæque ſuo muneri dedit perfectum finem.

§. XVI.

Non niſi à magna ſanctitate prouenit, quòd quis promiſſis ſtet.

Miratus Salomon Dei excellentiam ſuper omnia, inde eam extollit, fatus: *Qui cuſtodiſti ſeruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei.* Aliter Seraphini illi Iſaiæ cap. 6.
Iſai 6. vt extollerent diuinam præcellentiam, clamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Hi de ſanctitate diuinam excellentiam commendant, ille de ſolis promiſſis adimpletis. Et cur Salomon non magis cum Seraphinis Deum à ſanctitate, quàm à promiſſorum adimpletione commendat? Plane promiſſa adimplentem videns Salomon ſanctiſſimum credidit, & pro eodem duxit, ſi promiſſorum executorem, ac ſi ſanctum prædicaret Deum. Nunquam enim niſi à ſanctitate prouenit, quòd quis promiſſis ſtet. Pſalm.
Pſalm. 144. 144. dicit: *Fidelis Dominus in verbis ſuis, & ſanctus in operibus ſuis.* Expende coniunctionem; fidelis dicitur in verbis, & ſimul ſanctus in operibus, quaſi verborum, promiſſorúmque fides non niſi de ſanctitate, & cum ſancti-
Hilar. tate veniat. Ait ibi Diuus Hilarius. *Verborum fides forſan nutaret, niſi ſanctitas operibus eſſet admixta. Atque ita ſanctitas in operibus fidem confirmat in verbis, vt de Sancti fide in promiſſis non ambigas, cuius ſanctitate vtaris in rebus.* Sunt hæc duo coniuncta, & fides in promiſſis, & ſanctitas in operibus. Nutat ſemper in promiſſis fides, vbi ſanctitas in operibus deficit. Ne miremur paſſim promiſſa fruſtrari ab his, quos nequiſſimis operibus inſici videmus. Conueniunt enim inter ſe & ſanctitas in opere, & in promiſſis fidelitas,
Iſai. 49. Quò reſpiciens Iſaias cap. 49. aiebat: *Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis eſt, & ſanctum Iſrael,* &c. Septuag. legunt; *Quia fidelis eſt*
Leo à Caſtr. *ſanctus Iſrael.* Circa quæ Leo à Caſtro ait: *Quia ſanctus Iſrael complet ſua promiſſa.* Sic fuit ſanctitas oſtendenda in Deo quando oſtendebatur fidelitas in promiſſis complendis.
Oſ. 11. Dicebat etiam Oſeas c. 11. *Iudas autẽ teſtis deſcenditcu Deo, & cum Sanctis, fidelis.* Nunquam non ſanctitati adhæret immediatior fidelitas. Hinc Paulus nobis oſtendens Deum,
1. Cor. 1. dicebat 1. ad Cor. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in participationem filij eius.* Expende illud, *Fidelis Deus*; poſſet Deus à Paulo vſitatiùs vocari ſanctus, iuſtus; cur placuit eum fidelem vocari? Ait D. Cyril. Hieroſolym. Catech. 5. Cyrillus
Deo, Fidelis nomine, vocato; & tu hanc eandem accipis appellationem, magnámque accipis dignitatem. Quemadmodum enim Deus bonus & iuſtus vocatur, & omnipotens, & opifex vniuerſorum; ſic & Fidelis vocatur. Expende ab illis; *Quemadmodum Deus bonus, et iuſtus,* &c. quippe vt bonus, & iuſtus dicitur Deus, ſic & Fidelis; nunquam enim non pari paſſu currunt, & iuſtitia, & ſanctitas, & in promiſſis fidelitas. Hieroſol.

§. XVII.

Nullum bonum durabile niſi in Deo.

Videbat Salomon paternum regnum ex Deo in ſe deriuatum, & glorioſiſſimè auctum; & adhuc clamat ad Deum: *Conſerua famulo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei, dicens: Non auferetur de te vir coram me, qui ſedeat ſuper thronum,* &c. Quod regnum à Deo ſciebat datum, ab eodem petebat conſeruari. Et quæ tanti ſtatus conſeruandi ratio? Illam inſinuant verba illa Dei promittentis: *Non auferetur de te vir coram me,* &c. hoc eſt, non auferetur de te vir, qui coram Deum habeat. Et plenè dum hoc præſtiterit Deus domui Dauid, quòd haberet ſemper viros quorum ob oculos eſſet in primis Deus, non miror, quòd regnum eius, & proſperitas eius inde poſſit æternari. Nullum enim bonum durat niſi in Deo. Genеſ. 37. de *Geneſ. 37.*
Ioſeph ait: Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus ſuis, ait: *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me. Quòd cum patri ſuo, & fratribus retuliſſet, increpauit eum pater ſuus, & dixit: Quid ſibi vult hoc ſomnium, quod vidiſti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te?* Dixerat Ioſeph ſe per ſomnium à ſole adoratum, & bonus ſenex Iacob abſque vllo dubio ſe per ſolem intellexit. Et quid ſenex cum ſole? Vnde adeò præſumpſit Iacob, vt non dubitet ſe per ſolem ſignificari? Accipite non abſimile aliud, quod ſomniauit Mardochæus
Eſtheris cap. 10. vbi ait: *Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, ſolémque conuerſus eſt.* Quibus notum eſt Eſtherem ſignificatam, vt à priuata, & humili fortuna in ſplendidiſſimum regni apicem creuit. Nec refugio coram Eſtheris fortunam intelligere in paruo fonte, qui creuit in fluuium magnum. Omnes enim humanæ fortunæ ſapienter præcurrentibus fluuiis comparantur. Vt dicat prudens illa 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & ſicut aqua dilabimur.* Sed quid tanta bonorum mobilitas cum ſole, in quem dicitur conuerſa? Vnde ſtatus, & proſperitas, adeò fluxa, poteſt Soli comparari, qui ſtat in omnes æternitates? Sane ſi Iacobi, aut Eſtheris fortunas ipſe aſpicerem, nihil in illis non mobile, & fluxum viderem. Verùm dum in vtroque maximè ſplendeſcere Ieſum noui, non miror, quòd inde æternis poſſint luminibus comparari. Ait Rupert. lib. 8. de Vict. cap. 26. *Quia nullum gaudium tranſitorium pro quacumque ſui magnitudine meretur Sol nuncupari, aut comparari Soli, cuius videlicet Solis lux, aut forma, non mutatur vt luna, ſed plena perſeuerat. Igitur nec Iacob in ſomnio Ioſeph, nec Eſther in ſomnio Mardochæi propter ſuam perſonam Soli aſſimilata eſt, ſed propter Chriſtum. Ille, quia iam Chriſtum habebat in promiſſione, hæc idcirco, quia Chriſti genus, vnde naſceretur, reſeruauit. Finis, & cauſa finalis eorum, quæ tunc facta ſunt, Chriſtus eſt, & idcirco veraciter dicit, quia paruus fons in ſolem conuerſus eſt.* Hinc Iacob, hinc Eſther ſoliditati, & firmitati Solis aſſimilantur in bonis ſuis, quia ſuorum geſtorum finis, & ſcopus Chriſtus erat. In nullo enim firmitas, & conſtantia Solis inueniri poteſt, niſi in Deo, & Chriſto eius. Vbi nec Deus, nec Chriſtus eius apparet, Lunæ mobilitas cernitur, non Solis conſtantia, & permanentia. Oſeæ c. 8. de Hieroboamo & aliis Regibus Iſrael dicebat Dominus: *Ipſi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui: argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent.* In principatu conſtituti eò deuenerunt impietatis, vt citiſſimè præcipitarentur in extremum exitium. Et quibus hanc impietatem traxerunt, quæ eos ſic in ruinam impelleret? Ait textus: *Ipſi regnauerunt, & non per me.* Septuagint. dicunt: *Sibimetipſis regnauerunt, & non per me*; non Deus erat illis præ oculis, ſed proprias commoditates aſpiciebant, hos in primis ſpectantes non
Rupert.
2. Reg. 14.
Eſther 10.
Oſ. 8.

a Deo,

à Deo, ſed à ſuis affectibus conſilium petebant. Et vt non in Deo nitebantur, ſic conſtantiam, & permanentiam
Cyrill. Alex. habere minimè potuerunt. Ait D. Cyrill. Alexand. ibi: *Sibimetipſis igitur, non per me regnarunt. Poſtquam autem Principes extiterunt, tamum non aſſiſtente Deo, debilitatus, & expugnatu facilis euaſit principatus, & ad reſiſtendum imbecillus, & impotens ad tuendos ſubditos. Per ipſum enim Reges regnant, & tyranni dominantur terræ*, Prouerb. 8. Tolle ab oculis Deum cuius eſt tota bonorum, principatuſve permanentia, & nullum bonum habebis, quod non citiſſimè in exitium vertat.

§. XVIII.

Nomen Dei nuſquam ſine re virtutis.

EXpendenda adhuc illa Salomonis ad Deum dicta, nimirum, *vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte, ac die, ſuper domum de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi; vt exaudias orationem*, &c. Non oſtenditur Deus dixiſſe, quòd ipſe erat in domo illa, ſed quòd nomen eius erit ibi. An quòd nomen ſolum ibi futurum erat, & non Deus? Abſit, nuſquam enim diuinum nomen eſt ſine re virtutis. Notiſſimum erat illud Ieſu nomen, iuxta Apoſtol. *Petra autem erat Chriſtus*; quod nomen video aliquando Simoni
Ioan. 1. communicatum, cui Dominus dicebat Ioan. 1. *Tu vocaberis Cephas*, quod eſt, Petra. De quo ſtatim D. Proſper. lib.
Proſper. de vocat. Gentium 2. c. 18. ait: *Hæc fortiſſima Petra ob illa principali Petra communicationem virtutis accepit, & nominis*; quaſi non poſſit diuini nominis communio eſſe, ſine ipſa virtute latente ſub nomine. Quando in Beatiſſima Trinitate perfectiſſimam vnitatem confitemur, ſic vnum Deum dicimus, vt multa nihilominus nomina vni attribuamus perſonæ, quæ alteri non attribuuntur. Dicit Ioan. cap. 1.
Ioan. 1. *In principio erat Verbum*; & quis vnquam Verbi nomine appellauit Patrem? An quia ſimilia nomina vacua erant virtute? Minimè, vt enim erant Dei nomina, ſic nuſquam
Ambroſ. eſſe poterant ſine virtute. Ait D. Ambroſ. lib. 1. de Fide cap. 2. *Ne quis poſſit errare, ſequatur ea, quibus Scriptura ſancta, vt intelligere poſſimus, filium ſignificat: Verbum dicitur, filius dicitur, Dei virtus dicitur, dicitur Dei ſapientia. Verbum, quia immaculatus; virtus, quia perfectus; filius, quia genitus ex patre: ſapientia, quia vnum cum patre, vnum æternitate, vnum diuinitate. Non enim Pater ipſe, qui filius, ſed inter patrem, & filium generationis expreſſa diſtinctio eſt, vt ex Deo Deus, ex manente manens, plenus ex pleno. Non ſunt igitur hæc nuda nomina, ſed operatricis virtutis indicia.* Vbi diuinitatis nomina ſunt, minimè nuda ſunt nomina, ſed operatricem virtutem præſentem indicant. Nec æſtimat Deus nomen, cuius in
Oſ. 8. re non apparet virtus, Oſeas cap. 8. *Me inuocabant, Deus meus, cognouimus te, Iſrael. Proiecit Iſrael bonum, inimicus perſequatur eum.* Iſraelitæ afflicti inuocabant Dominum, pro ſe nomen Iſraelis proponentes, cuius nominis propoſitionem nihili æſtimans Deus, homines hoſtibus tradebat. Et cur non magis nomen illud carisſimum reſpiciebat? Ait Ruffinus ibi: *Frigida namque eſt, & nihil ad*
Ruffin. *defendendum valens nominum ſola iactatio, & quæ impudentiam magis, quàm religionem indicat confiteatur. Id eſt, quòd profanis ſtudiis inquinati, dicere tamen audent, Deus noſter libera nos, qui te ſoli in toto orbe cognoſcimus, & dato à te Iſraelis nomine gloriamur. Operum quippe apud bonum iudicem grauiora ſunt momenta, quàm vocum.* Sic ibi.

3. *Reg.* 8. Si peccauerit homo in proximum ſuum, & habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur adſtrictus: & venerit propter iuramentum coràm altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cœlo; & facies, & iudicabis ſeruos tuos, condemnans impium, & reddens viam ſuam ſuper caput eius, iuſtificánſque iuſtum, & retribuens ei ſecundùm iuſtitiam ſuam. Si fugerit populus tuus, *&c.*

§. XIX.

A multis licitis, & honeſtis cauendum, vt magis lapſus in illicita caueatur.

HOc decus amabat Salomon Templo ſuo, quòd inibi à fidelibus, pro grauibus negotiis, aut ſuſpicionibus tollendis iuramenta emitterentur. Ait enim: *Venerit propter iuramentum coram altari tuo*, &c. Quippe dum controuerſia erat de aliquo facto, conueniebant contentores vt ad templum irent, & ibi coram altari quiſque emitteret iuramentum, Deo ſtatim periuro ſupplicium inferente; & ſic tunc multi compellebantur iurare. Cui conſuetudini illud oppoſuit Chriſtus Dominus Matthæi cap. 5. fatus: *Ego autem dico vobis non iurare omnino.* Et quando mos Matth. 5.
ille iurandi & ſanctus, & licitus erat, cur Ieſus meus maluit, ne omnino iuraretur? Sanctum erat iurare in iuſtitia, & veritate, verùm quia poterat fieri, vt iurans in periurium laberetur; ideo Dominus à tanto malo nos volens eſſe ſecuros, omnino iurare vetuit, vt inde remotiores à periurij periculo redderemur. Ait D. Auguſt. homil. 1. in Decoll. Sanct. Ioann. Baptiſt. *Non eſt peccatum, verum iurare. Sed quia grande peccatum eſt falſum iurare, longè eſt à peccato falſum iurandi, qui omnino non iurat. Propinquat falſæ iurationi, qui vel verum iurat. Dominus ergo qui prohibuit iurare, ſupra ripam noluit ambulare, ne per tuum in anguſto labatur, & cadas.* Bonum, licet ſit iuramentum verum, tamen ſapientiſſimè nos Dominus ab illo prohibuit, vt ſic nullum vel à longè ſentiremus periurij periculum. Non aliter Auguſt.
Pſalm. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, & quis requieſcet in monte ſancto tuo?* &c. *Qui iurat proximo ſuo, & non decipit.* Ecce tibi inter ea, quæ nos faciunt in domo Dei habitare, proponitur iuramentum, & nihilominus à iuramento prohibemur, dicente Ieſu Matth. 5. *Ego autem dico vobis non iurare omnino.* Et quando ad ingreſſum domus Dei pertinet verum iuramentum, cur ab illo per Dominum prohibemur? Accipite D. Baſil. fatentem ibi: *Vbique Dominus tam in veteri, quàm in noua lege eamdem habet Dominus perceptionis conſiderationem. Cupit enim peccatorum effectibus occurrere, & à primis initiis malignitatem excidere. Vt enim vetus lex ait: Non mœchaberis. Dominus autem: Non concupiſces. Sic itaque in hoc loco contentus abit Propheta iuramento, quod iuſtum ſit, ac rectum. Dominus verò vel occaſionem illam reſecat periurij. Qui enim vel rectè iurat, fortè & is poſſet interdum falli; qui verò non iurat, periculum vitauit periurij.* Amat ſemper Ieſus magis eligere illud, per quod longè fias vel ab vmbra periculi, vt in graue aliquod peccatum proſilias.
Pſal. 14.
Matth. 5.
Baſilius.

§. XX.

Chriſtianæ perfectionis eſt, proximis peccandi occaſiones abripere, vel proprio incommodo.

IN templo ſuo tantam ſanctitatem optabat Salomon, vt in illo periuri illicò ſubirent ſupplicium. Dicebat namque: *Venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cælo, & facies, & iudicabis ſeruos tuos, condemnans impium*, &c. Impius condemnandus vocatur à Salomone, qui inuentus fuerit periurus in domo Domini, iuſtus autem abſoluendus dicitur, qui non peierauit, ſed ſocium eò adduxit, vt peieraret. Cùm enim alter rem ſuam exigeret, alter negaret illam ſibi eſſe; coactus iſte fuit, vt coram altari in domo Dei iuramentum emitteret, plectendus vt impius, niſi iuraret verum, cùm alter iuſtus in petitione ſua oſtenderetur. Sic Salomon, at Ieſus meus neutrum iuſtum agnoſcit, tam damnat iurantem, quàm eum, qui iurare fecit. Dicit enim Matth. 5. *Sit in ore veſtro, Eſt, eſt; Non, non: ſi quid amplius eſt, à malo eſt.* Matth. 5.
Siquid iuramenti ſimplici aſſertioni addideris, hoc à malo dicitur eſſe. A quo malo? Nimirum ab eo, qui te ad iurandum adduxit. Ait D. Auguſt. ſerm. 2. in decollation. ſancti Ioannis Baptiſtæ: *Siquid amplius eſt, à malo eſt. Loquebatur autem de iuratione, vbi nos intelligere voluit, ipſam iurationem à malo eſſe. Si ab alio prouocatus fueris, ab ipſius malo erit, quòd iuras, non à tuo.* Sic credit Auguſtinus à Domino Ieſu malum reputari eum, qui proximum ad iuran- Auguſt.

victimis conſtituti vnà cum mari æneo ſacramentum Pœnitentiæ referebant Ribetæ noſtro lib. 2. de templo c. 19. Et mirabar, quòd pro vno ſacramento Pœnitentiæ repræſentando & mare æneum, & tot luteres in baſibus ſuis ponerentur. At quid tot lauacra, tot luteres? Nonne ſufficeret ſemel, & in vno lutere, ſeu mari lauaſſe? Cur præterea tot luteres adduntur? Habent hoc maculæ, quæ in ſacramento Pœnitentiæ abluuntur, quòd & bis, & ter, & ſepties, & ſeptuagies ſepties pœnitentiæ lauacra repetant; nunquam enim de illis ablutis debet homo adeò eſſe ſecurus, vt non magis timeat ab illis ſuæ ſaluti, & noua ſemper lauacra pro illis abluendis requirat. Quo ſpectans

Eccli. 5. Eccleſiaſticus cap. 5. ait: *De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu.* Circa quæ Carthuſ. *Non permittas tibi periculoſam ſecuritatem de hoc, quod peccata tua ſint tibi remiſſa, ſed metue inde. Quia etſi confeſſus ſis, ignoras tamen an ex vera contritione.* Nunquam ſecurus ſis, etſi peccatum tuum confeſſus fueris; ſed magis inde time, & ne cauſeris iterum, & iterum illud, ad lauacrum adducere, quaſi nunquam tuæ ſaluti ab illo non metuas. Sorte diuina deprehenſus Ionathas Saulis filius, tanquam reus ieiunij violati, ſic coram pa-

1. Reg. 14. tre peccatum ſuum confitebatur 1. Reg. 14. *Guſtans guſtaui in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.* Confeſſus commiſſum ſuum, & poſt tantam confeſſionem, adhuc timet ſibi à pœna mortis peccanti debita, dum ait: *Et en ego morior.* Sic ſic viri iuſti & poſt peccati confeſſionem adhuc ſunt in timore. Vt dicat D.

Greg. PP. Gregor. PP. lib. 5. in 1 Reg. cap. 4. *Quid eſt poſt peccati confeſſionem dicere: Morior, niſi mortem à ſe pœnitendo & confitendo expellere, & expulſam timere? Quod quidem proprium eſt electorum, qui peccata ſua deſerunt, & tamen hæc quaſi non deſerta pertimeſcunt. Et quidem puris confeſſionibus & auſteris pœnitentiæ cruciatibus delent, ſed quaſi non deleta vehementer timent.* Quid ſapientius? Debent nobis peccata ſemper eſſe timori, quantumuis videantur expiata per ſacramentum confeſſionis, & ſic illa ſemel & ter ad nouam trahi confeſſionem, quaſi adhuc ſint in ſuo damnabili vigore. Quò ſpectans Eliſæus monebat leproſum Regis Syriæ 4. Regum 5.

4. Reg. 5. *Lauare ſepties in Iordane*, vt oſtendat, quàm ſæpe iterare debeat lauacrum pœnitentiæ, quiſquis ſaluti ſtudeat obtinendæ. Ex quo dicebat Guerricus Abb. ſer. 4. de Epiphan.

Guerr. *Proh dolor, quanta eſt huius miſeria temporis, quia non ſolum diuites, ſed etiam pauperes leproſi, ita inueniuntur delicati, vt vix vſque ad talos ſalubribus mingi patiantur aquis, aut ſi ſemel lauerint, mox ſibi pleniſſimè videantur mundati. At Eliſæus non ita ſentit, ſed ſignanter exprimit, ſepties lauare, & mundaberis, &c. Si tamen ſepties lauat, totumque ſe plenius, & ſæpiùs mergat, non moratur effectus ſalutis fidem propheticò facere ſermoni.* Expende ſignum hominis de ſalute ſuſpecti, nimirum: *Si ſemel lauerint, mox ſibi pleniſſimè videantur mundati*; qui vna confeſſione contenti, ſecuriſſimi manent de peccato propitiato. Sed & aliud eſt ſignum hominis ad ſalutem feſtinantis, nimirum illud: *Totumque ſe plenius, & ſæpiùs mergat*, vix fieri poteſt vt è toties iterata merſione non ſanus euadat.

§. XLIII.

Quæ per homines electio adminiſtratur, nunquam non capit dignos, & indignos.

ILlud mirabar, quod de decem iis luteribus ait, nimirum: *Et conſtituit decem baſes, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad ſiniſtram*, &c. Et quando ij luteres, ſiue lauacra poſita erant ad ſacramenta chriſtiana repræſentanda, cur quinque illorum in ſiniſtra ponuntur. Nonne ſacramenta Chriſti nos ad dexteram ducunt? Quid eſt, quod etiam in illis ſiniſtrum aliquid capiatur? Equidem ſacramenta ex ſe pro dextris tantùm conſtituebantur, at dum in hoc ſæculo per homines adminiſtrantur, non poteſt fieri, quòd etiam ſiniſtris non communicentur. Nihil enim inuenies in hoc ſæculo per homines adminiſtrarum, quod dextros, & ſiniſtros non capiat. Conceperat ſanctiſſima Rebecca ex ſanctiſſimo Iſaac, & cùm nimis

Geneſ. 25. vtero grauaretur, dictum eſt illi Geneſ. 25. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo.* Ex vxoribus ſanctorum Patriarcharum ſola Rebecca duos filios ſimul in vtero habuit, Iacob, & Eſau, quorum alter eligendus, alter erat reprobandus. Et cur in hac fœmina inuenitur voluit Deus ſimul electi filij; & reprobi conceptum? In illa Eccleſia militans adhuc ex hominibus viatoribus conſtituta exprimebatur, quod autem ex hominibus fit, & bonos, & malos capit. Ait Guerricus

Abb. ſerm. 3. de Annunt. Dom. *Grauida eſt, ô fratres, Eccleſia, non ſicut Maria ſola Ieſu, ſed ſicut Rebecca Iacob, & Eſau; non ſolum ſcilicet bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis, & indiſciplinatis, quos tamen ipſos propter nomen Ieſu, vel forſitan aliquod initium ſubſtantiæ eius, Eccleſiæ viſcera ſuſcipiunt, & amplectuntur.* Equidem dū ſumus in hoc mūdiali ſtatu, & res per homines adminiſtrantur, nequit fieri, vt vel a ſanctiſſimis mali, & improbi admittantur, & etiam ad præſtantiſſima quæque eligantur. Matth. 23. *Simile eſt regnum cælorum ſagenæ* Matth. 23.
miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Quam, cùm impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Erant ergo in ſagena illa cœleſti, mali, & reprobi. Et qui fieri potuit, vt ſagena illa non magis à ſe arceret malos? Ait Theophylact. *Sagena illa* Theophyl.
eſt doctrina piſcatorum Apoſtolorum, quæ ex miraculis, & Prophetarum vocibus connexa eſt. Hæc igitur ſagena ex omni genere congregauit Barbaros, Græcos, Iudæos, meretrices, publicanos, latrones, &c. Vbi autem per homines Eccleſia fundabatur, licet ſanctiſſimi eſſent, & Apoſtoli Chriſti, non potuerunt euitare, quin multos indignos, & reprobandos caperent, & ad celſiſſimas functiones eleuarent. Non eſt hominis in hac vita degentis, ſolos bonos, & dignos admittere, & capere. Apocal. 7. *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab* Apoc. 7.
ortu Solis, habentem ſignum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadvſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Ecce tibi vnus eſt, qui audet deſignare electos homines, ne cum malis, & reprobis inuoluantur. Et cur Domine viri tradis hoc munus deſignandi electos tuos? Vnus nonne facile falletur, & pro electis reprobos deſignabit? Id faceret, ſi homo eſſet deſignator ille, at Angelus eſt, qui ſolus poſſet dignos, & merentes deſignare. Ait Guerricus Abb. ſerm. 2. in Dom. Guerr. Abb.
in Ramis: *Iam non arbitrio hominum, ſed iudicio, & miniſterio Angelorum ſignabitur Tau ſuper frontes virorum, vt diſcernantur ſaluandi à multitudine reproborum.* Expende illud, *non arbitrio hominum*; quippe ſi hominis arbitrio fieret diſcretio, & deſignatio ſaluandorum; vel ſceleſtiſſimi poſſent ſperare ſe ſublimandos in ſuprema loca. Ideo deſignatio, quæ non admittat immerentes, neque indignos, Angelo committitur, non homini. Vide namque vniuerſas electiones, & promotiones factas ab hominibus, & fallar ſi pro maiori parte admiſſi non ſint indigniſſimi omnium.

§. XLIV.

A chriſtianis ſacramentis animalis homo Angelis æquatur.

ILlud in calcem huius capitis reſeruaui, quod ſæpe in cælaturis baſium repetitur, nimirum, quòd ibi eſſent *leones & boues, & Cherubim*; vel ſi mauis, iterum iouenies, *Cherubim, & leones, & palmas*, &c. Et mirabar, quòd in cælaturis baſium luteres ſuſtentantium, ſemper repræſententur adeò fera animalia Cherubinis ſociata. Sed vnde certius, quam è Chriſtianorum ſacramentorum baſibus hæc ſocietas, imò & vnitas naſcatur animales, & Angeli? vt totum illud opus ad luteres, ſeu lauacra pertinens Chriſtiana ſacramenta, eorumque effectus repræſentabat, ſic non mirandum eſt, quod feriſſima quæque animalia oſtentet Angelis ſociata. De ſacramentis enim Chriſtianis venit, quòd vel efferus, & animalis homo abeat in Angelum. Hinc de Sacramento Baptiſmi agens Diuo Zeno lib. 3. ſermone 24. ait: Zeno.
Cum omnium aquarum natura ſit talis, vt cum in profundum homines ſuſceperit viuos, euomat mortuos, aqua noſtra ſuſcipit mortuos, & euomit viuos; ex animalibus veros homines factos, ex hominibus in Angelos tranſituros. Equidem hoc præſtant ſacramenta Chriſtiana, quòd animalis homo poſſit tranſire in Angelum, & cœleſtibus ſpiritibus ſociari. Marc. capite 1. dicebat: *Initium Euan-* Marc. 1.
gelij Ieſu Chriſti filij Dei. Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparauit viam tuam ante te, &c. De Ioanne Chriſti præcurſore mittendo locutus Iſaias illum vocat Angelum.

Et

Et cur Ioannes intelligitur à Marco in Angelo? Ipſe præmittebat cauſam, aiens: *Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia*, &c. Quaſi & Euangelium, & ſacramenta Ieſu hoc initiarent in mundo, quòd homines conſerentur inter Angelos, & qui antea indomita, & effera erant animalia, iam crederentur Angeli, & miſcerentur Angelis.

Chryſol. Vt dicat D. Chryſolog. ſerm. 89. *Cùm Chriſtus Deus naſceretur in carne Ioannes Angelus eſt generatus in terris, vt ita officia terrena officijs ſe cæleſtibus miſcerent.* De Chriſti Domini aduentu, & gratia venit, quòd terrena, & cœleſtia animalia, & Angeli in ſocietatem, uno in vnitatem abeant.

2. Cor. 12. Paulus 2. ad Corinth. 12. de ſe dicebat: *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit) raptum huiuſcemodi vſque ad tertium cœlum*, &c. Dum adhuc in terris erat, iam quaſi ſpiritus verſabatur in cœlis, & in quo hæc poterat animalis homo; Ipſe ait: *In Chriſto*, poſt indutum Chriſtum ſic profecit, vt Angelicas perfectiones ſupergrederetur.

Chryſoſt. De illo ſapienter D. Chryſoſt. homil. 1 in eius laud. *Paulus in terra gradiens ſic ſe agebat in cunctis, quaſi Angelorum ſocietate frueretur. Nam paſſibili adhuc colligatus corpori illorum perfectione gaudebat, tantiſque fragilitatibus ſubditus in nullo inferior ſupernis virtutibus apparere certabat. Nam & tanquam pennatus totum docendo peruolauit vrbem, & velut incorporeus labores omnes, periculáque contempſit; & quaſi iam cœlum poſſidens cuncta prorſus terrena deſpexit, & tanquam cum ipſis iam incorporeis degens, ita ſugi mentis intentione vigilauit.* Sic homo antè animalis, & ferus, qui tanquam leo rugiens Chriſtianos vorabat; modò poſt Chriſti lauacrum in Angelum fuit mutatus. Imò, vt plus dicam, factus eſt ſuperior Angelis.

Chryſoſt. Pergit namque ibi Chryſoſt. *Angelis quidem ſæpè diuerſarum gentium cura cõmiſſa eſt, ſed nullus illorum ita creditum ſibi populum gubernauit, vt Paulus vniuerſum gubernauit orbem*, &c. *Michaeli gens commiſſa eſt Iudæorum: Paulo verò terræ, ac maria, atque vniuerſa orbis habitatio, ipſumque deſertum, & hoc non ad iniuriam, quod abſit, Angelorum, ſed oſtendimus eſſe poſſibile illis hominem copulari, iuxtaque illorum merita conſiſtere.* Sic ibi.

Caput XI.

Dedicatio templi.

TEXTVS HISTORIA.

PRAECELLENTISSIMVM templum Hieroſolymis à Salomone erectum ſeptennio ſaxorum magnitudine, metalli nitore, venuſtate operis, gratiæ pulchritudine non parum dehoneſtabat ſeptem miracula orbis. Splendidiſſimo plenum erat valorum ornatu, ſed adhuc vacuum religione; quam illi intulit, menſe Ethanim, immenſus à Rege coactus & Principum conuentus, & populi. Non ſic malus inter ligna, vt Salomon præeminebat inter procerum turbas, quæ Regem nobili ſequebantur pompa. Tunc tubæ, & organa, & pſalmi populares demulcent, & Dei extollunt honorem. Iam ſacerdotum chorus religionem halabat; poſt quos ipſa religio in arca fœderis, in tabernaculo, in vaſis Sanctuarij implebat mortalium corda. Tandem ingens Leuitarum multitudo pompæ finem ſpecioſum imponit. Spatia procedẽtibus ſignabantur, quibus tantiſper ſubſiſterent, vt mactandis victimis, faciendiſque ſacrificiis daretur locus. Vt autem ad templum ventum eſt, arca Domini, in qua legis tabulæ claudebantur, ſub alis Cherubim ſanctiſſimi ſtatuitur in loco. Omnia ſtatim templi caliginoſa nebula opplentur, putares inibi cœli formam, cum nubibus ſuæ operire pulchritudinem gloriæ. A nebula Salomon inhabitantis Dei templum concepit opinionem, & ſuggeſtu conſcenſo, popularibus ſignificauit totum ſanctiſſimi proceſſum operis. Vt à ſe perfectum ſtabat templum Dei, quod pater Dauid tot conceptis optauerat votis. Rurſus expanſis manibus in cœlum, flexiſque genibus, largè orat, miratus Deum immenſum voluiſſe inhabitare ſub operibus hominum. Nec leuiter tranſcurrit, pro quibus ſuos exaudiri amet in templo: nimirum pro reditu in patriam ex bello, pro pluuia, pro auertenda fame, pro depellendis morbis, pro victoria pro exuenda captiuitate, ad quæ referuntur penè humana commoda. Quorum interpretatione non ſolùm gaudeant qui corporaliter templi limina tererent, ſed & qui longè politi ad locum templi conuerterint oculos. Inſuper & ipſi alienigenæ tanti Sanctuarij fruantur commodis. Hæc orans firmiſſimè credit obuentura ex relatis antiquis à Deo in populum perfectis donis. Denique ſtans placidiſſimè tribus alloquitur, multiſque hoſtiis cæſis dimittit concionem.

MORALIA IN TEXTVS litteram.

IN mentem venit illud Ioſephi aſſertum, quòd *neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus laſſitudo oborta eſt, dum ad templum peruenirent.* Ne credam me laſſari poſſe, dum huc peruenio, vt tanti celebrẽt templi myſteria.

3. *Regum* 8. Tunc congregati ſunt omnes maiores natu Iſraël cum Principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Iſraël ad Regem Salomonem in Ieruſalem, vt deferrent arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid, id eſt, de Sion. Conuenitque ad Regem Salomonem vniuerſus Iſraël in menſe Ethanim in ſolemni die, ipſe eſt menſis ſeptimus. Veneruntque cuncti ſenes de Iſraël, & tulerunt arcam, *&c.*

§. I.

Tota regnorum fortitudo ex religione.

COnueniunt vniuerſi Iſraelitæ cum Rege ſuo Salomone, vt templum Deo conſecrent, & arcam Domini in eo reponant. Quarum feriarum tempus non otioſè à textu ſacro notatur, cùm ait: *Conuenitque ad Regem Salomonem vniuerſus Iſrael in menſe Ethanim*, &c. Menſis autem Ethanim idem eſt, ac menſis fortium. Nec immeritò templi dedicatio, & arcæ Domini collocatio ab Iſraele & Salomone peragitur in menſe Fortium, nulla enim regnis notior fortitudo eſt, quam quæ venit ex religione. Quod adduco D. Fulg. lib. de verit. prædeſt. & gratiæ. relatum in Concil. Fulgent. Pariſienſ. lib. 2. cap. 1. in 5 tom. conc. vbi ſic: *Clementiſſimus quoque Imperator non ideo eſt vas miſericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit, ſed ſi Imperiali culmine recta fide viuat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis, ſanctæ religioni ſubiiciat*, &c. *Si præ omnibus ita ſe ſanctæ matris Eccleſiæ meminerit filium, vt eius paci atque tranquillitati per vniuerſum mundum prodeſſe ſuum faciat principatum. Magis enim Chriſtianum regitur, atque propagatur imperium, dum Eccleſiaſticis ſtatui per omnem terram conſulitur, quàm cum in parte quacumque terrarum pro temporali ſecuritate pugnatur.* Expende ab illis, *magis enim Chriſtianum propagatur imperium, dum Eccleſiaſtico*, &c. quippe non ſic exercituum numerus, non ſic militum, ducúmque dexteritas, non ſic præliorum, pugnarúmque aſſiduitas roborat imperium vt inuincibile ſit, vt longè, latéque extendat fines ſuos? vt illud firmat, & roborat religio. Crede mihi nunquam clariorem fortitudinem Princeps ſuo imperio addit, quàm vbi quæ ad Eccleſiã Dei, eiúſque religionem pertinent, reuerenter tractat. Conuenerant aliquando Iſraelitæ in Maſphat, vt ibi rem religionis agerent, irreligioſitatem ſuam flerent, Deo ſacrificarent. Quos dum inermes vident, & religioni vacare, aggreſſi ſunt Philiſthiim valida manu. At mentita eſt iniquitas ſibi, & quos putauit infirmos, adeò inuenit roboratos, vt tonante cœlo, & terra tremente compulſi fuerint Philiſthiim fugere ab eorum

1. Reg. 7. facie. Quid tunc? Ait text. 1. Reg. 7. *Egreſſique filij Iſraël de Maſpha perſecuti ſunt Philiſthæos, & percuſſerunt eos vſque ad locum, qui erat ſubter Bethchar. Tulit autem Samuel lapidem vnum, & poſuit eum inter Maſphath, & inter Sen, & vocauit nomen loci illius, lapis adiutorij.* Ioſephus legit, *Fortitudo*, ſeu, *Fortes.* Et vnde tanta fortitudo accidit hominibus inermibus, niſi ex ſacrificiis ibi exhibitis Domino, & iurata religione? Rem ſic exprimit Ioſephus lib. 6. cap. 2.

Ioſeph. *Cùm populus votis, & ſacrificiis operam daret, magnamque religionem, & cultus diuini curam præſeferrent*, &c. *Samuel edixit, vt conuenirent in oppidum Maſphatim; ibi hauſta aqua Domino libauerunt*, &c. *Ille iubet eos ſecuro eſſe animo, & mactato agno lactente*, &c. *priuſquam totam hoſtiam flamma abſumeret, nondum ſacro peracto, hoſtes in conſpectu aciem explicat, rem factam ſe habere putans, interceptis Iudæis imparatis ad pugnam, & tantum non inermibus. At longè aliter accepti ſunt. Primum enim terra intremuit; deinde fulminibus crebris attoniti in fugam ſpem totam ponebant. Cùm ſubitò Samuel in perturbatos irruit, cæſiſque plurimis, & fixo ibi ſuæ victoriæ termino, qui trophæi vice eſſet, appellauit eum Fortes, in ſignum donatæ à Deo in hoſtem fortitudinis.* Quid pulchrius? Ecce rei initium, nimirum: *Cùm populus magnam religionem, & cultus diuini curam haberet*; iuſſu Prophetæ in Maſphat conueniunt ſacrificaturi, vbi inermes ab armatis hoſtibus appetiti, eos percuſſerunt, & fugauerunt. Et in victoriæ ſignum erectus lapis fuit, quem vocarunt *Fortes*: numquam enim ex religione, & ſacrorum cultu non impleatur fortitudine etiam nudiſſimi, qua hoſtes expugnent.

Ezech. 24. Quò ſpectans Dominus Ezech. 24. dicebat: *Ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & deſiderium oculorum eorum, ſuper quo requieſcunt animæ eorum*, &c. Templum vocat fortitudinem Iudæorum, cuius religione adeò fortes erant, vt niſi ab illa deciderent, omnibus ſuis hoſtibus eſſent pauori.

§. II.

Templorum ædificator & ſe & alios in viam trahit ſalutis.

Feriæ erant dedicationis templi nuper ſtructi, & totus concurſus populi dicitur veniſſe ad Salomonem; ait enim: *Conuenitque ad Regem Salomonem vniuerſus Iſraël*, &c. Vt enim Salomon erat, qui templum ædificauerat, ſic ea ratione ad illum vniuerſi veniſſe dicuntur, vt qui ædificato templo, & ſe, & omnes in ſalutis viam deducebat. Habent enim hoc templorum ædificatores, quòd ſibi & aliis ſalutis viam oſtendant. Quò adduxerim pulcherrima carmina, quæ circa hanc rem dixit Venant. Fortunatus Leontio Epiſcopo.

Fortunat.

Ecce beata ſacræ fundaſti templa Mariæ,
Mox vbi victa fugit ſemper habenda dies,
Lumine plena micans imitata eſt aula Mariam,
Illa vtero lucem clauſit, & iſta diem.
Qui loca das populis vbi Chriſtum iugiter orent
Vnde ſalus veniat, te facis eſſe viam.
Feciſti vt libeat cunctos huc currere ciues,
Et domus vocet, quidquid in orbe manet.
O felix cuius ditat pia templa facultas,
Cui res iſta magis non peritura manet.
Et dato res viuit, facit & bene viuere dantem,
Cum moritur terris, ducitur inde polis.

Expende illud, *vnde ſalus venit, te facis eſſe viam*, equidem dum te ædificatorem templi facis, ſimul & te facis eſſe

Geneſ. 28. viam ſalutis multis. Geneſ. 28. *Iacob tulit de lapidibus, qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo dormiuit in eodem loco. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes*, &c. Lapidem ſibi dormituro adhibuit Iacob, & ecce patuit ſcala ad cælum, & Angelorum concurſus in ea, & porta patentiſſima cæli. Quid fiet ei, qui non lapidem dormituro, ſed multos lapides componit vigilaturis Deo? Planè quot lapides apponis templo conſtruendo, in quo vigiliæ fiant Deo, tot ſcalas, tot tritiſſimas vias, tot portas cæli oſtendis apertas, quà Angeli facti homines ad cœleſtia euolent.

3. *Regum* 8. Rex autem Salomon & omnis multitudo Iſraël, quæ conuenerant ad eum gradiebantur cum illo ante arcam, & immolabant oues, & boues abſque æſtimatione, & numero. Et intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum ſubter alas Cherubim. Siquidem Cherubim expandebant alas ſuper locum arcæ, *&c.*

§. III.

Maxima omnium lætitia ab vno Ieſu.

Vide Salomonem gradientem ante arcam, ſed non ſaltantem, vt ſaltauit pater eius Dauid. Dicit enim de Salomone præſens textus: *Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſraël, quæ conuenerant ad eum, gradiebantur cum illo ante arcam.* De Dauide autem in ſimili pompa dicit 2. Re- 2. Reg. 6.
gum 6. *Dauid percutiebat in organis armigatis, & ſaltabat totis viribus ſuis ante Dominum, porrò Dauid erat accinctus Ephod lineo. Et Dauid, & omnis populus deducebat arcam*, &c. Vtrobique arca deferebatur magna pompa, nec minori lætitia populi, & Regis. Sed in Dauide eò proceſſit magnitudinis lætitia, vt hominem faceret nudari purpura, & ante arcam totis viribus ſaltare. Non ſic in Salomone, qui etſi lætus, & gaudens cum populo ſuo præcedebat arcam, non ſaltabat ante illam. Et cur non fuit in Salomone tanta lætitia, quæ hominem faceret ſaltare ante arcam, vt Dauid ſaltauit? Cauſam mihi indigitant ipſiſſima verba textus, quæ de Salomone ſolùm dicunt, quòd *gradiebatur ante arcam*; de Dauide autem dicit: *Saltabat totis viribus ante Dominum.* Porrò & greſſus Salomonis, & ſaltus Dauidis erant ante arcam, ſed de Dauide ſingulariter dicuntur ſaltus eius fuiſſe *ante Dominum*, quaſi Dominus, qui in arca repræſentabatur, ſeſe magis Dauidi inſinuaret, & peculiari modo eius præcordia tangeret; ex quo non mirer, quòd maiori impleretur lætitiæ abundantia vſque ad edendos ſaltus. De ſolo enim Domino Ieſu ſumma, & perfecta lætitia poteſt emanare. Elizabeth in vtero habens Præcurſorem excepit domi ſuæ Mariam viuidiſſimam diuini nobiſcum fœderis arcam. Quid tunc? Ait illa Luc. 1. Luc. 1.
Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Ecce tibi ad præſentiam Mariæ, quæ vera erat arca humani diuiniq; theſauri dicitur Ioannes in gaudio exultaſſe, & non dicitur Elizabeth exultaſſe. Et quidem facilius poſſet Elizabeth plauſibus, & ſaltibus oſtendere lætitiam conceptam de Mariæ præſentia, quàm Ioannes, qui in oculis materni vteri tenebatur. Nilominus Elizabeth non exultat, & exultat Ioãnes. Et cur Ioannes magis lætus exultat, quàm Elizabeth mater eius? Ioanni ſingularius ſeſe inſinuabat Dominus Ieſus exiſtens in Mariæ vtero, ex quo illi obueniebat lætitia maior vſque ad ſaltus.
Beda ibi; *Vide diſtinctionem. Vocem prior Elizabeth audiuit, ſed Ioannes prior gratiam ſenſit. Illa naturæ ordine audiuit, ſed Ioannes exultauit ratione myſterij. Illa Mariæ, iſte Domini ſenſit aduentum.* Beda.
Expende cauſam, ob quam exultauit Ioannes, & non exultauit Elizabeth; nimirum ait: *Illa Mariæ, iſte Domini ſenſit aduentum*, non tam Ieſus, quàm Maria pulſabat Elizabetham: at Ioannem Ieſus mouebat, ex quo vno & maior, & præſtantior ad nos poteſt peruenire lætitia. Crede mihi, nulla creatura, nec Sancti, nec Angeli, nec Maria tantam poſſunt inferre lætitiam humano cordi, vt ſolus Ieſus poteſt. Miro hæredis deſiderio affectus Abraham excepit tres Angelos domi ſuæ, qui hoſpitij gratiam referentes
dicunt ei Geneſ. 18. *Habebit filium Sara vxor tua. Quo audita Sara riſit poſt oſtium tabernaculi.* Et Abraham, & Sara Geneſ. 18.
audiunt nuntium de habendo filio; & non Abraham, ſed Sara riſit. Et cur potiùs Sara in tali nuntio tanta perfuſa eſt lætitia, vt rideret? An illi præcipuè tunc inſinuatum aliquid expreſſius fuit de Ieſu Dei filio? Ait D. Ephrem ſer. in Ephrem.
Abraham, & Iſaac: *Non propter Iſaac riſit Sara, ſed propter natū ex Maria Virgine. Et ſicut Ioannes exultauit in vtero, ita & ſuo riſu Sara gaudium ſignificauit.* In ea fuit vera, & grandis lætitia, in qua ex Maria natus Ieſus præmonſtrabatur, quem vt oſtendebant ſaltus Ioannis, ſic riſus Saræ. Non enim filij dulciſſimi, & optatiſſimi ſic implent parentes gaudio, vt vnus

Ieſus

Ieſus Mariæ filius ſcit homines ſuos in gaudia trahere. Sic nobis præ oculis vnus Ieſus, & fallar, niſi eo gaudio impleamur, quòd in nobis abſorbeat omnes cauſas triſtitiæ. Nota eſt illa Iacobi vox Geneſ. 45. *Sufficit mihi, ſi Ioſeph filius meus viuit.* (Geneſ. 45.) Quam ſic in Ieſum transfert Guerricus Abb. ſerm. 1. de reſurr. Chriſti : (Guerric.) *O vocem fidelem, & planè dignam nomine Ieſu! Sufficit mihi, ſi Ieſus viuit. Quid mihi deeſſe poterit, ſi Ieſus viuit? Imò deſint omnia alia, nihil intereſt mea; dummodo Ieſus viuat. Cùm ſic omnino Chriſtis totum abſorbuerit affectum hominis, vt immemor ſit, non niſi Ieſum Chriſtum, & ea, quæ ſunt Ieſu Chriſti ſentiat. Huic vtique qui ſic affectus eſt, non eſt onerosa paupertas, iſte non ſentit iniurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat, imò nec mori ſe putat, cùm magis de morte ad vitam tranſire ſe ſciat.* Et mœror malorum omnium & paupertatis, & iniuriarum, & mortis funditus abſumitur in eo, cui vnus Ieſus affulget. (Matth. 16.) Quò ſpectans Dominus Matth. 16. ait : *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Sectatoribus ſuis propriam abnegationem, & crucis ſublationem annuntiat. Cur non magis præmium proponit? Qualis hæc merces ſectatorum Ieſu, vt ſe abnegent, vt crucem tollant? Equidem non hoc pro parua ponitur mercede, quando enim nulli non eſt crux tollenda, velit, nolit; nulli non frequentiſſimæ ſunt occaſiones, in quibus neceſſum ſit ſe abnegare. Qui vnum Ieſum ſpectat, non timeat ſibi à cruce, nec ab abnegatione, quin potiùs ſecurè vtramque amplectitur, nullum inde ſentiet incommodum, nullum mœrorem.

§. IV.

Sapientiæ ſermo Eccleſiæ firmitudo, & animarum.

POnitur arca in præſtantiſſimo templi loco, ſub alis Cherubim : *Siquidem Cherubim expandebant alas ſuper locum arcæ, & protegebant arcam.* Circa quæ verba ait Diuus (Bruno.) Bruno de laud. Eccleſ. cap. 4. *Bene autem ſub alis Cherubim arca teſtamenti ſtare dicitur, quia nihil eſt, quod ſic Eccleſiam Dei defendat, & muniat, ſicut ſermo diuinus, & ſcientia Scripturarum.* Et quis neſciat maximè muniri, & confirmari animas à diuino verbo ſapienter prolato? (Amos 8.) Amos cap. 8. *Circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient. In die illa deficient virgines pulchræ*, &c. Vbi non inuenitur Dei verbum, neceſſe eſt, vt nec vlla virtus queat ſuſtentari. Ad (Hieronym.) hæc enim dicebat D. Hieronym. *Bonæ, & ſpecioſæ virgines ſunt, quæ lumen habuerunt virtutum, & ſponſæ thalamum ingreſſæ ſunt. Deficient autem virgines, quæ verbum Domini non inuenient.* Licèt multis virtutibus conſpicuus ſis, minimè firmus, & ſecurus in illis ſtabis, niſi ſub diuini Verbi robore, & firmitate. Quod ſi tibi non adfuerit, protinus deficies propter nimiam infirmitatem. Inualidæ fiunt, & prorſus deficiunt ipſiſſimæ virgines, nimirum, qui ſupremum in Eccleſia tenent gradum virtutis, vbi deeſt illis, qui ſapienter verbum Dei annuntiet. Nec miror, in eo enim eſt, & robur fidelium, & firmitas. Minabatur Iſaias (Iſa. 3.) cap. 3. *Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ.* Ecce tibi vt fortitudo omnis, & valentia, & robur auferenda dicuntur populo, ne valeat non deficere, & cadere. Et in quo tota hæc fortitudo, & valentia, & robur auferenda ſunt? In eo quòd ſermo diuinus, & Scripturarum eru- (Baſil.) ditio auferatur. Ait D. Baſil. ibi : *Abſit, inquam, auferatur ab Eccleſia robur panis, & aquæ, ſubſidium videlicet, & ſinculas efficacis ſermonis, maximè efficacia accommoda alendis animabus, quemadmodum & Iudææ deſtituit vis efficax prophetici ſpiritus*, &c. *Quòd ſi Eccleſia nonnunquam laboret penuria virorum, qui tradere præualent fortia dogmata ſolidæ eruditionis, ut plenè ſenſu diuino, hoc ſigno collige, robur panis eſſe ablatum.* Vbi ſacrarum literarum eruditus ſermo diuinus defecerit in Eccleſia, meritò creditur illi & robur, & fortitudo ablata. Et ſine robore, & fortitudine cur non cadat, & intereat anima? (Cant. 8.) Dicebat Cant. 8. *Qui habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam.* Illa illa vox requiritur in Eccleſia, quæ ab ea prodeat, qui in hortis diuinarum Scripturarum habitat; ſine qua ſolus eſt caſus, & mors (Guerric.) ſpectanda. Rem pulchrè ponderat Guerricus Abb. ſerm. 5. pro deuot. Pſalm. *Qui habitas in hortis, fac me audire vocem tuam. Non ſum ego, cui hoc dictum debeat videri; non ſum, qui habitem in hortis, magis mihi videor eſſe de illis, qui habitant in ſepulcris. Corpora enim peccatorum, quid ſunt niſi ſepulchra mortuorum? Vos igitur, ni fallor, eſtis, qui in hortis habitatis qui ſcdicet in lege Domini meditamini die, ac nocte, & quot libros legitis, tot hortos perambulatis; quot ſententias eligitis, tot poma carpitis*, &c. Ecce tibi, qui ſint, qui habitant in hortis, nimirum qui ſcrutantur Scripturas, vt inde verba ſalutis hauriant. Qui ab hoc ſtudio, qui ab his ſermonibus longè eſt, non habitat in hortis, ſed in ſepulchris habitat, vt in corruptionem abeat.

§. V.

Deum lethaliter alicui æquat creatura.

IN ſublimiori, & præſtantiori templi loco conſtituitur arca, dicente textu : *Intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum*, &c. Vt enim arca fœderis erat Dei ſedes, ſic eius locus proprius in Sancto Sanctorum, in præſtantiſſimo præſtantiſſimorum. Nec miror, ea enim debet eſſe veræ deitatis ſedes, quæ ſeſe ſupra omnes creaturas extollat. Aiebat Paul. ad Rom. cap. 6. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum* (Rom. 6.) *carnem, qui eſt ſuper omnia Deus*, &c. quaſi id proprium ſit veri Dei, quòd minimè cenſeatur inter alia, ſed ut ſuper omnia. Vt dicat ibi D. Anſelm. *Per hoc, quòd Deus ſuper* (Anſelm.) *omnia dicitur, Deus naturaliter eſſe oſtenditur. Deus enim aliquando nuncupatiuè, aliquando verò eſſentialiter dicitur. Qui verò nuncupatiuè dicitur Deus, inter omnia; qui verò eſſentialiter dicitur Deus, ſuper omnia. Vt ergo Paulus oſtenderet Chriſtum naturaliter Deum, non tam Deum tantummodo, ſed Deum ſuper omnia memorauit.* Huc ſpectet quiſquis veram deitatem & adorare, & prædicare velit, vt eam minimè inter alia cenſeat, nec creaturis adæquet. De Ieſu proditore aiebat Pſalm. 40. *Magnificauit ſuper me ſupplantationem*; hoc eſt, (Pſalm. 40.) maximè grauauit mihi illatam offenſam. Et in quo ſic offenſam grauauit? An quòd tantum Dominum viliſſimè vendidit? Sed illud grauius videtur, quòd ſic vendidit Dominum, vt tunc temporis agni ſacrificandi vendi ſolebant. Ait Rupert. lib. 11 in Ioannem : *Verè magnifica, verè* (Rupert.) *mirabilis ſupplantatio fuit, vbi emptorem, imò redemptorem omnium, hic vnus peruersè ſupergreſſus vendere præſumpſit. Quomodo, vel quibus vendidit? Vtique Sacerdotibus malè ſuo paſchale ſacrificium ſic vendidit, quomodo tunc temporis apud omnes filios Iſrael ſolemni more quærebatur, & vendebatur agnus per ſingulas domos poſt hæ manducaturos.* Solemne erat Iſraelitis tempore paſchali agnos vendi, & emi occidendos in ſacrificio. Inter has ergo agnorum ferias Iudas acceſſit, & ſic Dominum inter agnos vendidit, quaſi vnus ex illis foret. Et quid lethalius homini? Equidem lethaliſſimum eſt Deum à creaturis non diſcernere, ſed eum illis exæquare, & cenſere inter omnes. De Petro negante Ieſum locutus Marc. cap. 14. ait : *At ille negauit, dicens : Neque ſcio, neque* (Marc. 14.) *noui, quid dicas.* Hæc de Petro refert, nec aliquid ex ſe dicit, quo tantum Petri facinus accuſet. Verùm cap. 9. de Ieſu transfiguratione agens inquit : Tunc *reſpondens* (Marc. 9.) *Petrus ait Ieſu : Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe, & faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Non enim ſciebat, quid diceret.* Cùm negantem proponit, non illum inſcitiæ accuſat, cùm autem illum agentem de tabernaculis faciendis oſtendit, ſtatim verba ſubdit, quæ hominis manifeſtent inſcitiam. Et cur non quando negat, ſed cùm de faciendis tabernaculis curat, hominem vocas inſcium? An minus eſt negare Ieſum, quàm velle ædificare tabernacula Ieſu, Moyſi, & Eliæ? Equidem in hoc tabernaculorum facinore videbatur Chriſtus à Petro exæquari Moyſi, & Eliæ, quòd niſi ab ignorante Petro exiſſet, eſſet ibi lethaliſſimum. Ideò neceſſum fuit ibi eum ignorantem oſtendi, vt tantum facinus credatur ab eo alieniſſimum. Quò ſpectans D. Baſil. Sel. ibi ait : *Arguit* (Baſil.) *ſuam ignorantiam, Dominum vnà cum ſeruis enumerans; exiſtimauit ſubiectos eſſe Domino æquales honore.* Facinus equidem id erat ſupra trinam negationem lethaliſſimum, niſi à prorſus homine ignorante prodiiſſet. Cuius facinoris ignoratum venenum à Petro oſtendebat Timotheus Ant. orat. de cruce, & transfigurat. fatus : *Quid ais Petre,* (Tim. Ant.) *tria tabernacula conſtruere cogis; ſimul me & Dominum, & ſimilem ſeruis facis? Occaſionem blaſphemiæ Arrio præbes; cum creaturis*

turis mihi habitationem vis aſſignare? Hoc erat in illo Petri aſſerto occultum venenum; quare meritò Petrus ab Euangeliſtis tanquam inſcius excuſatur, ne crederetur tantum nephas voiaſſe. Nunquam enim nephas non eſt lethaliſſimum, quod Deum à creaturis non diſcernas. Quò ſpectabat illud Pauli de Chriſti Domini corpore 1. ad Cor. 11.
1. Cor. 11. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Circa quæ D. Anſelm. ait: *Ille accipit non ad vitam, ſed ad iudicium, quia non diiudicat corpus Domini, id eſt, non diſcernit, quàm ſit dignius omnibus creaturis hoc corpus, quod videtur eſſe panis. Inde enim Apoſtolus nunc indignè dicit acceptum à Corinthiis, quia hoc non diſcernebant à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita,* &c. Sic ibi.

3. *Regum* 8. In arca autem non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Iſraël, cùm egrederentur de terra Ægypti. Factum eſt autem cùm exiſſent Sacerdotes de Sanctuario, nebula impleuit domum Domini, *&c.*

§. VI.

In Chriſto Ieſu non ſola ſeueritas.

AIt textus præſens: *In arca autem non erat aliud, niſi tabulæ lapideæ,* &c. Paul. autem ad Hebræos capit. 9.
Hebr. 9. ait: *Arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti.* Ecce tibi in illo textu ſolæ lapideæ tabulæ dicuntur eſſe in arca; in hoc autem textu Pauli non ſolùm lapideæ tabulæ, ſed & cum illis virga florida Aaron, & manna dicuntur eſſe. Scio à Carthuſiano, & aliis omnia hæc credi in arca fuiſſe, ſed præcipuè tabulas teſtamenti, ob quam cauſam tantùm illas fuiſſe in ſuperiori textu memorata. Sed & alij credunt intus in arca tantùm fuiſſe tabulas lapideas; & iuxta illam fuiſſe manna, & virgam, ideoque ab Apoſtolo memoratum, non ſolùm quod intus in arca erat, ſed quod adiunctum arcæ. Verùm cùm noſter textus adeò ſtrictè locutus fuerit, vt ſolas lapideas tabulas in arca fuiſſe meminerit; cur Paulus maluit ſic latè de contentis in arca verba facere, vt etiam proxima memoraret? Spectabat Paulus in arca Chriſtum, cuius erat non ſolùm lapideo rigore pollere, ſed magis in dulcedinem, & teneritudinem declinare. Ait D. Anſelm.
Anſelm. in Paul. *Apoſtolus locum arcæ proximum pro arca nunc poſuiſſe non inconuenienter accipitur; quia & ad ſpiritualem ſenſum magis aſpiciebat, intelligens per arcam Chriſtum, in quo ſpiritualiter ſunt tabulæ teſtamenti, & virga Aaron, & vrna cum manna.* Non equidem eſt adeò lapidea virtus Chriſtiana, vt in illa ſolùm inueniatur durities, & diſtrictus rigor. Sed ſimul & lapideſcere nouit, & in dulciſſimam mannæ pluuiam dif-
Pſalm. 113. fundi. Huc ſpectat illud Pſalm. 113. *Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Quæ verba ſic elucidat D. Guerricus Abbas ſerm. 1. de S. Benedicto ſatus:
Guerric. *Erat quidem petra Chriſtus, ſed virtute, non duritie. Erat Petra, ſed quæ conuerti poſſet, imò & conuerſa eſt in ſtagna, vel fontes aquarum, vbi molliſ & humilia quibus influeret inuenit corda fidelium.* Non ſemper petreus Ieſus, ſed qui in dulciſſima etiam conuertatur ſtagna aquarum, qui & petræ duritiam præ ſe ferat, & ſimul dulcedinis exhibeat ſuauitatem.

§. VII.

In ſolo Chriſto Ieſu lux, in aliis tenebræ.

EXpende illa: *Factum eſt, cùm exiiſſent Sacerdotes de Sanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam,* &c. Et cur tanti templi miniſtri ſic nebulis præpediuntur? Inibi iam oſtendebantur præſtantiſſima quæque ſine Chriſto, vt tenebroſis nebulis opprimuntur. Vt enim Sacerdotes Iudaici Chriſtum reiecturi erant, ſic in tenebris erant permanſuri, quaſi qui excluſerint lucem. Dicit Petrus Damianus ſerm. 2. de Nat. Mar. *Quòd autem nebula impleuit domum* Damian.
Dei, & non poterant Sacerdotes miniſtrare propter nebulam, hac ſententia ſuperbos Iudæorum Pontifices, ac doctores inſinuat, qui dum incarnationis Chriſti myſteria inueſtigare deſpiciunt, debitum fidei ſuæ miniſterium per erroris nebulam perdunt. Et quid niſi nebulas, & tenebras acquirit, qui reiicit Chriſtum, in quo ſolo eſt verum lumen? De Iuda notabat Ioannes cap. 13. *Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, continuò exiuit.* Ioan. 13.
Erat autem nox. Non enim poterat non ambulare in noctis tenebris, qui reiiciens Ieſum ab animo ſuo, etiam corpore recedebat ab illo, quod meditatus Orig. tom. 32. in Ioan. pulchrè ait: *Non erat igitur nox in iis, quibus pedes* Origen.
Ieſus abluerat, ſed dies clariſſimus, quòd mundi eſſent; & præcipuè in eo, qui in Ieſu ſinu cubabat, nox non erat; Ieſus enim eum diligebat, omnéſque tenebras expellebat. Neque in Petro profitenti, Tu es Chriſtus, nox erat. Num ergo etiam cum accepta buccella, Iudas continuò exiuit, tunc in eo egreſſo nox erat. Nec enim ei præſtò erat vir, cui nomen Oriens, cum egrediendo iuſtitiæ ſolem reliquiſſet. Qui Ieſum habebant, non poterant non eſſe in luce, & die clariſſimo; ille ille comprehenditur à tenebris, qui Ieſum relinquit. Cui Ieſus non adeſt, quid ſupereſt, niſi vt tenebroſam noctem incurrat, & tenebræ eum conculcent? Et ſunt adeò amentes homines, qui vmbrarum tenebris capiantur, & Chriſti lucem fugiant. De quibus ait Oſeas cap. 4. *Super capita montium ſacrificabant, & ſuper colles accendebant thymiama; ſubter quercum, &* Oſ. 4.
populum, & terebinthum, quia bona erat vmbra eius. Expende cauſam motiuam, qua impellebantur ad lignum adorandum, nimirum ait: *Quia bona erat vmbra eius.* ſic ad vmbras, & tenebras ferebantur, vt præ illis ſolem contemnerent, quam ergo inde pœnam mercantur? Ait Ruffinus lib. 1. in Oſeam: *Repudiantes lucis, & luminis conditorem,* Ruffin.
vere quaſi ſilij tenebrarum nemoris captabantur vmbraculum, &c. *Hanc igitur impietatem calamitatis vltimæ diſpungat illatio.* Meritò pereat, qui ab vmbris raptatus authorem lucis à ſe abiicit.

§. VIII.

Qualis fueris, talem ſe tibi Deus exhibere ſolet.

ADhuc miror illud, quod ait: *Nebula impleuit domum Domini;* præcipuè cùm Pſalm 44. dicat de Domino: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Et quando is eſt Deus, qui in ſole amet ponere tabernaculum ſuum; cur templum ſuum in nebulis poſuit? Apparebant iam templi miniſtri in eis tenebris, quibus cæci Ieſum non agnoſcerent, ne miremur, quod cæcis hominibus veniat etiam Deus nebuloſus, talem enim ſe exhibere ſolet, quales apparent homines. Ait Petrus Damianus ſerm. 2. de Natiuit. Mar.
Ad illud ergo templum Deus in nebula deſcendit, vt cæcam Iu- Damian.
daicæ gentis caliginem deſignaret; in hoc, ſicut ſcriptum eſt, in Sole poſuit tabernaculum ſuum. Componit vterii virginalis templum cum templo Hieroſolymitano; ad virginale templum cum luce venit, ad Hieroſolymitanum in nebulis; ſplendidæ enim Mariæ ſplendidus veniebat; cæcis Iudæis nebuloſus apparuit. Solet enim Deus ſuorum hoſpitum induere habitum, vt quales illi ſint, talis ipſe appareat. Iob. cap. 3. mirabatur æqualitatem omnium hominum in morte, dum ait: *Paruus, & magnus ibi ſunt, & ſeruus li-* Iob. 3.
ber à Domino ſuo. Et quando paruus, & magnus reſpectu bonorum naturalium æquantur in morte; reſpectu Dei æquantur? Abſit; Deus enim paruis ſe exhibet paruum, & parua faciens; magnis autem ſe exhibet magnum magnáque patrans. Vt dicat Gillib. Abb. ſerm. 3. in Cant.
Et ſi ex toto te, ô Deus, vbique opereris, non tamen totum, quod Gilib. Abb.
potentia tua eſt vbique, imò potiùs nuſquam opераris. Indifferenti enim virtute efficis in minimis minima, & in magnis maiora. Sic ſe Deus temperat ad ſuſcipientium modum; vt vix alius appareat, quam eſt is, qui ſuſcipit eum. Obſcurus in obſcuris, paruus in paruis, magnus in magnis, & in lucidis clarus. Quò ſpectans Iſaias cap. 9. dicebat: *Puer* Iſai 9.
natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Nobis puer paſſibilis, & temporalis dicitur Deus naſci, non Angelis. Et cur non

Angelis

Angelis talis dicitur natus? Angeli impaſſibiles erant, & æterni, nos ſoli paſſibiles, & temporales, ideo nobis ſolis dicitur natus, quia nobis ſolis ſe in paſſibili natiuitate attemperauit. Ad hæc dicebat Guerricus Abb. ſerm. 3. de Natiuit. Domini: *Qui Deus natus erat ſibi, puer natus eſt nobis, ſe quodammodo relinquens, & Angelos tranſiliens, vt ad nos vſque deueniens vnus fieret è nobis. Qui igitur natus æternaliter ſibi, & Angelis erat beatitudo, natus temporaliter nobis, factus eſt nobis redemptio, quia nos ſolos laborare videbat antiquo noſtræ natiuitatis præiudicio.* Expende illa, *quia nos ſolos laborare videbat*; ideo in laboribus natus eſt nobis, quia nos in laboribus eſſe videbat, talem ſe exhibens ſuis creaturis, quales ipſæ erant; incorruptis Angelis incorruptus & æternus; laborantibus hominibus laborans & ipſe venit.

Guerric.

§. IX.

Solùm ibi benignitas Dei ſplendet, vbi Maria eſt.

Et glorioſum, & magnificum Dei templum erat à Salomone conſtructum, & dedicatum, nihilominus de illo ait textus in præſenti: *Nebula impleuit domum Domini*, & mirabar quòd domus Domini hæc dicatur nebula impleta, quando de tabernaculo Dei locutus Pſalm. 44. ait: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Quale ergo tabernaculum Dei potuit eſſe in ſole; quando magnificum Salomonis templum fuit in nebula? Aut cur Salomonis templum nebula impletur, cùm tabernaculum Dei ſit in Sole? In Salomonis templo ſoli Iudæi cæci erant, quibus non mirer, ſi nebuloſus, & durus appareat Deus; in tabernaculo autem Dei Mariæ Virginis viſcera oſtendebantur, de cuius gratia venit, quòd benignitas, & ſuauitas Dei erga peccatores ſplendeat. Crede mihi, ſolùm ibi ſplendet benignitas Dei in peccatores, vbi Maria eſt. Ait Petrus Damian. ſerm. 2. de Natiuit. Mariæ. *Ad illud templum Dominus in nebula deſcendit, vt cæcam Iudaicæ infirmitatis caliginem deſignaret*; in hoc, nimirum, Mariæ tabernaculo, *ſicut ſcriptum eſt, in ſole poſuit tabernaculum ſuum, vt ſedentes in tenebris, & in vmbra mortis illuminaret.* Vbi templum ſine Maria ingreſſus Dominus fuit, nebuloſus, & durus peccatoribus extitit; vbi autem templum ſibi in Maria fecit, inde tanquam lucidiſſimus Sol vſque ad tenebroſiſſimos peccatores benignitatis ſuæ radios deiecit. Qui rigor non eſt, vbi non eſt Maria? Quæ gratia non plaudit, vbi eſt Maria? Exodi cap. 19. *Totus mons Sinai fumabat, eo quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace, eratque omnis mons terribilis.* Sed à Sinai monte in montem Sion contende, de quo ait textus Actor. 2. *Erant omnes pariter in eodem loco, & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis*, &c. Vtrobique Deus in igne deſcendit; ſed in Sinai metum & horrorem inferens, in Sion ſuauitatem prætendens. Illic arcebat homines à monte terribilis factus: hic conuocabat vniuerſos, blandiſſimè, & ſuauiſſimè coronas prætendens. Et cur in Sinai tam terribilis Deus ad arcendos homines, in Sion tam blandus, & vocalis ad eoſdem in ſalutem trahendos? De Sion dicit, *Erant omnes pariter in eodem loco*, omnes, inquam, erant, quos paulò antè cap. 1. numerauerat, dicens: *Vbi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu*, &c. Ecce tibi omnes illi, qui erant pariter in eodem loco, nimirum Apoſtoli, & mulieres, & Maria mater Ieſu. Vbi autem Maria erat, non miror, quòd Spiritus diuinus deſcendens talem ſe exhibeat, qui non deterreat, ſed magis in ſalutis fructum euocet. Quò ſpectans Diuus Epiphan. ſerm. de laudib. Mariæ ait: *O beata Virgo ſponſa cæleſtis Maria, cælum, templum, & thronus diuinitatis, quæ coruſcantem in cælo, & terra Solem habes Chriſtum; nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum. Nubes cæleſtis, quæ tonitruum Spiritus ſancti in ſe ipſa reconditum deduxit in mundum, & imbrem ſancti Spiritus in vniuerſam terram ad producendum fidei fructum cum impetu dimiſit.* Mariæ quippe debemus, quòd Spiritus diuini tonitruus non deterreat, ſed magis ſoluatur in placidiſſimum imbrem, qui ſteriles peccatores in fructus ſalutis fœcundet.

Pſalm. 44. — Damian. — Exod. 19. — Actor. 2. — Actor. 1. — Epiphan.

3. *Regum* 8. Conuertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſraël; omnis enim Eccleſia Iſraël ſtabat, & ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui locutus eſt ore ſuo ad Dauid patrem meum, & in manibus eius perfecit, dicens: A die qua eduxi populum meum Iſraël de Ægypto non elegi ciuitatem de vniuerſis tribubus Iſraël, vt ædificaretur domus, & eſſet nomen meum ibi: ſed elegi Dauid, *&c.*

§. X.

Propinqui iuſtorum vniuerſas eorum glorias participant quaſi ſuas.

Oſtendit Dei promiſſa Dauidi de templo ædificando iam completa, dum ait: *Qui locutus eſt ore ſuo ad Dauid patrem meum, & in manibus eius perfecit.* Circa quæ dicit Abul. quæſt. 8. *Deus perfecit per manus Dauid, id, quod promiſit ei. Et in hoc laudat Deum tanquam ſit verax in promiſſis, quod ſicut promiſit, ita compleuit. Et intelligitur de illa ædificatione templi*, &c. Et quando promiſſa Dauidi facta intelliguntur completa in ædificatione templi, cur dicantur completa, & perfecta manibus Dauidis? Nonne ait, *& in manibus eius perfecit?* Templum non à Dauide, ſed à Salomone ædificatum fuit, & perfectum. Cur ergo dicitur perfectum manibus Dauidis? Erat Dauid propinquus Salomoni, vt pater filio propinquus eſt; ne miremur, quòd Dauidi etiam Salomonis magnalia tanquam propria aptentur. Iuſtorum enim propinqui, ſic eorum participant bona, quaſi propria eſſent. Pſalm. 79. *Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe.* Expende illud dictum Deo, nimirum: *Qui ſedes ſuper Cherubim*; ſi enim conſulas D. Dionyſium Areopagitam cap. 7. de cœleſti Hierarchia, Dei ſedem, non Cherubim, ſed throni exhibent. Conſtat enim prima, & ſuprema Hierarchia ex tribus præſtantiſſimorum ſpirituum ordinibus, nimirum ex Seraphinis, Cherubinis, & thronis; quorum iij diuinarum ſedium præſtantia inſigniuntur. Quando ergo in thronis ſunt Dei ſedes, cur dicitur in Cherubinis ſedere? Sunt Cherubini eiuſdem Hierarchiæ cum thronis, & illis valde propinqui, ex quo habent illorum participare & dignitates, & virtutes. Ait D. Anſelm. in cap. 9. epiſt. ad Hebræos: *Ordo beatorum ſpirituum, in quo Deus ſpecialiter ſedet, thronus appellatur, & tamen Pſalmiſta precatur, qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare. Dum enim in agminum diſtinctionibus ordo ſanctorum Cherubim iungitur thronis, ſedere etiam iuxta Cherubim Deo, ex vicini agminis æqualitate perhibetur.* Itaque dicuntur Cherubim ſedem Deo exhibere; non quòd ipſi ex ſe ſedem faciant, ſed quòd propinqui ſunt thronis, quorum eſt Deum in ſe habere ſedentem. Nunquam enim propinqui bonorum non participant eorum virtutes, & excellentias. Dixerat 3. Reg. 8. *In arca autem non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ.* Verùm Paulus ad Hebræos cap. 9. ait: *In qua*, (nempe arca) *vrna aurea habens manna; & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti.* Ecce tibi Paulus dicit, quòd arca haberet vrnam auream cum manna, & virgam Aaronis, & tabulas. Author autem 3. lib. Reg. aſſerit, quòd arca haberet ſolas tabulas teſtamenti. Quando ergo dicitur arca ſolas teſtamenti tabulas habuiſſe, cur à Paulo aſſeritur inſuper habuiſſe & vrnam, & virgam Aaronis? An duo hi ſacri authores ſibi inuicem contrariantur? Abſit; ſed Paulus locum propinquum arcæ, arcam vocat; & quæ erant in loco propinquo, quaſi in eadem fuiſſe arca reputantur. Sanctorum enim vicinia eaſdem cum illis participant proprietates. Sic D. Anſelm. in Paul. *Quia iuxta arcam in Sanctuario poſita erant virgo, & vrna, ideirco dicit eas Apoſtolus*

Abulenſ. — *Pſalm. 79.* — Anſelm. — 3. *Reg.* 8. — *Hebr.* 9. — Anſelm.

in

in arca fuiſſe, &c. Sic & in arca poteſt dici fuiſſe propter loci vicinitatem, quod erat iuxta arcam. Et Apoſtolus locum arcæ proximum pro arca nunc poſuiſſe non inconuenienter accipitur, quia ad ſpiritualem ſenſum magis officiebat, intelligens per arcam Chriſtum, in quo ſunt & tabulæ, & virga, & vrna. Vt vicinia Sanctorum participant eorum proprietates, ſic locus vicinus arcæ fœderis, quaſi ipſa arca cenſetur, eò magis, quo in arca Chriſtus ſpectabatur, cuius eſt vicinos, & propinquos in ſuas virtutes, & glorias transformare.
Luc. 1. Mariæ dicebat Elizabeth Luc. 1. *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Planè puerulus Ioannes iam tunc exultabat vt gigas ad currendam viam ſuam, in qua adeò creuit, vt poſtea interrogetur à principibus ſacerdotum an Meſſias eſſet. Sed vnde adeò creuit Ioannes vt cum Chriſto poſſet æquiuocari? Accipite Guerricum Abb. ſerm. 1. in Natiuit. Ioan. ſantem:
Guerric. *Flumina prorſus de ventre Mariæ fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ, & gratiæ oriebatur de media paradiſi, ad irriganda ligna paradiſi; proxima erat fonti cedrus iſta nobilis, Ioannem loquor conſobrinum, & amicum ſponſi: adeoque minorum vberius irrigata in tantum excreuit, vt inter natos mulierum nihil illa ſublimius poſſet inueniri. Omnino Saluatori proximus erat, qui non ſolum copula ſanguinis, aut amicitia intimus erat; ſed etiam gloria annuntiationis, nouitate natiuitatis, ſanctitate penè originali, virtute patiendi ante mortales alios ei propius accedebat.* Sic ibi, ex propinquitate ad Chriſtum oſtenditur Chriſto ſimilis in virtutibus Ioannes.

§. XI.

Ad apertum & ſingulare colloquium ſoli admittendi, qui præſtantia, & virtutis ſimilitudine emineant.

NOn parum extollit Salomon patrem ſuum Dauidem, cùm illum oſtendit quaſi immediatè admiſſum ad Dei colloquium. Ait enim: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui locutus eſt ore ſua ad Dauid*, &c. Ibi ex modo dicendi oſtenditur Dauid immediatè veniſſe in colloquium cum Deo. Ex quo maximè purus, & ſanctus proponitur Dauid, & in omni virtute perfectus. De primæ Hierarchiæ excellentibus ſpiritibus locutus D. Dionyſius Areop.
Areopag. cap. 7. ait: *Prima igitur cœleſtium ſpirituum ſacratiſſima functio, ab ipſa Deo eruditur. Cumque ad illum nulla medio tota intentione feratur, purgatione caſtiſſima, ingenti lumine, & exactiſſima, primâque perfectione pro modo, & captu ſuo plena purgatur, & illuminatur, atque perficitur.* Expende illud, *nullo medio*, quandò enim hæc Angelorum phalanx nullo mediante, ſed ipſa per ſe accedens ad Deum, illius ore inſtruitur, & eruditur, neceſſum eſt, vt omni defæcata labe puriſſimis, & Deo ſimillimis perfectionibus effulgeat. An limpidiſſimus, & puriſſimus Deus ad immediatum & familiare colloquium trahet ſpurcum aliquem, & immundum? Abſit: non enim præſtantis naturæ eſt os ad os colloqui, niſi cum iis, qui in præſtantia, & virtute ſunt ei ſimiles.
Geneſ. 41. Geneſ. 41. dicit: *Vidit Pharao ſomnium. Putabat ſe ſtare ſuper flumen, de quo aſcendebant ſeptem boues pulchræ, & craſſæ nimis. Aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine fœdæ*, &c. Similiter Nabuchodonoſor Dan. 2. vidit ſomnium, nimirum:
Dan. 2. *Ecce quaſi ſtatua vna grandis*, &c. Sic magnis Principibus immiſſa ſomnia ab Angelo Dei fuere, ſed minimè illis explicata immediatè ab Angelo inueniuntur. Quin imò Ioſeph inuentus fuit, qui ex Angelo reuelationem accepit, quam ipſe Pharaoni indicauit. Et ſimiliter Danieli Angelus ſomnium explicauit, vt illud Nabuchodonoſori explicaretur. Et quando Angeli ſomnia iniecerunt iis Principibus, cur ſimiliter non eiſdem explicationes dixerunt, ſed magis elegerunt Ioſephum, & Danielem, cui explicationem dicerent? In ſomniorum immiſſione nullum erat familiare colloquium, ſed tantùm quidam quaſi nutus, & ſigna; at in explicatione neceſſariò intercedere colloquium debebat. Angeli autem ſuæ præſtantiæ, & virtutis memores, vbi accedunt ad homines idololatriâ conſpurcatos, ſibi ſuam maieſtatem, & honorem retinent, nec illis dant verba, ſed ſolùm nutus, & ſigna exhibent. Et quia neceſſum erat, vt ſomniorum myſteria dicerentur alicui, qui ea manifeſtaret, quæſiti ſunt Angelis ſimiles Ioſeph, & Daniel; qui ideo in Angelorum colloquium ſunt admiſſi. Quò ſpectans D. Dionyſ. Areopag. de cœleſt. Hierarch. cap. 9. ait: *Ea viſionum expoſitio, quæ figurata priùs ab Angelis fuerat, ſanctiſſimis viris, & qui Angelis fermè pares euaſerant, Danieli, ac Ioſeph, à Deo reuelata per Angelos fuit.* Areopag. Prius erga Nabuchodonoſor, & Pharaonem tota illa res *figurata fuerat ab Angelis*, vt qui non verbis familiaribus, ſed nutibus, & ſignis vellent agere cum illis. Sic magnæ poteſtates cum vilibus homuncionibus, verbis agere dedignantur, & ſi opus eſt, nutibus agunt. Verùm ad Ioſeph, & Danielem familiariſſimè accedunt Angeli, longúmque, & familiarem, & apertum ſermonem terunt, omnia ſomniorum myſteria explicantes. Et cur hoc? Ait Dionyſ. de illis: *Angelis fermè pares euaſerant*, meritò enim ad familiare & apertum ſermonem trahunt eos, qui ſibi in virtutibus, & præſtantia penè æſtimant pares.

§. XII.

Honori, gloriaque ducitur, quòd infimas perſonas in familiare colloquium non admittas.

ILludquaſi Deo inuſitatum dicit, nimirum; *Locutus eſt ore ſua ad Dauid*; quod nunquam non crediderim ad magnam Dei demiſſionem pertinuiſſe. Præſtantium enim perſonarum gloriæ, & honori conuenit infimas perſonas ad familiare colloquium non admittere. Exod. 16. *Dixerunt Moyſes & Aaron ad omnes filios Iſrael: Veſpere ſcietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & manè videbitis gloriam Domini.* Exod. 16. Quæ ſic leguntur apud Origenem: *Veſpere ſcietis, quia ego ſum Dominus, manè autem videbitis gloriam, ſeu manifeſtem eius.* Origen. Et de quo manè loquitur? Aut de qua gloria, & maieſtate? Sunt, qui hæc referant ad diem paſſionis, & reſurrectionis dominicæ, veſpere enim Dominus paſſus eſt, & ibi inter opprobria multa, & dolores, tamen Deus apparuit, etſi in ſummâ demiſſione, & obſcuritate. Manè autem glorioſus reſurrexit, & tunc ſuam gloriam, & maieſtatem maximè manifeſtauit. Sed quomodo illo manè ſuam maieſtatem, & gloriam manifeſtauit? Nonne occultè reſurrexit? Nonne occultus manſit, dum Angeli eius reſurrectionem mulieribus narrant? Quam gloriam Ieſu vident tum mulieres, quæ ſolos vident Angelos, & cum eis ſolis fabulantur, nec Ieſu colloquio ſunt dignæ habitæ? Equidem in eo maximè gloria & maieſtas Ieſu tunc oſtendebatur, quòd non iam in colloquia familiaria admittat infimas perſonas, ſed ad eas mittat miniſtros ſuos Angelos, & per miniſtros eis verba faciat. Ait Orig. hom. 7. *Quomodo manè gloria eius viſa eſt?* Idem. *Cùm veniſſent aliæ mulieres prima Sabbati valde manè, inuenerunt Angelos cum ingenti claritate ad ſepulchrum ſedentes, & dicentes: Non eſt hic, ſurrexit à mortuis. Viſa eſt ergo maieſtas Domini cùm per Angelos nuntiata eſt.* Demiſſa valde erat Domini gloria, cùm in cruce patiens ore proprio ad latronem etiam loquebatur. At vbi reſurgens non ipſe loquitur, nec admittit ad colloquium mulieres accedentes, ſed cum illis per miniſtros, per Angelos agit, tunc integra eius gloria, & maieſtas oſtenditur. Vt hinc nouerint præſtantes viri, quàm multum gloriæ ſuæ derogent, cùm longa, & familiaria colloquia, cum fœminis, & rudibus, & temporalibus perſonis texunt. Dum Ieſus meus loquens cum fœmina Samaritana inuentus eſt à diſcipulis ſuis; ait Ioan. 4. *Mirabantur, quòd cum muliere loqueretur.* Ioan. 4. Vbi Euthym. *Mirabantur, quòd cum talis eſſet, cum viri muliere diſputaret.* Euthym. Nunquam enim non magnæ demiſſionis, & abiectionis opus eſt, quòd præſtans perſona cum vilibus ſermonem habeat.

§. III.

Gratia acta Deo in tribulationibus, illum faciunt nobis aſſidere.

EX quo populum ſibi Dominus ex Ægypto redemit, ſedem in eo ſibi parari oportebat. Quis enim ſibi populum

pulum aeqoirit, in quo ſedem habere non ſtudeat? Et ta-
men Dominus poſt acquiſitum populum de ſede ſtabili
habenda non curat, vſque dum apparuit Dauid in mun-
do. Sie ait teat. *A die, qua eduxi populum meum Iſrael de
Ægypto, non elegi ciuitatem de vniuerſis tribubus Iſrael, vt ædifi-
caretur domus, & eſſet nomen meum ibi; ſed elegi Dauid*, &c.
Et eur tandiu diſtulit Deus de ſede in populo habenda
tractatum. Cur ad hunc incipiendum mages Dauidem
expectauit? A prima eductionis de Ægypto die io nullam
tribulatiooem incidit populus, in qua noo maximè dole-
ret vicem ſuam, & iomurmura, & querelas vel in Deum,
vel in duees ſuos eacitaret. Si Ægyptij apparent ar-
mati Exod. 14. ibi fletus populi, & querelæ, &
murmura; ſi poſtmodum deeſt aqua, vel panis, ſi
deſunt carnes, ſi quælibet alia immunet tribulatio, ſtatim
in murmura, & querelas abeuot. Quàm aliter Dauid, in
nullam venit tribulationem, in qua oon eonderet Pſal-
Pſalm. 3. mum, quem Deo caneret. Vide Pſalmum 3. euius titu-
lus ſic eſt: *Pſalmus Dauid cum fugeret à facie Abſalon*; & ſic
in multis aliis tribulationibus, vt vix aliqua ei eueoiſſe in-
ueniatur, in qua oon fecerit Deo Pſalmum. Ne miremur,
quòd talis ſic ad ſe Deum trahat, vt de ſede ibi habenda
tractet. Validiſſimus enim eſt gratiarum actioois cantus
in tribulatione, vt Deum ſibi trahat, ſecúmque inhabitare
faciat. Dao. 3. tres pueri Hebræi à Rege Babylonio io for-
Dan. 3. nacem ardentem conjecti ſuot, in qua illi poſiti *vno ore
laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace,
dicentes: Benedictus*, &c. Quid tunc? Ait textus: *Tunc Na-
buchodonoſor Rex obſtupuit, & ſurrexit propere, & ait Optima-
tibus ſuis: Nonne tres viros miſimus in medium ignis compeditos?
Qui reſpondentes Regi dixerunt: Verè Rex. Reſpondit, & ait:
Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio
ignis, & nihil corruptionis eſt in eis, & ſpecies quarti ſimilis filio
Dei.* Ecce tibi Dei filius viſus eſt aſſidere tribus pueris in
fornacem miſſis. Et vnde factum eſt, quòd tres pueri ſic
filium Dei traherent, vt velit illis aſſidere? Hoc credide-
rim factum eſſe cantico illo, quo in fornacis tribulatione
Auguſt. gratias Deo agebant. Ait D. Auguſt. ſerm. de tempore Bar-
barico: *In quibus pueris micans gratia ita enituit, vt ligati in
fornacem mitterentur, deambulantéſque viderentur, ot aperientes,
Dominúmque laudantes, flammas ad ſe non admitterent, & ſe-
cum filium Dei habere meruiſſent, antequam in mundo homo appa-
ruiſſet.* Nondum filius Dei habitarat io nobis, nondum
apud homines ſedem fixerat, & iam aſſidebat tribus illis
pueris. Nec miror, quando illi in media fornacis tribu-
latione canticum edebant Deo. Adeò enim potens eſt
cantus gratiarum actionis in tribulatione, vt trahat Deum.
Ait enim ibi: *Dominum laudantes flammas ad ſe non admitte-
rent, & ſecum filium Dei habere meruiſſent.* Sic ibi.

§. XIV.

*Priùs in corde faciendum eſt, quidquid ex-
ternè Deo facis.*

DIcebat & illud Salomon: *Steti pro Dauid patre meo*, &c.
*& ædificaui domum nomini Domini Dei Iſrael. Et conſtitui
ibi locum arcæ*, &c. Felix Salomon, quòd domum cedri-
nam Deo fecit, & in quadris lapidibus, aureiſque tabula-
tis locum arcæ parauit; ſed felicior, ſi quod io externis his
Deo parabat, in corde etiam intimus pararet. Quò debet
ſpectare, quiſquis in externis obſequiis amat Deo place-
re; vt nimirum quòd paraturus eſt externum munus Deo,
id priùs, & ſimul in corde efficiat. Matth. 27. Chriſtianæ
Matth. 27. paſſionis tragœdiam euulgans ait: *Ieſus emiſit ſpiritum. Et
ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deor-
ſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aper-
ta ſunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, ſurrexe-
runt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, vene-
runt in ſanctam ciuitatem.* Quippe ſancti multi reſurgen-
tes, & à monumentis exeuntes venerunt in ciuitatem, &
ſeſe multis oſtenderunt. Et cur neceſſum fuit, vt inter
tot prodigia reſurgentes Sancti ſeſe videndos exhiberent?
Quando omnes à monumentis ſurrecturi ſumus, corpo-
ráque è ſepulchris aſſumpta Deo exhibituri, oeceſſum
fuit illis apparitionibus excitari, vt totum reſurrectionis
futuræ negotium modò in cordibus noſtris exerceamus.

Vt dicat D. Leo ſerm. 13. in Paſſ. *Contremiſcat in redemptoris* D. Leo.
*ſui ſupplicio terrena ſubſtantia, rumpantur infidelium mentium pe-
træ, & qui mortalitatis grauabantur ſepulchris, diſcuſſa obſta-
culorum mole proſiliant. Appareant nunc quoque in ciuitate ſancta,
in Eccleſia Dei, futuræ reſurrectionis indicia, & quod gerendum
eſt in corporibus, fiat in cordibus.* Quid pulchrius? Expen-
de illa aurea, nimirum: *Quod gerendum eſt in corporibus,
fiat in cordibus.* Debet equidem in corde priùs præſtare
homo quidquid externè, & corporaliter præſtiturus eſt
Deo. Amat enim Deus in corde hominis videre, quid-
quid præſtantiæ in externis, materialibúſque operibua
exhiberi ſolet. Geneſ. 1. *Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt* Gen. 1.
lux. Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona. Sic lucis huius opus
apparuit Deo gratioſum. Nihilominus dicebat Paul. 2.
ad Corinth. 4. *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem* 2. Cor. 4.
ſplendeſcere, qui illuxit in cordibus noſtris, &c. Duo dicuntur
à Deo facta, alterum in materiali mundi conſtitutione,
alterum in hominum cordibus. In mundi cooſtitutione,
cùm teoebræ omnia occupaſſeot, dixit: *Fiat lux, & facta
eſt lux.* Vbi autem viſa eſt hæc materialis lux ſplendeſce-
re, & probari Deo: nil citius procuratum eſt, quàm quod
ſimile ſpectaculum homioes io cordibus ſuis exhiberent,
ſpirituali luce ibi ſplendentes. Sed quando iam extrinſe-
cus perfectum erat lucis opus; cur oeceſſum fuit lucem
etiam excitare in cordibus hominum? Non equidem ſi-
ſtit Deus in externorum operum ſplendore; niſi & ſimi-
liter effulgeant humaoa corda. Rem ſapienter ponderat
Anſelmus ibi fatus: *Quoniam Deus, qui in mundi conſtitutione* Anſelm.
*dixit, id eſt, verbo ſuo fecit de tenebris lucem ſplendeſcere, quo-
niam dixit: Fiat lux, & facta eſt lux; ipſe eſt, qui illuxit in
cordibus noſtris. Et qui tunc per verbum ſuum in mundo corpora-
lem fecit lucem, ipſe nunc per idem verbum in nobis ſpiritualem de-
dit lucem.* Non hæſit Deus in materialium, corporaliúm-
ve operum ſplendore; ſed ex quo fecit corporalem lu-
cem in mundo ſplendeſcere, dedit operam, vt ſpiritualia
lua ſpleodeſceret in cordibus hominum. Ne nos hærea-
mus in externorom operum ſplendore; ſed magis cure-
mus, vt quodlibet lucidum & ſplendidum corporale, &
externum opus, priùs fiat cum omni ſplendore ſuo io in-
timis animi præcordiis.

3. *Regum* 8. Qui cuſtodiſti ſeruo tuo Dauid
patri meo, quæ locutus es ei; ore locu-
tus es, & manibus perfeciſti, vt hæc dies
probat. Nunc igitur Domine Deus Iſraël,
conſerua famulo tuo Dauid patri meo,
quæ locutus es ei, dicens: Non aufere-
tur de te vir coram me, qui ſedeat ſuper
thronum Iſraël, *&c.*

§. XV.

*In vno Deo miſericordia, & iuſtitia non ſe
mutuo impediunt.*

PRæmiſerat Salomon, dicens: *Non eſt ſimilis tui Deus in
cælo deſuper, & ſuper terram deorſum.* Et vnde probat non
eſſe in cœlo, & in terra ſimilem Deo? Ait ſtatim: *Qui cu-
ſtodiſti ſeruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es.* Quando Da-
uid iuſtiſſimè à Deo meruit puniri, imò & per iuſtitiam
grauiter punitus eſt, tameo illi integra ſeruata ſunt om-
nia miſericordiæ verba facta à Deo. Hoc planè vni com-
petit Deo, quòd in eo iuſtitia, & miſericordia non ſe mu-
tuo impediant, ſed ſimul ad ſuos vſque fioes procedant.
Pſalm. 144. dicebat Deo: *Memoriam abundantiæ ſuauitatis* Pſal. 144.
tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt. Ecce tibi ſimul in
Deo memoriæ ſuauitatem miſericordiæ, & ſeueritatem
iuſtitiæ. Et qui meminiſti Dei ſuauitatem; Dei dulciſſi-
mam miſericordiam, cur ad iuſtitiam ipſius exultas? Cur
non magis times omnem miſericordiæ ſuauitatem abſor-
bendam eſſe, vel iuſtitiæ memoria? Fieret hoc ſaoè in
homioe, non in Deo, in quo ſolo non ſe mutuo impe-
diunt ij duo affectus; ſed amicabilem concordiam ha-
beot. Ait circa hæc Diuus Hilarius. *Habes Dei iuſtitia mi-* Hilar.
ſerandi

ſerandi voluntatem, neque tamen per miſerandi voluntatem ita à ſe erit demutata, ne iuſtitia ſit. Humana autem iuſtitia ſolet in id deuenire, ne miſericors ſit, & miſericordem ita ſe præſtare, ne iuſta ſit. Hoc in Deo præcipuum, non cælum feciſſe, quia potens eſt, non terram fundaſſe, quia virtus eſt, non hominem animaſſe, quia vita eſt; ſed miſericordem eſſe, qui iuſtus eſt, ſed miſerantem eſſe, qui Rex eſt, ſed diſſimulantem eſſe, qui Deus eſt. Expende ab illis: *Hoc in Deo præcipuum*, &c. quippe cùm Deus ſit ipſiſſima vita & potentia, non mirum quòd omnia ereet, quòd homini det vitam; hoc habet præcipuum, & incommunicabile, quòd iuſtiſſimus & ſeueriſſimus iudex cùm ſit, nullomodo ab hac virtute declinans miſericors ſit. Et ſimul & miſericordiam, & iuſtitiam perfectiſſimè adimpleat. Non hominis, ſed Dei hoc eſt proprium. Quis homo ſuauitate miſericordiæ poſſeſſus non à ſe longè faciat iuſtitiæ rigorem? Et quis homo aculeis iuſtitiæ exagitatus miſericordiam exulare non cogit? In vno ſolo Deo hos affectus ſimul in ſuos vſque fines ire cognoſces. Exod. 14. vbi mare ſciſſum eſt, duo populi ingreſſi ſunt
Exod. 14. viam ab aquis relictam: *Reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cunctis exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi ſunt mare, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. Filij autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris.* Expende, vt in eumdem locum conuenerunt, & miſericordia Dei, & ſummus rigor iuſtitiæ, nec tamen ſe mutuo impediunt, ſed & iuſtitia pœnas exigit à ſuis, & miſericordia ſuos in ſalutem deduxit. Quod miratus D. Hilarius in Pſalm. 144.
Hilar. ait: *Sanctitas Dei iter populo ſuo, diuiſo mari præbuit, ſed eadem ſanctitas, & terribilis fuit virtus, cum ingreſſis in ipſum iter impiis, vbi fuerat ſalus religioſorum, ibi pœna conſtitit impiorum.* In eodem loco & ſalus, & pœna fuere, & miſericordia ſaluans, & iuſtitia caſtigans; nec iuſtitia rigoroſiſſimè exercita impediebat, quominus miſericordia ſuos dirigeret, nec miſericordia detinebat iuſtitiam. Sed vnaquæque ſuo muneri dedit perfectum finem.

§. XVI.

Non niſi à magna ſanctitate prouenit, quòd quis promiſſis ſtet.

Miratus Salomon Dei excellentiam ſuper omnia, inde eam extollit, fatus: *Qui cuſtodiſti ſeruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei.* Alter Seraphini illi Iſaiæ cap. 6.
Iſai. 6. vt extollerent diuinam præcellentiam, clamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Hi de ſanctitate diuinam excellentiam commendant, ille de ſolis promiſſis adimpletis. Et cur Salomon non magis cum Seraphinis Deum à ſanctitate, quàm à promiſſorum adimpletione commendat? Planè promiſſa adimplentem videns Salomon ſanctiſſimum credidit, & pro eodem duxit, ſi promiſſorum executorem, ac ſi ſanctum prædicaret Deum. Nunquam enim niſi à ſanctitate prouenit, quòd quis promiſſis ſtet. Pſalm.
Pſalm. 144. 144. dicit: *Fidelis Dominus in verbis ſuis, & ſanctus in operibus ſuis.* Expende coniunctionem; fidelis dicitur in verbis, & ſimul ſanctus in operibus, quaſi verborum, promiſſorúmque fides non niſi de ſanctitate, & cum ſancti-
Hilar. tate veniat. Ait ibi Diuus Hilarius. *Verborum fides forſan nutaret, niſi ſanctitas operibus eſſet admixta. Atque ita ſanctitas in operibus fidem confirmat in verbis, vt de Sancti fide in promiſſis non ambigas, cuius ſanctitatem videris in rebus.* Sunt hæc duo coniuncta, & fides in promiſſis, & ſanctitas in operibus. Nutat ſemper in promiſſis fides, vbi ſanctitas in operibus deficit. Ne miremur paſſim promiſſa fruſtrari ab his, quos nequiſſimis operibus inſiſtere videmus. Conueniunt enim inter ſe & ſanctitas in opere, & in promiſſis fidelitas.
Iſai. 49. Quò reſpiciens Iſaias cap. 49. aiebat: *Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis eſt, & ſanctum Iſrael*, &c. Septuag. legunt; *Quia fidelis eſt*
Leo à Caſtr. *ſanctus Iſrael.* Circa quæ Leo à Caſtro ait: *Quia ſanctus Iſrael complet ſua promiſſa.* Sic fuit ſanctitas oſtendenda in Deo quando oſtendebatur fidelitas in promiſſis complendis.
Oſ. 11. Dicebat etiam Oſeas c. 11. *Iudas autè teſtis deſcendit cum Deo, & cum Sanctis, fidelis.* Nunquam non ſanctitati adhæret immediatior fidelitas. Hinc Paulus nobis oſtendens Deum,
1. Cor. 1. dicebat 1. ad Cor. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in participationem filij eius.* Expende illud, *Fidelis Deus*; poſſet Deus à Paulo vſitatiùs vocari ſanctus, iuſtus; cur placuit eum fidelem vocari? Ait D. Cyril. Hieroſolym. Catech. 5. Cyrillus Hieroſol.
Deo, Fidelis nomine, vocata; & in hanc eandem accipis appellationem, magnámque accipis dignitatem. Quemadmodum enim Deus bonus & iuſtus vocatur, & omnipotens, & opifex vniuerſorum; ſic & Fidelis vocatur. Expende ab illis; *Quemadmodum Deus bonus, ac iuſtus*, &c. quippe vt bonus, & iuſtus dicitur Deus, ſic & Fidelis; nunquam enim non pari paſſu currunt, & iuſtitia, & ſanctitas, & in promiſſis fidelitas.

§. XVII.

Nullum bonum durabile niſi in Deo.

Videbat Salomon paternum regnum ea Deo in ſe deriuatum, & glorioſiſſimè auctum, & adhuc clamat ad Deum: *Conſerua famulo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei, dicens: Non auferetur de te vir coram me, qui ſedeat ſuper thronum*, &c. Quod regnum à Deo ſciebat datum, ab eodem petebat conſeruari. Et quæ tanti ſtatus conſeruandi ratio? Illam inſinuant verba illa Dei promittentis: *Non auferetur de te vir coram me*, &c. hoc eſt, non auferetur de te vir, qui coram Deum habeat. Et planè dum hoc præſtiterit Deus domui Dauid, quòd haberet ſemper viros quorum ob oculos eſſet in primis Deus, non mirer, quòd regnum eius, & proſperitas eius inde poſſit æternari. Nullum enim bonum durat niſi in Deo. Geneſ. 37. de Geneſ. 37.
Ioſeph ait: Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus ſuis, ait: *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me. Quod cum patri ſuo, & fratribus retuliſſet, increpauit eum pater ſuus, & dixit: Quid ſibi vult hoc ſomnium, quod vidiſti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te?* Dixerat Ioſeph ſe per ſomnium à ſole adoratum, & bonus ſenex Iacob abſque vllo dubio ſe per ſolem intellexit. Et quid ſenex cum ſole? Vnde adeò præſumpſit Iacob, vt non dubitet ſe per ſolem ſignificari? Accipite non abſimile aliud, quod ſomniauit Mardochæus Eſtheris cap. 10. vbi ait: *Paruus fons, qui creuit in fluuium, &* Eſther 10.
in lucem, ſolémque conuerſus eſt. Quibus notum eſt Eſtherem ſignificatam, vt à priuata, & humili fortuna in ſplendidiſſimum regni apicem creuit. Nec refugio totam Eſtheris fortunam intelligere in paruo fonte, qui creuit in fluuium magnum. Omnes enim humanæ fortunæ ſapienter præcurrentibus fluuiis comparantur. Vt dicat prudens illa 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & ſicut aqua dila-* 2. Reg. 14.
bimur. Sed quid tanta bonorum mobilitas cum ſole, in quem dicitur conuerſa? Vnde ſtatus, & proſperitas, adeò fluxa, poteſt Soli comparari, qui ſtat in omnes æternitates? Sanè ſi Iacobi, aut Eſtheris fortunas in ſe aſpicerem, nihil in illis non mobile, & fluxum viderem. Verùm dum in vtroque maximè ſplendeſcere Ieſum noui, non miror, quòd inde æternis poſſint luminibus comparari. Ait Rupert. lib. 8. de Vict. cap. 26. *Quia nullum gau-* Rupert.
dium tranſitorium pro quocumque ſui magnitudine meretur Sol nuncupari, aut comparari Soli, cuius videlicet Solis lux, aut forma, non mutatur vt luna, ſed plena perſeuerat. Igitur nec Iacob in ſomnio Ioſeph, nec Eſther in ſomnio Mardochæi propter ſuam perſonam Soli aſſimilata eſt, ſed propter Chriſtum. Ille, quem iam Chriſtum habebat in promiſſione, hoc idcirco, quia Chriſti genus, vnde naſceretur, reſeruauit. Finis, & cauſa ſimilis eorum, quæ tunc facta ſunt, Chriſtus eſt, & idcirco veraciter dicit, quia paruus fons in Solem conuerſus eſt. Hinc Iacob, hinc Eſther ſoliditati, & firmitati Solis aſſimilantur in bonis ſuis, quia ſuorum geſtorum finis, & ſcopus Chriſtus erat. In nullo enim firmitas, & conſtantia Solis inueniri poteſt, niſi in Deo, & Chriſto eius. Vbi nec Deus, nec Chriſtus eius apparet, Lunæ mobilitas cernitur, non Solis conſtantia, & permanentia. Oſeæ c. 8 de Hieroboamo & aliis Regibus Iſrael dicebat Dominus: *Ipſi regnauerunt, & non ex me, Principes* Oſ. 8.
extiterunt, & non cognoui: argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent. In principatu conſtituti eò deuenerunt impietatis, vt citiſſimè præcipitarentur in extremum exitium. Et quibus hanc impietatem traxerunt, quæ eos ſic in ruinam impelleret? Ait textus: *Ipſi regnauerunt, & non per me.* Septuaginta dicunt: *Sibimetipſis regnauerunt, & non per me*; non Deus erat illis præ oculis, ſed proprias commoditates aſpiciebant, hos in primis ſpectantes non

a Deo,

à Deo, ſed à ſuis affectibus conſilium petebant. Et vt non in Deo nitebantur, ſic conſtantiam, & permanentiam habere minimè potuerunt. Cyrill. Alex. Ait D. Cyrill. Alexand. ibi: *Sibimetipſis ignur, non per me regnarunt. Poſtquam autem Principes extiterunt, tamum non neſciemo Deo, debilitatus, & expugnatu facilis euaſit principatus, & ad reſiſtendum imbecillus, & impotens ad tuendos ſubiectos. Per ipſum enim Reges regnant, & tyranni dominantur terra*, Prouerb 8. Tolle ab oculis Deum cuius eſt tota bonorum, principatúſve permanentia, & nullum bonum habebis, quod non citiſſimè in exitium veniat.

§. XVIII.

Numen Dei nuſquam ſine re virtutis.

EXpendenda adhuc illa Salomonis ad Deum dicta, nimirum, *vt ſint oculi tui aperti ſuper domum banc nocte, ac die, ſuper domum de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi; vt exaudias orationem*, &c. Non oſtenditur Deus dixiſſe, quòd ipſe erat in domo illa, ſed quòd nomen eius erit ibi. Ao quòd nomen ſolum ibi futurum erat, & non Deus? Abſit, nuſquam enim diuinum nomen eſt ſine re virtutis. Notiſſimum erat illud Ieſu nomen, iuxta Apoſtol. *Petra autem erat Chriſtus*; quod nomen video aliquando Simoni
Ioan. 1. communicatum, cui Dominus dicebat Ioan. 1. *Tu vocaberis Cephas*, quod eſt, Petra. De quo ſtatim D. Proſper. lib.
Proſper. de vocat. Gentium 2. c. 28. ait: *Hæc fortiſſima Petro ob illa principalis Petra communicationem virtutis accepit, & nominis*; quaſi non poſſit diuini nominis communio eſſe, ſine ipſa virtute latente ſub nomine. Quando in Beatiſſima Trinitate perfectiſſimam vnitatem confitemur, ſic vnum Deum dicimus, vt multa nihilominus nomina vni attribuamus perſonæ, quæ alteri non attribuuntur. Dicit Ioan. cap. 1.
Joan. 1. *In principio erat Verbum*; & quis vnquam Verbi nomine appellauit Patrem? An quia ſimilia nomina vacua erant virtute? Minimè, vt enim erant Dei nomina, ſic nuſquam
Ambroſ. eſſe poterant ſine virtute. Ait D. Ambroſ. lib. 1. de Fide cap. 2. *Ne quis poſſit errare, ſequatur ea, quibus Scriptura ſancta, vt intelligere poſſimus, filium ſignificat: Verbum dicitur, filius dicitur, Dei virtus dicitur, dicitur Dei ſapientia. Verbum, quia immaculatus; virtus, quia perfectus; filius, quia genitus ex patre: ſapientia, quia vnum cum patre, vnum æternitate, vnum diuinitate. Non enim Pater ipſe, qui filius, ſed inter patrem, & filium generationis expreſſa diſtinctio eſt, vt ex Deo Deus, ex manente manens, plenus ex pleno. Non ſunt igitur hæc nuda nomina, ſed operatricis virtutis indicia.* Vbi diuinitatis nomina ſunt, minimè nuda ſunt nomina, ſed operatricem virtutem præſentem indicant. Nec æſtimat Deus nomen, cuius in
Oſ. 8. re non apparet virtus, Oſeas cap. 8. *Me inuocabant, Deus meus, cognouimus te, Iſrael. Proiecit Iſrael bonum, inimicus perſequatur eum.* Iſraelitæ afflicti inuocabant Dominum, pro ſe nomen Iſraelis proponentes, cuius nominis propoſitionem nihili æſtimans Deus, homines hoſtibus tradebat. Et cur non magis nomen illud cantatiſſimum re-
Ruffin. ſpiciebat? Ait Ruffinus ibi: *Frigida namque eſt, & nihil ad defendendum valens nominum ſola iactatio, & quæ impudentiam magis, quàm religionem induat confitentis. Id eſt, quòd profanis ſtudiis inquinati, dicere tamen audent, Deus noſter libera nos, qui te ſoli in toto orbe cognouimus, & dato à te Iſraelis nomine gloriamur. Operum quippe apud bonum iudicem grauiora ſunt momenta, quàm vocum.* Sic ibi.

3 *Reg.* 8. Si peccauerit homo in proximum ſuum, & habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur adſtrictus: & venerit propter iuramentum coràm altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cœlo; & facies, & iudicabis ſeruos tuos, condemnans impium, & reddens viam ſuam ſuper caput eius, iuſtificánſque iuſtum, & retribuens ei ſecundùm iuſtitiam tuam. Si fugerit populus tuus, *&c.*

§. XIX.

A multis licitis, & honeſtis cauendum, vt magis lapſus in illicita caueatur.

HOc decus amabat Salomon Templo ſuo, quòd inibi à fidelibus, pro grauibus negotiis, aut ſuſpicionibus tollendis iuramenta emitterentur. Ait enim: *Venerit propter iuramentum coram altari tuo*, &c. Quippe dum controuerſia erat de aliquo facto, conueniebant contentores vt ad templum irent, & ibi coram altari quiſque emitteret iuramentum, Deo ſtatim periuro ſupplicium inferente; & ſic tunc multi compellebantur iurare. Cui conſuetudini illud oppoſuit Chriſtus Dominus Matthæi cap. 5. fatus: *Ego autem dico vobis non iurare omnino.* Et quando Matth. 5.
mos ille iurandi & ſanctus, & licitus erat, cur Ieſus meus maluit, ne omnino iuraretur? Sanctum erat iurare in iuſtitia, & veritate, verùm quia poterat fieri, vt iurans in periurium laberetur; ideo Dominus à tanto malo nos volens eſſe ſecuros, omnino iurare vetuit, vt inde remotiores à periurij periculo redderemur. Ait D. Auguſt. homil. 1. in Decoll. Sanct. Ioann. Baptiſt. *Non eſt peccatum, verum iurare. Sed quia grande peccatum eſt falſum iurare, longè eſt à peccato falſum iurandi, qui omnino non iurat. Propinquat falſæ iurationi, qui vel verum iurat. Dominus ergo qui prohibuit iurare, ſupra ripam noluit ambulare, ne pes tuus in anguſto labatur, & cadas.* Auguſt.
Bonum, licet ſit iuramentum verum, tamen ſapientiſſimè nos Dominus ab illo prohibuit, vt ſic nullum vel à longè ſentiremus periurij periculum. Non aliter Pſalm. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, & quis requieſcet in monte ſancto tuo?* &c. *Qui iurat proximo ſuo, & non decipit.* Pſal. 14.
Ecce tibi inter ea, quæ nos faciunt in domo Dei habitare, proponitur iuramentum, & nihilominus à iuramento prohibemur, dicente Ieſu Matth. 5. *Ego autem dico vobis non iurare omnino.* Matth. 5.
Et quando ad ingreſſum domus Dei pertinet verum iuramentum, cur ab illo per Dominum prohibemur? Accipite D. Baſil. fatentem ibi: *Vbique Dominus tam in veteri, quàm in noua lege eamdem habet Dominus perceptionis conſiderationem. Cupit enim peccatorum affectibus occurrere, & à primis initiis malignitatem excindere. Et enim vetus lex ait: Non mœchaberis. Dominus autem: Non concupiſces. Sic itaque in hoc loco contentus abit Propheta iuramento, quod iuſtum ſit, ac rectum. Dominus verò vel occaſionem illam reſecat periurij. Qui enim vel rectè iurat, fortè & is poſſet interdum falli; qui verò non iurat, periculum vitauit periurij.* Baſilius.
Amat ſemper Ieſus magis eligere illud, per quod longè ſias vel ab vmbra periculi, vt in graue aliquod peccatum proſilias.

§. XX.

Chriſtianæ perfectionis eſt, proximis peccandi occaſiones abripere, vel proprio incommodo.

IN templo ſuo tantam ſanctitatem optabat Salomon, vt in illo periuri illicò ſubirent ſupplicium. Dicebat namque: *Venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cælo, & facies, & iudicabis ſeruos tuos, condemnans impium*, &c. Impius condemnandus vocatur à Salomone, qui inuentus fuerit periurus in domo Domini; iuſtus autem abſoluendus dicitur, qui non peierauit, ſed ſocium eò adduxit, vt peieraret. Cùm enim alter rem ſuam exigeret, alter negaret illam ſibi eſſe; coactus iſte fuit, vt coram altari in domo Dei iuramentum emitteret, plectendus vt impius, niſi iuraret verum, cùm alter iuſtus in petitione ſua oſtenderetur. Sic Salomon; at Ieſus meus neutrum iuſtum agnoſcit, tam damnat iurantem, quàm eum, qui iurare fecit. Dicit enim Matth. 5. *Sit in ore veſtro, Eſt, eſt, Non, non: ſi quid amplius eſt, à malo eſt.* Matth. 5.
Siquid iuramenti ſimplici aſſertioni addideris, hoc à malo dicitur eſſe. A quo malo? Nimirum ab eo, qui te ad iurandum adduxit. Ait D. Auguſt. ſerm. 2. in decollation. ſancti Ioannis Baptiſtæ: *Siquid amplius eſt, à malo eſt. Loquebatur autem de iuratione, vbi nos intelligere voluit, ipſam iurationem à malo eſſe. Si ab alio prouocatus fueris, ab ipſius malo erit, quòd iuras, non à tuo.* Auguſt.
Sic credit Auguſtinus à Domino Ieſu malum reputari eum, qui proximum ad iurandum

dum trahit. Et meritò, cùm enim periurium grauiſſimum malum ſit, ægrè, & non ſine piaculo ob commodum tuum temporale facis, vt ſuſpectæ fidei homo iuret.
Idem. Pro quo ait D. Auguſtinus ſupra: *Ille autem, qui hominem prouocauit ad iurationem, & ſcit eum falſum iuraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam, imò duas animas, & eius, quem iurare prouocauit, & ſuam.* Remque ſui temporis confirmat exemplo, quod Hipponenſi diœceſi accidit. Ait enim: *Tutumſymens quis veſtiûm non cognouit, qui eſtis ciues? Ab iſto audite, quod dico: Neſcio quis negauit ei, vel quod ei debebatur, & hominis fides ſi commiſit. Commotus prouocauit eum ad iuſiurandum. Iurauit ille, iſte perdidit, ſed iſto perdente, ille penitus periit. Dicebat ergo iſte Tutuſlymeni homo grauis, & fidelis, ipſa nocte ſe exhibitum fuiſſe ad iudicem, & cum magno impetu, atque terrore ſe perueniſſe ad Præſidentem excelſum quemdam, & admirabilem virum, cui parebat officium ſimiliter excelſorum, iuſſum fuiſſe perturbatum terrore reuocari, & interrogatum fuiſſe his verbis. Quare prouocaſti hominem ad iurationem, quem ſciebas falſum iuraturum? Reſpondit ille. Negauit mihi rem meam. Reſponſum eſt illi. Et nonne melius erat, vt rem tuam, quam exigebas, perderes, quàm animam hominis iſtius falſa iuratione perimeres? Proſtratus eſt, iuſſus eſt cædi. Cæſus eſt grauiter, vt in dorſo euigilantis veſtigia plagarum apparerent. Sed dictum eſt illi, poſteaquam emendatus eſt. Parcitur innocentiæ tuæ, de cætero caue, ne facias. Fecit quidem ille magnum peccatum, & emendatus eſt.* Hæc ibi Diuus Auguſtinus oſtendens quam debeat homo magis ſua commoda perdere, ne per iuramentum petitum alteri peccandi occaſio detur. Et quidem hoc debet eſſe præ oculis viris bonis, & perfectis, ne cui dent occaſionem labendi etiam ſi hoc damnis ſuis comparare debeant. Mouebat
Matth. 10. Dominus Matth. 10. *Quando perſequentur vos fuerint in hoc ciuitate, fugite in aliam.* Et mirabar quòd fugam ſuis conſulat ille Dominus, qui non paruam beatitudinem ponebat in eo, qui perſecutionem paſſus fuerit. Si beatus eſt, qui perſecutionem patitur, cur conſulis, vt fugiat à perſecutione? Quia in perſecutione iuſtorum peccatum perſecutoris intercedit, ideo ex hac parte iubentur iuſti fugere, vt vel amiſſione præmij patientiæ ſuæ comparent nullam occaſionem aliis peccandi eſſe. Vt dicat Clemens Alex.
Clem. Alex. lib. 4. ſtromat. cap. 5. *Non ſuadet fugere, tanquam malum ſit pati perſecutionem: nec vt mortem extimeſcentes iubet nos eam fuga declinare. Vult autem nos nulli eſſe authores, nec alicuius mali cauſa adiutores, nec nobis ipſis, nec ei, qui perſequitur, nec ei, qui interimit.* Hoc in ſuis maximè amat Dominus, nimirum quòd ſic affecti ſint erga proximos, vt quibuſlibet propriis diſpendiis comparent, ne cui ſit vlla labendi in peccatum occaſio. Poſt ſibi acquiſitam benedictionem pa-
Geneſ. 28. ternam Iacob Geneſ. 28. *Profectus peruenit in Meſopotamiam,* &c. Cur tunc profectus? Cur non magis manet apud patrem ſibi benedicentem? Nouerat bonus Eſau fratrem ſibi infenſum, cui vt occaſionem auferret peccandi, maluit à parentis diſcedere, & apud ignotos exulare. Vnde maximè hominem extollit D. Ambroſ. lib. 2. de Iacob.
Ambroſ. cap. 1. fatus: *An non beatus Iacob etiam cùm patriam relinqueret. Imò planè beatus, qui dura exilij ſuſcepit, vt fratris mitigaret iracundiam. Nam ſi beatus eſt, qui peccatum declinat, vtique negari beatus eſſe non poteſt, qui alterius culpam leuat, crimen auertit. Parricidium que parricidium declinauit exilio voluntario, eoque facto, ſibi ſalutem quæſiuit, fratri innocentiam donauit. Meritò itaque eum diuina comitata eſt gratia.* Non potuit equidem non maximè extollere Iacobum illa cogitatio, qua maluit proprio exilio fratri innocentiam comparare, & ne occaſio labendi eidem fieret, paternæ domus requiem perdere non dubitauit.

§. XXI.

Salutare eſt, ſaltem in calamitate reſipiſcere.

NEcnon & his, qui ab hoſtibus percuſſi reſipiſcunt, Dei miſericordiam ſolicitat Salomon, dum ait: *Si fugerit populus tuus Iſrael inimicos ſuos,* &c. *& agentes pœnitentiã & confitentes nomini tuo venerint,* &c. Et quando non niſi percuſſi ab hoſtibus pœnitentiam agent, quantula eſt hæc pœnitentia, vt illi amet Salomon Deum propitium? Cur non magis deſpiciat Deus pœnitentiam, quæ non niſi à calamitate, & ruina extorquetur? Crede mihi, numquam ex bono, & ſalutari venit, quòd ſaltem calamitate preſſus reſipiſcas. Nota eſt hiſtoria D. Pauli, vt ſpirans minarum ibat in Damaſci vrbem, vt media in via cælitus percuſſus decidit in terram, & nimis claritate circumfuſus viſum amiſit. Quid tunc? Ait Actor. 9. *Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damaſcum. Et erat tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit.* Multi erant in comitatu, cùm cœlitus ille fulgur venit, ex quibus omnibus vnus Paulus naſcitur ſaluti reſeruatus. Et quid viſum eſt in Paulo, quod in illo oſtenderetur ſalutare? Nimirum de ſociis ſolum dicitur, quòd medio illo cœleſti terrore *ſtabant ſtupefacti*, Paulus autem & caſu ipſo & cæcitate illuminatus, non hæſit, ſed ſua memorans peccata, ciborum abſtinentiis ſe caſtigabat. Equidem hoc fuit ſalutare Paulo, quòd ſaltem in caſu, & errore illo reſipiſceret, & pœnitentiam ageret, quando ſocij eius in eodem terrore hærent, & nihil ſalutis agunt. Ait D. Chryſoſt. homil. 19. in Acta. *Quare autem non comedit, neque bibit? Compungebat ſe propter ea quæ fecerat, confitebatur, precabatur, orabat Deum. Si autem dixerit quis, hanc rem fuiſſe coactam, interrogabimus, num Elymas non iſtud ipſum paſſus fuerit? Etiam, ſed manſit, vt habebat.* Conſule cap. 13. Actorum, & videbis Elymam Magum à Deo cæcitate percuſſum, qua in calamitate ille nil egit, quòd ad ſalutem conduceret. Nec ſcelerum pœnituit, nec precatus eſt. Ex quo liquidò conſtat nunquam non ſalutem olere, quòd quis vel in calamitate pœniteat. Non enim omnium eſt, ſed fœlicium, quod vel calamitas ab eis pœnitentiam eliciat. De extrema mundi calamitate locutus Luc. 21. ait: *Areſcentibus hominibus præ timore,* &c. quippe Sol obſcurabitur, ſtellæ cadent, columnæ cœlorum mouebuntur, terra tremore quatietur. Interea miſeri homines timore pleni areſcent, quaſi lapideæ ſtatuæ manebunt. non dicitur, quòd aliquid agent ſalute dignum. Et cur vel timor eos non ad orandum Deum impellit, & ad pœnitentiam adducit? Hoc eſt fœlicium, illud deploratorum eſt. De quibus in Iudæorum capite ait Apollonius Nouarien. lib. 2. de excid. Hieroſol.

Actor 9.

Chryſoſt.

Luc. 21.

Nec tamen admiſſi ſceleris mens cæca nocentum
Flectitur à culpa, perſtátque immota timendo.

Inter terrores & mortes turba nocentum perſtat immota timendo; multo impletur timore, nec tamen pedem mouet, vt euadat, & ad ſalutem veniat. Heu quàm hoc familiare reprobis!

3. *Regum* 8. Si clauſum fuerit cælum, &c. Fames ſi oborta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aër, *&c.*

§. XXII.

Plures, & frequentiores ſunt, qui à malis ad Deum veniant, quam à bonis.

PErlege totam orationem Salomonis, & inuenies illum pro nullo alio oraſſe, niſi pro his, qui à calamitate aliqua impulſi ſunt in Dei templum. Sic in præfenti: *Si clauſum fuerit cælum,* &c. *Fames ſi oborta, aut peſtilentia, aut corruptus aer,* &c. Et ſic à principio in finem ſolos meminit, quos vel iniuria accepta, vel hoſtium metus, vel bellum, vel fames, vel peſtis, vel tribulatio aliqua alia in templum egerint. Et cur non magis meminit eos, qui non à calamitate, ſed à voluntate, & fœlicitate ad Deum impellebantur? Planè eos meminit, quos plures, & frequentiores vidit ad Deum venire, ij autem ſunt, qui calamitatibus preſſi quaſi coguntur. Apocal. 7. *Audiui numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati ex tribu filiorum Iſrael. Ex tribu Iuda duodecim millia,* &c. *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni amicti ſtolis albis,* &c. *Hi ſunt, qui venerunt ex tribulatione magna,* &c. Ecce tibi vt non magno numero continebantur, qui ex vertutibus ad ſignum ſalutis veniebant. At qui ex tribulatione magna

Apocal. 7.

procedebant,

procedebant, hi innumerabiles erant. Nunquam enim non tribulationes, & mala plures Deo, & ſalutì pepererunt. Matth. 17. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Joannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum & transfiguratus eſt ante eos*, &c. *Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias.* Quinque homines adſtant Ieſu in gloria transfigurationis, quorum duo ex Prophetis erant, tres autem de Apoſtolorum choro aſſumpti ſunt. Et cur plures de Apoſtolis veniunt, quàm de Prophetis? Prophetæ nimirum Moyſes & Elias veniebant aut de requie defunctorum, aut de paradiſo, Apoſtoli autem de terrenis laboribus, de mundi huius turbinibus accedebant. Labores autem, & procellæ huius mundi nunquam non plures emittunt ad Ieſum. Non longè abeſt ab hac excogitatione Timothæus Antiochenus orat. de Cruce, & Transfig. apud Gretherum noſtrum tom. 2. vbi ait: *Quid verò attinuit tres tantùm in mortem ducere, & ex Prophetis neminem niſi Moyſem, & Eliam? Et cur illos quidem tres, hos autem duos? Ut impleretur dictum Pauli: In nomine Ieſu omne genu flectetur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Ex infernis ſubduxit Moyſem, ex cæleſtibus deduxit Eliam, ex terreſtribus Petrum, Jacobum, & Ioannem.* Patrum defunctorum requies vnum Moyſem mittebat, paradiſus vnum Eliam: terreni autem labores, & turbines non ſingulos, ſed ternos mittebant ad Ieſum, nimirum Petrum, Iacobum, & Ioannem. Sic plures ſunt, quos mundi mala mittunt ad ſalutem, quàm quos bona mundi mittunt. Pſalm. 1. aiebat: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum.* Sic de vno beatificando loquitur, quaſi rarus ſit, qui in beatitudinem abeat. Pſalm. autem 2. ait: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Non vnum aut alterum, ſed omnes gentes, & multitudinem nationum oſtendit Ieſu dandam. Et quando in primo adeò rarus eſt, qui in beatitudinem abeant: cur in ſecundo tot populi, & nationes creduntur ire in ſalutem? Nota totum initium ſecundi Pſalmi, vt eſt de perſecutoribus fidelium, aiens: *Quare fremuerunt gentes*, &c. Vbi autem tot perſecutiones, & afflictiones ponuntur, non mirer, quòd plures in ſalutem abeant. Notabat Euſeb. in eaten. Lypom. *Primus quidem pſalmus vnum aliquem rarum, qui ſaluandus eſſet, beatum prædixit, præſens autem multitudinem ad ſalutem inuitat.* Quippe pſalmus in quo tot perſecutiones, & afflictiones fidelium oſtendebantur, neceſſum erat, vt ſimul oſtenderetur ingens multitudo, quæ inde ad ſalutem properaret.

Matth. 17.
Timoth.
Pſalm. 1.
Idem.
Euſebius.

§. XXIII.

Pœnitentia potens eſt, & ingentia mala temporalia tollere.

NOn ſemel Salomon, vt oraturi in templo exaudiantur, & liberentur a malis, hanc præmittit conditionem, ſi nimirum pœnitentiam agant. Quippe ait: *Agentes pœnitentiam, & confitentes.* Rurſus dicit: *Orantes in loco illo pœnitentiam egerint.* Inſuper ponit: *Si quis cognouerit plagam cordis ſui*, &c. Tandem fatur, *& egerint pœnitentiam in corde ſuo in loco captiuitatis ſuæ, & conuerſi deprecati fuerint in captiuitate ſua, dicentes: Peccauimus, iniquè egimus*, &c. Hæc ſemper præmittitur conditio pœnitentiæ; vt exaudiantur à Deo vniuerſi accedentes, & mala omnia à ſe auertant. Meritò etiam requiritur præmiſſa pœnitentia, vt auertantur mala ab humano genere, cuius vel gemitus ingentes malorum flammas extinguere ſolet. Quis ignoret fornacem illam ardentem, quam incendit Nabuchodonoſor? Nonne quadraginta cubitis erigebatur flamma eius? Sic narrat Daniel cap. 3. In eam tamen coniecti tres pueri Hebræi, nihil læſionis receperunt, ſed in mediis flammis ambulabant illæſi. Et quibus aquis tanti impetum ignis temperare potuerunt, vt ambularent in eo læti? Ait textus: *Ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino. Stans autem Azarias orauit ſic, aperiénſque os ſuum in medio ignis ait: Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum*, &c. *quia in veritate & iudicio induxiſti omnia hæc propter peccata noſtra. Peccauimus enim, & iniquè egimus*, &c. Sic dum verba pœnitentiæ expromit, & confeſſionis, flammarum vim comprimet, quam vix maris aquæ conſtringere poſſent. Ait Diuus Cyrillus Hieroſolymitanus. Catech. 2. *Recogita, quid acciderit iis, qui erant cum Azaria, quales effuderunt fontes. Quot vaſa aquæ quadraginta nouem vlnarum flammam extinguere potuerunt? Sed vbi immodicum aſcendit flamma, illic fluuiolum effudit fides, & iſthic dixerunt pro remedio malorum: Iuſtus es Domine in omnibus, quæ feciſti nobis, peccauimus, iniquè egimus. Et pœnitentia diſſoluit flammas.* Vna pœnitentia, & confeſſio oppoſita eſt ardentibus fornacis flammis, & illæ ſtatim ceſſerunt in placidiſſimum rorem conuerſæ. Potens enim eſt, vel vnus pœnitentiæ gemitus inſtantia iam malorum agmina amouere. Nabuchodonoſor eiectus fuerat à regno, cum feris in montibus exulabat, crudis paſtus herbis per ſeptennium. Quid tunc? Ipſe ait Danielis cap. 4. *Igitur poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi. & Altiſſimo benedixi*, &c. *& ad honorem regni mei, decorémque perueni.* Cùm primum oculos aperuit, & cum dolore ſcelerum, ſuperbiæque ſuæ cœpit Dominum confiteri; omnia illa mala diſparuerunt, & priſtina bona rediere. Vt dicat D. Cyrill. Hieroſ. vbi ſuprà: *Cùm igitur agnouit Altiſſimum, votéſque gratias agentes ad Deum emiſit, & deuenit ad eorum, quæ patrauerat, pœnitentiam, infirmitatémque ſuam agnouit, tunc reſtituit illi Deus regni honorem.* O quanta vitabit mala, & acquiret bona, qui nouerit peccatorum pœnitere! In primogenitorum Ægyptiorum excidio dictum eſt Iſraelitis, Exod. 12. *Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis, & videbo ſanguinem; & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſpergens, quando percuſſero terram Ægypti.* Felices illi ſub agni ſanguine tecti, percutientem Angelum à ſe fugabant, & nos non habebimus, quo à nobis calamitates arceamus? Habebimus equidem ſanguineum ruborem pœnitentiæ, quo rubricatos cùm videant mala, non audebunt appropinquare. Ait Rupertus in cap. 2. Ioelis: *Secundùm hanc ſimilitudinem poſt paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſanguine eius poſtes ſuos, id eſt, frontes ſuas ſignantes cuncti, qui pœnitentiam in nomine eius prædicatam ſuſceperunt, ſpem habent non vanam, quòd conuertatur Deus ad ſignum iſtud, & relinquat poſt ſe benedictionem, tranſiens ad Ægyptios, id eſt, cunctos ſuperbos, & impœnitentes æterni iudicij ſententia percutiens.* Sic ibi, vt videas quàm oppugnent mala impœnitentes, & quàm liberentur à malis, qui pœnitentiæ ſtudent.

Cyrillus Hieroſol.
Dan. 4.
Cyr. Hier.
Exod. 12.
Rupert.

3. *Regum* 8. Factum eſt autem cùm complеſſet Salomon orans Dominum, omnem orationem, & deprecationem hanc, ſurrexit de conſpectu altaris Domini: vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum. Stetit ergo, & benedixit omni Eccleſiæ Iſrael voce magna, dicens: Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo ſuo Iſraël, iuxta omnia quæ locutus eſt, *&c.*

§. XXIV.

Ex Deo habet Princeps, quod nihil ſibi retineat, ſed totum ſe impendat pro vtilitate ſubditorum.

QVi genib. flexis orauerat ad Deum, ſurrexit, & ſtetit, vt benediceret populo. Ait enim: *Surrexit de conſpectu altaris Domini: vtrumque enim genu in terram fixerat*, &c. *Stetit ergo, & benedixit omni Eccleſiæ*, &c. Expende illa, *Surrexit de conſpectu altaris; ſtetit ergo, & benedixit*; quippe vt populo benedictionem daret, totum ſe erexit à conſpectu altaris, & ſtetit; nihil enim priùs ex Dei communicatione Principes addiſcunt, quàm quòd ſe totos exhibeant intentos promouendis ſubditis. Id præſtabat Paulus 1. ad Theſſalonicenſes 2. inquiens: *Factus ſum in medio veſtri ſicut nutrix fouens, & nutriens filios ſuos.* Paulus præpoſitus fidelibus, ſtatim ſe illorum

1. Teſſ. 2.

nutricem exhibuit. Et qualem ſe nutricem exhibuit? An quæ vbera haberet pro nutriendis illis? Accipe quid maius, cùm à Nerone decollaretur, totum eius collum non ſanguinem emittebat, ſed copioſiſſimas lactis vndas; vt oſtenderetur, quàm ſe totum fecerat Paulus vbera pro alendis ſubditis.

Guerric. Ait Guerricus Abbas ſermone ſecundo de Petro, & Paulo, fatus: *Quam plenus autem lacte redundauerit ſpirituali, pulchrè ſignificatum eſt vnda illius lactis viſibilis, quod de corpore ipſius exiſſe loco ſanguinis, cùm decollatus pro illis, quibus dabat mamillam, dedit & animam. Planè nihil in illo ſanguineum, ſed totum lacteum, qui nihil carnale, nihil ſuum cogitabat, ſed tantùm, quòd aliis vtile erat. Nec tam habebat vbera, quàm ipſe totus vber erat: qui ita miſericordia vberi affluebat, vt non modò ſpiritum ſuum deſideraret totum filiis immulgere, ſed & corpus impendere.* Habent nutrices pro conſeruando proprio corpore ſanguinem; lac autem non pro ſe, ſed pro infantibus nutriendis habent. Bonus autem princeps orbis Paulus, vbi fidelibus fuit à Deo præpoſitus, nihil ſibi conducens habere ſtuduit, ſed totum ſe ſuis tradidit, omnia ſua membra in vbera conuertit, quæ lacte manarent pro ſuis ſubditis ſuſtentandis. Vt

2. Cor. 12. etiam fatetur 2. ad Corinth. 12. *Ego ſuperimpendar pro animabus veſtris*, quæ verba notans Diuus Bernardus libro

Bernard. 4 de conſiderat. ait: *Fuerunt ante qui ſe totos ouibus paſcendis exponerent, paſtoris operis, & nomine glorianteſ: nihil ſibi reputantes indignum; niſi quod ſaluti animarum obuiare putarent: non quærentes quæ ſua ſunt, ſed impendentes. Impendere curam, impendere ſubſtantiam, impendere & ſe ipſos. Vnde vnus illorum: & ego, ait, ſuperimpendar*, &c. Siccine erant affecti ad ſubditos Principes, qui Deo appropinquabant, & eius ſpiritu gubernabantur.

§. XXV.

Princeps ille inuincibilis, qui per ſe inſtituit populares.

INuenio Salomonem per ſe ipſum verba facientem ad populum, dum dicitur: *Benedixit omni Eccleſiæ Iſraël voce magna, dicens*, &c. Nec myſterio caret, quòd de hoc ſapientiſſimo Rege dicatur, quòd concionem hanc habuerit ad populum; de quo ſuprà 3. Regum 5. dictum eſt:

3. Regum 5. *Non eſt Satan, nec occurſus malus.* Sic enim erant ſopiti vniuerſi aduerſarij, vt nec vllus auderet aduerſùs Salomonem muſſitare. Planè hæc duo ſolent eſſe connexa, & quòd Princeps per ſe ipſum inſtituat ſuos populares, & quòd inde prorſus inuincibilis appareat. Prouerb. 30. dum quaternarium proponitur incedentium bene, quar-

Prouerb. 30. tus ſic dicitur iuxta Ianſenij, & Richelij lectionem: *Et Rex, nec eſt, qui reſiſtat ei.* Vbi Septuaginta legunt: *Et Rex concionans in gente.* Cui lectioni accinit Chaldæus fatus: *Et Rex, qui ſtat, & loquitur in domo populi ſui.* Ecce tibi, vbi Rex dicitur concionans in gente, vel loquens cum popularibus ſuis, illos inſtruens, ſimul dicitur ille Rex non habere reſiſtentes ſibi, neque aduerſantes. Vincit enim omnes, & ipſe eſt Princeps inuincibilis, qui per ſe, & propriis verbis populares ſuos componit. Cui excogitationi lucem dant verba Virgilij Georg. 4. vbi ſic:

——— *Cæſar dum magnus ad altum*
Fulminat Euphratem bello, victórque volentes
Per populos dat iura.

Quibus Tiraquellus de Nobilit. capit. 28. victorioſiſſimi, inuictiſſimique Cæſaris extollit præſtantiam, quòd ipſe per ſe populos alloqueretur, eiſque iura daret, & lites componeret. Vt eſſent in hoc Principe hæc duo coniuncta, & victricia arma aduerſùs hoſtes, & fauorabilia verba cum ſuis popularibus. Non longè abeſt ab hoc illud

Pſalm. 2. Pſalmi 2. regnum Ieſu extollentis, nimirum: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania. Adſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſùs Dominum, & aduerſùs Chriſtum eius. Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum. Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Vidiſti furentes hoſtes in Ieſum, ab illo compreſſos, & eorum medicamenta irrita, & inania facta, ipſum autem Ieſum Regem conſtitutum, & Regem, cui nullus audeat reſiſtere, ſed ad eius valentiam vniuerſi ſtupeant, & hæreant conturbati. Et quid tantæ fortitudini adiunctum erat in hoc Rege? Ait Pſalm. *Prædicans præceptum eius.* Is erat Ieſus Rex, qui & fulminat, & proſternit victor aduerſarios, & ſimul per ſe ipſum diuinis præceptis imbuit populares. Quò ſpectans Diuus Thomas in caten. Lyppomani ait: *Illi ſic frementes faciunt, ſed intentum ſuum habere non poſſunt, quia ſum conſtitutus, id eſt, ſtabilitus Rex ab eo.* D. Thom.
Sum autem conſtitutus Rex ſuper Sion montem ſanctum eius, non propter me, ſed vt regam populum ſecundùm legem Dei. Et ideo dicit: Prædicans præceptum eius, &c. *Hoc autem præceptum perſonaliter prædicauit Iudæis, in perſona, ſcilicet, propria.* Dum in perſona propria imbuebat populares ſuos diuinis præceptis, adeò ſe triumphalem Regem oſtendebat, vt omnes hoſtes aduerſùs illum inaniter fremerent.

§. XXVI.

Per Mariam habemus, quod parentum virtutibus addamus, & in maiora eamus.

EO ſpectabat tota Salomonis oratio, ne ſui minores antiquis parentibus in Dei fauoribus exiſterent, & ideo ait: *Sit Dominus Deus noſter nobiſcum, ſicut fuit cum patribus noſtris.* Quaſi hoc maximum à Deo putabat venire poſſe, quòd filij non minus haberent, quam habuerant eorum parentes, & maiores. Audacius forſan Eliſæus dicebat ad Eliam 4. Regum 2. *Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Non ſolùm ſe patri æqualem fieri amat, ſed 4. Reg. 2.
magis illum duplo excedere. Et vnde in hoc Eliſæus Salomone ardentior? In ſumma terræ ſiccitate orabat Elias pro pluuia qui ſemel, & iter, & ſepties mittit puerum, vt videat, ſi aliqua aſcendat nubes. *In ſeptima autem vice: Ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat è mari.* Circa quæ verba ait Ioannes Hieroſolym. lib. de inſtitut. monach. *Hæc nubecula, ſcilicet, Beata Maria in ſeptima generatione fuit nata: ſic in eadem ætate fuit à diſcipulis Eliæ viſa in Carmelum ſpiritualiter aſcendens.* Et inde probat ſub Mariæ Ioan. Hier.
patrocinio totam vixiſſe Eliæ familiam. Ne miremur, quòd diſcipulus Eliæ Eliſæus ſub Maria viuens audeat inde magiſtrum ſuum & patrem excedere virtutibus. Mariæ namque patrocinium omnia in melius faciet exſurgere. Vt dicat Diuus Damaſcenus oratione prima de Natiuitate Mariæ: *Omnis creatura vnà epuletur, ac ſacræ Annæ ſacerrimum rationale laudibus proſequatur. Bonorum enim theſaurum, qui nulla vi eripi poſſit, mundo peperit. Per eam quippe creator naturam omnem, interiecta humanitatis beneficio, in melius commutauit.* Damaſcen.
Sic à Maria ſemper in melius itur. Fœlices nos, qui non Salomonem, ſed Salomonis filiam Mariam Deiparam habemus pro nobis, de cuius patrocinio, & voce tot Dei fauores recipimus, vt poſſimus addere non parum & parentibus, & maioribus noſtris. Iuit aliquando Maria in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth Luc. 1. *Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth, & exclamauit, dicens*: &c. Expende ordinem; Maria loquitur, Ioannes Luc. 1.
in vtero exiſtens exultat, Elizabeth Spiritu ſancto impletur, & prophetat. Vt dicat diuus Ambroſius ibi: *Non prius mater repleta, quam filius, ſed cùm filius eſſet repletus Spiritu ſancto, repleuit & matrem.* Et vnde filius Elizabeth in Ambroſ.
peccato exiſtens, & vteri tenebris concluſus tantam potuit recipere gratiam, vt de illa non parum ipſe refunderet matri? Aderat Maria, cuius vox vbi tetigit Ioannem, ſic illum fecit in gratia abundare, vt poſſet parentum gratiæ non parum addere. Ait Guerricus Abbas ſermone primo de Ioannis Natiuitate. *Vox Mariæ dum auribus Elizabeth inſonat, ad cor Ioannis penetrat: qui abſtruſus intra materna viſcera, ſpiritum eius animat, gaudióque ſalutari vegetat; & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ plenioremm infudit prophetiam, adeò etiam vt de plenitudine filij copiosè videatur in matrem refundi.* Quæ à Mariæ Guerric.
voce venit virtus in Ioannem, ſic ipſum impleuit, vt de abundantia ſua poſſit ipſe ſuperimplere patres. Numquam enim nos Maria non in amplius, & perfectius impellit.

§. XXVII

§. XXVII.

Orationi inſtandum.

SApienter dicebat Salomon illud: *Et ſint ſermones mei iſti, quibus deprecatus ſum coram Domino, appropinquantes Domino Deo noſtro die, ac nocte.* Meritò ad hoc gratiam petebat, vt eius orationes die, ac nocte aſſiduæ eſſent in conſpectu Domini: quæ enim aſſiduæ ſunt, tandem optata ſolent conſequi.
Geneſ. 24. Genel. 24. *Rebecca veniebat cum filiabus ciuitatis haurire aquam.* Quod ſic ponderat
Origen. Orig hom. 10. *Quotidie veniebat ad puteos, quotidie hauriebat aquas. Et quia quotidie veniebat ad puteos, idcirco inueniri potuit à puero Abraham, & in matrimonium ſociari.* Nullum diem præterit, quo non veniret ad fontem Rebecca, & in tanta aſſiduitate, & inſtantia pro hauriendis aquis, tandem inde inuenit, quo fieret Chriſti mater. Ille paterfamilias, qui operarios ad
Matth. 20. vineam ſuam colendam quærebat Matth. 20. *Egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos.* Vt erant in foro, ſic & otioſi erant, nullúmque habebant lucrum, ſed damnum. Ea quo monebat Imperfect. homi. 34. in Matth.
Imperfect. *Prima ergo lana eſt Chriſtiano alienum eſſe à foro, nullam cauſam habere cum illo, ſicut ait Apoſtolus: Rogo autem vos ſtudium habere quietis, & ſilentij, ac negotij proprij operando manibus veſtris, & nullius veſtri deſiderium ſit ad eos, qui foris. Si enim in foro permanſeris, & quod habes, perdes; ſi autem in vinea aſſiduus fueris, & quod non habes, acquires.* Expende illa, *ſi autem in vinea aſſiduus*, &c. aſſiduitas enim, & inſtantia pro colenda vinea Dei, pro Deo exorando, & lucrum, & fru-
Exod. 17. ctum habet. Exod. cap. 17. *Cum leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Vel parua remiſſio orandi victoriam auferebat Iſraëlitis; quam præſtabat orandi aſſiduitas. Vt dicat Chryſoſtom.
Chryſoſt. in cat. Lypom. *Hoſtis, dum oras, premitur, dum ceſſas, erigitur, &c. Oratio tuget, infirmatus hoſtis. Cæterum ipſe contra ſe tela miniſtrat, qui hoſtem precum inſtantia non fatigat. Quare orationis inſtantia hoſtis ſæuitia debelletur, non præſumat, dum parcimus, non erigatur, dum aliquando ceſſamus.* Quid pulchrius? Inſtandum nobis orationi eſt, ſi volumus, de hoſtibus agere triumphos.

3 *Regum* 8. Igitur Rex, & omnis Iſraël cum eo, immolabat victimas coram Domino, *&c.*

2. *Paralip.* 7. Cumque compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cælo, & deuorauit holocauſta, & victimas & maieſtas Domini impleuit domum; nec poterant Sacerdotes ingredi templum Domini. Sed & omnes filij Iſraël videbant deſcendentem ignem, & gloriam Domini, *&c.*

§. XXVIII.

Princeps ſubditorum forma eſt.

VT immolabat Rex victimas, ſic & totus Iſraël immolabat, dicente textu: *Igitur Rex, & omnis Iſraël cum eo, immolabat victimas coram Domino.* Nunquam enim Princeps ſubditorum ſuorum forma non eſt. Vt ſapienter di-
Caſſiodor. cat Caſſiodorus 3. variar. 12. *Publici decoris mater eſt mens regentis: & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aſpectum. Facilius eſt quippe, ſi dicere fas eſt, errare naturam, quàm diſſimilem ſui Princeps poſſit formare Rempublicam.* Vna eſt Reipublicæ forma, nimirum eius Princeps, qualem ſe Princeps exhibeat, tales ſubditi erunt. Quò ſpectans
1. Petr. 5. D. Petrus 1. epiſt. 5. intuens ſuos Prælatos ait: *Neque dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo.* Talem in ſe formam viuendi exhibeat, qualem velle debet, vt ſubditi habeant. De ſe dicebat Iob cap. 29. *Quando procedebam*
Iob. 29. *ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi.* Legunt Septuag. *Cùm exibam matutinus in ciuitate.* Et cur matutinus? Volebat ſuos ciues ſic inſtruere, vt minimè ſomno indulgerent, & quales volebat ciues, talem ſeipſum efformabat. Ait Olympiodor. *Tanquam Princeps quidam,*
Olymp. *ac magiſter cæteris ad virtutem, ſic nec ſomno, nec ebrietatibus indulgebat, ſed charitate commotus de manè in plateis reſidebat, tanquam lex, atque effigies ciuitatis propoſitus.* Expende illud, *tanquam lex atque effigies ciuitatis*, &c. quippe in vno Principe tota cernitur delineata effigies, & forma ciuitatis. Vaniſſimus, & ſtultiſſimus eſt, qui aliter ſubditos efformare nititur, quam ſe ipſum efformat.

§. XXIX.

Qui charitate ardet, externos vix ſentit ignes.

NOn ſemel oblata Deo ſacrificia igne cœlitus delapſo abſumpta ſunt, vt habes in Abele Gen. 4. & in Moyſe 2. Machab. 2. & in Elia 3. Regum 19. & in præſenti, vbi dicit: *Ignis deſcendit de cælo, & deuorauit holocauſta, & victimas*, &c. *Sed & omnes filij Iſraël videbant deſcendentem ignem*, &c. Illud tamen in præſenti ſingulare notandum, quòd ignis hic cœlitus deſcendens, conſumens victimas, eas victimas conſumit, quæ erant in templo oblatæ, & nullam templo læſionem intulit. Videbatur enim ignis copioſiſſimus cœlitus in templum dilabi, victimas abſumere, & templum vndique innoxiè inuadere, & lambere vndique, non perdens, ſed conſecrans, ſed purificans. Sic noſter Salianus; nec miror, quod inter combuſtas victimas, templum innocuas ſibi experiatur flammas, vt enim intima templi flammante diuinitate tenebantur, ſic non potuerunt ſentire aculeos externi ignis. Crede mihi & tibi, ſi cordi ſit Deus, ſi amoris diuini flamma peruadat intima tua, nec ſenties læſionem ab externo igne.
Clamabat Pſalm. 138. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Pſal. 138. Quibus & petit ignem corporis, & ignem cordis. Nec aliter petit corpus, renéſque comburi ſuo igne, niſi & cor ſimul inflammetur igne ſuo, qui eſt charitatis ignis. Ait D. Ambroſius de S. Laur. ſerm. 2. & Auguſt. ſerm. 1. Et meritò non dubitat flammis tradi externis, dum Dei amore ardeant cordis intima; hæc enim flamma cordis, via patitur externam flammam ſentiri. Vt dicat Diuus Maximus ſermone 2. de S Laurentio. D. Maxim. *Vbi cor ardet, flammam membra non ſentiunt; vbi Chriſti ignis operatur, diaboli, neceſſe eſt, vincatur incendium, & vbi Dei ſpiritus feruet, frigida ſit flamma mortalium.* De quo etiam D Leo D. Leo. addit: *Superari charitatis Chriſti flamma non potuit: & ſegnior fuit ignis, qui foris vſſit, quàm qui intus accendit.* Nec mireris, quòd intrinſecus feruor charitatis frigeſcere faciat externas mortalium flammas. Habet enim charitas in Deum, quo fontes ſibi ex Deo trahat, quos externis opponens flammis, maximè ſolet refrigerari. Dicebant illi Pſal. 65 Pſalm. 65. *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & induxiſti nos in refrigerium.* Nec pedem ad ignem mouent, quin ſimul ſentiant ſibi fontem aquarum exundare, quibus refrigerium habent. Ait Diuus Maximus ſermone 2. de S Laurentio D. Max. *Tranſibat per ignem & aquam B. Laurentius, cùm hinc eum mortiferis mundi flamma torreret, hinc cæleſtis irrigui vita in vnda perfunderet. Tranſibat per ignem, & aquam, cum vim furentis incendij, diuini fontis clementia temperaret.* Ecce tibi, vt flammas ardentes admouebat tyrannus, ſic fontes addebat Deus, quibus intima dilectionis ſui rigata de ipſis flammis externis triumphabant. Nota eſt hiſtoria trium puerorum Daniel. 3. vt immittuntur in ardentem fornacem, & *nihil corruptionis eſt in eis.* Et quid illos à tantis flammis defendit? Ignis diuinus internus. Ait D. Machar homil. 11. Machar. *Tres pueri cum eſſent in illo igne, habebant in cordibus ſuis diuinum, ac cæleſtem ignem, intra cogitationes miniſtrantem, & operantem in ipſis. Qui quidem ignis extra illos emerſit, & inter eos interceſſit, & cohibuit externum ignem, ne combureret, aut vllo modo læderet iuſtos.* Sic valet internus cordis ignis vt de externo triumphet.

3. *Regum* 8. Fecit ergo Salomon in tempore illo feſtiuitatem celebrem, & omnis Iſraël cum eo, multitudo magna, *&c.*

§. XXX.

Non ſolis lapidibus, ſed & virtutum exemplis templa ſunt Deo conſtruenda.

NOn hæſit Salomon in templo erigendo ex lapidibus, ſed inſuper addidit multa virtutum exempla, in holocauſtis, in orationibus, in gratiis Deo agendis, ad quæ ſimiliter traxit totũ populũ Iſraelis. Vt dicat text. *Fecit ergo Salomon in tẽpore illo feſtiuitatẽ celebrẽ, & omnis Iſrael cũ eo*, &c. Nec ſemel eam feſtiuitatem fecit, ſed illam in perpetuum ſuis ſumptibus ſtabiliuit; vt docet Salianus. Sic in vrbe ex lapidibus templum materiale, & in animis Iſraëlitarum ſpiritualia templa Deo erigebat virtutum exemplis. Cui aptatim, quod D. Leo ſerm. de Natiuit. Machabæor. dixit
Leo. de magnifico alio erectore chriſtiani templi. Ait enim: *Qui hoc die antiquam feſtiuitatem huius loci conſecratione geminauit. Magnificus quidem ſtructor parietum, ſed magnificentior ædificator animarum, vltro ævi ſui terminos opera pietatis extendens, vt vtilitatibus inſtitutionum eius, etiam in illo frueretur poſteritas, & habitando quod condidit, & faciendo, quod docuit.* Hinc ſe maximè attollit magnificus ædificator templi, quòd non ſolùm lapidum erexit parietes, vbi habitarent fideles, ſed etiam virtutum dedit exempla, quæ ipſi imitarentur. De
Geneſ. 28. Iacob dixit Geneſ. 28. *Surgens ergo Iacob tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper*, &c. *Vouit etiam votum, dicens: Si Dominus*, &c. Parum eſſet, quòd lapidem Iacob erigeret Deo; ſed & addidit multa virtutum exempla in exhibitis votis, in animi moderatione non petens diuitias, nec rerum affluentiam, ſed ſolùm neceſſaria ad viuendum. Quod maximè ſpectat Deus in iis, qui ædificant templa. Ait enim Diuus
Zeno. Zeno lib. 2. ſerm. 24. *Hæc ſæcularia ſine legitimo, ac deuoto cultore, nec ſufficientia, nec neceſſario honori ſuo proteſtatur Deus dicens: Cœlum mihi thronus, & terra ſuppedaneum pedum meorum; quam mihi ædificabitis domum ad requiem mihi?* Vbi omnia cæleſtia, & terrena Dei ſunt, nihili æſtimat ſolam ædificationem parietum, quam non comitatur deuotio ædificatoris in multis virtutum exemplis. Simul exurgat Templi materiale opus, & deuotio ædificatoris in vitæ probitate, & cultu diuino, & habes Deo gratiſſimum opus.

CAPVT XII.

Regia, & thronus Salomonis, & claſſis.

PERFECTI iam Templi ingentes materiarum reliquiæ eò adduxerunt Salomonem, vt de conſtruenda ſibi Regia cogitaret. Animos addidit religio, qua verebatur vxores, ab alienigenis ductas ſibi morari in domibus paternis, in quibus tam diu habitauerat Dei arca. Anno ergo vndecimo regni ſui fundamenta iecit, quæ vſque ad vltimam perfectionem ampliſſimi palatij tredecim deduxit annorum ſpatio. Peracta fuit domus Regis, & domus Reginæ, & domus ſaltus Libani. Quibus conſtabat palatium, quod ita vnum erat, vt tamen excultum eſſet ædificiis, quæ per partes, diuerſis eſſent vſibus attributa, diuerſiſque inde nominibus diſtincta. Pars Regi ſedes; pars Reginæ; tertia, eáque cantatiſſima ob frequentes cedrorum columnas, ſaltus Libani vocatur. In hac regales omnes conuentus, tractatus, & iudicia aguntur; inibi thronus ille Salomonicus, cuius opus cætera orbis miracula ſuperabat. Tantum palatium obuium templo faciebat mirandæ ſculpturæ pons, dictus Mello, qui profundiſſimam vallem inter templum, & Regiam iniectam, eorum liminibus quabat, vt facilis eſſet Regibus ad templum tranſitus.

PARS MORALIS circa textum.

NOTAVI præſtantiora Salomonis ædificia, minora alia patebunt inter ipſum textum ponderandum. Vtinam ille non tam lapidibus domos, quàm moribus populos vſque in finem ædificaſſet.

3. *Regum* 7. Domum autem ſuam ædificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vſque perduxit. Ædificauit quoque domum ſaltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis, & quatuor deambulatoria inter columnas cedrinas; ligna quippe cedrina exciderat in columnas, *&c.*

§. I.

Quæ ad Deum pertinent, in primis, & de primis ſint.

POſt templum abſolutum, eiúſque cultum, & ornatum perfectum, adductus fuit Salomon, vt Regiam ſibi ædificaret, dicente textu: *Domum autem ſuam ædificauit Salomon*, &c. Non equidem ante templum, ſed poſt templi ædificium, vt notabat Ioſephus lib. 8. *Abſoluta autem* Ioſeph. *templi fabrica, quæ ſeptennio, vt dictum eſt, durauit, Regiæ ſtructuram eſt aggreſſus.* Perfecerat ergo Salomon omnia, quæ ad templum, & Dei cultum ſpectant, & cùm non parum inde materiæ multiplicis, ex templi fabricati reliquiis, & pecuniarum ad ſumptus ſupereſſet, vt placet Saliano noſtro, ibi: *ex reliquiis illis materiarum, & pecuniarum Regiæ ſuæ ſtructuram aggreſſus eſt.* Vtinam ſic vniuerſi ſaperemus, vt primis datis Deo, & virtuti, de ſolis reliquiis crederemus nobis viuendum. Poſt multiplicatum oleum, quod in vaſe erat, 4. Reg. 4. ſic monebat Eliſæus fœminam: *Vade, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filij* 4. Reg. 4. *tui viuite de reliquo.* Non ſibi primum conſulere monetur bona fœmina; ſed hoc illi in primis præſcribitur faciendum, vt creditori ſatisfaciat, de reliquiis autem viuant ipſa, & filij eius. Planè de reliquiis nobis viuendum eſt, prima enim omnium bonorum Deo, & virtuti, exactiſſimis hominum creditoribus ſunt reddenda. Quò ſpectant illa Deuteronom. 28. nimirum: *Benedicta horrea tua,* Deuter. 28. *& benedictæ reliquiæ tuæ.* Et quæ ſunt noſtræ reliquiæ? Crediderim omnia bona, quæ ad partem noſtram pertinent, reliquias vocari; vt enim prima Deo, & virtuti ſunt reddenda, ſic de reliquiis viuere nobis neceſſum eſt. Nec impunè nobis prima tollemus, relictis reliquiis Deo. Cùm enim monuiſſet Dominus Prouerb. 3. *Honora Deum de tua* Prouerb. 3. *ſubſtantia, & de primitiis omnium bonorum.* Meritò carpuntur illi, qui omnia ſibi viuentes retinent, & ſola dant Deo, quæ poſt mortem relinquunt. Ait pulchrè D. Baſil. hom. 7. Baſil. in diuites auaros: *Vellem, inquis, viuere ac frui bonis meis. Morti ergo, non tibi habenda eſt gratia. Si enim immortalis eſſes, nunquam mandatorum recordatus eſſes. Noli errare, Mortuum ad rem ſacram non offertur, Viuentem offer hoſtiam. Qui ex iis, quæ ſuperſunt offert, ingratus eſt. Tu verò poſt vitam, quæ morti ſuperſunt, Deo omnium præbitori tribuis? Si tu nobilem hoſpitem domi exciperes, ei ne menſæ reliquias apponeres? Quomodo ergo exiſtimas ex repoſitis Deum placari?* Quid pulchrius? Expende illa, *ei ne menſæ reliquias apponeres?* Planè nullus eſt, qui hoſpiti nobili ciborum reliquias auderet apponere; & nos reliquias ſolas bonorum apponemus Deo? Et credemus Deum illic placari? Credant hoc miſeri errones; qui autem ſapiens eſt, ſibi reliquias ſeruet, primitias Deo præſtet. Tunc equidem patebit tibi Deum honori eſſe, cùm ei & primas curaueris offerre.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

In nullo minus, quàm in Chriſti rebus laboras.

NOn abſque myſterio textus annos in ſtructura Regiæ conſumptos notabat, dicens: *Domum autem ſuam ædificauit Salomon tredecim annis*, &c. De quo locutus Ioſeph. Ioſephus lib. 8. ait: *Abſoluta autem templi fabrica, quæ ſeptennio, vt dictum eſt, durauit, Regiæ ſtructuram eſt aggreſſus, quàm vix tertiodecimo anno conſummauit.* In Regia ſibi ædificanda tredecim annos conſumpſit, in templo autem Dei, etſi magnificentius eſſet, & excellentioris operis, tamen ſolos, iuuante Deo, ſeptem annos poſuit. Nec miror: vt enim templum Chriſti Domini typus erat, ſic laboris breuiauit ſpatium, in nullo enim minus, quàm in Chriſto laboras. Rom. 9. Paul. ad Rom. 9. *Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. Verbum autem conſummans, & abbreuians in æquitate, quia Verbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram.* Proponit Paulus effectum aduentus Chriſti, nimirum ſalutem paucorum Iudæorum, quando multitudine reproborum pauci illi inuenient ſalutem? Cauſam innuit textus, dicens *Quia Verbum breuiatum faciet Dominus*; experientia diſcentes, quam breuiora ſint ſpatia laboris in Chriſto in ſalutem abibunt. Ait Diu. Anſelm. Anſelm. ibi: *Verè ſaluabuntur, nam Verbum erit conſummans, & abbreuians in æquitate. Ideo ſaluabuntur, quia verbum Euangelij quod eis tradetur, erit conſummans hominem in iuſtitia. Et abbreuians, id eſt, in vno gemino charitatis præcepto comprehendens omnia, quæ lex multiplicibus præceptis inſtituerat.* Hoc fuit maximè cordi Chriſto Domino, vt labores ſuorum breuiaret; qui enim in lege immenſum præceptorum onus portabant, in Chriſto per vnum charitatis præceptum omnia abſoluunt. Ab vno enim Chriſto Domino habemus, vt quicquid eius ſalutis eſt, breuiſſimè ad nos veniat. Oſe. 6. Oſeas cap. 6. *Ipſe cepit, & ſanabit nos. Viuificabit nos poſt duos dies; in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus.* Theodor. Circa quæ ait Theodoret. ibi: *Et compendium medicinæ oſtendens ſanabit nos poſt duos dies, in tertio reſurgemus. Non enim temporis ambitu indiget, ſed multiplicem ſanitatem affert.* Expende illud, *compendium medicinæ*, quippe in Ieſu ſaluatore noſtro in compendio habemus, quidquid ſpectat ad ſalutem. Non longa ibi laborum ſpatia, non moræ multæ, ſed quæ largiſſimus amaritudinum fontes apud mundiales Medicos propinant, apud Ieſum compendioſum medicamentum offerunt.

§. III.

In caſtitatis virtute certæ ſunt menſuræ, certique limites minimè excedendi.

E Tribus Regiæ Salomonicæ partibus, vnam inuenio partem, cuius menſuræ deſcribantur; ea eſt domus ſaltus Libani. De hac enim dicit: *Ædificauit quoque domum ſaltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta*, &c. Itaque vbi de domo Reginæ agit, ſolùm dicitur Salomon ædificaſſe domum ſuam, & ædificaſſe domum filiæ Pharaonis, nec verbum additur de illarum menſuris. Verùm vbi accedit ad domum ſaltus Libani, ſtatim eius certas menſuras ponit, nihilque eius oſtendit non menſuratum. Et cur ſingulariter de hac domo dicta ſaltus Libani, menſuræ certæ oſtenduntur? Dicebantur domus ſaltus Libani, eo quòd tota cedrina eſſet, adeò vt in eam videretur tranſlatus Libanus. Qui mons & propter candorem, & propter cedrorum incorruptibilitatem, pro caſtitatis virtute in diuinis literis ſtare conſueuit. Cuius virtutis illud proprium eſt, vt intra certas menſuras, & terminos ſe contineat, quos præterire non liceat. Zeno. Quò ſpectans D. Zeno ſerm. de Pudicitia ait: *Vnum tantummodo metuit, ne ſit amplius, quàm vocatur.* Sunt equidem in caſtitatis puritate duæ, aut tres notiſſimæ ſpecies; nimirum caſtitas coniugalis, caſtitas vidualis, caſtitas virginalis. Quarum ſingulæ certas in ſe habent menſuras, & regulas, & terminos, quos præterire ſit nefas, vt ad gradum ſuperiorem accedant. Nimirum caſtitas coniugalis ea eſt, quæ ſub viri poteſtate eſt, illique pudicè, & ſanctè teneatur reddere debitum. Si autem hæc virginalis libertatis æmula, amaret ſic ſe gerere, vt virum prorſus neſciret, ab eiuſque amplexibus abhorreret, quaſi virgo eſſet, malum incurreret, quia amplius eſt, quam vocatur. Cùm enim coniux ſit, renuente compare, amat ſe gerere vt Virgo, in quo à virtute caſtitatis coniugalis declinans ruit in vitium. Sic Paulus ad Corinth. 7. agens de caſtitate coniugali, ſtatim certas eius regulas, & menſuras proponit, dicens. *Vxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu.* 1. Cor. 7. Ecce tibi quot regulæ, quot menſuræ ponuntur in coniugali continentia, quas obſeruare debeat. Vt nimirum coniux ſit in viri poteſtate, eius pareat nutui, nec ab illo diſcedat, niſi ex conſenſu, aliter fraudulenta erit viro. Quo poſito non paruum dubium eſt, cur Dominus naſci de Virgine, elegerit coniugatam? Dicit enim Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo*, &c. *ad Virginem deſponſatam viro*, &c. Luc. 1. Naſciturus de Virgine elegit coniugatam. Sed coniux ſubdita erat viro, & ſub viri poteſtate habebat corpus. Quomodo ergo Deus coniugatam elegit, vt de Virgine naſceretur? An voluit, vt coniux fraudaret virum? Abſit, ſed expectauit, vt viri conſenſus adeſſet, quo tota Mariæ puritas coniugalis ſeruaretur, intra proprias menſuras, & regulas. Ait D. Auguſtinus lib. de Virgine cap. 4. Auguſt. *Ipſa quoque virginitas Mariæ gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quàm conſeruaret, ipſe præripuit, ſed prius quàm conciperetur, iam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit.* Expende illa: *Non viro violaturo ipſe præripuit*; Habebat equidem Maria virum, ſed non qui violaret virginitatem eius, ſed qui maximè conſentiret cuſtodiæ eius. Quo factum eſt, vt Mariæ caſtitas in coniugio, eius ſeruaret menſuras, & leges. Numquam enim caſtitatis amor tantus debet eſſe, vt non ſui ſtatus menſuras ſeruet. Sic etiam ſapientiſſimi viri, virginesque prudentiſſimæ, licet maximo caſtitatis amore tenerentur, non dubitarunt externæ corporis pudicitiæ periculum ſubire, vbi chriſtianæ fidei obſequium præſtare neceſſum erat. Malebant equidem tradi leoni, quam lenoni; & nihilominus paratæ erant vim lenonum ſuſtinere, ne fidei moueretur integritas. De Arrianis ait D. Athanaſ. epiſt. ad ſolitarios: *Virgines denudabant, quibus formido vel minimi tactus ipſa morte grauior erat.* Athanaſ. Prudenter ſanctæ externum corporis pudorem integritati fidei poſtponebant. Sic caſtiſſima illa Iudith cap. 9. ornata ſeſe Iud. th 9. offert Holoferni, petens à Deo: *Capiatur laqueo oculorum ſuorum in me, & percuties eum ex labijs charitatis meæ.* Quid ais bona? Si tantus dux tuæ pulchritudinis laqueo capitur, nonne & tuæ pudicitiæ vim poterit inferre? Cur non magis tuo pudori parcis? Vbi ille tuus caſtitatis amor, an euanuit? Abſit, caſtiſſima & nunc eſt, ſed intra illas caſtitatis menſuras, quæ doceant maius bonum externæ pudicitiæ periculo præferri. Ait D. Ambroſ. lib. 2. Ambroſ. de virginib. *Iudith ſe, vt adultero placeret, ornauit; quæ tamen, quia hoc religione, non amore faciebat, nemo eam adulteram iudicauit. Bene ſucceſſit exemplum. Nam ſi illa, quæ ſe commiſit religioni, & pudorem ſeruauit, & patriam: fortaſſis & nos ſeruando religionem, ſeruabimus etiam caſtitatem. Quòd ſi Iudith pudicitiam religioni præferre voluiſſet, perdita patria, etiam pudicitiam perdidiſſet.* In hoc laudabilis, & bene fortunata euaſit, quòd ſciuit contemnere periculum externi pudoris, vt proſpiceret religioni. Hæc equidem debet eſſe æqua caſtitatis menſura, quòd pudor externus ſemper poſtponatur religioni.

3. *Regum* 7. Porticum quoque ſolij, in qua tribunal eſt, fecit; & texit lignis cedrinis à pauimento vſque ad ſummitatem. Et domuncula, in qua ſedebatur ad iudicandum, erat in media porticu, ſimili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis, quam vxorem duxerat Salomon, tali opere, quali & hanc porticum, *&c.*

§. IV.

Integritas iuſtitiæ integritati virgineæ ſimilis ſit.

AD domum ſaltus Libani retulit partem illam domus, quæ ad iudicia peragenda conſtruebatur, dum de ſaltus Libani porticibus locutus ait: *& domuncula, in qua ſedebatur ad iudicandum, erat in media portico.* Et meritò iudicij ſedes in domo ſaltus Libani conſtituitur; vt enim in cedris Libani incorrupta virginitas exprimitur; ſic illi non abſimilis iuſtitiæ integritas debuit aſſociari. Eſt equidem perfectæ iuſtitiæ integritas omnino ſimilis integritati
Eccli. 20. virginali. Vt dicat Eccleſiaſticus cap. 20. *Concupiſcentia ſpadonis deuirginabit iuuenculam: ſic qui facit per vim iudicium iniquum.* Non aliter integritas iuſtitiæ corrumpitur, quam integritas virginalis. Quod eſt puellæ & nobili, & caſtæ infamis corruptio, hæc eſt iudici iniuſtitia. Monebat,
Deut. 1. imò præcipiebat Deus iudicibus Deuter. 1. *Non accipies cuiuſquam perſonam.* Et quid ad iuſtitiam facit, quòd perſona nec accipiatur, nec cognoſcatur à iudice? Inde Maria Luc. 1. commendabat puritatem virginitatis ſuæ, di-
Luc. 1. cens: *Quoniam virum non cognoſco.* Eiſdem equidem oſtenditur & iuſtitiæ defectus, & puritatis virgineæ. Sic enim inhoneſtum videbitur iudici, quòd perſonas cognoſcat, & accipiat, vt virgini puellæ, quòd cognoſcat virum. Quò reſpiciens D. Baſil. orat. 7. de virtute, & vitio ait:
Baſil. *Quemadmodum enim ſagittarius telum ad ſcopum dirigens, neque exuperantia, neque defectu, neque etiam in vtramque partem digreſſione à iaculatione aberrat; ſic etiam iudici ad iuſtitiam omnia ſunt referenda, nec perſonarum rationem eum habere conuenit perſonam enim in iudicio cognoſcere honeſtum non eſt.* Caueat ergo iudex in iudicio perſonam cognoſcere, ſi honeſtatem amat, & turpitudinem fugit. Vt de illo dicatur, quod
Iob 34. Iob dicit de Deo cap. 34. *Qui non accipit perſonas Principum, nec cognouit tyrannum, cum diſceptaret contra pauperem.* Sic ibi.

§. V.

Eſculenta, & poculenta non parum iuſtitiæ officiunt.

ECce dicit: *Et domuncula in qua ſedebatur ad iudicandum, erat in media portico,* nimirum in media porticu domus ſaltus Libani; nec otiosè tota iuſtitiæ ſedes & cedrina erat, & cedrinis porticibus, & columnis cingebatur. Sicut enim cedri infrugiferæ arbores ſunt, ſic iudicibus nihil eſculentum, aut poculentum repræſentabant. Vt iudices inter eas arbores, & ligna ſedentes, quæ nihil fructus porrigebant in brachiis, docerentur cauere illos, qui eſculenta, aut poculenta porrigunt. Nunquam enim his non affectus hominis rapitur. Quis neſciat diſcrimen maximum inter merita Iacob, & Eſaü? Ille manſuetus, hic ferus, ille hominibus, & Deo probatus, hic à Deo reprobatus erat. Et nihilominus affectus etiam ſanctiſſimi parentis Iſaac ad Eſau rapiebatur. Et cur Iſaac ſic ra-
Geneſ. 25. pitur ad peiorem? Ait text. Geneſ. 25. *Iſaac amabat Eſau, eo quòd de venationibus illius veſceretur.* Nunquam Eſau ab agro venit ad patrem vacuus; afferebat enim præ manibus venationem, qua pater libenter veſcebatur, & ſic prorſus rapiebat ad ſe affectum patris. Notabat Chryſoſtom. ho-
Chryſoſt. mil. 50. in Geneſ. fatus: *Vide, quomodo pueros diſtribuit. Et mater quidem erga Iacob maiorem declarabat beneuolentiam, eo quòd ſimplicem videbat, & domi verſantem: pater autem diligebat Eſau, tum quod primogenitus eſſet, tum quòd venatione eius veſcebatur.* Et quando Iſaac ſanctiſſimus ſic cibis capiebatur, quis longe diſtans ab Iſaac ſanctitate non caueat cibis capi. Habent equidem eſcæ vim maximam, vt affectus humanos trahant, ad vniuerſas leges conculcandas. Matth. 26. iniquiſſima Principum iudicia in Ieſum exerci-
Matth. 26. ta explicaturus nil prius proponit, quam cœnam factam, dicens: *Veſpera autem facta diſcumbit Ieſus,* &c. Notabat autem cœnantis Ieſu tempus, vt oſtenderet illud eſſe, quo ab omnibus cœnabatur iuxta præſcriptum legis, vt docet ibi noſter Maldonatus. Igitur non ſolus Ieſus cum diſcipulis cœnabat: ſed ſimul omnes Iudæi eadem hora cœnabant. Nullaque erat Principum domus, in qua cœna non eſſent, & agnus, & azyma religioſè comedebantur; & immediatè carnes aliæ, & fermentata, & vina porrigebantur. Quid tunc? inter ipſa pocula, & dapes etiam militibus, & centurionibus porrectas, ſoluitur totus iuſtitiæ ſtatus, iniuriæque, ac violentiæ patentiſſimus datur aditus, itur in Ieſum, ligant innocentem, flagellant, mactant. Quò ſpectans Oſeas cap. 7. aiebat: Oſe. 7.
Cœperunt Principes furere à vino. Circa quæ Rupert. ait. *Ve-* Rupert.
raciter à vino cœperunt furere, quia non ieiuni, aut ſobrij manè, ſed crapulati, & ebrij comprehenderunt illum in veſpera clauſo iam die, in illa feſtiuitate, in illa paſchali nocte, quando omnium delectabile illis de more fuiſſe nemo ambigat opulentè cœnare, atque affatim potare. Post, & pleno ventre reſoluti modum furoris neſcierunt ponere, perſequentes hominem inopem, &c. Ecce tibi inter accepta, & data pocula vt vniuerſæ iniuriæ aduerſùs humilem Ieſum conflabantur. Intrabant, credo, milites, & centuriones domos Phariſæorum, & Scribarum, & Sacerdotum; dum hi cœnabant, & poculis, & dapibus excipiebantur. Quibus acceptis furere incipiebant in eum, quem antea omnium benefactorem vocerabantur. Sic data, & accepta pocula omnium animos mutabant. Vt dicat Pſalm. 68. *In me Pſallebant, qui bibebant vinum.* Ad quæ Rupert. lib. 3. in Oſeam: *Biberant enim illa nocte vinum, atque proinde vi ebrietatis augente furorem, pſallebant in eum; pſallebant, inquam, non ſicut Dauid, laudem Dei, ſed ſtrepebant vocibus horriſonis, opprobria decantantes, & blaſphemiat nomini Dei.* Congregabantur milites apud Principes Hieroſolymitanos inter cœnandum, ab illiſque vinum accipiebant, ex quo aduerſùs innocentiſſimum Ieſum exacuebantur, vt illum multis opprobriis, & maledictis repleerent. Sic afficiunt animos eſculenta, & poculenta.

§. VI.

Vt cauendum à praphanis.

COnſtructa ſibi Regia Salomon, & vxori Regiam fecit, dicente textu: *Domum quoque fecit filiæ Pharaonis, quam vxorem duxerat.* Plures alias vxores duxerat Salomon, cur vni Pharaonis filiæ dicitur domum ſeparatam ædificaſſe? Erat hæc Ægyptia, & ſaltim olim de gentium more ſacrilegis erroribus dedita, & meritò Salomon Dauidis Regiam ab illa inhabitari cauit. Ait enim 2. Para- 2. Paral. 8.
lip. 8. *Filiam verò Pharaonis tranſtulit de ciuitate Dauid in domũ quam ædificauerat ei. Dixit enim Rex: Non habitabit vxor mea in domo Dauid Regis Iſrael, eo quòd ſanctificata ſit, quia ingreſſa eſt in ea arca Dei.* Et meritò profanam coniugem ab ea domo ſeparat, in qua arca Dei fuerat, & multum ſanctitatis manebat. Qui enim ſanctus eſt, & Dei virtutes in animo ſeruat, maximè eſt à prophanis arcendus. De
Elia, & Eliſæo locutus textus 4. Regum 2. *Cumque pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cælum.* Qui viuus & ſanctus conſeruandus eſt vſque in finem ſæculi, & igneo curru rapitur, & extra hominum ponitur conuentus. Et cur non magis inter homines relinquitur? Ait Prudentius in hymno ieiunantium. 4. Reg. 2. Prudent.

Sed mox in auras, ignibus iugalibus
Curruque raptus euolauit præpeti,
Ne de propinquo ſordium contagio
Dirus quietum mundus afflaret virum
Olim probatum inclytum ieiuniis.

Timetur Eliæ ſancto mundi afflatum, & ideo illum ſeparari ab hominum conuictu; profanorum enim vel halitus ſanctos viros inficiunt. Quam enim maculam non trahat Sanctus de malorum vicinio? Vbi arcâ Dei erat in Iordane Ioſue cap. 3. aquæ inferiores fluminis dicuntur influxiſſe in mare ſolitudinis. *Quod nunc vocatur mortuum.* Et cur mare mortuum dicitur? Erat propinquum Sodomæ, & Gomorrhæ, de quarum vicinio mortem bibit.
Vt dicat Tertull. de Pallio: *Hactenus Sodoma, & nulla Gomorrha; & cinis omnia, & propinquum mare, iuxta cum ſola mortem bibit.* Huc trahe dicta 1. tom de Chriſto figur. lib. 2. cap. 4. §. 7. & tom. 2. lib. 5. cap. 3. §. 27. & cap. 22. §. 5. Tertull.

§. VII.

Ad Dei præſentiam vel licitus fugiendus amplexus.

POſt ſuam Regiam Salomon; *Domum quoque fecit filiæ Pharaonis*; cuius ædificij ratio dicta fuit, 2. Paralip. 8. 2.Paral.8. illis verbis: *Dixit enim Rex: Non habitabit vxor mea in domo Dauid Regis Iſrael, eo quòd ſanctificata ſit, quia ingreſſa eſt in ea arca Dei.* Sic bonus cauit, quòd eius vxor adeſſet, vbi in arca teſtamenti Deus præſens fuerat. Vt doceret homines habituros Deum in corde, viſceribúſque præſentem, quàm longè tunc temporis facere debeant vel vxorios Exod. 19. amplexus. Cauebat lex Exod. 19. *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris.* Sic accedentes ad montem, in quo Deus futurus erat, legem ferens, obligabantur ab vxoribus aliquantiſper ſeparari. Circa Rupert. quæ pulchrè Rupert. lib. 3. in Exod. cap. 36. diſſerit, inquiens: *Ergo ne appropinquare vxoribus res eſt illicita? Non vtique. Etenim ad ſanctificationem non ſatis eſt feciſſe præceptum niſi adiicias facere conſilium. Hoc autem hic agebatur, quatenus ſancti eſſent, id eſt, digni audire, vel videre, quomodo hominibus poſſibile eſt, præſentem Dei maieſtatem. Rectè igitur conſulitur illis, vt continentiam habeant licitæ rei, dicendo: Eſtote parati, & ne appropinquetis vxoribus veſtris.* Equidem ſanctiſſimè, & conſultiſſimè agent fideles Deum in ſe præſentem habentes aliquotiſper à ſe arcere vxorios amplexus.

§. VIII.

Quod ſibi habet decorum Ieſus, id ſuis præſtat.

FEcerat ſibi Salomon Regiam, nec ab ædificando deſtitit, ſed & dilectæ coniugi domum ædificauit ſimilem. Ait enim text. *Domum quoque fecit filiæ Pharaonis, quam vxorem duxerat.* Nec domum habere voluit, quin ſimilem daret coniugi dilectiſſimæ; Verè in hoc filium Dei adumbrans, cuius eſt nihil decorum ſibi habere, quod ſuis dilectis non communicet. De illo ait Ioannes cap. 1. Ioan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Et cur ſic bonus amauit homines, vt eis dederit, quod poſſent fieri Dei filij? Erat ipſe filius Dei, ex Deo patre genitus, & vt cœpit amare homines, non paſſus eſt illos non præbere natales ſimiles. Athanaſ. Vt dicat D. Athanaſ. orat. de Incarnatione Chriſti: *Ipſe enim in ſublimi procreatus ex Deo ineffabiliter, in tempore naſcitur humi, ex perpetua Deipara Virgine; vt illi, qui humi antea geniti erant, denuo in ſublimi naſcerentur, hoc eſt, ex Deo.* Hoc curauit Dei filius, ne homines ſui in vilibus, & abiectis natalibus manerent, ſed vt ipſe in ſublimi naſcebatur ex Deo, ſic fecit, vt ſui in ſublimi & ex Deo naſcerentur. Quidquid enim decorum ſibi habebat, ſimile in ſuis eſſe fecit. Cœnaturus paſcha Dominus dicebat Do- Matth. 26. mino cœnaculi Matth. 26. *Apud te facio paſcha cum diſcipulis meis.* Verùm poſt reſurrectionem locutus ad mulieres, Matth. 27. dicebat Matth. 27. *Ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, &c.* Cœnaturus, & paſſurus vocabat diſcipulos, rediuiuus glorioſus, & immortalis, non diſcipulos eos vocat, ſed fratres. Et cur modò fratres. Vt oſtenderet illis glorioſos & immortales natales ex ſepulchro communicatos, quibus in regeneratione, ſimiliter eſſent futuri Chriſto conglorificati in corpore carnis. Quò Chryſol. ſpectans D. Chryſolog. ſerm. 80. ait: *Reſurgens à mortuis reſumpſit hominem, non reliquit: vocat ergo fratres, quos corporis ſui fecit eſſe germanos.* Non paſſus eſt rediuiui corporis gloriam ſibi habere, quin illam ſuis communicaret, vt, notante Apoſtolo, eſſet ipſe in illa, *Primogenitus in multis fratribus.* Sic renaſcens è ſepulchro, glorioſo corpore, ex tunc ſimilia corpora præparabat ſuis, vt in regenerationis die, eius naſcerentur germani, qui nihil ſibi habuit Pſalm. 131. quod dilectis non daret. Hinc Pſalm. 131. clamabat: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Cùm audiunt ſanctificationis arcam Heſychius homil. 2. de Maria, & Chryſipp. putant eam Mariam eſſe, ſed quid magnum petit plaſtes, in eo quòd reſurgat Maria? Nonne poſt Ieſum reſurgentem vniuerſi Sancti, & iuſti etiam glorioſi, & immortales reſurgent? Si ergo omnes ſurrecturi ſunt poſt Chriſtum, cur adeò anxius eſt vates pro reſurrectione vnius Mariæ? Non vtcumque petit; vt Ieſus conferat ſuæ matri eam reſurrectionem, quam ipſe ſibi fecit, nimirum poſt mortem triduanam; ne quid ſpecioſum in ſe habeat, quod huic dilectæ non amet communicari. Vt enim ſolutum corporis ſui templum triduo reædificauit, ſic etiam Mariam corporis templum per mortem ſolutum etiam triduo reædificaret. Quid enim haberet Ieſus, quod huic dilectæ non communicaret? De illa ait Glycas part. 3. Annal. *Tu ſacra, & caſta Virgo, quæ præter naturæ ordinem Deum enixa es, illumque qui te genuit æmulata, ſuper naturam naturæ legibus concedis. Nam & moreris, & mortua cum filio denuo exſuſcitaris, vnà cum illo in omnem victura æternitatem.* Glycas. Imò Glyca illuſtrior Imperator Leo orat. de dormitione Mariæ ait: *O ſuper omnes benedicta, quæ ſolum magnalia facis præpotens filius tuus, quid hodie tibi præſtat? Annon, obſecro te ſanctificationis arcam, te ornatiſſimum thalamum, & diuiniſſimum thronum ad ſuum domum, & auguſtale templum tranſponit? Annon te illam, ex qua carnis indumentum ſuſceperat, ad ſumma cælorum faſtigia cum carne deſumens, vt cum ipſo in carne verſareris, euexit?* Imp. Leo. Equidem vt omnipotens Dei filius poſt triduanam mortem in carne ſurrexit, ſic fecit arcæ ſanctificationis ſuæ Mariæ, vt ſimiliter in carne ſurrexerit; vt aſcendens in cælum, cum ipſo filio ſuo, in carne ſimiliter verſaretur. Nequid gloriæ ſibi ſumeret Ieſus, quod huic dilectæ iuxta eius capacitatem non dederit.

§. IX.

Tota triumphantis, & militantis Eccleſiæ domus ſingulariter eſt Mariæ data.

SExaginta erant Reginæ in palatio Salomonis, & nihilominus illarum vni, nempe filiæ Pharaonis dicitur facta, & data domus à Salomone, verbis illis: *Domum quoque fecit filiæ Pharaonis, &c.* Et quando tot Reginæ in illa etiam domo habitabant, cur vni filiæ Pharaonis dicitur facta? Erat hæc Pharaonis filia inter omnes alias Reginas, & Salomonis vxores præcipua, & ſingulariter ab illo culta, ideóque non dubitem huic illi domum ſingulariter eſſe datam, & attributam, vt illa ſit in tali domo quaſi in propriis, & cæteræ quaſi in alienis. Sic etiam crediderim Beatiſſimæ Mariæ cæli terræque Reginæ vnice, & ſingulariter factam, & attributam totam domum Eccleſiæ triumphantis, & militantis. Quò adduco illud Eccleſiaſtici cap. 26. *Sicut Sol oriens in mundo, in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ.* Eccl. 26. Mulierem bonam vnam intelligit Beatam Mariam Hugo Cardinalis. Sed quæ Mariæ domus propria? Quæ hominibus, & Angelis plena facta à Deo eſt in cælo, & in terra. Ait Carthuſian. lib. 1. de laudibus Mariæ cap. 4. *Domus bonæ mulieris eſt ſancta Eccleſia, tam militans Virgini glorioſæ commiſſa, quàm triumphans ex Angelis, & hominibus conſtituta. Itaque ſicut Sol materialis ſuo ſplendore totum illuminat, & præornat hemiſphærium noſtrum, ſic felciſſima Virgo omnium optima mulierum, vniuerſam decorat, illuſtrat, lætificat militantem, triumphalemque Eccleſiam.* Carthuſ. Eſt equidem Maria in Eccleſia triumphanti, & militanti, hoc eſt, in domo ſua tanquam Sol illam illuſtrans; vt enim vtraque Eccleſia cæli, & terræ Mariæ illuſtratione fruitur, ſic etiam habetur ſingulari iure pro domo ſua. Habitant in Eccleſia triumphanti, & militanti homines iuſti, & Angeli, ſed vni Mariæ hæc tota domus attribuitur. Cuius in hanc domum ius exprimit D. Epiphan. orat. de laudibus Mariæ, dicens: Epiphan. *Virgo Maria inuenitur eſſe cæleſtis ſponſa, & mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum ſanctum accepit, dotis verò gratia, cælum vnà cum paradiſo.* Et cœlum, & paradiſus, hoc eſt, & triumphantis, & militantis Eccleſiæ domus datur Mariæ in dotis gratiam; vt pateat, quàm ſtricto iure approprietur Mariæ tota cœleſtis domus, in qua ſit tanquam in ſuis. Quæ enim ad dotem pertinent, adeò propria vxoris ſunt, vt ſine eius conſenſu nulli poſſint concedi à marito. Sic ſine conſenſu Mariæ nihil datur fidelibus gratiæ. Dicebant Ioann. 19. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, &c.* Ioan. 19. Sed cur neceſſum fuit Mariam ſtare iuxta crucem filij? Vt enim totum Ieſu teſtamentum

pro

pro Eccleſiæ domo tam io cælis, quàm in terris fuodanda, ibi condebatur, ſic Maria adſtabat, quæ conſentiret, & vellet omnibus aliis cœleſtem gratiam, & gloriæ iotroitum præſtari. Carthuſ. Vnde Carthuſ. lib. 2. de laudibus Mariæ cap. 23. fatur: *Amantiſſima Dei Virgo dici poteſt mundi ſaluatrix propter eminentiam, virtuoſitatem, & meritum ſuæ compaſſionis qua patienti filio fideliſſimè, ac acerbiſſimè condolendo excellenter promeruit, vt per ipſam, hoc eſt, per preces eius, ac merito, virtus, ac meritum paſſionis Chriſti communicetur hominibus. Ipſa quoque eis, qui à gratia Chriſti prolapſi ſunt, rurſus procurat eamdem, & regnum miſericordiæ ei commiſſum eſt.* Quidquid ligno crucis fabricatum eſt in domo Domini, hoc & petiit & voluit Maria, vt hominibus communicaretur; nec vlli commuoicatum eſt, ſine Mariæ conſeoſu, vt videas, quàm pertinebat illud ad dotem eius.

§. X.

Maria vt in corporis incorruptione poſt mortem debuit filiò aſſimilari.

VBi cedrinam ſibi fecit domum Salomon, ſtatim & ſimilem fecit ſponſæ ſuæ filiæ Pharaonis; ait enim textus: *Domum quoque fecit filiæ Pharaonis, quam vxorem duxerat Salomon tali opere, qualis & hanc porticum,* &c. Fuit equidem ſponſæ Salomonis, domus cedrina facta, qualis fuerat porticus domus Salomonis, ne quid minus haberet illa, quæ cum Salomooe reputabatur vna caro. Quod & in vero Salomone Ieſu, & eius ſponſa & matre diuiniſſima Maria inuenio factum. Qui enim incorruptam ſui corporis domum à ſepulchro excitauit, ſic ſimiliter & Cant. 1. Mariæ matri poſt mortem dedit glorioſam incorruptionem carnis. Quò ſpectans ipſa dicebat Cantic. 1. *Tigna domorum noſtrarum cedrina.* Noo de vna domo, ſed de pluribus domibus loquitur, eaſque dicit eſſe cedrinas. Et cur plures domos meminit? Per has domos cedrinas intelligit corpora imputribilia, quæ ideo pluraliter dicuntur, quia non ſolùm Ieſu corpus, ſed & corpus Mariæ Alanus. fuit imputribile. Ait Card. Alanus apud Delrium noſtrum, ibi: *Domus hæ intelliguntur corpus Chriſti, & corpus Virginis, tigna domorum ſubſtantia corporis, quæ dicuntur cedrina, id eſt, imputribiles. Cedrus enim imputribilis eſt. Sicut enim credimus corpus Chriſti putredine non eſſe reſolutum, vnde legitur* Pſal. 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem; ita probabile eſt à corruptionis putredine alienum eſſe corpus Mariæ.* O diuiniſſime Ieſu, verè in hoc Salomonis filius, qui io ſepulchro iaceos tibi domum cedrinam feciſti, nimirum corpus tuom imputribile reddidiſti, ſimul & domum matris, & ſponſæ tuæ Mariæ; nempe eius corpus etiam liberum ab omni putredine reſeruaſti, vt immortale, & incorruptibile Damaſcen. quàm primum réſurgeret. Accinit Damaſcen orat. de dormitionn. Mariæ fatus: *Quomodo quod ex ea conſiſtit Verbi Dei corpus ſanctum, & integrum, & interitus minimè obnoxium tertio die ſurrexit ex monumento; ita etiam eam eripi à ſepulchro decebat, & matrem transferri ad filium.* Imò clariùs Glycas Glycas. parte 3. Annal. ait: *Tametſi Virgo mater naturæ legibus fuit obnoxia, tametſi mortem deguſtauit; tametſi vt homo in ſepulchro fuit depoſita; naturæ tamen fines ſuperauit; nec ſepulchrum, nec mortalitas eam in poteſtate ſua retinere potuit. Nam & ipſa de ſepulchro reſurrexit, prorſus vti filius eius, idemque Deus etiam fecerat, ſolis ſepulchralibus exuuiis relictis,* Expende illud: *Idemque Deus etiam fecerat,* quippe quòd Deus fecerat filio, idem fecerat matri. Fecerat filio domum credrinam, nimirum poſt mortem corpus incorruptibile, ſimile fecit matri, vt inde reſurgeret glorioſa, & immortalis.

§. X I.

In accepto officio manifeſtè oſtenditur qualis debeat eſſe remuneratio.

HOc vnum præſtitiſſe Salomon vxòri dicitur, nimirum quòd illi fecit domum, dum ait, *Domum quoque fecit filiæ Pharaonis, quam vxorem duxerat Salomon.* Et cur non potius aliud præſtitum munus à Salomone oſtenditur, quàm domum? Ait Diuus Ambroſius in Exaemer. Ambroſ. *In viro & muliere domus videtur plena quædam eſſe perfectio. Qui ſine vxore eſt: quaſi ſine domo ſit, ſic habetur.* Equidem in habita vxore iam homo cenſetur habere domum; vnde Salomoo vt per vxorem cœpit domum habere, ſic & vxori ipſe domum facit. Acceptum enim officiom nunquam ooo oſtendit, qualis debeat eſſe remuneratio. Mariæ aſſumptionem io cœlos celebrans Eccleſia, illud proponit ex Lucæ deſumptum capit. 10. *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & excepit illum mulier,* &c. Luc. 10. Quod quæſtionem non paruam fecit Hæreticis ridentibus, quòd locutura Eccleſia de introitu Mariæ in cœlum, ſolùm loquatur de iotroitu Ieſu in caſtellum, & domum Mariæ, & Marthæ. Quid quod intret Ieſus in domum Mariæ, ad hoc vt inde celebretur ingreſſus Mariæ io æterna palatia? Equidem oullo pulchrius, & certius potuit delineari ingreſſus Mariæ in domum Dei, quàm vbi delineatur ingreſſus Ieſu in domum Mariæ. In accepto enim officio pulcherrimè oſtenditur qualis futura ſit remuneratio, & dum dicitur Ieſus exceptus in domo Mariæ, iam clariſſimè explicatur, vt Maria excipienda erat in æternis Ieſu palatiis. Quò refero Damaſcenum orat. de dormition. Virg. Damaſcen. ſantem: *Quomodo ipſe ad eam deſcendit, ita etiam eam illi dilectiſſimum decebat ad illum extolli in maius, & perfectius tabernaculum, nempe in ipſum cælum. Oportebat eam, quæ Deum verbum in ſuo vtero hoſpitio exceperat, collocari in diuinis filij ſui tabernaculis.* Deſcendit Deus in carnem hoſpitium accepturus in Mariæ vterum, quo iam oſtendebatur, vt oportebat, quòd Maria in carne aſcenderet, in æternis filij tabernaculis hoſpitanda. Incarnatur Deus in vtero Mariæ, indeque procedit tanquam ſponſus de thalamo ſuo; ſic debuit Maria incarnata, hoc eſt, carnem induta, aſſumi in diuinæ ſponſæ thalamum. Nunquam enim in accepto officio non oſtenditur remuneratio, qualis ſit futura. Ioann. 4. dicebat Ieſus Samaritanæ: *Mulier da mihi bibere.* Ioan. 4. Et poſt pauca ait: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo, & daret tibi aquam viuam.* Si aqua viua adeò abundas Domine, vt illam aliis poſſis dare, cur à fœmina aquam emendicas? Petit aquam à fœmina, vt io illa aqua data videat iam ipſa quam aquā ſit acceptura. Aiebat ibi D. Auguſt. *Petit bibere, & promittit bibere.* Auguſt. Pro potu potum offert, & potus petitus pignus erat potus porrigendi per manus diuinas. Huc tradenda dicta tom. 2. in Euangel. lib. 6. cap. 3. §. 17.

3. *Reg* 10. Fecit quoque Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis. Qui habebat ſex gradus: & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile: & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc, atque inde: non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis, *&c.* Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro, *&c.*

§. X I I.

In iudice præfulgeat caſtitas.

STo à ſententia Pinedæ noſtri putaotis thronum hunc, non alium eſſe à ſolio, quod ſuprà dictum eſt fuiſſe in domuncula iudicij. Materia ergo ſiue ſolij, ſiue throoi ad iudicandum effecti, erat ex ebore, dicente textu: *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem,* &c. Cur de ebore? Iam ibi proponebatur, quam debeat eſſe iudicibus propria caſtitatis virtus. Ait Hugo Victor. lib. 7. Allegor. cap. 5. Hug. Vict. *Solium Salomonis Eccleſia eſt, in qua pacificus noſter regnans, iudicia ſuo facere dignoſcitur. Bene de ebore factum memoratur; quod pudicis aptatur.* Sic duæ hæ coniunguntur virtutes, nimirum & iudicandi poteſtas, & pudicitia. Vbi enim pudicitia non eſt, minimè credas poſſe eſſe rectum iudicium, nec iudicem. Commendatur Ieſus ab ſponſa, ex ventre eboris candore radiante. Dicit enim Cantic. 5. *Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris.* Et Cant. 5. cur neceſſum fuit ad eboris candorem confugere, vt ſpon-

ſi

Digitized by Google

ſi dioioi commendarentur viſcera? vt ſpoofus diuious oaſcebatur ſuturus iudex viuorum, & mortuorum, ſic neceſſum fuit in ebore oſtendere, quàm ab vtero illum comitata fuerit caſtitas, & pudicitia, ſine qua non crederetur præſtantia iudicis. Ait Rupert. lib. 4. in lib. Reg. cap. 31. *Thronus ex ebore iudicium ex puritate conſtabit iuſtitiæ. Alioquin niſi venter eius eſſet eburneus, niſi abſque omni calore libidinis conceptus, natus vel conuerſatus eſſet homo, & Deus Chriſtus, quomodo, vel quo iure hunc mundum eſſet iudicaturus?* Sic ibi? quaſi oequeat intelligi ordinata poteſtas iudicandi niſi in eo, qui alienus ab omni libidine, caſtitatis puritate refulget. Vt enim notat Ariſtot. apud D. Thom. 2. 2. q. 53. artic. 8. ad 1. *Venus furatur intellectum multum ſapientis.* Hinc cùm innocens Suſanna à luxurioſis iudicibus mitteretur in ſupplicium Dan. 13. *Suſcitauit Dominus Spiritum ſanctum pueri iunioris,* &c. qui innocentem abſoluit, & reos damnauit iuſtè iudicans. Nec mirot; cadebat enim cauſa Suſanæ apud laſciuos; ſed vicit, vbi puerulum ab omni laſciuia liberum ſortita eſt iudicem. Pro quo ait D. Aug. ſerm. 118. de Temp. *Iudicem meretur caſtitas Danielem puerum iuniorem, necdum pubeſcentis ætatis: multum igitur de Deo pudicitia conſequitur, cùm iudicem virginem promeretur. Secura eſt de victoria caſtitas, cui eſt iudicatura virginitas.* Vbi non laſciuia, ſed puritas iudicat, nulla virtus oon vincit, tunc ſolùm vitia triumphant, cum laſciuia viget in iudice. Huc trahe dicta tom. 3. in Euangel. lib. 4. cap. 1. §. 2

Rupert.

Ariſtot.

Daniel. 13.

Auguſt.

§. XIII.

Legiſlatoris, & Principis ea fortitudo ſit, quæ tranſgreſſores minimè relinquat impunitos.

ECce throni Salomonis materies oon lignea, ſed oſſea, petita nimirum ab Elephantorum dentibus; dicit enim text. *Fecit etiam Salomon thronum grandem de ebore.* Septuaginta legunt 2. Paral. 9. *Fecit Rex thronum de elephantinis dentibus magnum.* Et fortè à tantæ belluæ dentibus petiuit materiam iudicialis thronos, vt oſtenderet, quantæ valentiæ io exequendis legum decretis debent eſſe, qui populos debent iudicare. Ille verè iudex & legiſlator; qui leges cuſtodiri fortiter facit, qui illarum tranſgreſſores impunitos manere minimè patitur. Cantic. 7. dicebatur: *Collum tuum ſicut turris eburnea.* Cùm autem nulla turris ſciatur à Salomone, nec à Dauide facta ex ebore, nec eboris materies apta videatur pro turribus ædificandis; non inſipienter creditur turris eburnea vocari thronus hic erectus in altum ad modum turris. Sed cur, qui thronus erat illius iudicialis turris vocatur, & per turris vocabulum exprimitur in canticis? Oſtenditur ibi ſolij iudicialis præſtantia, in quo non ſolùm ius dicebatur, & leges condebantur, ſed tanta id poteſtate fiebat aduersùs tranſgreſſores, vt ipſa legis oſtenſio, iam videretur quaſi comprehenſio reorum, incarceratio, vt qui thronus iudicij erat, poſſet cenſeri quaſi turritus carcer. A quo non longè abeſt Chaldæus ibi fatus: *Iudex tuus, qui inducat iudicium tuum, fortis eſt ſuper populum, vt alliget eos, & vt trahat eos, qui condemnantur in iudicio, ad carcerem; ſicut Salomon Rex, qui fecit turrim eburneam, & ſubiecit populum domus Iſrael, & conuertit eos ad dominatorem ſæculi.* Itaque quem fecit Salomon iudicialem thronum, noo ſolùm ſiſtebat in iure dicendo, ex legibus demonſtrandis; ſed & eos iudices petebat, qui poſt latam legem, efficaces erant, & validi, vt tranſgreſſores traherent io turrim, & carcerem. Adcò citò exercebatur incarceratio tranſgreſſorum, vt ipſa ſedes iudicij videretur carcer. Et planè hoc maximè requirendum eſt in legiſlatoribus, & iudicibus, qui enim legiſlator leges condit, & proponit ſeruandas, nec tamen vim habet mulctandi tranſgreſſores, non à vero Deo iudex, aut legiſlator eſt, ſed falſo cuidam Marcionis numini ſimilis probatur. Fingebat quidem Marcion Deum quemdam, qui leges condiderat multas, & mandara & regulas viuendi hominibus dabat. De executione autem illarum minimè curabat, nec tranſgreſſores inquirebat, nec vllo modo caſtigabat. Contra quem ſapientiſſimè diſſerens Tertull. lib. 1. in Mar. fatur: *At hic ſufficit peruerſiſſimum Deum oſtendi in ipſo præconio ſolitariæ bonitatis: ſi neque iraſcatur, neque damnat, neque vexat. Quale eſt enim vt præcepta conſtituat, non executurus? Vt delicta prohibeat, non vindicaturus? Cur enim prohibet admittere, quod non defendit admiſſum? Cùm multo rectiùs non prohibuiſſet, quod defenſurus non eſſet.* Meritò ſummam peruerſitatem cenſet ſapiens vir in illo Principe, imò in Deo illo, qui prohibet multa, mandat multa, oullam tamen curam habet de executioue prohibitorum, nec mandatorum. Neque inquirit de tranſgreſſoribus, neque notos, & inuentos damnat. Ad quid ergo tot mandatorum, regularum, directionum faſciculi? Ad quid, tot conſtitutionum, tot legũ, pragmaticarum volumina? Satius, & ſanctius omnia hæc tollerentur, quam eorum executio. Peruerſa ſemper eſt & fatua illius politia, qui cùm multus ſit in legibus, inſtructionibus, mandatis præſtandis, nullus inuenitur in executione illorum procuranda, nullus in inquirendis trangreſſoribus, in caſtigandis. Hic talis non ad bonum aliquem Principem, ſed ad ridiculum Deum Marcionis eſt relegandus. De quo pergit dicere Tertul. ſupra: *Nihil Deo tam indignum, quàm non exequi, quod noluit, & prohibuit admitti. Primò, quòd qualicumque ſententiæ ſuæ & legi debeat vindictam in authoritatem, & obſequij neceſſitatem,* &c. *Sed iudicat planè malum nolendo, & damnat prohibendo; dimittit autem non vindicando, & abſoluit non puniendo. O Deum veritatis præuaricatorem, ſententiæ ſuæ circumſcriptorem! Timet damnare, quod damnat; timet odiſſe, quod non amat; factum ſinit, quod fieri non ſinit; maluit oſtendere, quid nolit, quàm probare. Hoc erit bonitas imaginaria; diſciplinæ phantaſmata.* Phantaſma eſt diſciplinæ, non vera ratio politiæ io eo, qui leges condit, & tranſgreſſores illarum neque inquirit, neque mulctat.

Cant. 7.

Tertull.

Idem.

§. XIV.

In virginitatis puritate materies eſt præſtantiſſimis omnium operibus efficiendis.

SI throni huius materiam ſpectes, ea eſt eburnea, dicit enim: *Fecit etiam Salomon thronum grandem de ebore.* Quod ſi pretioſitatem, & artificium operis inquiras, ſubdit ſtatim: *Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis.* Et quando peragendum erat opus omnium perfectiſſimum, cur pro materia eius ad ebur recurritur, & oon potiùs ad aurum, argentumve, alioſque notiſſimos pretioſos lapides? Cur hyacinthus, iaſpis, ſmaragdus præmittuntur, & ebur eligitur, quo perfectiſſimum omnium opus peragatur? In ebore candor exprimitur virginitatis, quæ virtus vnica eſt, vt materiam præbeat, qua præſtantiſſima omnium opera perficiantur. Ait Petrus Damian. ſerm. 2. de Nat. Mariæ. *Quid eſt, quòd aurum, argentum, & lapides pretioſi, & omnis denique pretioſioris materiæ prætermittitur gloria? Sola eboris ſubſtantia capax eſt tantæ compoſitionis; & fabricatur in eo, quod omnibus operibus præferatur. Ebur enim mirabili candore refulget. Et quid candidius illa virginitate, quæ aſpectus ſui gratia cæleſtem curiam allicit?* Vt ebur in candore præfefert virtutem virginitatis, ſic vnicum eſt, ad materiam præſtandam, io qua fabricetur quod omnibus operibus præferatur. Quære opus, quod non habeat ſimile; & noſces id in virginitate peractum. Eſther vxor Aſſueri perdidit Amanum, ſicut Iudith vxor Manaſſes Holofernem, ſicut Iael vxor Cinæi Siſaram, ſicut Delbora vxor Lapidoth Cananæum. Verùm Exod. 15. vbi diuiſo mari rubro pertranſiuit Iſrael, & Pharao cum omni exercitu ſuo ſuffocatus eſt, ait text. *Aſſumpſit ergo Maria Propheteſſa ſoror Aaron tympanum,* &c. De ſingulis præfatis mulieribus ita texitur hiſtoria, vt ſimul quorum fuerint coniuges dicantur, de ſola hac Maria non dicitur cuius fuerit coniux, ſed dicitur ſororem fuiſſe Aaron. Et cur huius non dicitur coniugium? Vt hæc ſola oſtenditur in opere excellentiſſimo, & præſtantiſſimo, cui ſimile aliud noo fuit; ſic non coniux, ſed virgo oſtenditur. Quando enim alias mare ſciſſum eſt præbens iter Iſraelitis? Quando poſt omnes liberatos fideles iterum clauſum omnes perdidit hoſtes? Tantum ergo facinus non peragendum erat ſine interuentu virginis. Ait Diu. Ambroſ. in Exhortat. ad Virg. *Multas fœminas Scriptura diuina in lucem euexit; palmam tamen publicæ ſalutis ſolis virginibus dedit. In veteri Teſtamento terro, ac mari clauſum Hebræorum populum Virgo per maria pedes duxit,* &c. Sic ad nouum, ad ſingulare, & abſque ſimili exemplo opus perficiendum virginitas ſolet à Deo aſſumi Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem,* &c. Ad Virginem venit Angelus nuntiaturus in ea Dei filium concipiendum. Et cur à Virgine

Damian.

Exod. 15.

Ambroſ.

Luc. 1.

gine concipi voluit Dei filius, & ex ea naſci? Volebat in ea carne naſci, cuius ſanctitas adeo eſſet ſingularis, vt ſine exemplo ſimile eſſet.
Ambroſ.
Sic Ambroſ. in cap. 8. epiſt. ad Roman. ait: *Ideo enim virginalis vterus electus eſt ad partum dominicum; vt in ſanctitate differret caro Domini à carne noſtra.* Sic virgo quæritur, vbi efformandus fuit homo, cuius ſanctitas ſimilem non haberet in omni hominum carne. Imò &
Fulgent.
D. Fulgent. lib. de Fide ad Petrum cap. 2. ait: *Iſta cauſa eſt, qua Deus factus eſt filius Virginis Mariæ, & Maria Virgo facta eſt mater vnigeniti Dei, vt quem pater genuit ex æternitate, ipſum virgo proferret in tempore.* Vbi progignendus erat in tempore ille ipſe, quem ſolus pater in æternitate generat, quæſita fuit virginitas, vt quæ aptiſſima ſit ad opus omnium ſingulariſſimum, & excellentiſſimum præſtandum. Vnde
Cyril. Hier.
meritò dicit D. Cyril. Hieroſolymit. catech. 12. *De Virgine natus eſt, virgines efficiens animas.* Quid enim magnum à virgine Deus nõ faciet? Quod nuſquam peractum eſt, hoc media virginitate fit. Dicebat Angelus virgini de ſalutatione turbatæ
Luc. 1.
Luc. 1. *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum.* Et quam gratiam inuenit Maria? Equidem quam nulla alia inueniret niſi virgo.
Cretenſ.
Ait Andreas Cretenſ. orat. de Annunt. *Nacta es gratiam apud Deum. Gratiam, quam non accepit Sara, quam non ſenſit Rebecca: quam nec Rachel cognouit. Inueniſti gratiam, qua non digna eſt habita nobilis illa Anna, nec Phenenna huic è regione poſita. Quoniam hæ quidem matres ex ſterilibus factæ ſunt, amittentes vnà cum virginitate orbitatem. Tu autem vt etiam mater ſis, virginitate tamen fueris quoque illæſa. Quapropter ne metuas, inueniſti enim gratiam apud Deum. Gratiam, qualem non nactus eſt quiſquam ab æterno ſicut tu.* Ex quo virginitatem non excuſſit Maria, ad illud gratiæ opus peruenit, quod nullus ab æterno attigit.

§. XV.

In Principe patentiſſimus animus ſit, vt omnes excipiat, amplexeturque.

2. Paral. 9.
ERant in hoc throno *duæ manus hinc, inde*, ſiue vt ait 2. Paralipom. 9. *Duo altrinſecus brachiola*; quæ ego refero ad ſellæ brachia quibus ſedentis brachia nituntur. Erat equidem ſuprema throni pars ſella, quæ duo prætendebat brachiola, patula, & aperta, vt ſeſſurum exciperent. Quò ſignificabatur ipſe Princeps, vt brachiis apertis debet eſſe, vt excipiat, & amplectatur omnes venientes ad eius tribunal. Quò ſpectans Diu. Chryſo-
Chryſoſt.
ſtom. ſerm. 4. de Feria 5. Paſſ. dum notat mundi Principem Ieſum aſcendentem in crucem, ait: *Conuenite Chriſtianæ gentes; concurrite fideliſſimæ nationes, Dominus enim Rex noſter, non in patibulum, ſed in tribunal crucis aſcendit: expandit ecce manus, & alas extenſas aperuit, vt nos ex omni orbe congregaret.* Expende illa, *non in patibulum, ſed in tribunal crucis aſcendit: expandit ecce manus*; inde enim probatur crux non patibulum pœnæ, ſed tribunal Principis eſſe, quòd in illa Rex noſter Ieſus expanſas habet manus, & brachia aperta, vt excipiat vniuerſos. Hoc eſt regaliſſimi throni ſymbolum & præſtantiſſimi Principis oſtenſio, quòd nulli ſe neget, ſed grato omnes excipiat amplexu. Quod alio etiam ſi-
Apoc. 12.
gno oſtendebatur Apocal. 12. vbi ſic. *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Cùm coronam in capite audio, Reginam intelligo, & miror, quòd Princeps, & Regina Sole veſtita dicatur. Rex erat, & Princeps Iob, &
Apocal. 19.
de ſe dicit cap. 29. *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me tanquam veſtimento.* Nec perfectus Princeps alio poterat decentius veſtiri, quàm iuſtitia, ne quid aliud in illo magis luceſceret. Quando ergo lucidior Principis veſtis in iuſtitia conſiſtit; cur Princeps illa non iuſtitia, ſed Sole oſtenditur amicta? Habet etiam Sol ſingulare quoddam, quo non mediocriter extollitur Princeps, quod notans Dominus
Matth. 6.
Matth. 6. dicebat: *Solem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos.* Equidem Sol paratus eſt ad vniuerſos fouendos; à nullo radios ſuos diuertit, ſed potiùs radiis expanſis, ſicut brachiis omnes excipit. Hoc in hac principe fœmina notabat D. Bernard. ſerm. ad illa Apocal. verba, fatus: *Ea eſt, quæ*
Bernard.
velut alterum Solem induit ſibi. Quemadmodum enim ille ſuper bonos, & malos indifferenter oritur, ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita: ſed omnibus ſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu. O præſtantiſſimam Principem, & mundi Reginam! Vtinam hanc à te vniuerſi ebiberint mentem, quatenus ſic omnibus excipiendis, fouendis eſſent parati, vt nullum nec indignum repellerent.

§. XVI.

Ille Deum ad ſe trahet, qui omne impedimentum de gratia auxilio abiecerit.

EN in throno *erant duæ manus hinc, inde tenentes ſedile*, &c. Sella enim throni duobus extentis brachiis ſedile oſtendebat, ab omni liberum impedimento, vt exciperent Regem. Vtinam & nos ſic expeditam ſedem, & omni impedimento liberam in animis noſtris exhiberemus Deo, fallar, niſi quantocius ad illam Deus veniret. Thronorum diuinorum, quibus Deus perpetuò inſidet, munus explicabat inde D. Dionyſius Areopag. de cœleſti Hierarch. cap. 7. Dionyſ.
Porrò altiſſimarum, & eleuatarum ſedium nomine, illas ab omni terreni affectus humilitate longiſſimè remotas eſſe, ſurſumque ad ardua immutabili ſtudio ferri exiſtimemur. Dum illæ ab infimis omnibus ingi intentione disiunctæ, ac circa illum, qui verè excelſus eſt, totis viribus inconcuſſè, ſtabiliterque locatæ diuinum aduentum abſque vllius perturbationis, ac materiæ impedimento ſuſcipiunt, Deumque ferentes obſequij deuotione, ad ipſius percipiendos fulgores ſemper patent. Quod proprium eſt omnium thronorum, & ſedium, vt ablato impedimento omni, ex ſe pateant, vt ſeſſorem excipiant. Hoc etiam commune eſt diuinis thronis, qui omni impedimento ablato ſemper in ſe Deum circumferunt. Quòd ſi homo ſic à corde ſuo impedimenta omnia remouet, vt quantum eſt ex ſe, ſe promptum, & paratum Deo exhibeat, proculdubio ſedes eſt, ad quam occupandam Deus feſtinet. Maria Virgo vbi nuntium de aduenturo Domino accepit, ſtatim ait Luc. 1. *Ecce ancilla* Luc. 1.
Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Nil aliud dicitur feciſſe, quàm paratum animum, & ſine impedimento oſtendere, aiens: *Ecce ancilla Domini.* Verùm de Rebecca locutus textus Geneſ. 24 ait: *Rebecca quoque conſpecto Iſaac* Geneſ. 24.
deſcendit de camelo, & ait ad puerum. Quis eſt ille homo, qui venit per agrum in occurſum nobis? Dixitque ei: Ipſe eſt Dominus meus. At illa tollens citò pallium ſuum, operuit ſe. Ecce tibi Rebecca ad aduentum Iſaac, quanta ſecu, puella delicata à camelo deſcendit, de adueniente ſciſcitatur, pallium feſtiua quærit, & ſe operit. Maria autem ad Dei aduentum nihil aliud præſtat, aut dicit, quàm illud? *Ecce ancilla Domini.* Cur non magis à toro ſurgit, vt Rebecca deſcendit à Camelo, vt pedes ſtans Dominum exciperet? Cur de adueniente non quærit aliquid? Cur etiam vt Rebecca ad pallium, & tegumentum confugit, non ipſa ad alia opera venit, quibus tantum hoſpitem ſollicitaret? Mariæ res cum Deo aduenturo erat, cui ſi vel exhibeas promptum animam, ab omnique impedimento liberum, ſufficit, vt illum trahas. Ad hæc dicebat Andr. Cret. orat. de Annunt. Cretenſ.
Ecce ancilla Domini. Illum numerum palàm dicens: Ecce promptam me expono, nec quod prohibeat id quidquam eſt. Parata eſt anima mea, & venter meus opportunus: nam intactus vſque eſt, ſoli ſuo cuſtoditus conditori. Ecce ancilla Domini. Euge admirabilem diſpenſationem! Verè Spiritus ſanctus habitauit in Virgine, & virtus Altiſſimi obumbrauit ei, &c. Promptam ſe exhibuit Maria, omni impedimento remoto, quibus maximè patuit, vt venerit ad illam Dominus. Eo enim ipſo, quòd ſe aliquis exhibeat Deo paratum, ſine impedimento, aut obice, intelligitur in eo inſidere Deus. Clamabat Iſaias cap. 45. *Rora-* Iſai. 45.
te cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet ſaluatorem. Quid eſt, aperiatur terra? Crediderim aperiri terram idem eſſe, ac: *Ecce ancilla Domini.* Equidem vbi quis quaſi brachiis apertis ſe expeditum oſtendit, vt Dominum excipiat, iam intelligitur aperta terra, in qua Saluator ſit. Ad hæc Guerricus Abbas ſerm. 2. de Annunt. ait: Guerr.
Ecce ancilla Domini, preſtò ſum. Hoc dicere, ſic ſuam deuotionem afferre, illud planè eſt Domino pectus aperire, illud eſt, & os aperire & ſpiritum attrahere. Sic profectò aperiebatur terra, vt quem rorabant cæli, deſuper reciperet rorem, & germinaret Saluatorem. Tunc terra iuxta Prophetam intelligitur aperta, vt Saluatorem germinet, & poſſideat, quando quis ablatis impedimentis; quaſi brachia aperta Deo exhibet, vt ad Deum amet venire.

§. XVII.

§. XVII.

Beata Maria nullam nouit maculam originalem.

CVm thronum Salomonis explico, non poſſum non meminiſſe thronum, quem fecit ſibi verus Salomon Ieſus, nempe Mariam matrem. De illo enim dicit textus *Fecit etiam Salomon thronum grandem de ebore.* Et qui thronus celſior, quàm Maria? Sed cur de ebore dicitur factus? Septuaginta 2.Paral.9.in rem præſentem, rationem iudigitant ſantes: *Fecit Rex thronum de elephantinis dentibus.* Vt ex elephantis ore candidiſſimi dentes naſcantur, qui ebur ſint; ſic thronus eburneus, nempe Maria, ex ore Altiſſimi prodiuit, vt dicat Eccleſiaſt.24. Eccl.24. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui.* Hoc eſt, non eo modo, quo filij Adam concipiuntur ex viſceribus maternis; ſed quo modo candidiſſima quæque ex ore diuino veniunt,ſic ego prodiui. Alij vt ex peccatorum viſceribus gignuntur, ſic peccati labe polluti proſiliunt; ego vt ex ore, ſpiraculoque Altiſſimi prodiens, nihil, quo abſtergi debeant admiſſi. Quò forſan ſpectabat D. Epiphan. orat. in Aſſumpt. Epiphan. Mariæ, de eius conceptione, dicens: *Anna verò grauida effecta cælum & thronum Cherubicum peperit ſanctam puellam Mariam.* Ecce tibi concipitur ab Anna Maria ſancta, vt cælum, vt thronus eburneus, vt Cherubim, quæ omnia vt ex præſuppoſita materia, ſed ex puriſſimo, candidiſſimo Dei ore proceſſerant; ſic & Maria, quantum ad hoc, quòd nullam maculam incurreret, nullum infectæ Materiæ ſaporem haberet, quaſi ex ore Dei proceſſit. Et quidem de cœleſtibus thronis, & Cherubinis locutus Diu. Areopag. Dionyſ. Areopag. lib.de cæleſti Hierarch. capite 7. ait. *Primis illis ſubſtantiis, quæ poſt authorem ſuum Deum locatæ, ac velut in ipſius veſtibulo poſitæ omnem inuiſibilem, viſibilemque virtutem conditam longè tranſcendunt: propriam quandam eſſe, atque adeſſe in nullo diſſimilem functionem arbitrandum eſt. Puritate quoque ſingulari præditas exiſtimandum, non quaſi maculis impuris, colluuionibuſque liberatas, ſed vt omni ſummiſſione, atque admixtione celſiores, ſacrâque amni re, per ſupremam, atque inuiolabilem puritatem, diuiniſque ipſis virtutibus omnibus eminente*, &c. Expende illa, *non quaſi maculis impuris, colluuionibuſque liberatas*; quippe primis illis ſubſtantiis Dei exceptricibus, nimirum thronis Cherubinis, indecens creditur illa puritas, quæ venit poſt deterſas aliquas maculas; non enim hæc puritas decora eſt tantis thronis,ſed illa quæ nullam vnquam agnouit admixtionem maculæ; ſed ſemper immaculata canduit. Et quando indigna thronis putatur puritas poſt peccatum; dabitur hæc omnium thronorum celſiſſimo, & Deo coniunctiſſimo Mariæ matri? Abſit imò thronus eſt Maria ſingulari puritate refulgens, *non quaſi maculis impuris liberata*; indignum enim eſſet tantæ altitudini, quòd egeret à macula liberari, Luc.10. Luc.10. ait: *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria*, &c. Sed & illi etiam erat frater nomine Lazarus, nouiſſimus hoſpes Ieſu, ſed illius nulla in præſenti fit mentio. Et quando mentio fit duarum ſororum excipientium Ieſum, cur ſimiliter non fit mentio Lazari? Figurabatur in hoc hoſpitio illud hoſpitium, quod Ieſu Maria mater exhibuit; & vt in Lazaro peccati abſolutio, & liberatio exprimebatur, ſic non debuit apparere in illius figura, cui fuerit maximè indecens vel à peccato liberari. Ait Diuus Bernard. Bernard. ſerm.2.de Aſſumpt. Mariæ: Fortè curioſus quiſquam requirat, cur in præſenti euangelica lectione nulla prorſus Lazari mentio fiat! Arbitror ſanè, ne id quidem a propoſita ſimilitudine diſſidere. Virginalem prorſus domum intelligi volens ſpiritus ſiluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum vtique comitatur. *Abſit enim vt propry quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuiſſe dicatur, vt in ea procude ſcopa Lazari quæreretur.* Equidem Mariana domus nihil vnquam habere debuit, quod ſcopam requireret; mundari enim, & liberari à labibus, ſemper indecens eſt primis illis ſubſtantiis exceptricibus Dei. Huc trahenda dicta tom. 4. de Chriſto figurato lib.8. cap.17.§.11.

§. XVIII.

Maria omnium maximè proxima diuinitati.

NEc non & thronus Salomonis dicitur auro veſtitus, nimirum ait: *veſtiuit eum auro fuluo nimis.* Habebat hoc materialis ille thronus, quòd perfectiſſimo auro iungeretur, illoque veſtiretur. Sed de ſpiritualibus, & cœleſtibus thronis dicebat D. Areopag. lib. de cœleſti Areopag. Hierarch. cap. 7. *Eadem quoque ratione Ieſu ſaluberrima ſocietate dignatas intelligendum: quòd veraciter in prima participatione ſcientia deificorum ipſius luminum illi propinque ſint, ac præterea, quòd ipſis diuina imitatio excellentiore modo donata ſit.* Ecce tibi primæ illæ ſubſtantiæ, nimirum throni, & Cherubim dicuntur Ieſu ſocietate frui, illique proximæ eſſe in virtutibus, & imitatione earum, non autem dicuntur induta eſſe Ieſum. Et cur cum thronus Salomonis dicatur indutus auro fuluo nimis; throni ſpirituales D[illegible]uitatores virtutum Ieſu, illique propinqui minimè dicuntur induti aureo Ieſu? Vt in throno Salomonis exprimebatur Maria mater, ſic in eo, quòd non throni cœleſtes, ſed illa tantùm verus Salomonis thronus dicatur induta auro fuluo nimis, oſtenditur, vt illa omnes ſpiritus creatos excedat in modo appropinquationis, & vnitatis cum Deo ipſo. Quod meditatus Diu. Petrus Damian.orat 1. de Natiuitat. Mariæ, inquit: Damian. *Habitat in Angelis Deus, ſed non cum Angelis, quia cum illis eiaſdem non eſt eſſentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem. Hoc eſt ergo aurum fuluum nimis, quo thronus eſt veſtitus, quia tali modo Deus Virginem induit, & in Virgine indutus eſt, vt meliori non poſſet.* Itaque throni cœleſtes Ieſu ſocietate fruuntur, ſed non eo modo, quo Ieſu fruitur Maria; hæc namque vt eſt mater Ieſu, vt eſt mater filij Dei, ſic Deo iungitur, vt meliori modo abſque vnione hypoſtatica, non poſſit: Similiter Apocal. 12. apparuit in cœlo. *Mulier* Apocal.12. *amicta Sole.* Et cur amicta Sole? Ait Bernard. ibi: *Iure* Bernard. *ergo Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam diuinæ ſapientiæ, vltra quàm credi valeat, penetrauit abyſſum: vt quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longè vero aliter Maria meruit non velut ſummatim tangi, ſed operiri magis vndique & triumphando, & tamquam ipſo igne concludi.* Sic Maria oſtenditur omnium diuinitati proximiſſima.

§. XIX.

Maria in conceptione præcipua Dei cuſtodia, ne labem incurreret.

ILlud in hoc Salomonis throno ſingulare, quod ait: *Et duæ manus hinc inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas.* Duæ itaque manus ſedem Regis tenebant, & mirabar, quòd hæc ſedes duabus teneretur & fulciretur manibus, cùm audiam inde maximè Danielis lapidem commendari, quòd ſine manibus abſciſſus fuerit. Ait enim cap.2. *Et abſciſſus eſt lapis* Daniel.2. *ſine manibus.* Itaque & cantatiſſimus Danielis lapis ſine manibus abſcinditur, & Salomonis ſedile duabus fulcitur manibus. Vt enim ſine virili opere oſtenditur Ieſus conceptus in lapide abſciſſo ſine manibus, ſic in throno, aut ſede duabus ſuffulta manibus oſtenditur Mariæ conceptio per congreſſum maris, & fœminæ facta. Illud tamen notandum, quòd manibus iis, hoc eſt, ordinario generationis modo ſeruato, vt thronus Dei Maria ſanctiſſima conciperetur, duo adiunguntur leones; dicit enim: *Et duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas.* Et cur duo leones adiunguntur illis manibus tenentibus ſedile? Memini pro cuſtodia, & conſeruatione paradiſi non leones, ſed Cherubim poſitum; pro purificatione Iſaiæ Seraphim deſcendiſſe, & ſingulis hominibus ſingulos datos Angelos, qui eos cuſtodiant à primò conceptionis inſtanti. Et cur Mariæ conceptioni intellectæ per duas illas manus ſuſtentantes thronum, non adſtant

M Angeli,

Angeli, aut Seraphim, aut Cherubim, ſed duo leones adſtant ? Iacob. Genel.49. in Iuda filio annuntians Chriſtum, dicebat : *Catulus leonis Iuda*, in quo catulo, & leone ſapienter nouit ibi D.Ambroſ. duos nobiliſſimos leones, nimirum Deum patrem, & Filium eius: qui immediatè pro Mariæ conceptione voluerunt excubare, vt illam immaculatam conſeruarent. Quando enim Cherubim non cuſtodiuit paradiſum, niſi poſt peccatum in eo peractum, nec Seraphim purificauit Iſaiæ labia, niſi quæ antea polluta erant, nec Angeli vllius hominis cuſtodiam ſuſcipiunt, qui priùs non fuerit ſerpentis infectus halitu. Non mirandum, quòd cuſtodia Mariæ à primo conceptionis inſtanti, non tam Cherubinis, nec Seraphinis, nec Angelis commendetur, quàm illam immediatè per ſe ſuſcipiant & filius Dei, & pater. Templi
Ezech.43. menſuras memorans Ezechiel cap. 43. dicebat : *Et Ariel quatuor cubitorum*. Ariel autem dicitur à Diu. Hieronym. vel illuminatio Dei, vel Leo Dei, & ponitur pro templi altari. Et cur altare vocatur Ariel, hoc eſt, illuminatio,
Rab.Dauid. aut Leo Dei? Ait Rabbi Dauid ibi : *Dicunt Rabini altare appellari Ariel, quia ignis ſanctus deſcendit de cœlis & cubabat in eo, tanquam leo.* Equidem pro altari templi eæ illuminationes à Deo veniebant, quæ tanquam leones excubarent, ne quod malum accederet. Ne miremur, quòd Mariæ tribuatur illud ipſum, quod tribuitur altari veteri, vt nimirum illuminationes ex Deo, tanquam leones excubent, ne quid mali incurrat in vitæ introitu. Quod enim malum tunc auderet in Mariam, excubantibus pro illa leonibus, hoc eſt, illuminationibus à Deo profectis? Huc crediderim reſpexiſſe D.Damaſcenum, vbi rationem
Damaſcen. reddens, cur Anna tamdiu ante Mariæ conceptionem ſterilis eſſet, ait orat. 1. de Natiuit. Mar. *Etenim natura gratia cedit, ac tremula ſtat, progredi non ſuſtinens. Quoniam vtique futurum erat, vt Dei genitrix, ac virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ ſœtu antecertere minimè auſa eſt, verùm tantiſper expectauit, donec gratia fructum ſuum produxiſſet.* Ecce tibi vt dicitur natura tremula ſtare ante conceptionem Mariæ, & minimè auderet vltrà progredi. Et cur tremeret, & timeret natura, niſi ibi diuinorum leonum excubiæ ſentirentur, qui fulgoribus diuinis, illuminationibúſque inſuetis conceptam præueniebant?

§. XX.

A Maria Apoſtoli Ieſu robur, & virtutem acceperunt.

IN Salomonis throno ſex gradus erant, in quorum ſingulis duo leunculi viſebantur, dicente textu: *Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc, inde*, &c. Habebant equidem duodecim leunculi à throno firmamentum, in quo ſtare poſſunt; vt ſimiliter duodecim Apoſtoli habebant à diuiſſimo throno Maria robur, quo ſtantes in virtute fulgerent. Quidquid enim in omnibus Sanctis video virtutis, imò in ipſis Apoſtolis, totum Mariæ interceſſioni ac-
Apoc.12. ceptum refero. Apoc.12. Mulier hæc diuina apparuit in cœlo in vtero habens, & clamans parturiens : *& in capite eius corona duodecim ſtellarum.* Et cur duodecim illæ ſtellæ in tantæ mulieris capite apparebant, niſi vt oſtenderentur duodecim Apoſtoli, vt totum claritatis, & virtutis per Ma-
Vbertinus. riam habebant? Ait Vbertinus apud Carthuſianum lib.4. de laud.Mar.ar.16. *Ipſa digniſſima Virgo ſingulariter totum myſticum corpus cum vero Chriſti corpore ſuo portauit in vtero, & in continuis cordis ſui doloribus aſſimilata doloribus ſui filij parturiuit. Cui attribuitur tota corona duodecim Apoſtolorum, quoniam meritis eius fuerunt vocati, atque per eius inſtructionem edocti. Per eius quoque ſuſpiria, & orationes Spiritu ſancto repleti. Vnde & Virgini ſanctæ ſingulariter attribuitur tota per Apoſtolos facta mundi victoria.* Expende illa, *per eius quoque ſuſpiria, & orationes Spiritu ſancto repleti*; quippe poſt Ieſu mortem duodecim hi leunculi, informes, & imperfecti erant, ſuper quos leæna mater Maria & ſuſpiria, & orationes edidit, quibus fecit, vt virtutem, ex alto induerent, & Spiritu ſancto perficerentur. Sic enim vocibus, & lingua leæna mater ſuos catulos format, & ducit in perfectum.

§. XXI.

Per Mariam vel infirmiſſimi homines habent acceſſum ad Deum, quem habent validiſſimi ſpiritus.

PEr ſex gradus throni aſcendebatur ad Regem Salomonem; in quorum ſingulis duo erigebantur leones. Ait enim : *Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc, inde.* Deus bone, ſi in gradibus leones ſunt; quis aſcendet ad Dominum? Clamabat ille in Prouerbiis, *Leo eſt in via*, vt Prouerb. 26.
inacceſſibilem viam oſtenderet homini. In iis autem gradibus, non leo, ſed leones ſunt, nempe duo in ſingulis eorum; quis ergo gradus aſcendet, quos aſcendunt, & tenent validi leones? Expende leonum poſitionem in gradibus, & animos aſcendendi concipe. Ait enim : *Duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc, inde.* Itaque leones à lateribus graduum prominebant; vt vnus leo ſtaret hinc à latere dextro, & alter inde à latere ſiniſtro, relicto vacuo toto gradus ſpatio medio. Diuiniſſimus enim Mariæ thronus, ſic leones admittit, ſic vigilantiſſimos, & fortiſſimos Spiritus ad Deum facit aſcendere, vt etiam infirmiſſimis hominibus relinquat locum, & acceſſum facilem præbeat Apocal.19.
ad Deum. Apoc. 19. dicebat : *Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum puſilli, & magni.* Non ſolùm magnos vocat hæc vox ad laudem Dei dicendam, ſed & puſillos etiam vocat, nec miror, vox enim erat exiens à throno, nimirum à Maria, cuius eſt non ſolùm magnos, potenteſque ſpiritus, ſed etiam infimos homines facere in Dei laudes introire. Ait Petrus Damis- Damian.
nus oratione de Natiuitat. Mar.1. *Salomon noſter fecit thronum, vterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo ſedit illa maieſtas, quæ nutu concutit orbem*, &c. *Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius. Ex hoc throno laus Angelorum prorumpit, & hominum.* Quippe, vt eſt Maria Dei thronus, in laudes Dei non ſolùm admittit validiſſimos, vigilantiſſimoſque angelicos ſpiritus, ſed etiam homines infimos. Non aliud viſum eſt in ſcala illa oſtenſa Iacob, de quo ait Geneſ.28. *Vidit in ſomnis ſcalam* Geneſ.28.
ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam. Et quando ſoli Angeli aſcendentes tenebant ſcalam cœlum pertingentem, ad quid ea oſtenditur Iacob? Ipſe Angelus non eſt, ſed terrenus puluis; cur ergo illi oſtenditur ſcala cæli ſolis plena ſpiritibus? Ait D. Zeno lib. 2. ſermone 8. Zeno.
Dubium non eſt vnum eſſe iter aeris culminis Angelis lucis, & hominibus iuſtis. Quod notans Damaſcen. orat. de Natiuitat. Damaſcen.
Mariæ intrepidè fatetur : *Spiritualis ſcala, hoc eſt, Virgo in terra firmata eſt*, &c. vt noſcentes ſcalam Mariam eſſe, ne dubitemus de eius beneficio venire, quòd homines lutei eumdem cum Angelis ad Deum acceſſum habeant.

§. XXII.

Prouincia ruina eſt, quando in ſuis nihil aliud requirit Princeps, quàm obedientiam.

POſt hæc diuina myſteria in Salomonis throno explicata, non me tempero, quin aliud in eo ominoſum regnis, & domibus præuideam. Id eſt, illud tot leonum inſigne, ait enim primum : *Duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas*; nec iis contentus addidit : *Duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus.* Iuxta ſedilis brachia duo erant leones; & totidem leunculi in ſingulis gradibus, qui vt erant ſex, ſic duodecim referebant leunculos. Erant enim leones hi pro inſigni regni Iuda, quod in ipſo penè initio ſui dilaceratum eſt, vt oſtendit Ahias in pallio nouo in decem ſciſſuras diuiſo; & tandem multis cladibus agitatum ab extraneis raptum. Et cur leones pro inſigni ſunt regni adeò perituri? Habet hoc leo iuxta Plinium, vt ſolùm proſtratis parcat, dicente Ouidio :

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni. Ouid.

Non aliis, ſed proſtratis, & ſubiectis gaudet. In quo infeliciſſimum dominatum protendit eorum, qui in ſuis non aliam virtutem, ſed ſolam attendunt ſubiectionem. Vnde D.Aug.lib.de ciuitat. Dei cap.20. Reipublicæ reprobandæ,

&

Digitized by Google

Auguſt. & perituræ partex deſcribens ait; *Reges non curent quàm bonis,ſed quàm ſubditis regnent : prouinciæ Regibus non tanquam rectoribus morum, ſed tanquam rerum dominatoribus, & deliciarum ſuarum prouiſoribus ſeruiant; eoſque non ſynceriter honorent, ſed nequiter,ac ſeruiliter timeant.* Expende illud leoninum,& prouinciarum vaſtatorium, nimirum : *Reges non curent quàm bonis, ſed quàm ſubditis regnent*; quippe cùm eò res deducitur, vt Reges, & gubernatores nihil curent de virtutibus aliis tuuendis in ſuis,ſed vnam in illis ſubiectionem, & ad nutum obedientiam ſpectent, neceſſum eſt,vt ſtatus regni in peius ruat. Ciues enim ſcientes nullam de moribus curam eſſe rectoribus, ſed in eo totum ſtudium poſitum, vt obedientiam extorqueant & ſubiectionem : hinc illis adulantur, exequentes nequiter,quidquid illi & nequiter volunt; dum ſibi ab illis ſeruiliter timent, ſi vel prætextu virtutis, vel oſtentu claræ rationis obſiſtant cupedus eorum. Proh regnum infeliciſſimum,in quo vna ſpectatur obedientia, & ſubiectio ciuium, non hoc ab ſpiritu Dei venit, ſed ab ſpiritu Dæmoniorum. Hos compellabat principes Zachar.cap.11.dum ait: *O Paſtor,& idolum.*
Zachar. 11. Cur idolum vocatur paſtor,& princeps iſte? Sanè idolorum Dæmonia in omni regno ſuo; hoc ſolum curarunt,vt homines ſibi ſubiicerent,ab illiſque obedientiam extorquerent,& ſubiectionem. Adeò vt licèt homo aut fur eſſet,aut latro,aut adulter, aut ſcelus ipſum, nihil de hoc curarent idola,ſi inter hæc,ille & reuerentiam illis exhibebat & ſubiectionem. De quo ſapienter D.Auguſt. lib.2.de ciuit.Dei cap.22. poſt perditos Romanorum mo-
Auguſt. res deſcriptos, aiens : *Omnino Roma perierat perditis moribus; vt ergo non periret dij cuſtodes eius populo cultori ſua dare præcipuè vitæ,ac morum præcepta debuerunt; à quo tot templis, tot ludorum celebritatibus colebantur,vbi nihil dæmones, niſi negotium ſuum egerunt, non curantes quemadmodum illi viuerent, imò curantes; vt perditè viuerent, dum tamen honori ſuo illa omnia metu ſubditi miniſtrarent.* Ecce tibi regnum idolorum,regnum dæmoniorum in quo erat, hoc vnum attendebatur vt populi illis ſubiicerentur,illis venerationem exhiberét; de moribus autem aut fuerint perditi, aut probati, nulla illis cura erat. Fuerit quis omnium perditiſſimus, ſi addictiſſimus erat diis,& ſubiectiſſimus,hoc quærebatur. Fuerit omnium prudentiſſimus,& ſanctiſſimus,ſi vel ratione, vel ſanctitate obſiſtebat,perditè peccabat. O tempora infelicia! Vtinam hoc in idolorum ſolum regno fuiſſet : at iuxta Zachariam, paſtores, & gubernatores, ſunt plures, qui ad omnia vitia, ſeu ſanctitatem ſuorum conniueant, vnam ſolam ſubiectionem, & adulatoriam obedientiam ſpectantes. Hæc ratio ſtatus funditus perdet ſtatus.

§. XXIII.

Totum aurum abſumatur neceſſum eſt, in ſui defenſionem.

INter Salomonis opera,non ignobilia ſunt illa, de quibus text. *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo*,&c. Non paruam auri vim in faciendis, efformandiſve ſcutis conſumpſit Nec ſemel,ſed frequentiſſimè auri materia aſſumpta eſt,non ad alia armorum genera, ſed ad ſcuta clypeoſque efformandos, vt notauit Pineda lib.5.de rebus Salomon.cap.6.§.7.n.10.Et cur aurum in ſcutis efformandis, & clypeis,potius quàm in aliis telis inſumitur? Vt enim ſcutum,& clypeus arma ſunt defenſiua; ſic aurum in ſcutum transformatum oſtendit, in ſui defenſionem,quàm totum inſundi debeat. Quot tela facit Vulcanus, quot iacula Mars contorqueat, aurum vbicumque ſit, rapiendum ſpectant, adeò vt neceſſum ſit totum aurum in defenſionem ſui conſumi. Ad quid aliud reſpiciunt vniuerſi bellorum aſſultus, niſi ad eripiendum aurum? Poſt debellatum Arphaxad, omneſque eius raptas diuitias
Iudith.2. & theſauros,Iudith cap.2. *Factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſor Regis Aſſyriorum,vt defenderet ſe.* Diuitiis, & theſauris Arphaxadi auctus Rex Aſſyrius, cœpit agere cum ducibus ſuis, *vt defenderet ſe.* Nec miror, theſauri enim mundi hoc habent,vt debeant abſumi in defenſionem ſui. Vbicumque enim eſt aurum, eò ſtatim ſpectant omnia gentium ſpicula. De bellis Romanorum locutus Petronius aiebat.

Petron. *Orbem iam totum victor Romanus habebat,*
Qua mare,qua terræ,qua ſidus currit vtrumque,
Nec ſatiatus erat, grauidis freta pulſa carinis,
Iam peragrabatur, ſiquis ſinus abditus vltrà,
Si qua foret tellus, quæ fuluum mitteret aurum.
Hoſtis erat, fatiſque in triſtia bella paratis,
Quærebantur opes.

Quid pulchrius? Expende illa, *Si qua foret tellus, quæ fuluum mitteret aurum, hoſtis erat.* Quicumque etiam remotiſſimus, & pacatiſſimus, & nulli iniurius aurum haberet, ſtatim hoſtiliter reſpiciebatur à Romanis,vt opus haberet ab illis ſe defendere. Quid dico à Romanis? A quocumque aurum reſpicitur. Ezechias Rex oſtendit Babylonicis Legatis ingentes auri copias. Quid tunc? Ait illi Iſaias Iſai.39.
cap.39. *Ecce dies venient, & auferentur omnia,quæ in domo tua ſunt*,&c. Aurum enim manifeſtatum tot, tantoſque babyloniorum exercitus in ſe excitauit, & traxit, vt vel in defenſionem abſumptum, ſe defendere non valeret. Quis non videat argentum, aurumve penè immenſum quotannis ab India in Hiſpaniam deportari? Et quid factum eſt de tanto auro,& argento? Totum abſumptum video in ſui defenſionem. Ex quo claſſes aureæ ad Hiſpaniam veniunt, tot hoſtes aduerſùs illam inſurgunt,vt totum argentum, & aurum in defenſionem abſumptum fuerit. Non ſolùm hoſtes, ſed & dies,& lux ipſa aurum impetit. Vis videre luces dierum in aurum armari? Conſule fœneratores,qui commodatorum dies computant,& eorum numerum apponunt,vt maiorem rapiant pecuniam. De his Diu. Zeno Zeno.
ſerm.1.de Auar. *Hinc vnus pecuniam ſuam tanquam hamum proponit, vt facultates ad ſe trahat alienas : quam peregrinantem ferali ſupputatione nutrire non deſinit, vt ſummam quærat, non quantum commodatio dedit, ſed quantum ei pepererint armati numero dies,menſes, digiti.* Expende illud, *armati numero dies*; vt numerus dierum additur, ſic arma adduntur, quæ pro fœneratoribus ſpolient auro miſerum. Heu infœlicem auri conditionem! Te petunt totius mundi ſpicula; vniuerſi hominum exercitus aduerſùs te inſurgunt,armãtur etiam numero dies,vt fœnus extorqueant. A tot hoſtibus, vt defendaris, neceſſum erit, vt te penitus inſumas.

3.*Reg*.9. Ædificauit ergo Salomon Gazer, & Bethoron inferiorem, & Baalath, & Palmiram in terra ſolitudinis. Et omnes vicos, qui ad ſe pertinebant,& erant abſque muro,muniuit & ciuitates curruum, & ciuitates equitum, & quodcumque ei placuit, *&c.*

§. XXIV.

Non ſic, quæ in externis eſt,vt quæ in internis eſt infirmitas præcauenda.

VIde quàm multus Salomon eſt in ædificandis, muniendis,muroque cingendis ciuitatibus, quippe ait : *Et omnes vicos, qui ad ſe pertinebant, & erant abſque muro, muniuit*,&c. Non paſſus eſt vel viculum cuiuſvis oppidi ſui eſſe abſque muro,& validiſſima munitione. Vtinam ſic muniret animam, & murum poneret infirmitati carnis, quæ ſola poteſt hominem in irreuocabile præcipitium dare. Muros poſuit ciuitatum externarum vicis, de quorum infirmitate illud conſtat ſaluatoris dictum Ioannis 11. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem.* Planè in- Ioan. 11.
firmitates, & defectus, & ruinæ externorum bonorum non ſunt ad mortem, non ſunt ea, quæ mortem æternam afferunt, quæ ſola mors apud cordatos homines reputatur. Infirmitas autem animæ, hæc mortem æternam infert,& præcipitium irreuocabile Cæci autem homines de hac fulcienda,munienda minimè curant, toti poſiti in externorum bonorum defectibus, & infirmitatibus tollendis,curandis. Hanc ſtultitiam damnat Diu.Aug Auguſt.
lib.3.de ciuit. Dei c.1.aiens : *Hæc ſola mala deputant mala, quæ non faciunt malos; nec erubeſcunt inter bona, quæ laudant,ipſi malì eſſe, qui laudant: magiſque ſtomachantur,ſi villam malam habeant, quàm ſi vitam. Quaſi hoc ſit hominis maximum bonum habere bona omnia præter ſe ipſum.* Erubeſcit homo in malo pallio, in malo equo,in mala domo,in malo,& infirmo oppidulo,&

non erubeſcit in ſe ipſo malo, & infirmo, & per vitia, & ſcelera raptato. Totiſque viribus curat, vt pallium melioretur, equus paſcatur, domus ruitura muniatur, villa validis muris cingatur, ne hoſtibus pateat. De animæ autem infirmitate tollenda, eiuſque vita melioranda, confirmanda, nullam rationem, aut curam habet. Planè *magis ſtomachatur, ſi villam malam habeat, quàm ſi vitam.* Et qui de muris ponendis in villa, ſiue in vinea multa diſputat, multa tractat. De muris ponendis internæ animi infirmitati nec verbum facit. Heu cæcitas humana! Quàm aliter ſapiens Cant. 8. illa Dei amatrix Cant. 8. clamabat: *Ego murus, & vbera mea turres.* Non in vicis ciuitatis, non in villis, non in arcibus non in vineis, neque in hortis, ſed in ſe muros, & turres demonſtrabat. Sed quibus hos in ſe murus præmonſtrat? Hominibus ſæcularibus, quorum ſtudium totum eſt, in muniendis, & confirmandis iis bonis externis temporalibus, Ait ibi Honorius: Honorius. *Anima doctrinis Prælatorum vt lapidibus opificum ædificata, & exemplis patrum ornata clamat ſæcularibus: Vos qui in ſæculi negotiis laboratis, meo exemplo in ſpiritualis vitæ requiem intrate. Quia ego prius vobis ſimilis, in peccatis labilis, facta ſum vt murus in ſpiritualibus ſtabilis.* Eos vocat, qui in ſæculi negotiis laborant, nimirum, qui in bonis temporalibus acquirendis, conſeruandis, in domibus fulciendis, in vineis, ſeu villis muro cingendis, vt rapacium manus euadant. Hos nimirum vocat ad ſe, quæ ſola magis attendit ſpiritualia, in quibus murus facta eſt, ne labatur, ne à contrariis expugnetur, & in veram ruinam abeat. Huc etiam ſpectabat Dauid, vbi perpetrati ſceleris pœnitens ſic clamat Pſalm. 50. Pſalm. 50. *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem.* Ecce tibi quando totus erat in obtinenda venia peccati ſui, in conſequenda ex Deo miſericordia, illud clamat, quòd ædificentur muri Hieruſalem. Cuius Hieruſalem? An terrenæ illius ciuitatis quam fecerat ſui imperij Aulam? Abſit, ſed de intima Hieruſalem, nempe de anima ſua agit, cui muros apponi magis optat, ne iterum expugnetur à contrariis. Dicebat Vrban. IV. ibi Vrbanus IV. Pont. Max. *Vt ædificentur muri Hieruſalem. Illius ſcilicet interioris Hieruſalem, quæ eſt anima mea. Hæc eſt enim illa Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, pro qua ſupplico tibi animarum benigniſſimo amatori.* Equidem bonus Dauid expertus animæ ruinas ab hoſtibus ſibi illatas, non ſic curat muros ponere externis oppidis, vt animæ ſuæ, quam magis amat munitã eſſe, & cinctam muro impenetrabili.

3. *Reg.* 8. Vniuerſum populũ, qui remanſerat de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebuſæis, qui non ſunt de filiis Iſraël: horum filios, qui remanſerant in terra, quòd ſcilicet non potuerunt filij Iſraël exterminare, fecit Salomon tributarios vſque in diem hanc. De filiis autem Iſraël non conſtituit Salomon ſeruire quemquam, *&c.*

§. XXV.

Felix, qui in aliorum periculis ipſe cauet.

De exterminandis Chananæorum nationibus nonnulli remanſerant, quos tributarios fecit ſibi Salomon, dicente textu: *Horum filios, qui remanſeran, quos ſcilicet non potuerunt filij Iſrael exterminare, fecit Salomon tributarios.* Et miror quod inter Salomonis felicia, hoc reputetur, quòd inter Iſraelitas reprobæ Chananæorum nationes remanerent, quæ tributum Salomoni ſoluerent. An non felicius fuiſſet, quòd omnes illi penitus eſſent exterminati. Qualem felicitatem Salomoni darent reproborum hominum reliquiæ illi ſub tributo facti? Equidem in reliquiarum illarum ſubiectione, & fræno tributi, præ oculis quotidie habebat Salomon, & omnes Iſraelitæ, quid mali patiant peccata. Qui enim potentiſſimi illius regionis domini fuerãt propter ſcelera à Deo caſtigati? nunc in ſeruitutem miſeram redacti, ſoluentes tributa admonebant ſuos dominos, vt vel in alieno capite ſcelerũ videant vſuras, quod Clem. Alex. non paruæ erat felicitatis. Quam ſpectans Clemens Alex. lib. 1. Stromat. cap. 13. fatur: *Fuerunt autem Hebræi ſpectatores malorum, quæ patiebantur alij, Dei potentiam citra vllum periculum diſcentes.* Quid fœlicius? Dei potentiam in puniendis delictis in ſuo, ſed in aliorum non diſcebant capite. quod non paruum beneficium eſt diuinæ bonitatis. Percuſſurus Ægyptios Deus Exod. 7. mandabat: *Tolle virgam tuam, &* Exod. 7. *extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in ſanguinem.* Caſtigaturus Ægyptios ſuper aquas iubet virgam leuari; cur non magis ſuper ipſos Ægyptios? Ait Macha- Machar. rius Philadeph. orat. de cruce apud Gretſerum tom. 2. *Neque prima plaga in homines ſæuit: neque ſine præmonitione, & prædictione iram ſuam infert, quippe cui propoſitum eſſet, eos, partim aliorum periculo ad meliorem mentem traducere,* &c. Hoc beneficus, & miſericors Dominus volebat, vt homines non ſuo, ſed alieno periculo cauere ſibi diſcerent. Hinc Matth. 21. dicebat Dominus Iudæis: *Auferetur à vobis regnum Dei,* Matth. 21. *& dabitur genti facienti fructus eius.* Liberum fuerat Deo à principio dare regnum Dei genti facienti fructus eius, cur maluit illud primùm malis dari, & poſt ablatum illis tradi bonis? Faciebat hoc ad maius gaudium, & fœlicitatem bonorum, quod in aliorum ſpoliatione, & ſupplicio Dei mores edıſcerent. Ex quo D. Zeno lib. 2. ſerm. 27. ait: *Eo-* Zeno. *rum exemplis fratres fortiter fugite, ſimulque gaudete, quod alienis plagis Dei diſcitis diſciplina.* Hoc gaudium ſit, hoc ſit hominis fœlicitas, quod in alieno capite videas, & quo caueat ſibi.

§. XXVI.

Seruitus fugienda viro ingenuo ſupra omnia temporalia.

Chananæorum reliquiæ & ſub tributo erant, & ſeruiebant operibus Salomonis, quibus nullus permittebatur ſeruire Iſraelita. Ait text. *Horum filios, qui remanſerant in terra,* &c. *fecit Salomon tributarios. De filiis autem Iſrael non conſtituit Salomon ſeruire quemquam,* &c. Non filij Iſrael, ſed filij Chananæorum permittuntur à Salomone ſeruire. nec miror, viro enim ingenuo durior eſt ſeruitus ſupra omnia mala mundi. Quis neſciat Iacobi fœlicitatem apud Laban ſocerum ſuum? De illo ait text. Gen. 30. *Ditatus eſt* Geneſ. 30. *homo vltra modum, & habuit greges multos, ancillas, & ſeruos, camelos, & aſinos.* Inter hæc tamen ait de illo textus Gen. 31. Geneſ. 31. *Surrexit itaque Iacob, & impoſitis liberis, ac coniugibus ſuis ſuper camelos abiit.* Et cur prudens vir abire voluit à domo, & terra, in qua adeò augebantur eius diuitiæ? Ibi creſcere videbat in dies bona ſua, & ſupra modum augeri ſubſtantiam, cur aliò ire feſtinat? Quid illum inde abire facit? Ait Rupert. lib. 3. in Exod. cap. 35. *Iacob ſex annis pro gregibus Laban ſeruiuit, in ſeptimo libertate ſua ſeruata exiuit, magis eligens cum patribus ſuis Abraham & Iſaac peregrinari, quàm in terra, vel cognatione patrum ſuorum plura ſeruiendo lucrari. Hæc ingenuitas patris illam ſuis poſteris apud Dominum theſaurizauit, quatenus eos defendat lex, vt nemo ex illis vltra ſex annos cogatur ſeruire.* Expende illa: *Magis eligens cum patribus ſuis peregrinari, quàm in terra ſua plura ſeruiendo lucrari.* Sic ſeruitutem deteſtabatur ſupra omne exilium. Licèt enim apud Laban in terra, & cognatione ſua videret ſibi ſupra modum augeri diuitias, quia tamen ibi ſeruiebat, nuntium miſit diuitiis, & paupertatem, & exilium elegit, vt fugeret ſeruitutem. Vtinam hanc ingenuitatem ebiberent omnes eius poſteri, imò & Abrahami filij! Clamabant illi Exod. 14. *Multò melius erat* Exod. 14. *ſeruire Ægyptiis, quàm mori in ſolitudine.* Quæ verba pulchrè tractans Orig. hom. 5. in Exod fatur. Orig. *Quia dicunt, melius fuerat nos ſeruire Ægyptiis, quàm mori in eremo, tentationis, & fragilitatis hæc verba ſunt. Alioquin falſum eſt. Longè enim melius eſt mori, quàm ſeruire Ægyptiis, qui enim in eremo moritur, hoc ipſo, quòd ſeparatus eſt ab Ægyptiis, & receſſit à rectoribus tenebrarum harum, habet aliquem profectum.* Nunquam à præſtanti animo venit, quòd ſeruitutem præferas vel morti, meticuloſus, & infirmus amet magis ſeruire, quàm mori. At qui valido ſpiritu eſt, & ſana mente, ſemper amabit magis in mortis periculis eſſe, quam in ſeruitute. Vt hinc diſcas, quàm viles ſint, qui volunt magis in cupiditatum verſari ſeruitute, quàm in libertate filiorum Dei, licèt in hac moriendum ſit.

3. *Reg.* 9. Filia autem Pharaonis aſcendit de ciuitate Dauid in domum ſuam, quam

ædifi

ædificauerat ei Salomon; tunc ædificauit Mello. Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos ſingulos, holocauſta, *&c.*

§. XXVII.

Continentia validiſſimum munimentum eſt aduerſus hoſtes.

MEllo ſiue murus fuerit, ſiue munitio aliqua alia validiſſima, vt mauult noſter Pineda lib. 5. de reb. Salom. cap. 11. ædificatum dicitur: cùm filia Pharaonis in domum ſuam a ciuitate Dauid fuit tranſlata. Dicit namque text. *Filia autem Pharaonis aſcendit de ciuitate Dauid in domum ſuam, quàm ædificauerat ei Salomon: tunc ædificauit Mello.* Et qualis hæc coniunctio eſt, nempe Mello ædificati, & filiæ Pharaonis aſcendentis in domum ſuam? Quid eſt myſterij, quod ingreſſui filiæ Pharaonis in domum ſuam adiungatur Mello ædificatio? In illo filiæ Pharaonis ingreſſu oſtenditur adhuc Salomon continentiæ virtute clarus, vt qui in vna hac vxore filia Pharaonis ſuas delicias habebat, nec dum ſe perditè multis aliis mulieribus tradebat. Vbi autem eius continentia in hac vnicè dilecta oſtenditur, meritò adiungitur Mello, ſiue murus ſit, ſiue munitio alia, ædificatus; eſt enim in hominis continentia adeò validus murus, ſeu munitio, quæ ab hoſtibus minimè expugnari valeat. Iſai. 26. Iſaias cap. 26. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale.* Quando Saluator factus eſt nobis vrbs, aut ciuitas refugij, adhuc dicitur, quòd murus ponetur in ea. Et qui murus poteſt poni, qui Saluatorem in nobis valeat conſeruare? Ait Diu. Bernard. Bernard. ſerm. 3. in dedicat. Eccleſ. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion (ait Propheta) Saluator, ponitur in ea murus, & antemurale. Murus continentia, antemurale patientia eſt. Bonus continentiæ murus, qui ſic vndique circumdat, & circumcingit, vt nec per oculorum feneſtras, nec per cæteros ſenſus detur ingreſſus morti.* Vbi continentia eſt, ibi murus aheneus eſt, ibi eſt adeò valida munitio, quæ ab hoſtibus expugnari nequeat. Crede mihi per continentiam tutiſſima ſtant & bona animi, & bona corporis externa. Dauid Pſalm. 50. dum patrati adulterij agit pœ- Pſalm. 50. nitentiam, illud intonat: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem.* Stabant adhuc muri Hieruſalem, necdum arx Sion diruta erat; quid eſt igitur quòd in pœnitentia ſua petit vt ædificentur muri Hieruſalem? Equidem vt ſuam incontinentiam deflebat, ſimul credebat ſine continentia nullos muros, nullam munitionem in regno manſiſſe, ſed omnia iuiſſe perditum; ideo Agellius. optat, vt reædificarentur. Ait Agellius ibi: *Orat, vt mons domus Domini intra Hieruſalem includatur muris, vt in medio vrbis liceat videre montem, ſuper quo tanquam in arce templum extruatur. Verebatur enim, ne templi extruendi, & diuinæ habitationis felix illud promiſſum, quo promiſſo ſpei poſteritatis, & regni ſui ſucceſſio nitebatur, hoc admiſſo ſcelere irritaretur.* Prudenter abiecta continentia putabat decidiſſe muros vniuerſos, quibus conſeruabantur bona à Deo vel in re, vel in promiſſione profecta. Quæ enim regni munitio, qui murus, quæ arx, quæ ſeps bonorum manere poteſt, vbi non manet continentia? Vnde meritò iam contra laſciuiam ſtans petit illos inſtaurari muros, qui voluptati ſe opponunt, & Vrban. IV. nos in virtute faciant eſſe. Quod notans Vrban. IV. Pont. Max. ibi ait: *Abſque meis meritis mihi dabis Domine, vt ædificentur animæ meæ muri, qui ſtabiliuntur principaliter, & conſurgunt de fide viua, ſpe certa, charitate non ficta. Fac etiam vt & muri huius mundanæ Hiericho, in me funditus deſtruantur, & nunquam de cætero reparentur; quoniam tu Domine per Ioſue maledictionis ſententiam protuliſti in eos, qui muros huius Hiericho fabricarent. Ædificat enim diabolus muros iſtos de luto voluptatis, palea vanitatis, & latere cupiditatis. Per te ergo muri iſti Hiericho deſtruantur in me, & ædificentur muri Hieruſalem ſupradicti.* Vt muros Hiericho putat voluptates, & carnales cupiditates; ſic his oppoſitos muros Hieruſalem credit ex continentia cõſiſtere, & caſtitate. Hos ædificari poſtulat in anima, illos maximè deteſtatur, vt qui irreparabilem ruinam, & æternam perditionem ſapiunt, ſi cœperint reædificari.

§. XXVIII.

Externarum operationum pretium de robore intimarum virtutum ſumitur.

POſt muratas à Salomone vrbes, poſt ædificata fortalitia, murum Mello, & alia, ſtatim adiunguntur oblationes, & ſacrificia, cùm ait: *Tunc ædificauit Mello. Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos ſingulos, holocauſta,* &c. Et quid holocauſta, & oblationes cum muris, cum fortalitiis præmiſſis? Equidem magnum ibi iam pretium oblationum, ſacrificiorumque oſtendebatur, ex robore ortum internarum animæ virtutum. Pſalm. 50. ait Dauid: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ oblationes & holocauſta,* &c. Petit primùm murorum ædificationem, qua poſita, ſtatim aſſerit ex tunc ſacrificia & holocauſta acceptabilia Deo. Niſi enim de firmitate, & robore internarum virtutum externa opera non acceptantur. Vt dicat Vrbanus Pont. Max. ibi: *Tu Domine ſolus es, qui fidem quaſi fundamentum murorum iſtorum infundis; ſpem velut parietem erigis, charitatem tanquam inexpugnabilia propugnacula conſtruis. Et hoc eſt perneceſſarium mihi, vt in me ædifices dictos muros; nam antequam ædificati fuerint, gratam non habebis ex manibus meis quicquam. Sed ædificatis firmiter in mea interiori Hieruſalem dictis muris, tunc acceptabis. Quia antea acceptabile non habebis ſacrificium iuſtitiæ.* Priùs neceſſum eſt, vt internarum virtutum fidei, ſpei, & charitatis muri in anima ædificentur, vt opera externa inde acceptabilia fiant. Quò ſpectans Pſalm. 28. clamat: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Non à ſeruis, non ab ancillis petit, vt afferant agnos Deo offerendos, ſed id munus a filiis requirit. Et cur non potius a ſeruis petit, vt afferant, quàm à filiis? Ait D. Baſil. ibi: *Afferte itaque Domino non omnes, neque ex omnibus, ſed filij Dei. Ex mea quædam dona quæſiturus eſt, & hac gratia eximios quærit, qui offerant.* Vbi acceptabilia, & præſtantia opera externa expectantur à Deo, neceſſe eſt, vt à præſtantibus virtute fiant. In quibus enim fides, & charitas præceſſit, qua Dei filij ſimus, & clamamus, Abba Pater, inueniri poſſunt opera externa, quæ Deo in pretio ſint. De internis namque virtutibus animæ externa opera pretium accipiunt. Geneſ. 8. *Ædificauit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare, odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis.* Odor à crematis carnibus effuſus dicitur fuiſſe Deo ſuauis & gratus. Et vnde Deo placere potuit igne abſumpta caro? Ait D. Chryſoſt. ibi: *Vide quomodo animus offerentis fumum, & nidorem, & omnem, quæ inde naſcitur, in ſuauitatem, adeò fragrantia implebat. Ideirco & Paulus dicebat, ſcribens, quòd bonus odor Chriſti ſumus.* Animus Noe plenus fide, plenus charitate faciebat, vt vel fumus ab eo oblatus, Deo ſuauiſſimus, & gratiſſimus exiſteret.

Pſalm. 50. — Vrban. IV. — Pſalm. 28. — Baſil. — Geneſ. 8. — Chryſoſt.

3. *Reg.* 9. Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt iuxta Ailath in littore maris rubri in terra Idumææ. Miſitque Hiram in claſſe illa ſeruos ſuos nauticos, & gnaros maris, cum ſeruis Salomonis. Qui cùm veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad Regem Salomonem.

§. XXIX.

Baptiſmus, & pœnitentiæ lachrymæ nos in perfectiſſima quæque obtinenda deducunt.

VNum è Regibus Iſraël Salomonem inuenio, qui claſſem fœliciter in mare mitteret, vt per aquas ingentes auri theſauros acquireret. Sic enim ibi: *Claſſem quoque fecit Rex Salomon,* &c. Et cur vnus Salomon è Regi-

bus Iſraël per maria immenſa ſuperata nauibus diuitias conquiſiuit? Fuerit in eo ardentior diuitiarum cupiditas; propter quas immenſos aquarum vortices deglutiret, at vnicè repræſentabat Chriſtum, ſic vnicè per aquas feliciter currit ad præſtantiores conquirẽdas diuitias. A Chriſto enim Ieſu vel aquæ baptiſmi, vel aquæ lachrymarum nos in ſolidiora bona deducunt. Nec eſt, qui niſi per has
Pſalm. 103. aquas grandia bona participet. Dicit Pſalm. 103. *Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit. Illic paſſeres nidificabunt. Herodij domus dux eſt eorum.* Arnobius ponit: *Fulicæ domus dux eſt eorum.* Quippe paſſeres, nimirum fideles in Chriſto, qui pennis fidei ad alta feruntur, ij ad altiſſimas cedros currunt, vt in eis nidificent. Non tamen volant, nec ad alta eleuantur ſine duce; *Fulicæ enim domus dux eſt eorum.* Et cur fulicæ domus, & non magis Aquilæ domus dux eſt eorum, qui ad alta tendunt? Fulicæ domus, nempe nidus in aquis conſtruitur, & aquis innatans pullos ſuos nutrit, vſque in perfectum deducat. Merito ergo Chriſti fidelibus in altum volantibus dux ponitur nidus fulicæ, qui vt aquis innatat, ſic oſtendit fidelibus nihil magnum euenturum niſi per aquas aut lachrymarum, aut
Arnob. baptiſmi. Ait ibi Arnobius: *Paſſeres ideo Chriſtiani nuncupantur, quia cæleſtia, & alta petentes, ſic ſeſe iungunt conuerſationibus hominum, vt fugiant ipſos homines. In quorum domibus nidificare probantur, in his paſſeres qui nidificant, fulicæ domus dux eſt eorum. Fulica in aqua manet, in aqua nidificat, in aqua viuit, & aqua domus eius eſt. Horum ergo paſſerum fulicæ domus, id eſt, aqua ipſa dux eorum eſt.* Niſi enim fideles ab aquis, & per aquas ducantur, ad magna, & præſtantia bona nequeunt peruenire. Vis homo cæleſtia, & imputribilia bona perquirere, quæ tibi numquam eripi poſſint? Duo tibi maria oſtendunt viam, nimirum & Baptiſmus Chriſtianus, & lachrymæ piæ; hæc ſi tranas maria, his ſi te fluctibus committis, proculdubio peruenies non ad vellus aureum fabuloſum, ſed ad vera bona, & indefectibilia. Magdalenæ dictum eſt illud Luc. 10. *Maria optimam*
Luc. 10. *partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quanta hæc fœlicitas ad optimum numquam perdendum peruenire? Et qui dux Mariam in tantum bonum deduxit? An fulicæ domus? Equidem prudens illa vt cognouit Ieſum menſe Phariſæi accumbentem Luc. 7. ſtetit retro pedes eius, & nauim animæ ſuæ fluctibus committens, *lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Ne miremur inde in tanta bona veniſſe, à quibus nunquam ſit caſum. Ad hæc ait D. Machar. hom. 25.
Machar. *Maria ſedit iuxta pedes Domini plorans. Inquit enim: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. O pretioſas illas margaritas in defluxione beatarum lachrymarum! O ſocietatem arctã ſponſæ erga ſponſum animarum? Hanc imitare.* Huius fœliciſſimæ fulicæ nidum ſequere homo euæ viæ ducem; quæ in aquis nidificans, & ſeſe lachrymarum fluctibus committens ad ea peruenit bona, quæ minimè auferentur illi.

§. XXX.

Non ſæcularibus, ſed cœleſtibus inhiandum bonis.

AD aurum conquirendum Salomon in nauibus ibat; dicit namque: *Claſſem quoque fecit Rex Salomon*; illas conquirens diuitias, quæ non niſi in nauibus poſſent acquiri. Inuenio immenſam vim auri à Dauide congregatam, quam reliquit filio? ſed Dauid aurum ſuum ab hoſtibus in gladio, & haſta, non in nauibus acquiſiuit. Cur ergo Salomoni non ſimiliter datum eſt, vt in gladio aurum ex hoſtibus acquirat, ſed magis vt illud in nauibus quærat? Oſtendebatur iam in Salomone Chriſtianis, vt ipſi inæſtimabilia cæli bona conquirere debent, vt nimirum quaſi in nauibus conſiſtentes illa perquirant. Dicebat Pſalm. 106. *Qui deſcendunt mare in nauibus facientes ope-*
Pſalm. 106. *rationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera tua Domine*, &c. Diuinorum arcanorum theſauri illis dicuntur dati, qui mare in nauibus deſcenderunt; non qui pedibus, manibúſve natantes maria tranant, ſed qui nauibus fluctus ſcindunt, ad Dei bona perueniunt. Et cur non qui manibus pedibuſve natant, ſed qui nauibus veniunt, placent Deo? Ait D. Machar. hom. 44. *Sicut autem qui ſunt in naui, non*
Machar. *hauriunt, aut bibunt è mari, nec ex eo victum, aut veſtitum ſumunt, ſed aliunde important in nauem: hoc modo Chriſtianorum animæ, non è ſæculo iſto, ſed deſuper è cælo cibum cæleſtem, & indumenta capiunt ſpiritualia.* Qui mare deſcendunt in nauibus, hoc habent, vt nihil ad potum cibumque ex mari ſumendum expectent, ſed omnia ſibi neceſſaria aliunde trahunt. Sic fideles in mundo ſint, tanquam nauigantes in mari, nihil à mundo expectent, nihil inde ſumant; ſed è terra viuentium, è cæleſti portu omnia habeant, quo ſecuri, & læti in Dei gaudia intrabunt. Qui enim natat per maria, neceſſario aliquid ſugit ex mari; qui in naui eſt, hoc maximè cauet, ne quid ex mari bibendum hauriat. Quam curam qui in mundo habet, ne quid de mundo ſugat, maximè Deo placet. De forti, & felici illa fœmina dicebat Prouerb. 31. *Facta eſt, quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem*
ſuum. Non de vicinis aquis maris, non de præſenti mundo, Prou. 31.
ſed de longinquis cœli regionibus cibum ſibi parabat. Circa quæ D. Hieronymus. *Facta eſt ergo anima ſancta quaſi*
nauis, quæ tranſit deſiderio fluctus ſæculi præſentis; ſolaque ſe in Hieron.
cælis accipere ſperat æterna. De qua rectè dicitur: Quia de longè portat panem ſuum, quia in cunctis, quæ bona agit, æternam ſolummodo retributionem expectat, ſolam viui panis ſaturitatem deſiderat. At contrà in proxima panem ſuum recipit, qui in eo, quod iuſtè viuere videtur, humani fauoris præmia expetit. De qualibus ait: Receperunt mercedem ſuam. In maris fluctibus maneat ſummerſus, qui de maris fluctibus bibit, quando enim non ſubmergitur nauis maris fluctibus plena? Illa fœliciter portum pertingit, in qua non de mari, ſed de cœlo bibitur, & viuitur.

§. XXXI.

Humana auaritia nullis terminis concluditur.

PRomiſſa fuerat ſæpe Iſraëlitis terra lacte, & melle manans, cuius promiſſionis adimpletionem perfectam Salomon obtinuit. Quid inde in terra promiſſionis adepta quieuit? Imò ait textus: *Claſſem quoque fecit Rex Salomon*, &c. Non contentus terra, & maria tentauit claſſibus exarare, ne quid eſſet in mundo auri, quod non traheret. Proh auaritia humana! Nullis terminis, nullis limitibus concludi gaudes. Multus eſt D. Ambroſ. lib. de
Elia cap. 19. in rem hanc? ait enim: *Quis vos homines nauigare compellit? Mare non ad nauigandum fecit Deus, ſed propter elementi pulchritudinem. Cautus pelagi ſadit æquora, certè vt freta includeret terras, ne longius iu vagus: & exul errares. Piſcibus dedit non hominibus perambulare ſemitas maris. Ad eſcam tibi mare datum eſt, non ad periculum. Cur tibi periculum generas de voluptate; Cur inquietas mundi altiora ſecreta? Cur tentas frequenter innoxia æquora; irritas procellas? O inexplebilis auaritia mercatorum?* Nullos veretur terminos auaritia, audet & ſuper tumentes maris fluctus ambulare, vt aliquod lucrum faciat. Inundationes maris vt lac ſugent, dummodo perueniant homines ad theſauros. Fallar, ſi quæ alia creatura auaro ſit effrænatior. Iſaias capite 23. auaris ho- Ambroſ.
minibus dicebat: *Erubeſce Sidon, ait mare.* Erant Sido- Iſai. 23.
nij auariſſimi mortalium, quibus mare ipſum ruborem infundere tentabat. Et vnde mare ruborem infunderet Sidoniis? Quia ipſorum auaritia maris fluctibus
effrænatior inueniebatur. Rem tractat D. Ambroſ. ſuprà Ambroſ.
fatens: *Erubeſce Sidon, dixit mare. Tanquam fatigati elementi vox iſta dicenda eſt: Erubeſce Sidon, hoc eſt, meos fluctus arguis, cùm ſis ipſe fluctibus inquietior. Verecundiores venti ſunt, quàm veſtræ cupiditates. Illi habent otia ſua; non quam veſtra quærendi ſtudia ſeriantur. Et cum otioſa ſunt nauigia. Verſatur vnda ſub remige, quæ quandoque quieſcit à flamine.* Citius & venti, & tempeſtates maris fluctibus parcunt, quam cupiditas auari, quæ nullo tempore deſinit maria nauibus grauare.

§. XXXII.

Auaritia in magnanimis largitatem æmulatur, vt in puſillanimis frugalitatem.

ECce tibi in Salomone amor quid faciat, nimirum: *Claſſem quoque fecit Rex Salomon*, &c. *Miſitque Hiram in claſſe illa ſeruos ſuos nauticos, & gnaros maris cum ſeruis Salomonis.* Claſſem non paruam nauium aggreditur Salomon in mare mittere pro trahendo auro; & in

claſſe

claſſe non ſolùm ſeruos ſuos alit, ſed & ſeruos Hiram. Et quis ignoret, quantum auri conſumitur, in conſtruenda, & ornanda claſſe, in nautis, & militibus ſuſtentandis, alendis?
Prouerb. 31. De muliere forti, & magnanima dicebat Prouerb. 31. *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem.* Nauis facta eſt non claſſis, quæ multis nauibus conſtat, in quibus nautæ plurimi, & milites, & duces. Et quando magnanima illa fœmina naui vna contenta eſt; cur Salomon amantiſſimus auri tantum auri inſumi gaudet, vt integram claſſem faciat pro acquirendo auro? Cur non magis tot ſumptibus auri parcit? Vt Salomon erat magnanimus, & cor habebat regale, non potuit auaritia in illo non aſſumere faciem largitatis contemnendo ſumptus auri, ſed pro maiori auri cumulo venando. Ecce tibi auariſſimi hominis verba
Luc. 12. apud Luc. c. 12. *Deſtruam horrea mea, & maiora faciam.* In deſtruendis horreis, & maioribus efficiendis ingentes erant ſumptus neceſſarij. Et vnde auariſſimus homo ad ingentes ſumptus faciendos animatur? Quis ab auaro animo grandiora ædificia aggredienda expectaret? Ne mireris, eſt enim auaritia, quæ ſciat largitatis mentiri faciem. Quando enim auaritia in magnanimum cadit, tum ingentes aggreditur ſumptus, & ipſum aurum videtur contemnere, & abiicere, ſed pro habendo maiori cumulo auri. Aiebat de quodam Herodis aulico Hegeſippus lib. 1. c. 41.
Hegeſipp. *Se immerſit in Iudæa vir, Lacon genere, Euricles nomine, nimis cupidus opum, ærimque pro negatio contemptor, vbi maiora potiundi ſpes refulgebat.* Quid pulchrius in rem præſentem? Et hic homo datur nimis cupidus opum, & ſimul illarum contemptor, & dilapidator, ſed vbi maiora potiundi ſpes erat. Sunt auariſſimi homines valde magnanimi, qui in ſumptibus faciendis, in profuſionibus pecuniarum videntur largiſſimos quoſque æmulari. Sic in magnanimis viris auaritia nouit largitatis mentiri faciem; vt in anguſtis, & puſillanimis cordibus ſobrietatis mentitur faciem. De illa enim canit Prudent. in Pſychomachia.

——Toruam faciem, ferialiaque arma
Exuit, inque habitum ſeſe transformat honeſtum.
Fit virtus ſpecie, vultuque & veſte ſeuera:
Quam memorant frugi, parcè cui viuere cordi eſt,
Et ſeruare ſuum, tamque nil raptet auarè,
Artis adumbrata meruit ceu ſedula laudem.
Quod rapere, & clepere eſt, auidèque abſcondere parta:
Natorum curam dulci ſub nomine iactat.

Sic in anguſtis animis auaritia induit faciem ſobrietatis, & prouidentiæ; quæ in magnanimis ſe tenebat ex parte largitatis, & magnificentiæ, dum ob maius lucrum largè ſpargit. Quot ego noui auariſſimos, & nihilominus & ſimul ingentium ſumptuum contemptores pro negotio vbi ſpes maioris lucri arridebat? Et quot vidi tenacitatis vitium ſobrietatis, & parcimoniæ ſpecie palliantes!

3. *Regum* 10. Claſſis Regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & ſimias, & pauos. Sed & claſſis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretioſas. Fecitque Rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus Regis, & citharas, *&c.*

§. XXXIII.

Nullum facinus non æmulatur, & patrat auri amator.

CVm auri, argenti, eboriſque diuitiis non otioſè ad Salomonem ſimiæ afferebantur, cùm dicit: *Deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & ſimias.* Cur enim tantum diuitiarum, tantum auri veniebat, ſimul ſimiæ veniebant, vt oſtenderetur quam futurus eſſet omnium facinoroſorum imitator, qui adeò aurum amabat. Dicebatur antiquitus Iulianus ille Imperator Apoſtata ſimia purpurata, teſte Cœlio Rhodigino, & crediderim hoc illi cognomen obueniſſe non alia ratione, niſi quòd Deorum, quos colebat, facinora & turpiſſimè, & ridiculiſſimè imitabatur. Et quod facinus a Diis gentium perpetratum eſt, ad quod non ferantur amatores auri? Dicebat Pſalm. 113. *Simulacra* Pſalm. 133.
gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Quid inde Statim addit: *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* Ecce tibi cum idolorum auro ſimul adiungitur conditio ſimiarum; vt qui aurum colant, & mores æmulentur eorum, qui coluntur in auro. Ex quo D. Zeno
lib. 1. ſerm. 15. ait: *Non eſt opus ire per ſingula, cum vno exempla* Zeno.
naſcantur vniuerſa eius mala, Propheta dicente: Idola gentium argentum, & aurum Vnde apparet eum qui diligit aurum, & argentum, non tantum Deos colere, ſed eorum mores, & actus imitari. Quippe vt aurum eſt in idolis gentium, ſic amatores ſuos imitatores, & ſimias facinorum a diis gentium patratorum facit. Et cuius facinus non imitetur auri amator? Omnium perditiſſimus, & flagitioſiſſimus Iudas venditurus pro argento Regem cœlorum, clamabat Matth. 25.
Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Obſtupeſcis Matth. 25.
perditi hominis facinus, scio, quòd ſi amas videre tanti facinoris ſimiam, quæ totum illud repræſentet factum, inuenies planè eam inter auaros, inter amatores auri. Crede mihi, qui poſt aurum abeunt, ſimiæ Iudæ ſunt, eius referentes & geſtus, & voces, & facinus. Ait Orig. hom. 35. in Mat-
thæum: *Opportunè hoc vteris exempla ad omnes, qui quodcumque* Origen.
peccatum facientes propter auaritiam, & cauſam pecuniarum, aut alicuius lucri Verbum Dei tradunt, & contemnunt. Nam huiuſmodi homines quaſi manifeſtè clamare videntur, & dicere virtutibus aduerſariis præſtantibus lucrum: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Planè quot amatores auri ſunt, tot ſimiæ præſentiſſimæ ſunt Iudæ, quæ eius & geſtus, & voces repræſentant & facinus. Nihilque inuenies in Iuda, quod ſimile auari homines quotidie non faciant.

§. XXXIV.

Inutilitas auri ad verum, & ſolidum hominis bonum ponderatur.

ITaque claſſis deferebat Salomoni, *aurum, argentum & dentes elephantorum, & ſimias.* Inter tot cumulos diuitiarum ſimiæ erant, & ſimiæ perſeuerabant, nec ab auro, neque ab argento, aut ebore, aut lapidibus, aut lignis pretioſis ſimiarum vilitatem exuebant, & in bonum aliquod commutabantur. Scitum illud ſemper eſt a Luciano prouerbialiter dictum, vt teſtatur Rhodiginus, nimirum: *Simia ſemper eſt ſimia, licèt aurea habeat ſymbola.* Crede mihi, nullo auro, nullis gazis ſimia ſuam obteget vilitatem. Si vilis es, ſi ridiculus, ſi fatuus, nihil tibi proderit totum mundi aurum, vt alius appareas. Ad hæc dicebat D. Greg. Nyſſen. hom. 4 in Eccle-
ſiaſten. *Fingamus ſimul repentè omnia facta eſſe aurea, terram, are-* Nyſſen.
nam, montes, campos, ſaltus, quid per hæc vitæ accedat ad beatitudinem? Ex eo eſt ne vlla ſpes, vt qui viuit tantam habens vim auri, ſit ſapiens, ingenioſus, ſcientia præditus, Deo charus, modeſtus, purus, impatibilis, cunctis quod ad vitium trahit expers, & minimè capax? At hoc quidem minimè; ſed vt ſit potens corpore, & vt vitam extendat in multa ſæcula, ſenio non confectus, & morbo minimè affectus, nullique calamitati obnoxius. Sed nemo eſt adeò ſtultus, vt hæc exiſtimet adeſſe hominibus, ſi in ſumma copia pecuniæ materia liberè omnibus perfundatur. Planè qui ſimia eſt etiam inter aurea ſymbola ſimia erit, hoc eſt, qui vilis, qui ridiculus, qui irrationalis, qui infirmus, qui imbecillis, etiam inter auri aceruos inuenietur talis. Pulchrè dicebat Eccleſiaſt.
c. 5. *Vbi multa ſunt opes, multi ſunt, qui comedunt eas. Et quid pro-* Eccl. 24
deſt poſſeſſori, niſi quod cernit diuitias oculis ſuis? Nulla alia vtilitas venit ad poſſeſſorem ex diuitiis, niſi quædam leuiſſima oculorum oblectatio. Quòd expendens D. Zeno lib. 1.
ſerm. 14. ait: *Vellem ſcire tamen, tanta auri rabies, quid voluptatis* Zeno.
habeat, ſuo cultori quid præſtet. Febrem non extinguit: morbos non diſcutit; vulneribus non medetur; dolores non tollit; mortem non repellit, niſi quòd ſanos occidit; nec manducatur aliquando, nec bibitur, nec in infernum cum ſuo prædone deſcendit. Solum quòd oculos infelices, inanémque conſcientiam ad hoc, in maligni fulgoris cupidinem, dira ſpe potiundi præcipitat, ne gratis homo videatur occiſus. A nullo te malo aurum liberat, nullum tibi

bonum acquirit, niſi vanum oculorum lenocinium, quo præcipitaris in ruinas.

§. XXXV.

Diuitiæ vt fugaciſſimæ.

AVro, argento, ebori, lapidibus pretioſis meritò pauones adiunguntur; afferebat enim Salomonis claſſis: *Aurum, argentum, dentes elephantorum, ſimias & pauos.* Meritò, inquam, tantis diuitiis pauus adiungitur, vt qui diuitiarum oſtendat volatilem fugam. Dicit enim de pauo Conſtantinus Manaſſes in Annal. Manaſſes. *Pulchritudinem ſuam oſtentabat pauus, alas habens aureas: lucebat coloribus multis; & aurum in plumis referebat.* Expende illud, *& aurum in plumis referebat*, meritò enim iuxta ingentem auri cumulum vehitur pauus, qui aurum referat, & oſtendat in plumis, ne ignorent auri poſſeſſores aurum volatile eſſe, ſed ſciant illud eſſe fugaciſſimum. Deploratis diuitibus obiiciebat Amos cap. 6. *Amos 6.* *Sicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici.* Vbi in rem præſentem legunt Septuag. *Reputauerunt quaſi ſtantia, & non quaſi fugientia.* Miſeri, & deplorati errores diuitiarum bona putabant ſtantia, illa autem neſciunt ſtare, neſciunt non fugere, neſciunt non auolare. Quocirca dicebat Chryſoſtomus hom. de nomine Abram: Chryſoſt. *Quid igitur diuitiis incertius, quæ tam crebrò transferuntur, & priuſquam rectè appareant, auolant, priuſquam adueniant, reſiliunt? Vnde & Propheta de talibus diſſerens dicit: Reputauerunt quaſi ſtantia, & non quaſi fugientia. Non dixit, quaſi prætereuntia, ſed quid multo minus, quaſi fugientia. Non enim paulatim recedunt, ſed mira celeritate.* Celerrimus proculdubio eſt diuitiarum volatus, vt fugiant: quod etiam animaduertebat circa ipſa verba D. Cyrill. Alex. fatus: Cyr. Alex. *Quod grauius eſt, huiuſmodi bona, vt firma, & conſtantia, non fugacia reputant. Vniuerſa namque illa prætereuolant, & mundana fallacia firmitudinis nihil habet.* Prætereuolant proculdubio diuitiæ, &, quod magis eſt, illarum alumni maiori celeritate coguntur in ruinam ire. Vt dicat Sophonias cap. 1. Sophon. 1. *Diſperierunt omnes inuoluti argento.* Quæ verba ſic meditatur Hieronym. Diuus Hieronymus ibi: *Non dixit: Peribunt omnes inuoluti argento, ſed iam nunc antequam veniat ſupplicij dies, in eo ipſo, quòd ſemper de theſauris ſuis cogitant, & ſeruiunt eis, perierunt.* Non eſt, cur expectetur de lectoribus auri futura perditio, adeò enim celer eorum ruina venit, vt ſemper appareat præterita. De hoc dictum eſt 2. tom. in Euangel. libro 9. capite 2. §. 5.

§. XXXVI.

Ea ſunt bona temporalia, quorum progreſſus nunquam non ſordidiſſimas fines habeant.

AFferebat equidem Salomonis claſſis *aurum, argentum, ſimias & pauos.* Diuitiarum enim triumphis antiqui Ethnici pauos adiungebant, vt in Iunonis curru. Nec id ſine omine erat, vt enim tota pauonis gloria in ſordidiſſimos pedes definit; ſic diuitiarum cumuli nunquam non ſordidos fines oſtendunt. Vide totam gloriam pauonis in auri, argenti, aliorúmque metallorum potentia Nabuchodonoſor oſtenſa. Ait illi Daniel cap. 2. *Ecce quaſi ſtatua vna grandis; ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te*, &c. *Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porrò venter, & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam fictilis.* Ecce tibi tota illa auri, argentive moles in quales pedes deſinat; nimirum, *pedum quædam pars erat ferrea; quædam fictilis*, erant equidem pedes ex parte fictiles, nimirum teſtacei, quorum etſi ferrum erat, ſed, vt dicit textus, *ferrum mixtum teſtæ ex luto.* Quid auro ſplendidius? Quid luto ſordidius? Crede mihi, imò crede experientiæ, tota auri, diuitiarúmve potentia ſordidos, & luteos pedes habet, neſcitque progredi, quin in ſordidiſſimos fines tranſeat. Sic auri, argenti, diuitiarúmque congregatori dicebat Habacuc cap. 2. *Habacuc. 2.* *Aggrauat contra te denſum lutum*; non enim eſt vllus diuitiarum amator, auri congeſtor, cuius pedes lutei non pateant, cuius greſſus, & fines non valde ſordeſcant. Ex quo monebat Diuus Iacobus in ſua canonica cap. 5. *Iacob 5.* *Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginauit.* Quantæ hæ ſordes diuitiis accidunt? Quod ſatis expertus fuit ille purpuratus diues qui Luc 16. *Luc. 16.* *Sepultus fuit in inferno.* Vnde Diuus Auguſtinus ſerm 62. de tempore clamat: Auguſt. *Cogitate fratres chariſſimi, vbi ſunt Reges, vbi potentes. Ecce quomodo de tanta potentia, tanta prouenit miſeria: de tantis diuitiis, tot inopia: de tantis ſaturitatibus, tanta fames: de tam leui delectatione, tam longa infirmitas: de tam breui luce, tam longa tenebræ, de veſtimentorum abundantia, tanta nuditas.* Qui ſordidiores in diuitiis excogitari poſſunt? Teſtacei, & lutulenti ſunt diuitibus pedes, vt qui ſemper finiant in miſeriis. Feliciores pauperes Chriſti, qui auro, & argento vale dixerunt, de illis ait Iſaias 52. relatus à Paulo ad Romanos 10. *Iſai. 52.* *Quàm pulchri pedes euangelizantium pacem.* Vbi Theodoretus. Theodor. *Eorum pedes ſpecioſos appellat, vt qui pulchrum curſum peragant, vt qui à dominicis ſint abluti manibus.* Non a bonis temporalibus, ſed à Dei manibus fiunt pulchri, & ſpecioſi pedes, qui immaculatum ſemper curſum teneant.

§. XXXVIII.

Diuitiæ ducunt hominem in mollem luxum.

AVrum, argentum, & pretioſos lapillos afferebat claſſis Salomoni, imò etiã afferebat pretioſa ligna. Et quid Salomoni? De lignis *fecit citharas, & lyras cantoribus.* Nec aliud expectarim de tãto auro, de tantis delitiis, niſi vt hominẽ impellerent in cytharas, & lyras, à diuitiis enim præcipitari homo ſolet in luxum. Huc ſpectabat Eccl. c. 2. *Eccleſ. 2.* *Coaceruaui mihi argentum, & aurũ, & ſubſtantias Regũ, & prouinciarũ. Feci mihi cantores, & cantatrices.* Vbi auro impletus eſt, ſtatim ad luxus tranſit. Vt dicat D. Nyſſen. ibi: Nyſſen. *Auri, & argenti copiæ addit turpitudinem, quæ morbum, qui prius inuaſerat, ſolet deinde conſequi. Feci, inquit, cantores, & cantatrices, quæ conuiuiorum ſunt deliciæ. Sufficit mentio nominum ad deſcribendum vitium, ad quod etiam ducunt morbus, qui oritur ex copia pecuniæ. O improbum, & importunum artificium, quàm diuerſum aceruatim immittit voluptatum fluentum!* Sic de auro itur ad citharas, ad luxum, & laſciuiam.

CAPVT XIII.

Deus ſecundò apparet Salomoni.

TEXTVS HISTORIA.

ABSOLVTA templi dedicatione, Deus ſecundò Salomoni apparet, quieſcenti iam in Regia peracta. Cuius apparitionis ſcopum non obſcurè aperit diuinum oraculum, ſed ad quatuor illum manifeſtè reducit capita. In primo Regis deprecationes exauditas oſtendit, & ſe exorabilem fore aſſerit ad afflicti populi preces, quando is, ob peccata à Deo caſtigatus, fuerit deprecatus. Tunc magnificum illud templum ſibi gratè acceptum fatetur Dominus, & in illo aſſerit ſe moraturum, & quidem in perpetuum. Tertio ſuggerit ſeruandæ legis conditionem & a Rege, & a populo, vt regnum in domo Dauid ſolidetur, & populus beata pace ſub Dei protectione frui poſſit. Tandem ſeuerè proteſtatur, ea conditione violata, omnia peſſum ruitura, templum quippe, & populum à Deo derelictum, & abiectum iri, & vtrumque exemplo ſummæ calamitatis omni poſteritati futurum.

MORALIA

MORALIA IN TEXTVS litteram.

IN fine operum, & ædificiorum Salomonis illi adeſt Deus ſecundò; rarò enim in fine adeſt alicui, cui non adfuerit primò in principio.

3. *Regum* 9. Factum eſt autem, cùm perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini, & ædificium Regis, & omne quod optauerat, & voluerat facere, apparuit ei Dominus ſecundò, ſicut apparuerat in Gabaon. Dixitque Dominus ad eum: Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, qua deprecatus es: ſanctificaui domum hanc, *&c.*

§. I.

Ad Euchariſtiæ frequentiam magna puritas neceſſaria.

ILlud adhuc in Salomone exiſtentis ſanctitatis, & puritatis indicium eſt, quòd ad illum nunc ſecundò diuerterit Deus. Ait enim, *Apparuit ei Dominus ſecundò.* Et quis neget magnæ, & immaculatæ ſanctitatis eſſe, qui ſecundò ad ſe Deum trahere meruerit? Dicebat Lucas cap. 11. *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum.* Quæ verba referuntur
Luc. 11. ab Eccleſia, pro die in quo Ieſus ad matrem venit, vt eam aſſumeret in cœlum. Et cur non magis dicta ſunt illa verba pro die, in quo filius Dei ad matrem venit incarnandus in eius viſceribus? Nonne clariùs tunc oſtenditur intraſſe in caſtellum virgineum? Cur maluit Eccleſia illis verbis non ſpectare ingreſſum Dei in Mariæ viſcera; ſed acceſſum eius ad eamdem, vt illam raperet ad cœleſtia? Ad Mariæ maiorem ſanctitatem oſtendendam faciebat, quòd ſecundus ille & ſingularis Dei ad matrem acceſſus exprimeretur. Accipite Guerricum Abbatem
Guerric. ſerm. 1. de Aſſumpt. Mariæ ſantem: *Veni electa mea, ponam in te thronum meum. Conſtituiſti paruulum in gremio, contineb is immenſum in animo. Fuiſti diuerſorium peregrinantis, eris palatium regnantis. O fili Dei, nihil tibi, nihil in illo tuo diſplicuit hoſpitio, quod tam libenter repetit, tam affluenter remunerat tua dignatio.* Expende illa, *quod tam libenter repetit tua dignatio;* equidem inde hoſpitium oſtenditur gratum hoſpiti eſſe, ſi ab illo repetitur. Nemo recurrit libens ad illud hoſpitium, quod non placuit, nec placet. Ex quo ergo oſtenditur Deus veniſſe iterum ad Mariam, eiúſque hoſpitium repetiuiſſe, clariſſimè oſtenditur, quàm immaculatum, & quàm gratum illud extitiſſet. Planè, qui ad ſe trahere Deum amat non ſemel, ſed & ſecundò, magnæ debet eſſe puritatis, & virtutis. Venit forſan Deus ſemel ad indignum, at vt aduentum libens repetat, magna requiritur puritas, & non paruum obſequium, & officium. Ioan. 12.
Ioan. 12. dicebat: *Ieſus ergo ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha miniſtrabat, Lazarus verò vnus erat ex diſcumbentibus cum eo.* Multi diſcumbebant cum Ieſu, & ſolius Lazari meminit Euangeliſta, dicens: *Lazarus vnus erat ex diſcumbentibus cum eo.* Cur non alios nominas? Cur vnius Lazari meminiſti? Faciebat hoc ad maximam commendationem Lazari, cui ſecundò iam aderat Chriſtus. Primò enim Ieſus aderat Lazaro mortuo, & ſepulto, qui ſic Ieſu verba audiens ſtatim in vitam reſiliuit. Huius autem non parua oſtendebatur dignitas, in eo, quòd iterum oſtenderetur ſecum habere Chriſtum. Quò ſpectans
Ambroſ. D. Ambroſius lib. 2. de Pœnit. cap. 7. ait: *Reuiſit ſollicitè Ieſus reſuſcitatum, & celebratæ reſurrectionis gratia lætus ad cœnam venit, quam ei ſua præparauit Eccleſia, in qua ille, qui fuerat mortuus, vnus inter diſcumbentes inuenitur.* Non mortuum, non exanimem, ſed reſuſcitatum lætus reuiſit Dominus; nouæ enim & præſtantis vitæ obſequia referre debet, qui amat ad ſe Deum libenter ſecundò venire. Vt hinc videant, qua florere vita debent, qui non ſemel frequentant Euchariſtiam.

§. II.

Virtutum opera vſque ad vltimam perfectionem deducenda.

APparuit ſecundò Deus Salomoni, ſed quando ipſe omnia perfecerat opera ſua. Quippe ait: *Cum perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini, & ædificium Regis, & omne, quod optauerat, & voluerat facere, apparuit ei Dominus,* &c. Tunc apparet Dominus, cùm vltimam perfectionem ſuis ædificiis Salomon impoſuerat; ſunt enim Deo grata opera virtutum, quæ deducuntur vſque ad perfectionem vltimam. Aiebat Iacob in ſua canon. cap. 5. *Sufferentiam* Iacob. 5.
Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator. De Iobi paſſione locutus ſolùm ait: *Sufferentiam Iob vidiſtis;* de paſſione autem Domini ait: *Finem Domini vidiſtis,* ex quo maximè extollit Dominum eius miſerationes cantans. Et cur ſic extollit paſſionem Domini ſupra paſſionem Iob? Nonne Iob paſſio & diuturnior fuit, & prolixior, & inde & ex multitudine malorum grauior? In quo ergo paſſio Domini paſſionem Iob maximè ſuperauit? Explicat Iacobus illis verbis: *Finem Domini;* quippe paſſionem ſuam non vſque in finem deduxit Iob; Ieſus autem totam paſſionis vim impleuit, & deduxit vſque ad vltimum halitum, quin vlteriùs illi aliquid poſſit addi. Ad hæc dicebat Guerricus Abbas ſerm. 3. in Ramis Pal. *Sufferentia Iob fuit vſque ad reditum* Guerric.
ſubſtantiæ, ſufferentia Domini vſque ad exitum vitæ. Iob quidem patienter damna ſuſtinuit, ſed mox in terra ſua duplicia ſuſcepit. Chriſtus vt erat repletus miſeriis, & inebriatus amaritudinibus, è mundo migrauit. Itaque pluſquam Iob hic, qui de ſummo repente ſemelque deiectus fœlicitate in extrema, atque grauiſſima ſinem ſortitus eſt calamitate. Hoc magnum eſt, ac maximè Chriſtianum, quòd virtutum opera vſque ad vltimum deducamus. Quæ cœpimus opera virtutum, non dimittenda ſunt, vſque dum ea ſic ad vltimum deducamus, vt cum vita ipſa videantur peracta. Sitiuit in cruce Dominus, & tamen appoſitum in ſpongia potum, Matth. 27.
cum guſtaſſet, noluit bibere. Et cur Domine à potu abſtines, *Matth.* 27.
cum te ardentiſſima excruciat ſitis? Aſſumpſerat in cœna vltima hanc abſtinentiam, dicens Matth. 26. *Non bibam* *Matth.* 26.
à modo de hoc genimine vitis, &c. Quod abſtinentiæ propoſitum ſic ad vltimum deduxit, vt cum vita ſimul vltimam perfectionem illi impoſuerit. Inde S. Fructuoſus Epiſcopus Terracon. interimendus pro Chriſto in die ieiunij, cùm ſitiret, noluit bibere, nequid deeſſet perfectionis ſuo ieiunio. De quo canit Pruden. in Hymno.

Quoſdam de populo videt ſacerdos Prudent.
Libandum ſibi poculum offerentes.
Ieiunamus, ait, recuſo potum.
Nondum nona diem reſignat hora,
Nunquam conuiolabo ius dicatum,
Nec mors ipſa meum ſacrum reſoluet.
Sic Chriſtus ſitiens crucis ſub hora
Oblatum ſibi poculum recuſans,
Nec libare volens ſitim peregit.

Expende illud, *ſitim peregit,* non ſitis ſuſtinentiam aſſumptam aut in principio, aut in medio abrupit, ſed totam peregit ſitim, eius ſuſtinentiam deducens vſque ad vltimum. Vtinam ſic omnes peragamus opera virtutum, vt illas nec in medio relinquamus, ſed ducamus ad vltimum. De Ioſue validiſſimo duce locutus text. cap. 10. vt quinque Reges deuicerat, ait: *Percuſſitque Ioſue, & inter-* Ioſue 10.
fecit eos, atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites, fueruntque ſuſpenſi vſque ad veſperum. Ecce tibi plenitudo victoriæ peracta à Ieſu Naue, quòd deuicti Reges permaneant in cruce vſque ad veſperum. Sic ſic noſtra coronantur facinora, ſi peragamus ea, ſi deducamus vſque in finem. Ait Guerricus Abbas ſerm. 2. in Ramis Pal. *Ieſus autem noſter, qui* Guerric.
nos in terram promiſſionis introducturus eſt, vitia quinque ſenſuum in nobis crucifiget, imò & extinguet: ſi tamen ſicut eſt iuſſum

peadeamus

pendeamus in patibulis vſque ad veſperum. Huius enim perſeuerantiæ in cruce Saluator de ſe ipſo ſibi iuuauit exemplum præbere, nolens conſummare niſi in cruce ante veſperam tam diei, quàm vitæ ſuæ. Sic ibi: vt nihil in nobis ſit virtutis, quod non docamus ad vltimum. Matthæi 14. cœperat Petrus ambulare ſuper aquas, vt veniret ad Ieſum, medio itinere territus

Matth. 14. ſubmergebatur, & clamauit: *Domine ſaluum me fac?* Saluari petebat, ſed quomodo ſaluaretur? An ſi relicto itinere cœpto in nauim reduceretur? Abſit, imò dum ſaluari petebat, in eo futura erat ſalus, quòd perficeret

Zeno. iter cœptum. Ait D. Zeno ſerm. de Iona. *Petrus impetrauit à Domino, vt profundi maris lubricos ſinus, quibus viator trepidus abſorbebatur, & perambularet pariter, & euaderet.* Expende illa, *perambularet pariter & euaderet.* In eo euaſio ponebatur, quòd iter cœptum perambularet, & ad vltimum deduceret.

§. III.

Dei cura ſingularis, & præcipua, non temporalia, ſed ſpiritualia reſpicit.

QVanta hæc cura Dei pro Salomonis templo? *Sanctificaui*, inquit, *domum hanc, quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Et quis credat tantam Dei oculorum attentionem fuiſſe pro lapideis illis parietibus templi? Siccine Deus vigilabat, & excubabat pro illo templo materiali ſeruando? Nunquid cura eſt de lapidibus, ligniſve Deo? Equidem non ſic de illo temporali templo curabat, vt de templo noſtro ſpirituali. Dicit enim meritò Lactant. lib. 5. c. 8. *Dei templum eſt, non lapides, aut lutum: ſed homo ipſe, qui figuram Dei geſtat. Quod templum non auro, & gemmarum donis, ſed æternis virtutum muneribus ornatur.* Et quidem vbi Dei ſingulares vigiliæ, aut curæ audiuntur attendere ad aliquod, ne putes id eſſe tam pro temporali, quàm pro noſtro bono ſpirituali. Cauebat lex Deuter. 25.

Deut. 25. *Non ligabis os bouis terentis*, &c. Quæ verba ponderans

1. Cor. 9. Paulus 1. ad Cor. 9. ait: *Scriptum eſt in lege Moyſi: Non alligabis os bouis trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? An non propter nos vtique dicit?* Equidem licèt Dei verba, & cura videatur ad boues tendere, vbi peculiaris, & præcipua oſtenditur, non putanda eſt eſſe pro temporalibus, ſed

Origen. pro ſpiritualibus. Ait Orig. lib. 2. Periarch. c. 4. *Deo cura erat non boum, ſed Apoſtolorum, qui Chriſti Euangelium prædicabant.* Planè vna & ſingularis, & præcipua cura Dei pro ſpiritualibus eſt, non pro temporalibus. De Balaam di-

Num. 24. cit Num. 24. *Cùm vidiſſet Balaam, quòd placeret Domino, vt benediceret Iſraël, nequaquam abiit vt antea perrexerat, vt augurium quæreret.* Diuinus iſte quæſitus, vt malediceret Iſrael, antequam malediceret, quærebat auguria ex viſa diſpoſitione viſcerum animalium. Modò autem coactus à Deo non maledicere, ſed benedicere, non amplius iuit ad animalium viſcera. Et cur modò non ex viſceribus animalium quærit auſpicia? Vt à Deo illuminatus erat pro benedictione impertienda ſpirituali Iſraeli, ſimul dicit præcipuam Dei curam non de his temporalibus inueſtigandam, ſed magis de ſpiritualibus. Ait Orig. hom. 17. ibi:

Origen. *Non enim more ſolito ſtultus, & inanibus ſenſibus rapietur, vt in animalibus mutis, & pecudibus Dei conſiderent voluntatem; ſed agnoſcet etiam ipſe, quia neque de bobus cura eſt Deo, ſimiliter neque de ouibus, neque de auibus, aliiſque animalibus, ſed ſi quæ de his ſcripta ſunt, propter homines intelliget ſcripta.* Vnam ſuorum ſpiritualem ſalutem Deus ſpectat in ſuis præcipuis & ſingularibus curis, & vigiliis, reliqua relinquere ſolet prouidentiæ communi.

§. IV.

Non tam in externis parietibus, quàm in internis noſtris animis ſanctificandus eſt Deus.

MAgnum hoc dicit Deus: *Sanctificaui domum hanc*, &c. Sed longè maius illud, quod iubemur petere

Matth. 5. Matth. 5. nimirum: *Sanctificetur nomen tuum*; hoc eſt, vt ait D. Nyſſen. lib. de orat. Dom. cap. 3. *Caput bonorum eſt ſi per* Nyſſen.

meam vitam nomen Dei ſanctificetur. Illud bonum eſt, quod templa externa de Dei nomine ſanctificentur; hoc autem caput omnium bonorum eſt, quòd Dei nomen in nobis per bonam noſtram vitam ſanctificetur. Quò ſpectans Lactant. lib. de Ira Dei cap. vlt. ait: *Sit nobis Deus non in* Lactant.

templis, ſed in corde noſtro conſecratus. Deſtructibilia ſunt omnia quæ manu fiunt. Mundemus hoc templum, quod non fumo, non puluere, ſed malis cogitationibus ſordidatur, quod non cereis ardentibus, ſed claritate, & luce ſapientiæ illuminatur. Expende illud: *In corde noſtro conſecratus*; quippe hoc magis nobis procurandum eſt, quòd Deus in noſtris cordibus conſecretur, ſanctificetur per bonam vitam noſtram, per noſtra opera ſancta. Monebat Paul. Actor. 17. Athenienſes:

Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli, & terræ cùm ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur. In quo ergo colitur? Ait Actor. 17.

Minutius Fælix in Octauio: *Nonne meliùs dedicandus* Minus Fæl.

eſt mente? In noſtro immo conſecrandus eſt pectore? Hoſtias, & victimas Domino offeram, quas in vſum mei protulit, vt reiiciam ei ſuum munus? Ingratum eſt, cum ſit litabilis hoſtia, bonus animus, & pura mens, & ſincera ſententia. Igitur qui innocentiam colit, Domino ſupplicat; qui iuſtitiam Deo libat, qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum, qui hominem periculo ſurripit, optimam victimam cædit. Hæc noſtra ſacrificia, hæc Dei ſacra ſunt: ſic apud nos religioſior eſt ille, qui iuſtior. Piaculum fuiſſet, vel verbulum prætermiſſe: ſapientiſſimè enim oſtendit author, quam melius ſit templum noſtris in cordibus, quàm meliora ſint ſacrificia in virtutibus animæ, quibus Dei nomen ſanctificamus.

3\. *Regum* 9. Tu quoque ſi ambulaueris coram me, ſicut ambulauit pater tuus in ſimplicitate cordis, & in æquitate, & feceris omnia, quæ præcepi tibi, & legitima mea, & iudicia mea ſeruaueris, ponam thronum regni tui ſuper Iſraël in ſempiternum, ſicut locutus ſum Dauid patri tuo, dicens, *&c.*

§. V.

Non tam in ambitioſo cultus ornatu, quàm in puritate intentionis, ſibi Deus complacet.

QVis neſciat magificum Salomonis templum eiúſque opulentiſſimum ornatum? Poſt hoc tamen perfectum, & dedicatum opus, ait Dominus Salomoni: *Tu quoque ſi ambulaueris coram me in ſimplicitate cordis*, &c. *ponam thronum regni tui*, &c. Non templi ædificati meminit, non ambitioſam templi ſupellectilem accenſet oblatam memorat, vt illi regni diuturnitatem adſcribat, ſed totus recurrit ad cordis ſimplicitatem quærendam, dum ait: *Si ambulaueris coram me in ſimplicitate cordis.* Deus enim non tam quærit à nobis ambitioſum cultus ornatum, quàm ſimplicitatem cordis, id eſt, intentionis puritatem. Multa cantauerant Prophetæ de glorioſo funere, & ſepulchro Saluatoris; qui enim vt pauper, & vilis mortuus eſt, more diuitum, & Imperatorum, pretioſis delibutus vnguentis, & nobilium pompa portatus in nouo, & magnifico ſepulchro deponitur. Cuius obſequij Ieſu præſtiti narrationem aggreſſus Ioan. cap. 19. ait: *Venit autem Nicodemus,* Ioan. 19.

qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu, &c. Vt primum nocte venerat Nicodemus ad Ieſum, ſic modò nocte venit ad tractandam ſepulturam eius. Et quando tam glorioſum funus procuratur Ieſu, cur illud procuratur nocte? Nonne magis pompa luceret medio Sole? Cur maluit Deus prouidere totam hanc ſepulchri ambitionem mediis tenebris, quam claro, & lucenti die? Pulchrè D. Aug. ſerm. 110. de temp. ait: *Nicodemus de nocte venit propter* Auguſt.

metum Iudæorum. Simplicitas enim quæritur, non ambitio deſideratur. Non ſic quærebatur à Deo ambitioſus hoc eſt, glorioſus ſepulchri cultus, in myrrha, & pretioſis vnguentis, vt

ſimplicitas

ſimplicitas animi in offerentibus quærebatur, quæ nihil aliud ſpectaret, quàm Deum. Hæc erat ſimplicitas in Macedonibus ſuper omnes diuitias grata Deo. De quibus dicebat Paulus ad Corinthios 2. cap. 8. *Altiſſima paupertas illorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum.* Propter Deum vſque ad vltimum extremum depauperati ea ſimplicitate offerebant Deo, quod habebant, quæ ſuper diuitias omnes eſſet. Et quæ hæc ſimplicitas eorum inſtar diuitiarum erat? Nimirum purus animus, qui vnum in oblationibus ſuis Deum aſpiciebat. Ait Diuus Ambroſius ibi: *Cùm tenues eſſent ſubſtantia facultatum, animus ipſorum diues inuentus eſt in miniſterio Sanctorum: pura enim conſcientia operati ſunt, non vt hominibus, ſed vt Deo placerent.* Ecce tibi ſimplicitas ſuper omnes diuitias amabilis Deo, nimirum puritas animi, qui vnum Deum in ſuis obſequiis ſpectat. Hanc præ omnibus aliis ſpectat ipſe Deus. Exodi 25. ait Dominus: *Loquere ad filios Iſrael, vt tollant mihi primitias. Ab omni homine, qui affert vltroneus, accipietis eas. Hæc ſunt autem quæ accipere debetis: Aurum, argentum, &c.* Primitiæ in fructibus terræ inueniebantur; auri, & argenti non erant primitiæ, ſed quodcumque aurum, vel argentum poterat offerri. Quas ergo primitias Deus in auro, & argento ſpectat, adeò, vt non tam aurum, quàm eius primitias petat? In oblatione auri primitiæ cenſentur ſimplex, & purus animus offerentis, qui oculos hominum non attendat, ſed vnius oculos attendat Dei. Hæc ſimplicitas prima, & præcipua eſt, vt à Deo æſtimetur. Ad hæc Rupertus ibi: *Quidquid boni, ſiue corporale, ſiue ſpirituale ſit, ſi idcirco facimus coram hominibus, vt videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum, qui in cælis eſt, primitiuum eſt, & primitiuorum acceptor Deus ſuſcipi iubet. Econtra ſi quis faciat coram hominibus ad hoc tantum vt videatur ab eis, nullam ſibi in tabernaculo Dei collocat memoriam.* Sic pura & ſimplex intentio prima eſt, quæ ſupra omnes diuitias reſpicitur à Deo.

2. Cor. 8.

Ambroſ.

Exod. 25.

Rupert.

§. VI.

Larga dona exhibita Deo minimè afferant licentiam peccandi.

ÆDificatori ampliſſimi templi, donatori ingentis theſauri pro cultu diuino ampliando, dicit Deus: *Si ambulaueris coram me in ſimplicitate cordis.* Et cum tantarum opum donatore agit Deus de ſola cordis ſimplicitate. Cur Domine ab eo ſimplicitatem cordis petis, qui dedit templo tuo tot theſauros? Diuinè in tantorum theſaurorum datore curat Deus, vt ſimplicitas ſit, hoc eſt, tanta animi puritas, & ſinceritas, quæ ab omni malitia longiſſimè abſit: nec à largitionibus exhibitis licentiam peccandi afferat. Quod in Macedonibus extollebat Paulus 2. ad Corinthios 12. fatus: *Altiſſima paupertas illorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum.* Planè Macedones etſi propter Deum pauperes facti erant, ſic eleemoſynas largiebantur, vt ditiſſimi, & abundantiſſimi viderentur. Ea tamen eorum abundantiſſima largitas erat in magna animi ſimplicitate. Et qualis hæc ſimplicitas in tanta largitate? Pulchrè Diuus Bruno ibi ait: *Licèt pauperes eſſent in habendo, diuites tamen erant in adminiſtrando eleemoſynam. In diuitias dico ſimplicitatis eorum. In ſimplicitate enim dabant, non putantes ſe propterea liberiùs poſſe peccare.* Largæ erant donationes Macedonum pro Deo; ſed hoc erat in illis præſtantius, quod inde minimè ſumebant licentiam peccandi. Ex quo dicebat Diuus Gregorius Magnus in 3. Paſtor admonit. 21. *Admonendi ſunt etiam, qui iam ſua miſericorditer largiuntur, vt ſollicitè cuſtodire ſtudeant, ne cùm commiſſa peccata eleemoſynis redimunt, adhuc redimenda committant. Ne venalem Dei iuſtitiam æſtiment; ſi cùm curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur ſe poſſe inultè peccare.* Equidem qui ſic datis, effuſiſve opibus pro Deo confidunt, vt licenter peccent, iuſtitiam Dei venalem æſtimant, quæ conniuere debeat ad peccata largitorum, ne inde acquiſita perdat lucella.

2. Cor. 12.

Bruno.

Gregorius Magn.

§. VII.

Nihil ſic Deus æſtimat, quàm id, quod vel poteſt præſtari à pauperrimo.

POſt perfectum, & ditatum, & dedicatum templum agit Deus familiariter cum Salomone, & diſſimulatis templi diuitiis ab illo acceptis, id ſolum ab illo requirit, quod ait textus, nimirum: *Si ambulaueris coram me in ſimplicitate cordis, & in æquitate, & feceris omnia, quæ præcepi,* &c. Et cur magis hæc ſpectat Deus in Salomone pro firmando eius regno, quàm ingentes diuitias ab illo in fabricam templi acceptas? Cur non magis ait: Quia fecisti templum, quia immenſas diuitias conſumpſiſti in eo? Cur prætermiſſis iis, ad ſolam cordis ſimplicitatem, & æquitatem, & obedientiam reſpicit? Simplicitas cordis, æquitas, præceptorum obedientia, vel à pauperrimo homuncione præſtari poſſunt. Deus autem illa magis amat & æſtimat, quæ poſſunt præſtari vel à pauperrimo. Exod. 25. dicebat Dominus Moyſi: *Loquere filiis Iſrael, vt tollant mihi primitias ab omni homine, qui offert vltroneus, accipietis eas. Hæc ſunt autem, quæ accipere debetis, aurum, & argentum,* &c. Quæ verba ſic ab Origen. leguntur homil. 13. in Exod. *Sumite à vobis ipſis redemptionem Domino, omnis, qui concepit corde, offerat initio Domino.* In quibus duo ſunt ponderanda; & quòd aurum ſibi offerri petit, & quòd dicat hoc aurum offerendum a ſe ipſis, quod conceptum fuit corde. Et quando aurum petitur offerendum; quod aurum à noſtris eripimus præcordiis? Quod aurum erui poteſt à corde. Crediderim non tam a Deo peti aurum commune, quod à potentibus mundi poſſidetur, quam aurum aliud virtutum internarum, quod vel pauperrimus quiſque præſtare poteſt. Accipite Origenem ſancte inprà: *Si credideris in corde tuo, cor tuum, & ſenſus tuus aurum eſt. Obtuliſti ergo aurum ad tabernaculum, id eſt, fidem cordis tui. Si verò confeſſus fueris, ſermonem obtuliſti, ſermonem confeſſionis argentum. Idcirco ergo dicit Moyſes, qui eſt lex ſpiritualis, ſumite à vobis ipſis. Hæc à te ipſo ſumis, hæc intra te ſunt, hæc etiam ſi nudus ſis, habere potes.* Expende illa: *Hæc etiam ſi nudus ſis, habere potes;* commune aurum eſt apud potentiſſimos, in illóque operari tantùm poſſunt, qui diuites ſunt, ideo Deus aliud magis aurum ſpectat, nimirum aurum fidei, ſiue charitatis, ſiue aliarum virtutum, quas vel nudi, & pauperes reddere poſſunt. Hoc aurum ſibi in primis charum habet Dominus, hoc ſibi magis amat dari, non tam illud, quod ſoli diuites, & opulenti offerunt. Quod aurum, quæ temporales opes apud Deum vix excedunt fœni æſtimationem. Quò ſpectans Pſal. 128. ait: *Fiant tanquam fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit. De quo non impleuit manum ſuam, qui metit, nec ſinum ſuum, qui manipulos colligit.* Duo ſunt miniſtrorum genera in ſegete, & meſſores, & collectores manipulorum. Meſſor manum mittit ad meſſem, & quam meſſem manu apprehendere poteſt, hanc ſolam ſemel metit. Collector autem, vt in ſinu, non in ſola manu recipit, ſic integros manipulos colligit. In bonis autem temporalibus nec meſſor habet, vnde manum impleat, nec ſinus collectoris vnde manipulos colligat. Spectandum ergo eſt ad æterna, & ſpiritualia bona, quibus ſolis & manus, & ſinus impleri poſſunt. Sed in ſpiritualibus quis eſt meſſor, & quis in ſinu manipulos colligit? Meſſorem agit manus operantis externa opera in cultu diuino, ſiue in largitionibus, ſiue in aliis virtutibus externis: collectorem autem in ſinu agit animus internus operantis. Et mirandum eſt, quòd meſſor, hoc eſt, manus operantis externa, tunc munere ſuo functa creditur, cùm ipſa impletur, nec habet amplius, quàm id quod colligere manus poteſt, quod minimè manipulum implet. Verùm collectoris ſinus, hoc eſt, operantis animus longè capacior eſt, vt integros manipulos colligat, ſæpè enim animus collectoris gratior fit Deo, & maiores ex illo gratias colligit. Ait Diuus Zeno Pſalm. 128. *Plus eſt ſinu colligere, quàm manum implere. Et quidem qui manum replent, fructum recipere rectè geſtorum videntur; quia in manibus ſermo diuinus opera ſignificat. In ſinu verò conſcientia, & fidei, & perfectæ voluntatis demonſtratur affectus: plus enim metit conſcientia, quàm geſta. Hæc enim manum replent; manipulos verò ita colligit. Duos denarios viduæ inopis acceptiores Dominus habet copioſis diuitum nummis; tanto*

Exod. 25.

Origen.

Pſalm. 128.

Zeno.

præſtat

Digitized by Google

praſtat operibus voluntas ; & opere manus implentur , ſed ſinus manipolis ſunt capaces. Quid pulchius ? Quantum diſtat ſinus à manu in capacitate recipiendi ; tantum diſtat internus animus ab opere externo. Manus nunquam poteſt capere manipolum , etiam cùm tota impleta eſt , opus externum ex ſe paruum meritum habet apud Deum ; animus verò internus etiam in paruo opere hominis imbecillis , & pauperrimi integras poteſt capere gratiæ , & meriti meſſes. Ideo Deus hunc magis ſpectat.

3. *Regum* 9. Si autem auerſione auerſi fueritis vos , & filij veſtri , non ſequentes me , nec cuſtodientes mandata mea ; & ceremonias meas , quas propoſui vobis , ſed abieritis , & colueritis deos alienos , & adoraueritis eos ; auferam Iſraël de ſuperficie terræ , quam dedi eis , & templum quod ſanctificaui nomini meo , proiiciam à conſpectu meo , eritque Iſraël in prouerbium , *&c.*

§. VIII.

Labores validiſſimi vt homines reducant ad Deum.

AVdio Iſraelem peccatorem reiiciendum, imò & templum ipſum deiiciendum , dicente textu : *Auferam Iſrael de ſuperficie terra , & templum proiiciam* , &c. Nec tamen addit , quòd repulſa illa , ſiue proiectio durabit in æternum. Quando iuſto, & pio Regi præmium offerebat, dicit paulo ſuperiùs : *Ponam thronum regni tui ſuper Iſrael in ſempiternum.* Donum in ſempiternum duraturum aſſerit, de ſupplicio reiectionis , & deiectionis non aſſerit , quod in æternum duraturum ſit. Equidem meritò , nam vbi tanta infertur deiectio miſeris peccatoribus , ipſius deiectionis laboribus confracti vigilabunt , & ad Dominum Deum ſuum reuertentur. Pulcheè enim ait Hierem. Threnor. 3. *Quia non repellet in ſempiternum Dominus. Quia ſi abiecit , & miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum. Non enim humiliauit ex corde ſuo , & abiecit filios hominum.* Non equidem repulſa , & humiliatio quæ à Deo in nos venit , ex ſe æterna eſt , & quare ex ſe non eſt æterna ? Quia eo ipſo quòd humiliatio , & repulſa à Deo eſt , vim habet nos erudiendi , & ad Deum reducendi. Vt dicat ibi Rupert. lib. 1. in Hier. cap. 69. *Ex corde ſuo non humiliauit , non totum ex ira prodiit , quod humiliauit , vel abiecit , ſed vtiliter laboribus nos erudit , ſicut ſcriptum eſt : Fagellat omnem filium , quem recipit.* Humiliatio , & repulſa , quæ a Deo in nos venit , non tota ad iram pertinet , ſed qua parte laborem infert , vtilis nobis eſt , erudit enim , & facit ad Deum contendere. Nota fuit ira Dei, quæ mundum diluuio perdidit , & dum omnes internecioni tradit , dicit ad Noemum Geneſ. 7. *Ingredere tu , & omnis domus tua in arcam.* Sic omnibus perditis in arcæ obſcuro octo animas ſeruat. Ad quid hi octo ſeruantur ? Cur ſimul & hos non perdit , alióſque nouiter creat, qui repleant terram , funditus eradicato peſſimorum parentum ſemine ? Maluit oſtendere , quid labores , & pericula , & ærumnæ valerent , quando idem hominum ſemen , quod in deliciis deſipuit , & repulſum fuit à Deo , poſtea laboribus fractum , & caſtigatum eo peruenit , vt Deo arctiſſimè in Chriſto vniretur. Aiebat D. Proſper in opuſc. de Prouidentia Dei.

Thren. 3. — Rupert. — Geneſ. 7.

Proſper.

Illaſa mundo pereunte ſuperſtuit arca.
Non quia non alios populos Deus edere poſſet ,
Sed multis fractus morbis , vt ſemine ab ipſo
Idem homo in Chriſti corpus naſcenda veniret.

Expende illa , *ſed multis fractus morbis* , illud ipſum ſemen humanum ab initio repulſum , à paradiſo eiectum , poſt longa exilia , poſt multos labores , iam morbis , ærumnis confractum , & decoctum potuit Deo in Chriſto vniri.

Apocal. 21. Quò ſpectans Ioan. Apocal. 21. ait : *Venit ad me vnus de ſeptem Angelis habentibus phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis , & locutus eſt mecum : dicens : Veni , oſtendam tibi ſponſam vxorem agni. Et ſuſtulit me* , &c. Circa quæ ſapienter notat Andreas Cæſarien. quis ſit Angelus , qui Ioannem ducit ad ciuitatem ſanctam , ad nuptias diuiniſſimi agni , nimirum Angelus eſt vnus ex illis , qui habebant phialas plenas ſeptem plagis. Sic enim ait cap. 66. ibi : *Qui enim cladem pro meritis , & plagam ante irrogauerat , nunc Eccleſia beatitudinem Theologo demonſtrat.* Nec miror , de plagis enim cladibúſve acceptis faciliimè venitur ad id , vt magis Chriſto vniamur. Cæſarien.

§. IX.

Vna vita puritas potens eſt, nos in altis firmare.

ILlud pro certo habeant homines , nimirum : *Si auerſione auerſi fueritis vos* , &c. *Auferam Iſrael à ſuperficie terra* , &c. Vbi vitæ puritas deeſt , vbi ſcelera ſunt , fieri nequit , vt quis in aliquo altitudinis gradu firmetur , ſed inde quantocius ſolet deturbari à Deo. Nulla creatura fortior , aut præſtantior fuit illo Angelorum principe , qui æternandam ſedem ſuam dum ſomniat, proiectus in tenebras eſt. Quem mordens Iſaias cap. 14. ait : *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer , qui manè oriebaris ?* Non tam ſunt in cœlo fixæ ſtellæ, vt hic Lucifer credebat ſe in cœlo fixum eſſe. Quomodo ergo cecidit ? Peccatum admiſit , & ex tunc nulla potentia ſe in altis firmare potuit , quin inde proiiceretur. Vt meritò ad hæc dicat D. Proſper. opuſc. de Prouid. Dei. Iſai. 14.

Proſper.

Viperei populi princeps inuidit , & alto
Decidius regione poli , (quia ſumma tenere
Non niſi pura poteſt bonitas.)

Sapienter creditum & aſſeitum hoc eſt , quòd ſola pura bonitas poteſt ſumma tenere , & in altis perſiſtere. Per nullum enim aliud negotiari poteſt firmitudinem in altis gradibus , niſi per vitam Deo placentem. Oſeas cap. 8. *Deuoratus eſt Iſrael , nunc factus eſt in nationibus quaſi vas immundum. Quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur : Onager ſolitarius Ephraim , munera dederunt amatoribus ſuis.* Græcè leguntur hæc vltima verba : *Deflorui per ſe ipſum Ephraim , munera dilexerunt , propterea tradentur gentibus.* Nimirum Ephraim , hoc eſt , Rex Iſrael , vt ſe in ſuo regno firmaret , hanc præſumpſit rationem ſtatus , quæ minimè ignota eſt Principibus aliis. Ea fuit , quòd circunſtantes nationes ſibi infenſas datis pecuniis , & ingenti auri copia ſopirent , & ſibi obligarent , volentes magis muneribus , quàm armis certare. Quis non crederet à tanta vi auri effuſa æternam fuiſſe emptam tranquillitatem , & firmitatem ! At cùm illis vitæ puritas deficeret , nec profuit totum mundi aurum , vt firmarentur in ſtatu. Ait ibi Diuus Cyrillus Alexandrinus. *Emit dilationem mali ad tempus modicum , contentus dona dare. Quid inde ? Vtilitas nulla. Tradentur autem gentibus , & per ea , quæ futura ſunt , cognoſcent , neque prodeſſe Deum offendentibus dona dare hoſtibus ; paulo poſt enim ſupplicio ſubiacebunt.* Expende illa , *neque prodeſſe Deum offendentibus dona dare* ; nullis donis , nullis effuſis pecuniis emi poteſt firmitas in altitudine , vbi deeſt puritas vitæ , & ſcelera abundant. Sed neque arma , neque peritia belli iuuit Romanos , vt in ſuo florerent imperio , ex quo in eis cœperunt abundare delicta. De quorum Republica locutus Diuus Auguſtinus lib. 2. de ciuit. cap. 23. inquit : *Illa igitur Reſpublica malis moribus cùm periret , nihil dij eorum pro dirigendis , vel corrigendis egerunt moribus , ne periret : imò deprauandis , & corrumpendis addiderunt moribus , vt periret. Nec ſe bonos fingant , quòd vel offenſi ciuium iniquitate diſceſſerint. Prorſus ibi erant , produntur , conuincuntur.* Non equidem inclinata fuit , & decidit Reſpublica Romana , eo quòd dij eorum diſceſſerint ab illa, id quod mentiebatur Virgilius, dicens :

Oſ. 8. — Cyrill Alex. — Auguſt.

Virgil.

Diſceſſere omnes adytis , ariſque relictis.
Dij quibus imperium hoc ſteterat.

Non enim diſceſſerunt , ſed illic erant , & oracula reddebant , & eorum præſentiam teſtatur ipſa Reipublicæ ruina. Vt enim illi ipſi dij ſcelerati erant , tantùm abfuit , quòd ſceleribus ciuium offenderentur , vt ipſi ſcelera perſuaderent , peccata turpiſſima conſulerent , vt ſic citiùs ſtatus Reipublicæ rueret. Quippe ſapienter illud dicitur ab Auguſtino. *Corrumpendis addiderunt moribus* , Auguſt.

vt

vt pereat. Nullus enim gubernator non infert perditionem ſtatui, qui peccata infert, & vitia.

Capvt XIV.

Reginæ Saba aduentus.

TEXTVS HISTORIA.

IN Arabia Felici vrbs erat Regia Laban nomine, in qua caſtatiſſima Regina ſedebat, ſiue quòd coniux Regis eſſet, ſiue quòd Sabæorum ſceptra in fœminam detulerant. Nec nouum, nec multò infrequens, quòd regnet fœmina; illud longè rarius, quod fœmina ſic amore ſapientiæ arderet, vt longiſſimi itineris peregrinationem ſuſciperet, vt virum ob ſapientiam celebrem videret. Non hoc mundialis ſapientiæ amor à prudenti extorqueret fœmina; cœleſtis equidem ſapientiæ radius fuit, qui Reginam accendit, vt eò veniret, vbi magiſtro Salomone, ediſceret domum ædificandam ab æterna ſapientia. Appulit ergo nobilis Regina Aſiongaber, multo procerum, puellarúmque cincta comitatu: vbi præſtò fuere cameli, qui opulentiſſimarum diuitiarum ſubiacerent oneribus. Gemmæ erant, magna vis auri, & aromata, plura quàm vnquam viderant illæ regiones. Nec multo poſt Hieroſolymam peruenit, ad aulámque Salomonis contendit, a quo humaniſſimè excepta, haud modicum tempus conſumpſit cum Rege. Quas illi quæſtiones propoſuit, adhuc neſcimus, illud certum, quod ſic à Salomone enodatæ fuerunt vniuerſæ: vt ſapiens mulier in tantæ ſapientiæ admirationem raperetur. Creuit tamen Reginæ admiratio, vbi ad aulæ Salomonis œconomiam acceſſit; vt enim notauit domus ædificium, cibos menſæ, habitacula ſeruorum, ordines miniſtrantium, veſtéſque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebantur Deo, ingenti fuit ſtupore correpta. Et cùm fari potuit, Victoria, inquit, ô hoſpes, tuis operibus eſt. Multa de te vulgauerat fama, ſed vt video, fama tuis gloriis impar eſt. Ego cuique, ſummæ tribuo fœlicitati, ſi tibi adſtare poteſt, tuámque ſapientiam comminus haurire. Nec poſſum non credere maximè auſpicatum Iudæis Deum illum, qui te in eorum throno conſtituit. Fruantur vtinam longo ſæculo tua præſentia, fruere & tu, obſecro, paruis his regni mei fructibus; quod vt auro, gemmis, & aromatibus abundas, ſic audeo de iis munuſculum leuidenſe tibi offerre. Dedit ergo Regina Salomoni centum & viginti auri talenta, gemmas pretioſas, & aromata, quæ propè infinitam multitudinem pertingerent. Necnon & Salomon multa dedit Reginæ, nec paſſus eſt magni animi vir in muneribus à fœmina vinci. Hæc ad ſua ſanctior rediit, ille autem celebrior in dies factus eſt apud exteros.

MORALIA CIRCA textus litteram.

REGINÆ peregrinationem ad Salomonem eo libentiùs aggredior, quo inde mea imbecillitas non me terret, cùm memoror & imbecilles fœminas poſſe peruenire ad Ieſum verum Salomonem, & Regem.

3. *Regum* 11. Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus. Et ingreſſa Hieruſalem multo cum comitatu, & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas, venit ad Regem Salomonem, & locuta eſt ei vniuerſa, quæ habebat in corde ſuo. Et docuit eam Salomon omnia verba, *&c.*

§. I.

Vbi nomen Domini, nulla audet laſciuia.

SVſpectus fuit multis acceſſus Reginæ Saba ad virum & Regem, & potentem, & fœminarum amoribus non ingratum; cuius ſuſpicionis malitiam vt deluderet ſacer textus dicit: *Regina Saba audita fama Salomonis in nomine Domini venit*, &c. Expende illud, *in nomine Domini*, veniebat equidem Regina non leniter aduersùs pudicitiæ hoſtes munita, ſed veniebat ſub protectione nominis diuini. Vbi autem nomen diuinum adeſt, nullus aditus conceditur laſciuiæ. Paul. ad Philipp. cap. 2. *In nomine Ieſu omne* Philipp. 2.
genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Deſiderabam ego in hoc triumpho nominis Ieſu, carnalium memoriam. Quando enim & cœleſtium genua flectuntur nomini Ieſu, & terreſtrium, & infernorum; cur & carnalium etiam non ponitur memoria, cùm carnis illecebræ peruadant vniuerſum orbem? Planè vbi Ieſu nomen proponitur, ſapienter carnalium excluditur vel memoria, non poteſt enim apparere carnalis voluptas, vbi affulget Ieſu diuiniſſimum nomen. Me in hanc coniecit excogitationem celebris hiſtoria militis Romani, qui ſub Caij Marij militabat ſignis. Hunc militem tribunus ſuus ad nefarium ſolicitabat concubitum; de quo facinore agens Quintilian. declam 3. ait: *Non hic profuſus eſt furor?* Quintil.
Non manifeſta dementia eſt? Vides maritum gladio latus, loricam ferro aſperam, clauſam galea faciem, & ad terrorem belli criſtas minantes, inſcriptam in ſcuto C. Marij nomen. Hic tibi cultus proſtituti videtur? Appellabis de ſtupro! Vim afferes? Equidem ſapienter Quintilianus & furioſum, & amentem putat illum qui inhoneſtè audeat aſpicere armatum militem ſub ſcuto, in quo nomen tanti ducis, nimirum C. Marij inſcriptum ſit. Nullam enim laſciuiam non extirpandam credit, vbi ſcutum tanto inſcriptum nomine appareat. Sic æſtimabat vir ſapiens nomen ducis maximè aduersùs laſciuas cupiditates, vt nos maiora credamus de diuino nomine, vbi enim nomen Dei, nomen Ieſu aſſiſtit, nulla poteſt manere ſuſpicio carnalium voluptatum. Apoc. 14.
Ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum illo centum qua- Apocal. 14.
draginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis, &c. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt.* Hi felices tanta puritate vigebant, vt nec minimam maculam à carnali voluptate contraherent. Et vnde ſic puri; ſic in virginitate confirmati? Ait textus: *Habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Equidem vt ſub inſcriptione nominis diuini viuebant, ſic in caſtitate firmabantur, vt nullam ſpurcitiei maculam contraherent. Ad hæc Gloſſa Moralis ait: *Habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. In quo deſignatur firmitas continentiæ.* Qua parte nomen Dei præ ſe ferebant, quo ſignabantur, ſe maximè in continentiæ puritate confirmabant. Semper enim nomen diuinum ſtat pro caſtitate, ad debellandas carnales voluptates. Exod. 17. *Dixit Dominus ad Ioſue: Eli-*
ge tibi viros, & egreſſus pugna contra Amalech. Vbi noſter poſuit Ioſue, expreſſiùs dicitur apud Origenem Ieſus Naue. Et circa id ait Orig. hom. 11. in Exod. *Vſque ad hunc* Exod. 17.
locum beati nominis Ieſu nuſquam facta eſt mentio. Hic primum Origen.
vocabuli huius ſplendor effulſit. Hic primum vocauit Moyſes Ieſum, & dixit ei: Elige tibi viros, & pugna contra Amalech. Vbi pugnandum fuit contra Amalech, primò nominis Ieſu ſplendor quæritur, & tanti nominis præmittitur mentio. Et cur contra Amalech non itur niſi ſub tanti nominis ſplendore? Ait D. Gregor. PP. in 1. Reg. lib. 6. cap. 15. *Reſiſtere ergo Amalech dicitur, quia dum in carne ſu-*
mus, libidinis fortia bella ſuſtinemus. Oſtendebantur in Amalech bella libidinis, ad quæ propulſanda, & conterenda nullum fortius ſcutum requiritur, quàm nomen Ieſu. Gregor. PP.

Ideò vbi primum bella libidinis inſurgunt, primum nomen Ieſu oſtenditur, & incipit eius ſplendor effulgere.

§. II.

In veræ ſapientiæ via infirmiſſimus quiſque proficit.

ILlud maximè ponderandum, quòd fœmina adeò longam peregrinationem aſſumat, vt audiat Salomonem. Dicit enim: *Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini venit tentare eum*, &c. Venit, inquam, fœmina à diſtantiſſimis oris, vt ait Dominus Matth. 12. *Venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis.* (Matth. 12.) Cur non magis delicata fœmina horruit peregrinationis longitudinem? Cur non magis verita fuit longam, & difficilem arripere viam? Vt ibat pro acquirenda vera, & ſalutari ſapientia, ſic nihil timuit imbecillitati fœmineæ, ſciebat enim in veræ ſapientiæ viis infirmiſſimos quoſque proficere. Audiuit ſeniſſimus Iacob filium ſuum viuere in Ægypto, & ait Geneſ. 45. *Vadam, & videbo illum antequam moriar.* (Geneſ. 45.) Expende illud, *Vadam*; in vltima ſenectute conſtitutus non dubitat longam, & difficilem viam arripere, vt perueniat ad Ioſeph. Cur non magis ſenea horret difficultates longi itineris? Oſtendebatur ibi, qualis ſapientiæ veræ via, quam vel infirmiſſimus arripit, & proficit in illa. Ea quo illa Guerricus Abbas ſermon 1. in die Reſurrect. (Guerric.) *Nos tamen, fratres mei, licèt non ſimus tantæ ſanctæ puritatis conſcij, eamus nihilominus, eamus videre Ieſum, in montem Galilææ celeſtis, vbi conſtituit nobis. Eundo creſcet affectus, & ſaltem perueniendo perficietur. Eundo, via prius arcta, & difficilis dilatatur, & virtus infirmis augetur.* Quid pulchrius? Ea eſt ſalutaris ſapientiæ via, quæ non laſſet ambulantes, ſed potiùs laſſos reficiat, & imbecilles, infirmóſque roboret. Infirmus licèt ſis, ambulando in eo proficies; ambulando via priùs arcta, & difficilis dilatabitur, & reddetur facilis. Ille prodigus filius quàm longiſſimè aberat à patre ſuo, dum autem ſapit, & redire cogitat: vix viam arripit, & omnia facilia ſunt ei facta. Luc. 15. (Luc. 15.) dicebat: *Surgam, & ibo ad patrem meum*, &c. *Et ſurgens venit ad patrem.* Iacebat iſte adeò debilitatus, vt cùm propè haberet ſiliquas, quas fame enectus manducare cupiebat, nec gradum ad illas poterat facere. Et qui adeò infirmus erat, ad paucos gradus faciendos pro ſiliquis, decernit animo ſuo quàm longiſſimam viam arripere, vt rediret ad patrem. Et vt decreuit, ſic fecit; ait enim: *Surgens venit ad patrem.* Et quomodo potuit venire ad patrem longiſſimè diſtantem, qui non valebat venire ad ſiliquas in propinquo poſitas? Surrexit, & cœpit ire, & eundo via prius arcta, & difficilis dilatata eſt, & virtus infirmanti fuit aucta. Sic via ad ſapientiam ſalutarem, ſi ſemel teratur, infirmos roborat, & reddit praua indirecta, & aſpera in vias planas, vt fiat omnia facilia ſuperatu. Ex quo monebat D. Thom. in cat. (D. Thom.) *Surgens venit ad patrem. Sic & nos faciamus; ne pigeat nos longitudinis viæ, quia ſi voluerimus, fiet regreſſus celer, & facilis.* Eunti ad Deum omnia difficilia complanantur. (Cyrill. Alex.) Quò ſpectans D. Cyril. Alex. hom. 6. Epheſi contra Neſtorium dicta, dum ſanctorum Patrum aduentum felicem in Synodum meditatur, ait: *Ecce omnia gaudent, mare conſeruos ſuos agnoſcens, illorum voluntati ſeſe ſubdidit; Sanctorumque tranſitus feroces, inſultantéſque procellas in tranquillitatem conuertit. Monuit enim ſeruile elementum, tametſi tumidum, vocis ſeruatoris, dicentis: Tace, obtmeſce. Terram denique, quam latrones quondam infeſtabant, iſta Sanctorum profectio pacificatam reddidit.* Sic ibi oſtenduntur viæ complanatæ, & ſecuræ factæ ſub pedibus eorum, qui pro vera ſapientia proficiſcuntur.

§. III.

Non deſidibus, ſed laborantibus ſapientiæ ſalutaris ſecreta aperiuntur.

LOngam, & difficilem viam arripiens nobilis Regina venit ad Salomonem, eique explicauit omnia, quæ habebat in corde ſuo. *Et docuit eam Salomon omnia verba, quæ propoſuit, non fuit ſermo, qui Regem poſſet latere, & non reſponderet ei.* Et meritò nihil ſapientiæ diuinæ abſconditur ei, quæ ſic laborauit, vt illam inueniret. Clamabat enim Pſalm. 28. *Vox Domini in virtute.* (Pſalm. 28.) In quo virtutum operationes inueniuntur, in eo ſolo explicantur verba ſapientiæ diuinæ. Vt dicat D. Baſil. ibi: (Baſil.) *Vox Domini non in debilis ſolatáque ac mollis anima, ſed in ea, quæ ſtrenue, & viriliter, quod bonum eſt, perficit.* Non equidem ſapientia venit in deſides, & pigros animos, ſed in eos, qui ſtrenuè, & viriliter pro virtute inuenienda deſudant. Non aliter Pſal. 106. (Pſal. 106.) *Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Dei, & mirabilia eius in profundo.* Ex quo ſapienter infert D. Aug. ibi: *Qui ergo faciunt operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini*, &c. Reuelantur equidem opera Dei, & myſteria ſapientiæ diuinæ, ſed non otioſis, nec deſidibus, ſed operantibus, & facientibus opera virtutum. Vt dicat D. Hier. in c. 2. Iſaiæ: (Hieronym.) *Qui enim in ſaeculi huius fluctibus non ſunt otioſi, ſed operantur, & merces portant dominicas, & ad portum quietis venire feſtinant, ipſi viderunt opera Domini*; &c. Quippe operantibus, & non otioſis ſecreta cœleſtia aperiuntur. Inde Pſalm. 119. ait: (Pſalm. 119.) *Mirabilia teſtimonia tua Domine, ideò ſcrutata eſt ea anima mea.* Quæ ponderans Guerric. Abb. ſerm. 1. ad excitandam deuotionem in Pſalmos ait: (Guerric.) *Scrutinio quidem opus eſt, non ſolùm vt eruantur myſtica, ſed etiam vt fugantur moralia. Ideoque vos, qui perambulatis hortos Scripturarum, nolite negligenter, & otioſè tranſuolare, ſed ſcrutantes ſingula, velut apes ſedulæ mel de floribus, ſpiritum de ſermonibus colligite.* Laborandum ſanè eſt, non otio ſtertendum, vt ſapientiam abſconditam inueniamus.

§. IV.

Virtutum proprij effectus in quocumque illæ ſint, inueniuntur.

EXpende adhoc illa: *Et docuit eam Salomon omnia verba*, &c. quippe Salomon remunerans Reginæ deuotionem, illam omnia ſalutis verba edocuit. Largior cum illa fuit verus, & diuinus Salomon Ieſus meus, qui Matth. 12. ait de illa: *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis*, &c. (Matth. 12.) Non ſolùm eam remunerat data doctrina fidei, ſed inſuper addit illi ſedem iudiciariam in regno Dei, qua iudicet duodecim tribus Iſraël. At iudiciaria hæc ſedes, promiſſa fuit Apoſtolicis viris ſequentibus Chriſtum, de quibus ait Matth. 19. *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Iſrael.* (Matth. 19.) Quæ ergo ſedes propria eſt Apoſtolicorum hominum, cur detur fœminæ Ethnicæ? Nonne ſatis eſt fœmineæ deuotioni, quòd inſtituatur, & doceatur diuina? Cur illi addenda ſedes Apoſtolorum? Fuit in hac fœmina virtus Apoſtolorum propria in patriæ, domúſque propriæ abnegatione, ne miremur, quòd in illa ſit, & præmium Apoſtolis ſimile. Ait enim D. Paulinus epiſt. 1. (Paulin.) *Hæc populi, & paternæ domus oblita currebat. Vnde non ſolum cæleſti præmio reſurrectionis beatæ, ſed etiam poteſtate Apoſtolorum de Iudaeis adulteris iudicandi, ipſius ore iudicis digna cenſetur, quia Chriſtum in Salomone mirata, verum Reginæ cæleſtis affectum in imagine myſtica Eccleſiæ prouidentis impleuerat.* Equidem Apoſtolorum virtus in abnegando propria, & Chriſto ſequendo, illis peperit iudiciarias ſedes, quas etiam peperit huic Reginæ, vt quæ in eadem abnegatione, & ſequela Chriſti ſimilis Apoſtolis fuerit. Habet enim hoc vna virtus, quòd in quocumque fuerit, eoſdem parit effectus. Principatus, munera, diuitiæ, dignitates, pro diuerſitate perſonarum, habent diuerſos effectus. Sola virtus in quocumque ſit, eiſdem gaudet muneribus. Gen. 18. dicit Dominus Abrahamo: *Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua.* (Geneſ. 18.) Et ſterili, & vetulæ, & penè emortuæ Saræ offertur à Deo filius. Et cur vetulæ filius? Erant in vetula virtutes iuuencularum, ob quas obtinent filios ex Deo, ideo non miror, quod habeat proprium earum fructum. Ait D. Ambroſ. ibi: (Ambroſ.) *Quia prouectior ætate iam Sara iuuenilem cuſtodiebat verecundiam, ideo Dominus ſpopondit ei filium.* In qua erat iuuencularum virtus, non miror, quòd etiam ſit & fructus in accepto filio. Habent enim virtutes

effectus

Matth. 21. effectus ſuos, in quocumque ſint. Matth. 21. *Adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Sic ſedes Ieſu ponitur in aſello, ſed in aſello induto Apoſtolorum veſtibus; qui enim virtutes Apoſtolorum induit, & ſimul earum habet fructus in portando Ieſu. Vt dicat D. Bern. ſerm. 1. de Purif. *Nec virgo portat, ſed aſellus. Neminem itaque dedignatur, nec ipſos, qui putruerunt in ſtercore ſuo. Non dedignatur, inquam, ſed ſi Apoſtolica veſtimenta non deſint, ſi doctrina eorum, ſi morum iuſtitia*, &c. Vbi indutus Apoſtolicas virtutes, crede mihi & earum accipies fructus, quantumuis vilis, & infirmus, & abiectus ſis. — Bernard.

3. *Reg.* 10. Videns autem Regina Saba omnẽ ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſtéſque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltrà ſpiritum, dixitq. ad Regẽ: Verus eſt ſermo, quẽ audiui, *&c.*

§. V.

Qui verè ſapit, non viſibilibus his, ſed inuiſibilibus bonis magis capitur.

ET in aduentu, & in percepta ex Salomone doctrina, & in admiratione Regiæ familiæ non aliter, quam Regina nobilis hæc peregrina nominatur. Dicit enim: *Videns Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, & cibos*, &c. Vidẽs equidem, & admirata Regiæ Salomonicæ ſplendorem nõ exceſſit Reginæ nomen. Illi autem Sabæi, & Arabici Reges, qui recèns natum Ieſum quæſierunt, & inuenerunt, cùm Reges eſſent, minimè Reges nominantur, ſed Magi, ait enim
Matth. 2. Matth. 2. *Ecce Magi ab Oriente venerunt*, &c. Non a regni decore Reges, ſed a cultu ſapientiæ Magi nominantur. Et illa, & ij Reges erant; & illa & ij patriam relinquunt, illa vt Salomonem, ij vt Ieſum viderent recèns natum. Et cur illa in tanta ſapientiæ inquirendæ deuotione non ſapiens, ſed Regina dicitur, hi autem in perquirenda ſapientia incarnata non Reges, ſed Magi, hoc eſt, ſapientes nominantur? Illa Salomonem ex viſibilibus his bonis, & diuitiis & ſuſpexit, & admirata eſt; hi autem non ex his caducis ſplendoribus, ſed ex inuiſibilibus virtutibus Ieſum æſtimarunt, & adorarunt. Quo maximè eorum ſapientia claruit. Ait D.
Chryſoſt. Chryſ. hom. 8. in Matth. *Idcirco nihil ibi de ſenſibilibus illis grãde conſpicitur, ſed anguſtum tugurium, ac vile præſepium, & mater, vt melius nuda Magorum philoſophia clareſceret*, &c. *qui tamen plurimum à Iudæorum ruditate diſtarent, & Eccleſiaſticæ Philoſophiæ conuenirent.* Hæc eſt Iudæorum ruditas, quæ viſibiles ſolùm ſplendores miratur; & illa eſt ſapientia & vera, & chriſtiana, quæ ſola inuiſibilia ſpectat. Hinc Magi, vt verè ſapientes in quæſiti Regis domo, non aurum, non gemmas, non purpuras, non conuiuia requirunt, nec quicquam horum illis monſtratur, vt inuiſibilia ſola ſpeculantes ſuam
Eccleſ. 2. inde ſapientiam monſtrarent. Ait enim Eccl. c. 2. *Sapientis*
Ambroſ. *oculi in capite.* Circa quæ D. Ambr. lib. 7. in Luc. *Oculi ſapientis in capite eius; quia ille verè ſapit, cuius animus in Chriſto eſt, & cuius interior oculus erigitur ad ſuperna.* Inde ſapientis inſigne deſumitur, ſi infima hæc deſpiciat, & ſola æſtimet ſuperna, in quibus Chriſtus eſt.

§. VI.

Magnitudo ſeſe coarctans, & anguſtans in paruo, efficacius rapit corda humana.

ADmirata oſtenditur Regina Saba de gloria Salomonis, ſed non oſtenditur illi proſtrata, vt adoraret. Solùm dicit text. de illa: *Non habebat vltrà ſpiritum, dixitque ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audiui*, &c. Multa equidem eſt in dicendo, & laudando Salomone, & beatificandis eius famulis, ſed nihil aliud facit. Longè aliter Magi, qui etiam longum iter arripuerant, vt viderent verum Salomonem
Matth. 2. Ieſum, cùm ad domum eius peruenerunt Matth. 2. *Intrantes domum, inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei aurum*&c. Vt vident puerum, procidunt, & adorant. Et cur illa in tantum mirata de gloria Salomonis, vt penè deficeret, etſi multa loquitur, nec procidit ante illum, nec adorat: hi autem videntes Ieſum paruum in ſumma penuria natum, ſtatim procidunt, & adorant. Cur Salomon, qui à Regina extorſit admirationem, non extorſit adorationem, quando paruus Ieſus à tribus Regibus adorationem extorſit? Apparebat Salomon in ſumma extenſione, & oſtentatione gloriarum ſuarum, in ſapientiæ oſtenſione, & in oſtenſione ampliſſimæ familiæ, opiparæ menſæ, & aliarum rerum, quæ totam gloriæ amplitudinem oſtentabant. At Ieſus apparebat paruus, & nudus, & pauper, in ſummæ abiectionis paruitate ſuam immenſam gloriam coarctans, magnitudo autem ſic in paruo anguſtata efficacius ad ſe corda rapit, & maiora obſequia extorquet ab animis humanis. Ad hæc
Aug. ſer. 6. de Epiph. ait: *Non ſub poplite ſella regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat, non pompa famulantium, non terror exercitus, non glorioſorum fama præliorum hos ad eum viros ex remotis terris, tanta vota ſupplicationis attraxit. Iacebat in præſepi puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate, ſed magnum aliquid latebat in paruo, quod illi homines, primitiæ gentium, cælo narrante didicerant, & quod intuenda non videbant, promereri adorando cupiebant.* Expende illud, *magnum aliquod latebat in paruo*, vbi enim vera magnitudo ſeſe in paruo coarctat, non mirer, quòd in maiora obſequia humanos animos rapiat. Nec equidem magnitudo, quæ per regni diademata, per potentiam auri, per famulorum multitudinem, per externos ſplendores gloriarum ſe extendit, ſic afficit humana corda, vt magnitudo, quæ ſe ad captum temperat, & in paruo ſeſe arctat. Cant. 3. clamabat illa: *Egredimini filiæ Sion, videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua.* Habebat Ieſus regium ſplendorem ex patre, cum quo lucem habitat inacceſſibilem, ſed etiam ex matre habet diadema, nempe carnem ſuam. Inuitantur ergo filiæ Sion ad videndum diadema ex matre acceptum, non ex patre. Et cur magis vocantur ad diadema acceptũ ex matre? In eo, quod ex matre habet Ieſus, tota magnitudo, & immenſitas diuinitatis quaſi coarctata eſt, & anguſtata in paruo humanitatis, vnde neceſſum eſt, vt magis afficiat corda ſpectantium. Ait Gillib. ſer. 21 in Cant. *Egredimini de cella vinaria ad hoc muſtum, quod miſcuit ſapientia in crátere nouo. Liquor æternus nouo huic infuſus calici, maiori cum hilaritate hauritur, quamuis cum claritate temperata, & ideo amor debet eſſe intemperatus. Quis ſe in amando temperet, quando noſtræ capacitati ſe temperauit immenſa maieſtas?* Vbi tanta immenſitas ſe in paruo humanæ ſubſtantiæ diſſimulauit, neceſſum eſt, vt maiores in animis noſtris excitet flammas. — Auguſt. — Cant. 3. — Gillib.

§. VII.

Tranſitoria bona vt nocent humanis cordibus.

ADhuc illa ſunt notanda verba nimirum: *Videns Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, &c. non habebat vltrà ſpiritum.* Sic viſis Salomonis magnalibus penè exanimatur, & ſine halitu manſit Regina. Verùm tres Reges Magi Matth. 2. *Videntes* Matth. 2.
ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno, & intrantes domum inuenerunt puerum, cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eũ, &c. Hi gauiſi ſunt in demonſtrato ſibi Ieſu, quem adorauerũt, nec de illis dicitur, quòd non habebant vltra ſpiritum, imò credendum eſt illis tunc maximè affluiſſe Spiritum ſanctũ. Quando ergo hi Ieſu viſo, Spiritu ſancto abundant & gaudio; cur illa viſis Salomonis magnalibus non habebat vltra ſpiritũ? Magi in Ieſu non temporalia, ſed ſpiritualia bona videbant: verùm Regina Saba in ſuo Salomone tranſitoriã illius gloriam, diuitias, & opulentiam ſpeculabatur, & auidè mirabatur. Quæ tranſitoria bona dum auidè reſpiciuntur, vix poſſunt non eſſe homini lethalia. Monebat Paul. 1.
ad Cor. 7. *Qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi.* Monet, vt caueant ſibi homines ab vſu rerum mundialiũ, quia præterit figura mundi. Et quid intereſt, quòd prætereat mũdi figura, vt ab illo cauere nobis debeamus? Eo ipſo, quòd prætereuntia dicuntur mũdi bona, ſic præterire creduntur, vt præterit ſagitta volans, aut cuſpis acutiſſima gladij, qui tranſfigat obuiãtia. Sic de prætereuntibus mundi bonis meditabatur D. Paulin. ep. 4. — 1. Cor. 7. — Paulin.

fatus: *Tota huius mundi figura, quæ præterit, & per oculos corda prolectat, Zabulus prætenta retibus, in qualibet ſui ſpecie, laqueus mentis, & gladius eſt.* Vt laqueus præteruolans, aut acutiſſimus gladius inuoluunt, & feriunt, quæcumque offendunt; ſic tranſeuntia bona mundi, ſi vel auidè perſpiciantur, laquei ſunt, gladij ſunt volantes, qui altè vulnerent animam.
Pſalm. 61. Quò ſpectans Pſalm. 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Quibus monemur cor auertere a fluxibus diuitiarum prætercurrentibus. Quando enim prætercurrens torrens non nocet terræ, quam pertranſit? Pulchrè ad hæc D. Bern. lib. 5.
Bernard. de Conſid. circa fin. ait: *Tranſitoria iſta, quæ tibi nulla pacta queunt, fac vt à te tranſeant, non per te. Rheus qua fluit, cauat terrā: ſic decurſus temporalium conſcientiam rodit. Si poteſt torrens per agros excurrere ſine læſione ſatorum, & tu te iſta ſine vulnere mentis poſſe tractare confidito. Omnimodis conſulo, ſtudeas auertere à te curſum horum.* Non aliter cauendus tranſeuntium bonorum curſus, quàm rapidi torrentis, qui qua fluit, terram cauat. Sic curſus temporalium in nobis vitam, quam in Chriſto habemus, corrodit, vt cadat. Memorans Matth. eos, qui in
Matth. 27. Ieſu vitam armabantur c. 27. ait: *Prætereuntes autem blaſphemabant eum,* &c. Non ab aliis, quàm à prætereuntibus dicitur ibi Ieſus blaſphemijs petitus. Multi ſtabant iuxtà Ieſū,
Ioan. 19. de quibus ait Ioan. 19. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius,* &c. De ſtantibus nullus offendebat Ieſum, prætereuntes autem illum blaſphemabant, à tranſitoriis enim, & prætereuntibus occaſiones pullulant Chriſti in nobis perdendi. Ad quæ ait Orig. hom. 35. in Matth.
Origen. *Nemo ſtans Ieſum blaſphemat, nec rectè incedens: tranſeuntes autem, & prætereuntes eum blaſphemant: qui etiam materia vineæ diſſoluta, vindemiant eas, qui remanſerunt. Scriptum eſt enim: Vt quid poſuiſti maceriem eius, & vindemiant eos, omnes qui prætereunt viā? Quando ergo quis non præterit, ſtans poteſt dicere Deo: Statuiſti ſupra petram pedes meos, & non blaſphemat Ieſum. Si autem præterierit, eum blaſphemat.* Non equidem ſtantia, & permanentia, ſed tranſeuntia pariūt occaſiones, quibus vita noſtra Ieſus blaſphemetur, & ab animis noſtris eradicetur. Vt cum
Thren. 4. Hier. dicamus Thren. 4. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt*; ad tranſeuntium enim bonorum curſum, & vita noſtra Ieſus, & halitus noſter eiicietur, & nos remanemus tanquam ſpiritum, & halitum minimè habentes.

§. VIII.

Fœminea, & leuiſſima ſapientia eſt ſolos externos verborum ſplendores attendere.

Viſa ergo Salomonis ſapientia, tot laboribus quæſita, dicitur de Regina Saba, *Non habebat vltrà ſpiritum,* quādo oſtenſo ſolo Ieſu loco, & viſo eius iudice, nempe ſydere, dicūtur Magi Matth. 2. *Gauiſi ſunt gaudio magno valdè,* &c.
Matth. 4. Et cur his tantum gaudium ortum fuit ex inuento Ieſu; illi autem non gaudium dicitur ortum, ſed afflictio ſpiritus ex inuenta Salomonis ſapientia? Illi vt viri, non ad exteros ſplendores, qui omnes deerant, reſpiciebat, ſed latentem diuinitatis nucleum inuenientes, unde maximè gaudebant. Hæc vt fœmina non ad latentem nucleum, ſed externos ſolos ſermonis ſplendores mirabatur, quod & leuiſſimæ, & fœmineæ, & nullius ſoliditatis ſapientiæ eſt. Pulchrè in
Auguſt. rem hanc dicebat D. Aug. ſer. 6. de Epiph. *Regina illa non latentem Deum, ſed loquentem hominem, non adorare venerat, ſed audire.* Hic erat totus ſcopus aduenientis Reginæ, vt nimirum loquentem hominem audiret, cuius ſpecioſitate ſermonis occupata, nihil diuini nuclei latens requirebat. Heu leuiſſimus, & fœmineus labor in quærenda ſapientia, qui nihil ſublime, nihil diuinum latens ſpectat, ſed ſolo pulchro
Zachar. 5. verborum ſono eſt contentus? Zachar. 5. *Ecce mulier vna ſedens in media amphoræ. Et dixit: Hæc eſt impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeā in os eius.* Gillib. Abb. putat maſſam plumbeam miſſam eſſe in os eius, nempe mulieris, quæ in amphora ſedebat. Sed cur fœminæ in os plumbum, & non magis aurum inicitur? Cur non magis argentum? Nihil pretioſum in fœminea ſapientia, ſed vile,
Gillibert. & ominoſum quæritur. Gillib. ſer. 18. in Cant. *Argentea ſint lingua veſtra. Argentea ſunt, ſi de ſacra pagina Chriſtum ſonant. Nō mittatur maſſa plumbea in os veſtrum. Plumbeum os eſt, quod nihil ſubtile loquitur, nihil acutum, nihil de ſuperis: ſed totum demiſſum & totum de imis.* Mulierculārum os plumbeum eſt, quorum proprium eſt, non Chriſtum latentem quærere, ſed in externo ſplendore verborum hærere. Quæ ſapientia vt non aurea, nec pretioſa, ſed plumbea & vilis mulierculis merito attribuitur, & ominoſa viris creditur. An non ominoſum eſt plumbum viris fortibus? Dicebat Pſalm. 47. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Et cur ad ſolas naues Tharſis Pſal. 47.
hæc contritio refertur? Nonne & aliæ naues ſimilibus contritionibus expoſitæ ſunt? In nauibus Tharſis afferebantur Salomoni dentes elephantorum, qui ſolam externam eloquentiam referunt; & hinc non miror, quòd his nauibus ruina ſingularis denuntietur. Ait D. Hier. in c. 2. Iſaiæ: *Habuit naues Salomon, quæ ibant Tharſis, & poſt tres annos reuertebantur, afferebantque Regi argentum, aurum, ebur, & ſimias. Sed quia Rex peccauerat, deditus voluptati, & externarum gentium amans fœminas, quod ad Ethnicos refertur, in quibus nihil eſt aliud, niſi fulgor eloquentiæ & ſenſus dialectica arte conſtructus, & ſermo mortuus, quod intelligitur, in eburneis dentibus, & ſimilitudo rationis humanæ, quod ſentitur in ſimiis, idcirco in Pſalmis legimus: In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Confringentur, & contereutur à Deo illi, in quibus ſolus viget ſermonis coltus; nec ſpectatur aliquid viuidum, & diuinum, quod lateat ibi. Quod enim proficit, & dat vitam, non eſt quod ſolùm in lingua ſonat, ſed quod latet ſub
Hieronym.
lingua. Cant. 4. *Mel & lac ſub lingua eius.* De quo pulchrè diſſerit Gillib. Abb. ſerm. 4. in Cant. aiens: *Non tantum dulcedo in lingua ſonat, ſed mel & lac ſub lingua tua. Simulata dulcedo eſt, quæ tantum ſonat in lingua, & non ſentitur ſub ipſa. Exigua eſt, quæ tota eſt in labiis, & in lingua, & non pars eius magna ſub lingua.* Equidem non nutris, in vitam a ſapientia, niſi quæras, quod latet mellis, & lactis ſub lingua. Cant.

3. *Regum* 10. Beati viri tui, & beati ſerui tui, hi, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Sit Dominus Deus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſraël, eo quòd dilexerit Dominus Iſraël in ſempiternum, & conſtituit te Regem, vt faceres iudicium, & iuſtitiam. Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri, & aromata, &c. Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, *&c.*

§. IX.

Magnæ, & præſtantis virtutis indicium, quod in temporali fœlicitate conſtitutus non cadat.

Sapienter Regina felices reputat Salomonis famulos, qui coram illo ſtant, nec in tanta rerum opulentia cadunt. Dicit enim: *Beati viri tui, & beati ſerui tui, hi, qui ſtant coram te ſemper,* &c. Expende illud, *qui ſtant*; hoc eſt, qui tantæ opulentiæ temporali, & gloriæ immerſi adhuc ſtant, nec turpiter cadunt. Quod ſanè ad plurimam beatitudinem pertinet, & ad magnam virtutis præſtantiam. Dan. 3. de ſeruis Nabuchodonoſor locutus ait: *Statim vt audierunt omnes populi ſonitum tubæ, fiſtulæ, & citharæ, ſambucæ, pſalterij, & ſymphoniæ, & vniuerſi generis muſicorum, cadentes omnes populi, tribus, & linguæ adorauerunt ſtatuam auream.* Expende illud, *cadentes adorauerunt ſtatuam auream*; vix enim inuenitur, qui vel in conſpectu temporalis opulentiæ non cadat. Vt meritò debeat prædicari, & extolli, qui inter temporales fœlicitates, & glorias adhuc ſtat, nec vllum vergit in caſum. Oſeas c. 12. Iacobi virtutes ponderans, hanc illi attribuit, vt maximam. Ait enim: *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum, & in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt. fleuit; & rogauit eum,* &c. Quid ſublimius? Ab vtero bellator, imò ab vtero triumphator Iacob extitit. In vtero fratrē ſupplantat; maius & adoleſcens non detrectat luctari cum Angelo, imò deuincit Angelū. Et quid inter tot tantáſque victorias? An adorauit brachiū virtutis ſuæ? An decidit à conſtanti animi ſui virtute euaneſcēs in auras? Abſit, imò ait text. *Fleuit, & rogauit eū.* O maximam viri virtutē, qui inter triūphos, & victorias adhuc ſtetit in ſupplicātis humilitate. Ibi Ruff. lib. 3. in Oſ. ait: *Cùm tam profundum Dei conſilium Patriarcha ſenſiſſet, ſpiritu illico*
Dan. 3.
Oſ. 12.
Ruffin.

illico humilitatis,non elationis aſſumpſit,vt benediceretur ob eo, cui videbatur præualuiſſe,lachrymoſis ſupplicationibus depoſcit. Nec illa collactatoris ſui ſimulatione deceptus eſt,vt ſe quaſi fortiorē putaret. Et victor,& triumphator rogabat,minimè victoriis illis tēporalibus deceptus,ſed adhuc ſtās in veritate. Meritò inde Iſraelis nomine inſignitus eſt: vt enim ad terram pertinet, qui temporalium bonorū aſpectu cadit,ſic Dni eſt, qui inter mundanas glorias in humilitatis virtute conſiſtere videtur.

Apocal. 13.

Apoc. 13. *Vidi de mari beſtiam aſcendentem habentē capita ſeptem,& cornua decem,& ſuper cornua eius decē diademata,* &c. *Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam. Et adorauerunt draconem,* &c. Vbi beſtia apparuit tot diadematibus redimita,ad conſpectum ampliſſimi regni eius,innumeri cadēres adorauerunt. Sed qui ſunt,qui tam turpiter ceciderūt? Ait text. *Admirata eſt vniuerſa terra,* &c. qui terra ſunt,vix poſſunt nō cadere in gloriarum temporalium conſpectu. Non ſic qui pertinent ad Deum,hi enim firmiter in virtute conſiſtētes, has gloriolas contemnunt Pro quo Rup. lib 8 in Apoc. ait:

Rupert.

Niſi terra eſſent, ſi quid eorum, quæ ſuprà ſunt,ſaperent,non admirarentur, non magnipenderent terrenam eius altitudinem, terrenam potentiam,terrenam gloriam,quam verus Chriſtus adeò nihili pendit, vt eo tēpore,quando primò ſalutabatur rex Iſrael,à turbis dicētibus: Benedictus qui venit in nomine Domini,aſello ſedere voluerit in contemptu terrenæ celſitudinis. Compone ergo terrenos illos homines,& cœleſtem hunc hominē Ieſum. Illi in diadematū mundialium conſpectu , ſtatim cadunt adorantes caduca hæc regna. Verè terra dicuntur, & minimè pertinentes ad cœleſtia. Hic autem cœleſtis homo,Ieſus meus inter acclamationes regias in oſtenſione humilitatis firmus ſtat, ſedens in vili aſello. Nec ab alto humilitatis eum deiiciunt aut triumphi gloria , aut illæ acclamationes regiæ.

§. X.

Melius eſt ire ad Chriſtum etiam cum periculo cadendi , quàm ſtare in mundo.

ETHnicæ Reginæ oſtenditur eſſe illud aſſertum,nimirū: *Beati ſerui tui,hi qui ſtant coram te omni tempore,* &c. Sic Ethnica mulier beat aulicos Salomonis,eo quòd ſemper ſtarēt coram illo,eius gloria,& opulentia fruentes. Sic multi etiā Chriſtiani beatos putant illos, qui firmi ſtant in mundialibus bonis abſque timore caſus. Ego autem crediderim ſapientiùs putari beatos,qui à mundo,eiúſque gloriis fugiūt, & currunt ad Chriſtum, etiamſi illis ſit, caſus periculum. Fugientes ab Ægypto Iſraelitæ coram offenderunt mare, quod ſuperare non poterāt. A tergo autem ſenſerunt hoſtilem Pharaonis exercitum;quo perterriti clamabant, dicentes

Exod. 14.

Exod. 14. *Multo melius erat ſeruire Ægyptiis, quàm mori in hac ſolitudine.* In Ægypto ſtabant coram Pharaone, Ægyptiorum bonis fruentes , in ſolitudine illa per quam ad Deum contendebant , in euidenti mortis periculo erant. Vtrùm ergo meliùs,in Ægypto ſecuros manere,an ad Deū cum periculo per eremum contendere? Illi putabant beatius eſſe in Ægypto manere;verùm non erat hæc ſententia hominum prudentum,ſed erat ſententia hominum carnaliter iudicantium. Nunquam enim non ſolet credi melius à mundo fugere,& etiam cum periculo caſus,ad Deum cōtendere.

Origen.

Accipite Orig homil. 5. in Exod. pulchrè de hac re diſſerentē: *Quia dicunt,melius fuerat nos ſeruire Ægyptiis, quàm mori in eremo,tentationis, & fragilitatis hæc verba ſunt. Alioqui in falſum eſt,longè enim melius eſt in eremo mori,quàm ſeruire Ægyptiis,* &c. *Melius enim eſt perfectam vitam quærenti in itinere mori quàm ne proficiſci quidem ad perfectionē quærendam. Vnde & falſa eſt illorum opinio , qui dum nimis arduum iter virtutis exponūt , dumque multa eius pericula,& lapſus enumerant,ne ineundum quidem,aut ſuſcipiendum iudicant.* Semper melius eſt mundum fugere,& ad Deum ire,licèt voranda ſint ſolita pericula, & licèt lapſus timeātur in itinere.

Matth. 26.

Matth. 26. dicebat Ieſus Petro: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Quid poſthæc Petrus? Veniunt nocte milites,cōprehendunt Ieſum,illúmque vinctum ducunt,fugiunt diſcipuli, *Petrus autem ſequebatur eum,* &c. Cur Petre non magis tu fugis? Si enim ſequaris,certum eſt,quòd negabis Ieſum nonne hoc audiſti? Nonne hoc tibi prædictum fuit ab ipſo Ieſu? Cur ergo non fugis tanti mali occaſionem? Cur non melius putas eſſe in fuga,quam in ſequela Ieſu cum negationis certitudine? Quis non magis eligeret fugere ad extrema mundi,quàm ſequendo Ieſum negare illud? Sed ò amoris Petri in Ieſum ſapientiam! Ait Theodor. de illo orat. de Charitat.

Theodor.

Hoc magnus quoque Petrus ſauciatus deſiderio, nec cum prius quidem futuram didiciſſet negationem, latere voluit, ſed ſatius duxit,ſequens negare,quàm fugiens confiteri. Quod enim ab amore,& non à temeritate proficiſceretur hæc conſectatio,res ipſa teſtatur. Neque enim poſt negationem in animum induxit, vt magiſtrum relinqueret ; ſed fleuit quidem amare ; aſſedit autem vinculis amoris irretitus. Expende illa: *Satius duxit, ſequens negare, quàm fugiens confiteri.* Labantur licèt aliquando ſectatores Chriſti; ſatius ducitur ſequi perfectionem Chriſti, etiamſi labendum eſt in itinere , quàm coram mundo falſa ſecuritate perſeuerare.

§. XI.

Tunc bona temporalia non nocent, quando præcipuè Deus ſpectatur in illis.

INter tot decantatas diuitias , & fœlicitates Salomonis; nobilis Regina confugit ad earum correctiuum , nimirum Deum,cùm ait : *Sit Dominus Deus tuus benedictus , cui complacuiſti,& poſuit te ſuper thronum.* Nec enim alter à tanta temporalium bonorum prædicatione euaderet, niſi ad Deum oculos conuertiſſet,eum in omnibus,& per omnia, & ſuper omnia aſſerens benedictum. Crede mihi , te in perditionem rapient temporalia bona, niſi Deum ſpectes ſuper illa.

1. Cor. 7.

Monebat Paul. 1. ad Cor. 7. *Qui habent vxores,tanquam non habentes ſint,& qui gaudent,tanquam non gaudentes,& qui vtuntur hoc mundo,tanquam non vtantur.* Et quando nec vxor,nec gaudia,nec bona mundialia ex ſe mala ſunt,imò & bona, & conuenientia naturæ humanæ putantur ; cur ſic habenda ſunt, quaſi non habeantur ? Nonne ſatius eſt habere, quod bonum eſt,quàm non habere ? Hæc non abſolutè,& ſimpliciter bona ſunt;ſed in tantum ſunt bona , in quantum in illis, & ſuper illa Deus ſpectatur , qui ſi illis poſtponitur iam illa redduntur nobis nociua , & mala.

D. Leo.

Ad hæc ait Leo ſer. 5. in Ieiun. *Qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Sed quod de ſpecie,de copia,de varietate blanditur, non facile declinatur , niſi in illa viſibilium pulchritudine,creator potius, quàm creatura diligatur.* Vno hoc correctiuo omnis virulentia tollitur bonorum temporalium , ſi in illis præcipuè Deus attendatur , ſpectetur,diligatur. Hinc ipſe Dominus clamabat ad ſuos

Matth. 6.

Matth. 6. *Beati pauperes ſpiritu.* Et quos pauperes beatos vocat ? An qui nudi prorſus ſunt,nihilque ſubſtantiæ de facto habent ? Illi, illi & pauperes , & beati ſunt, qui vel in affluentia bonorum conſtituti, vnum Deum ſpectant , de illoque ſolo ampliùs gloriantur. Quò ſpectans Guerric.

Guerric.

Abb. ſerm. 1. in ſolemnit. omnium Sanctor. ait : *Planè beati, qui profectò vilibus, ſed grauibus ſarcinulis huius mundi , nolunt ditteſ fieri,niſi de ſolo creatore mundi,propter ipſum tanquam nihil habentes:& omnia poſſidentes.* Ea eſt beatitudo hominis, quòd vel in ſumma copia bonorum, vnum Deum aſpiciat, & de ſolo Deo amet ditari. In ſumma bonorum perditione

Iob. 2.

Iob cap 1. *ſcidit veſtimenta ſua , & tonſo capite corruens in terram adorauit.* A ſumma abundantia ad ſummam paupertatem redactus , ſcidit veſtimenta ſua. Et cur non magis veſtimenta ſeruauit, cùm non haberet , vnde emeret alia? Cur & illa ſcidit,& voluit ea perdere ? Præſciens erat vir ſanctus vniuerſa bona ſua externa dara in poſſeſſionem diaboli,dicente textu : *Dixit Dominus ad Sathan : Ecce vniuerſa,quæ habet in manu tua ſunt.* Quod præſciens Iob ſtatim & veſtes abiecit,non de malo,ſed de ſolo creatore retinere volens,vel quo tegatur.

Orig.

Ibi Orig. lib. 1. in Iob. *Adhuc veſtimenta ſua conſcidit ob hoc,quia ex his,quæ diabolo data ſunt, apud ſe nihil retinere voluit.* Sic amabat de ſolo creatore ditari. Nec miror;quod enim de malo venit, nunquam non mille ſuſcitat tragœdias. Gen. 19. poſt excidium Sodomæ,poſt ſaluatum Loth in monte,ait text. de eius filiabus: *Dederunt itaque patri ſuo bibere vinum nocte illa. Et ingreſſa eſt maior, dormiuitque cum patre,* &c. Ecce tibi à vino bibito in quantum inceſtum itur. Sed vnde ad montis ſolitudinem adductum vinum fuit,quod talia flagitia pareret? Adductum creditur fuiſſe de damnatis Sodomorum bonis, ne miremur, quòd de malo adductum vinum tanta mala ſuſcitaret Ex quo ſa-

Nyſſen. pienter D. Nyſſen. hom. in Eccl. ait: *O quàm malè mulieres illæ, cum iis, quæ de Sodomis exportarunt, ſecum vinum tulerunt! O quàm malum amicitiæ illicem potum eo malo cratere patri ſuo infuderunt! Quàm longè erat melius cum omnibus, etiam illud vinum interiiſſe Sodomis, priuſquam talem ſuppeditaret tragœdiam.* Equidem ex malo Sodomorum cratere non potuit non haurire quod hominem faceret in plura mala ire.

§. XII.

Sapientiæ ſtudio laborantes nunquam primas non teneant in Politia Dei.

CVm Reginæ huius munera oblata Salomoni conſidero, ſic lego. *Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri, & aromata,* &c. Aurum in primis obtulit, poſt hoc aromata, &
Matth. 2. cætera. Sic Magi illi Matt. 2. obtulerunt Domino *aurum, thus, & myrrham.* Nunquam non ponitur aurum in primis, quia in Politia Dei, vt ſemper aurum optimum in capite inuenitur, ſic ſapientiæ ſtudioſi, valdeque in illa laborantes debēt
D. Leo. imperare cæteris. Cur hoc? Ait D. Leo in ep. 1. decretali: *Cum valde iniquum ſit, & abſurdum, vt imperiti magiſtris, noui antiquis & rudes præferantur emeritis.* Quis non iniquè, & turpiter lignea, aut fictilia vaſa aureis præferat? Eamdem reputat iniquitatem, & turpitudinem D. Leo, quòd præferantur magiſtris homines ſine vllo ſtudio ſapientiæ. Ait Paul. 2. ad Tim.
2. Tim. 2. 2. *In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia. Et quædam quidem in honorem, & quædā in contumeliam.* Accedant ergo huc electores, & ſeligant ex his vaſis, quæ ponenda ſunt in honorem. Audebit ne vel iniquiſſimus elector præſumere lignea, aut fictilia in honorem, aureis, & argenteis relictis? Quod ſi fecerit, nonne totus ordo corrumpitur? Accedat iam huc D. Leo vbi ſuprà
Leo. inquiens: *Inordinata erunt omnia, ſi fictilia aureis, & lignea præferantur argenteis. Sicut autem in ligneis, & fictilibus eorum hominum ſpecies figuratur, qui nullis adhuc virtutibus nitent: ita in aureis, & argenteis hi ſine dubio declarantur, qui per longæ eruditionis ignem, & per fornacem diuturni laboris excocti, aurum probatum, & argentum purum eſſe meruerunt. Quibus ſi merces pro deuotione non redditur, omnis Eccleſiaſtica diſciplina reſoluitur, omnis ordo turbatur, dum in Eccleſia, qui nullum ſubiere miniſterium, peruerſo eligentium iudicio, indebitum obtinent principatum.* Nullus planè ordo, ſed ſempiternus horror manet per eos, qui lignea, & fictilia præferunt aureis in principatu. Sed ſcire cupis, quæ ſint hæc aurea vaſa, quæ præferri debent? Iam explicant illa: *Qui per longæ eruditionis ignem, & per fornacem diuturni laboris excocti aurum probatum eſſe meruerunt.* Longæ eruditionis calor, & diuturnus labor facit vaſa aurea, quæ poni debēt in capite. Qui enim nec librum vtilem legunt, nec in doctrinis Sanctorum eruendis deſudant, ſed tota die otioſi, & vagi huc, illucque viſuntur, multum timere debent, ne prælaturæ eorum non ad ordinem, ſed ad ſempiternum horrorem pertineant. De quodam iſtorum dicebat Nazian-
Nazianz. zen. orat. 20. *Nec thronus intremiſcit, nec ex aſpectu horrorem concipit, hominem commentis ſtudioſum infrà ſe videns.* Credebat ſanctus Doctor ad horrorem, & timorem pertinere eorum prælaturas, qui infra ſe & ſapientiæ, & cæterarum virtutum ſtudioſos, vident.

§. XIII.

In Maria Deipara manibus non poſſumus non admitti à Deo.

NOn vacua venit nobilis Regina ad Salomonem, quin potiùs dicit text. de illa: *Dedit ergo Regi centum & viginti talenta auri, & aromata,* &c. Nec quicquam fuit à Regina Salomoni oblatum, quod ille gratiſſimè non acciperet. Et cur repelleret ſapiens Rex, quæ offerebantur per tantæ Reginæ manus? Sic nec credo à vero Salomone Ieſu vnquā repelli, quicumque offertur manibus Mariæ, Angelorum, homi-
Cant. 1. númque Reginæ. Clamabat ſponſa Cant. 1. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie?* Vbi paſcat Dominus? Reſpondit ipſa c. 2. *Paſcitur inter lilia.* Quod ſi verū eſt, quòd Deus inter lilia paſcatur, quis homo terrenus ſperet ad Dei paſcuam pertinere? Quando mei cordis terra vix aliud profert, quam ſpinas, & tribulos, vnde ſperabit grata eſſe illi, qui ſola paſcitur inter lilia? Confugiendum mihi eſt ad manus Mariæ, quæ vt floridæ ſunt, ſic quæcumque offerant filio, non timebunt repulſam. Pro quo aiebat D. Bern. ſer. in Natiu. Mariæ de aquæductu: *Fortè manus tua, aut ſanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quod non eas ab omni munere excuſſiſti. Ideoque modicū iſtud, quod offerre deſideras, gratiſſimis illis, & omni acceptione digniſſimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam. Nimirum candidiſſima quædam lilia ſunt, nec cauſabitur ille liliorum amator inter lilia non inuentum, quidquid illud ſit, quod inter Mariæ manus inuenerit.* Dum ergo per Mariæ manus Domino ſiſtimur, non timeamus repulſam, vt qui inter lilia exiſtentes, gratam exhibeamus paſcuam Deo.

§. XIV.

Mariæ Deiparæ petenti nil nouit Deus denegare.

ILlud de Salomonis magnificentia erga Reginam Saba dicitur: *Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petiit ab eo.* Magnum hoc in Rege temporali; ſed accipe maius in Rege diuino, qui ſemper Mariæ matri dat omnia, quæ vult, & ab eo petit. Quando petitio Mariæ non efficax apud Deum? De illa dicebat Cant. 7. *Guttur tuum ſicut vinum optimum; dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.* Quæ verba ſic pulcherrimè elucidat Card. Hailgrinus in Mariæ laudem: *Guttur etiam diuidit eſcas, & bonus retinet, malas reiicit. Commendatur ergo diſcretio Virginis in precibus; quæ hoc ſolum petit, quæ diſcretè petitur, quod bonum, quod pium. Hoc verbum deprecatorium optimo vino ſimile, dignum eſt dilecto ad potandum, vt ei placeat, & ipſe delectetur in eo. Et ſicut vinum bonum ſine difficultate, & cum delectatione ſorbetur: ſic petitiones Mariæ cum omni facilitate, & delectatione filius admittit. Vinum quia eius, quod bibitur, guſtus citò præterit, eius verò, quod ruminatur, ſapor, diu remanet, ſubdit: Et dentibus illius ad ruminandum, vt ſic oſtendas, quòd non perfunctoriè, ſed tamquam affectus placito dulcedine, in matris petitionibus filius ſpecialiter delectetur.* Sic matri petenti filius Deus delectabiliter acquieſcit, vt nullam eius nō admittat, & adimpleat precem. Aiebat ipſe Cant. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea, ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Vulneraſti, ait, ſiue, vt Septuag. legunt, *Abſtuliſti mihi cor,* rapuiſti omnem affectum, vt nihil tibi negare poſſem in vno oculo, & in vno crine. Et quid eſt illud vnum oculorum, ſeu crinium Mariæ, quod ſic afficit Deum? De Anna matre Samuelis petitionum ſuarum valentiam apud Deū cognoſcente dicit text. 1. Reg. 1. *Et vultus eius non ſunt amplius in diuerſa mutati;* dum nondum exaudiebatur, huc illucque labia eius mouebantur præ anguſtia; at cùm exauditur, nullus motus in labiis, nulla in vultu mutatio fit, ſed idem vultus, eadē facies manet. Quò ſpectās Dominus ſub vno oculorum, & crinium matris, hanc notat petendi efficaciā, quā habuit illa, cuius vultus non in diuerſa fuit mutatus, ſed idem perſeuerabat. Supra omnes enim, ſiue viros, ſiue fœminas, petitio Mariæ apud Deū præualuit. Huc refero Rupert. lib. 3 in cant. ſanè: *Itaque ſemper, & vbique vnum ſiue vnitatem habens oculorum, id eſt, vultum in diuerſa non mutatū vulneraſti cor meum. Alij quondam fortes, & validi me tenuerunt, & luctando fortiter, contra Deum fortes fuerunt. Et illi quidem luctando, atque vincendo, æternam ſibimet benedictionem, & neceſſariam peccatori populo ſuo indulgentiam obtinuerunt, tu autem quid non inueniſti, quid non obtinuiſti vulnerando cor meū.* Nota fuit Anna in impetrādo filio, notus fuit Iacob, in extorquēda benedictione; ſupra hos, & vniuerſos alios Maria, ſic abſtulit cor diuinū, vt omnia ab illo obtineret. Equidē nūquā nō audita eſt Maria pro ſua reuerētia; nūquā non fuerūt eius orationes per ſe maximè reuerēdæ. Luc. 1. *Ingreſſus Angelus ad eā, dixit ei: Aue gratia plena, Dominus tecum.* Scio D. Ildephonſ. alióſque PP. putantes tūc tēporis Mariā in lectione & oratione eſſe. Cur ergo Angelus ſuū miniſteriū circa orationē Mariæ nō priùs cōmēdat? Angelus Raphael vbi ſeſe Tobiæ oſtēdit, ſtatim ait c. 12. *Quādo orabas cū lachrymis,* &c. *Ego obtuli orationes tuas Domino.* Sic etiā Angelus apparēs Cornelio Act. 10. inde orditur ſermonē ſuū: *Orationes tuæ aſcēderūt;* &c. Imò omniū Angelorū hoc eſt munus, vt orationes fideliū Deo repræſentēt. Cur ergo Angelus ad Mariā accedēs non

priùs

Digitized by Google

priùs recolit miniſterium circa orationes eius? Cur non magis orditur ſermonem ſuum à miniſterio eius orationibus exhibito? Orationes Mariæ non egebant Angelorum miniſterio; illas enim Angeli non commendabant, ſed ſua reuerentia oſtendebant efficaces apud Deum. Bernard. Bernard. ſermon. 3. in Annunt. ait: *Solent Angeli aſtare orantibus, & delectari in his, quos vident puras manus leuantes in oratione, holocauſtum ſanctæ deuotionis gaudent ſe afferre Deo in odorem ſuauitatis. Mariæ autem orationes, quantum placuerint in conſpectu Altiſſimi, Angelus indicauit, qui ingreſſus ad eam, tam reuerenter ſalutauit.* Aliorum orationes de ſuo miniſterio commendabant Angeli, orationes autem Mariæ, non commendatione miniſterij ſui, ſed reuerentia, & adoratione Angelus extollebat, vt quæ ante Angelorum miniſterium omnia obtinebant à Deo. Quod noſcens antiquus hoſtis nihil magis curauit, quàm ne daretur locus Mariæ interceſſioni, quæ ſi ſemel eſſet, non inueniretur ſine effectu. Id adumbratum inuenies in Aſſuero Rege Perſarum, cùm omne Iudæorum genus ad mortem damnauiſſet. Poſt quam ſententiam, adeò interclufus erat aditus ad Regem, more gentium, vt nemini liceret ad illum ingredi, ſub capitis pœna. Pro quo dicebat Eſther

Eſther 4. cap. 4. *Ego cùm ancillis meis ſimiliter ieiunabo, & tunc ingrediar ad Regem, contra legem faciens, non vocata, tradenſque me morti, & periculo.* Et cur vel dilectiſſimæ coniugi adeò erat obſtruſus aditus ad Regem poſt tam ſanguineam ſen-

Rupert. tentiam? Ait Rupertus lib. 8. de victor. Verbi Dei cap. 10. *Ea lege diabolus per Aman abuti voluit, vt dum ille accuſator tam familiaris Regi immineret; & ad excuſandum nullis aditus pateret, ad exorandum nullus acceſſus fieret, emuncta Regis ſententia curreret irreuocabilis, atque ita draconi liceret deuorare non ſolum conceptum, verùm etiam totum corpus Eccleſiæ.* Ea fuit diaboli aſtutia, ne aditus ad Regem, vel Reginæ concederetur, vt ſic populus Dei irreuocabiliter perderetur. Sciebat aſtutus, quòd ſi vel Reginæ aditus relinqueretur, non iret in perditionem Dei populus. Quid aſtutius? Notum eſt diabolo, notum eſt omnibus gentibus, quòd ſi Reginæ cœleſti Mariæ ſit acceſſus ad Deum, etiam iratum, non ibit in interitum hominum genus. Nunquam enim ſine effectu eſt Mariæ interceſſio. Ideo totis viribus curat diabolus obſtruere occaſiones, ne Maria intercedat.

3. *Regum* 10. Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ diuitiis, & ſapientia. Et vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius. Et ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea, *&c.*
Fecitque vt tanta eſſet abundantia argenti in Hieruſalem, quanta lapidum, *&c.*

§. XV.

Cœleſtes animi non niſi ad diuina mouentur.

DItiſſimi, & magnificentiſſimi Salomonis vultum vniuerſa terra quærebat, dicit namque: *Et vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis.* Terra, inquam, deſiderabat Salomonis vultum, non cœlum, hoc eſt, terreni omnes, non cœleſtes animi. Horum enim affectus non

Matth. 2. mouentur niſi ad Deum. Matth. 2. clamabant illi: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus*, &c. Veniebant hi magi ad recens natum Regem Iudæorum, ſed antequam viam arriperent, ingenuè fatentur ſe vidiſſe ſtellam præpropero curſu ad illum procedentem. *Vidimus*, aiunt, *ſtellam eius in Oriente*, quæ proculdubio in eadem via præcedebat eos. Nec miror, quòd terra Orientalis ſuos Magos mitteret, qui cantatiſſimum Iudæorum Regem viderent. Illud mihi magis mirandum videtur, quòd cœli ſtellam etiam mittant ad eundem Regem. Quid facitis cœli, ſic etiam vos mouemini ad Reges mundiales? Abſit hoc à cœleſtibus virtutibus; forſan enim magi in vitæ initio Regem temporalem quærebant; cœli autem nec vllum motum ad illum exhibent, quin priùs nouerint, non Regem temporalem, ſed Deum. Quò ſpectans D. Gregor. PP. homil. Greg. PP.

in præſenti ſatur: *Deum hunc cœli eſſe cognauerunt, quia protinus ſtellam miſerunt.* Ex eo, quòd cœli miſerint ſtellam ad Ieſum, colligitur illum cognouiſſe Deum. Nequirent enim cœleſtes virtutes, cœleſtes animi ad aliud, quam ad Deum moueri. Dicebat illa cœleſtis ſponſa

Cantic. 2. *Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi.* Erat *Cant. 2.*

equidem ſub vmbris, ſed deſideria eius minimè ferebantur ad vmbras. Cur ergo amore dilecti æſtuans non etiam vmbrarum afficitur deſiderio? Planè cœleſtis ſponſa nequit aliud, quantumuis amœnum deſiderare præter

vnum Deum. Vt dicat D. Bernardus ſermone de Aquæ Bernard.

ductu in Natiuit. Mariæ: *Non ait, ſub vmbra eius, quam deſideraueram, ſed ſub vmbra eius, quem deſideraueram, ſedi. Neque enim ipſius expetierat vmbram, ſed ipſam profectò meridiem, lumen plenum de lumine pleno.* Non equidem ad adumbrata bona, ſed ad clariſſimam Deitatem feruntur animi cœleſtes.

§. XVI.

Sola quæ à Deo virtus eſt, poteſt vniuerſam terram peruadere.

MIraris vniuerſam terram commotam pro Salomonis ſapientia haurienda. Vnde enim ſapientia hominis potuit tam latè diuagari? Ait text. *Vniuerſa terra deſiderauerat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius.* Non quælibet ſapientia, ſed ſapientia à Deo Salomoni data deſiderabatur hauriri ab vniuerſa terra. Sola enim virtus, quæ à Deo eſt, po-

teſt ſic terram peruadere vniuerſam. Pſalm. 18. *In Sole* *Pſalm. 18.*

poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit, vt gigas ad currendam viam; à ſummo cœlo egreſſio eius. Et occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius. Quibus manifeſtè oſtenditur incarnatæ ſapientiæ ortus, cuius calor vniuerſam penetrauit terram; nec eſt natio adeò longinqua, quæ non adoret filij Dei aduentum. Et vnde valuit ſic Saluatoris noſtri doctrina peruadere vniuerſum? An quia in Sole tabernaculum ſuum poſuerat? An quia à ſummo cœlo egreſſio eius? Equidem quia cœleſtis, & diuinus erat ortus eius, inde habuit quòd perueniret terram

vniuerſam. Ait Origen. hom. 1. in Viſit. Mar. *Niſi fuiſſet* Orig.

cœleſtis, & beata natiuitas Saluatoris, niſi habuiſſet diuini aliquid, & humanitatem hominum ſupergrediens, nunquam totum orbem illius doctrina penetraſſet. Quis tot mundialia impedimenta ſuperaſſet, vt curreret doctrina eius, niſi Deus? Crede mihi de ſolo adiuncto Deo venit, quòd poſſit occupari vniuerſa terra. Dicebat Luc. cap. 2. *Exiit edictum* *Luc. 2.*

à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Sic Cæſar edictum mittebat ad vniuerſum orbem. Et quomodo

ſtaret ad Cæſaris edictum orbis vniuerſus? Ait Beda ibi: Beda.

Exiit ergo edictum à Cæſare Auguſto, vt cenſum profiteretur vniuerſus orbis, quia imminebat edictum Regis Chriſti, quo ſalutem conſequeretur vniuerſus orbis. Non equidem edictum Cæſaris peruaderet orbem vniuerſum, niſi de adiuncto vicino edicto Chriſti, qui totum orbem curare intendebat. De ſolo enim Deo venit, quòd totus occupetur, & trahatur orbis.

§. XVII.

Magnificatio firmior hominis non tam in temporalibus bonis, quàm in humilitate conſiſtit.

ECce tota magnificatio Salomonis, quàm leuibus fundamentis nitatur, quippe ait: *Magnificatus eſt ergo Salomon ſuper omnes Reges terræ diuitiis, & ſapientia.* Et quantula hæc magnificatio, quæ in ſapientia carnis, & diuitiis temporalibus conſiſtit? Meritò dicebat D. Leo ſer. 7. Leo.

de Epiphan. *Tota Chriſtiana ſapientia diſciplina, non in abun-*

dantio verbi non in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis, & gloriæ, ſed in vera, & voluntaria humilitate conſiſtit, cauet ſibi diſciplina chriſtiana ab omni temporali ſplendore, ab ſcholarum bombis, à laude, & gloria hominum; vnam quærit humilitatem, in qua ſola firmior conſiſtit, & clariores agit triumphos. Pariens Maria veram ſapientiam

Luc. 2. Patris, Ieſum meum. Luc. 2. *Reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio.* Et eſto, quòd naſcenti Dei ſapientiæ non eſſet locus in diuerſorio, nonne erat ei locus in templo, in Sanctuario? Cur Domine paratum tibi locum in Sanctuario non occupas? Cur magis tibi præſepe placuit, quàm Sanctuarij locus? Equidem Sanctuarium, aut auro, & gemmis, diuitiiſque temporalibus plenum erat, ſi non dabat naſcenti Ieſu locum qui de præſepij humilitate, & viliare fœcundiorem ſumebat materiam ad excitandas ſuis immarceſcibiles, & magnificas coronas.

Chryſoſt. Ait Diuus Chryſoſtomus homil. 2. in Luc. *Non inuenit locum in Sancto Sanctorum, qui auro, gemmis, ſerico, & argento fulgebat, & tamen non naſcitur inter aurum, & diuitias, ſed in ſtercore naſcitur, hoc eſt, in ſtabulo. Propterea in ſtercore naſcitur, vt eos, qui ſunt de ſtercore, ſubleuet. Leuans de ſtercore inopem. In ſtercore naſcitur, vbi & Iob & ſedebat, & poſtea coronatus eſt.* Fugit Dominus aurum, fugit opes Sanctuarij; vt quæ cenſeantur inter mundi inania; magis eligit humilia ſtabuli, ſtercus ſtabuli, quod iam dudum fœcundum nouerat ad coronas pariendas immortales. Quis ignoret triumphantium agmina à Deo de ſtercore humilitatis leuata? Quis non videat Iobi certamina, & triumphos per Deum in ſterquilinio conſummatos? Non equidem à ſuperbis opibus, ſed à ſterquilinij humilitate

D. Thom. magnificatio hominis firmatur. Vt dicat D. Thom. lib. 3. de Regimin. Princip. cap. 14. *Omnes magni Principes, & Monarchi cum humilitate ſubiugauerunt mundum, ſed cum ſtatu elationis perdiderunt Dominum.* Sic ibi.

§. XVIII.

Gloria Principis non in congerendis diuitiis, ſed in communicandis.

HOc maximè dictum ad commendationem Salomonis, nimirum, *Fecitque, vt tanta eſſet abundantia argenti in Hieruſalem, quanta lapidum.* Non ſibi ſoli aurum, congeſſit, vt ipſe diuitiis omnes ſuperaret, ſed & fecit, quòd argentum, aurumve ad omnes ſuos ſubditos peruenirent in tanta, & tam inaudita abundantia, quanta erat abundantia lapidum Gaudebat equidem bonus Princeps, non tam ipſe diues eſſe, quàm diuitibus imperare. Fabri-

Fabr. Conſ. cius Conſul Romanus excepit Legatos Epirotarum, qui non paruam vim auri Conſuli offerebant. Ipſe autem deſpiciens aurum dixit Legatis: *Narrate Epirotis me malle hoc habentibus imperare, quàm ipſa poſſidere.* O magna Principis præſtantia! qui ſapientiſſimè in eo ponit gloriam ſui principatus, quòd non miſeris, & depauperatis, ſed diuitibus imperet. Sic Valer. Max. & Vegetius de re militari c. 4. de Fabricio retulere: & ſic referendum eſt de omni glorioſo Principe, qui malit diuitias effundi in ſubditos. Rex regum,

Ioan. 2. Dominus meus Ieſus ingreſſus templum Ioann. 2. *Cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit.* Expendite facinus optimi Principum; caſtigare voluit ſacrilegos nummularios, quos inuenit multo nummo plenos, & quid fecit? Eripuit illis nummos, vt ſibi acquireret? Minimè, ſed potiùs ait: *nummulariorum effudit æs*, non ſibi acquiſiuit nummos, ſed illos effudit, vt à ſe effuſi ad colligentes peruenirent. Ex quo docebat Eccleſiæ Princi-

Bernard. pem Eugenium Pont. Max. D. Bernard. lib. 1. de conſiderat. circa finem, aiens: *Et tu flagellum tene, Timeant nummularij, nec fidant in nummis, ſed diffidant, abſcondant æs ſuum à te, ſcientes effundere, quàm accipere paratiorem.* Expende illud optimi Principis inſigne, nimirum: *Effundere, quàm accipere paratiorem.* Paratior ſit Princeps non tam ad recipiendas diuitias, quàm ad illas in ſubditos effundendas, quo ſubditi diuites eſſe poſſint. Vt ſic de illis non pecunias,

Luc. 2. ſed fidem magis ſperare poſſint. Luc. 2. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Et ſub hoc edicto naſci voluit Rex omnium Ieſus. Et cur ſub hoc edicto naſci voluit? Vt oſtenderet, quàm meliùs Rex regum impleret, & Auguſti, & Cæſaris nomen, non pecunias, ſed fidem à ſubditis extorquens. Beda ibi: *Ieſus vocabulum* Beda. *Auguſti perfectiſſimè complens, vtpote ſuos, & augeſcere deſiderans, & ipſe augere ſufficiens, cenſuibus ſuæ profeſſionis non ablatione pecuniæ ſubiectos, ſed fidei oblatione ſignare præcipit.* Quid regalius? Subiectos ſignat oblatione fidei, non ablatione pecuniæ, vt qui malit illos omnibus abundare bonis.

CAPVT XV.

Salomonis lapſus.

TEXTVS HISTORIA.

SVPERBAE Salomonis opes eò deuenerunt, vt hominem in profuſiſſimam libidinem impellerent, & per obſcœnas carnis voluptates miſerè raperent. In tantum enim flamma laſciuiæ in eo creuit, vt cùm Pharaonis filia ſibi adiuncta, ſeptingentas alias Principum viciniorum filias, & trecentas nobilium hominum puellas ſibi deſpóſauerit. Septingentæ illæ vxorum agnomine honeſtabantur; trecentas alias concubinas vocabant, præter quas, è plebe quæcumque pulchra virgo apparebat, ad regias delicias deſtinabatur, quarum numerum minimè obſeruabant. E tanto puellarum grege plurimæ in Ethnicorum parentum perfidia educatæ, vt Salomonis nuptiis potirentur, paternis diis renuntiarunt; quorum cultum poſtea ſuſpirantibus, ſic annuit Salomon, vt ſuis expenſis, fana illis erigeret, & denique abiecto vero Deo, illis toto corde ſacrificarit. Sic illum Dei familiarem, & ſapientem virum impotens fœminarum amor, in ſcelerum abyſſum præcipitauit.

MORALIA CIRCA textûs litteram.

VIſis diuitiis, & deliciis Salomonis neceſſum eſt, vt videamus, qui ab illis exiſtant partus, nihil enim temporalia hæc bona ſolent priùs, quam præcipitia monſtrare.

3. *Regum* 11. Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Cethæas, de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël: Non ingrediemini ad eas, nec de illis ingredientur ad veſtras: certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum. His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore.

§. I

Superbia comes laſciuia.

ECce quò deuenit tota opulentia Salomonis, nimirum ait: *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis*, quibus inordinatus eius, & profuſiſſimus in libidinem explicatur affectus. Nec miror, ex opulentia tanta vix potuit non naſci ſuperbia, & elatio in animo eius, ſic ex ſuperbia quaſi neceſſario ad laſciuiã deuenit. Eſt enim laſciuia inſeparabilis comes ſuperbiæ. *Amos* Clamabat Amos cap. 6. *Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes*

Digitized by Google

tis pompaticè domum Iſraël. Sic Propheta traducit Principum Iſraëlitarum elationem ortam ex opulentia diuitiarum. Sed quid mirum, quòd opulenti & diuites Principes aliquo elationis morbo corripiantur? Nonne is morbus in illis aliquo modo veniabilis eſt? Forſan in opulentis Principibus elatio ſuperba eſſet veniabilis, ſi in ea conſiſterent ſola; at vbi ſuperbiæ dant locum, eumdem videntur & laſciuiæ dare. Non enim in eis ſola erat ſuperba elatio, ſed & hanc laſciuia comitabatur. Ibi aiebat Ruffinus:

Ruffin. *Numquam enim vos magis quàm aduerſatum tempore publicaſtis, quanta vos luxuriæ impleuiſſet ambitio, qui gentis imperio, maiori ex parte conſumpto, intra obſeſſas tamen vrbes opulentia tumetis, luxuriaque diffluitis.* Expende hæc pulchra: *Opulentia tumetis, luxuriaque diffluitis*; ſimul ſuor, & tumor ſuperbiæ, & profuſio luxuriæ: quaſi nequeat ſuperba elatio non ſociari

Oſe.12. luxuria. Quò ſpectans Oſeas cap. 12. ait: *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum*, eo enim ipſo, quòd quis ventoſa elatione paſcatur, quaſi neceſſum eſt, vt ardeat carnalium æſtu voluptatum. Quocirca dicebat Rupert. *Ventum namque paſcere, eſt ſuperbiæ ſpiritu inflari, ſequi verò æſtum, luxuria corrumpi, quæ peccata, vel vitia conſequentia ſunt, ita vt cùm ſuperbia ſpiritum euexerit, carnem quoque corrumpat ſpiritus fornicationis.* Difficile eſt ſeparari hæc vitia; ſi præcedat ſuperbia vel in ſecreto cordis, numquam non illam ſequitur manifeſta luxuria. Quis ignoret luxuriam Sodomorum, qua meruerunt ardere flammis ſulphureis? Dicebat

Ezech.16. Ezech. cap. 16. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia*, &c. In capite laſciuientium Sodomitarum ponitur ſuperbia, vt oſtendantur inſeparabilia eſſe vitia ſuperbia,

Origen. & luxuria. Pro quo dicebat Orig. hom. 9. in Ezech. *Iactatia gloriæ Sodomiticum crimen eſt. Sunt autem quædam Ægyptia peccata, quædam Sodomitica; ſunt alia Babylonica*, &c. Et cùm ſingulæ prouinciæ propria habeant peccata, Sodoma propriam habet iactationem gloriæ: ne inueniatur hoc vitium niſi in luxuriæ matrice. Huc trahe dicta tom. 1. de Chriſto fig. lib. 1. cap. 2. §. 11. & in præſenti lib. 10. cap. 2. §. 14.

§. II.

Totum Aularum negotium circa amores fœminarum.

Miraris, quod dicit: *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas.* Ego plus mirarer, ſi vel vna puella pulchra vicina eſſet, cuius fama non veniret ad Regem, vt à Rege amaretur. De qua enim alia re agitur in aulis Principum? Planè hoc vnum negotium in aulis eſt, ſi

Geneſ.12. quæ ſit pulchra, ſi quæ ambienda. Geneſ. 12. *Cum ingreſſus eſſet Abraham Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quod pulchra eſſet nimis. Et nuntiauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & ſublata eſt mulier*, &c. Quid frequentius? Vix puella formoſa apparet, & ecce aulæ implentur fama illius; huc Principum oculi, huc Principum linguæ. Nihil eſt pulchritudinis, nihil eſt gratiæ in puellis, quod non renuntietur, & prædicetur, & ambiatur à Principibus, quaſi in nihil aliud aulæ inſti-

Lippom. tutæ ſint. Aiebat Lippoman in catena. *Videamus ergo eam ſemel, & iterum curioſè ſcrutetur, vt aulicorum, ac carnalium Principum ſtudia diſcas. Qui tantopere mulierem laudauerunt Regi, per omnia Regum moribus ſeſe attemperantibus illis, qui in domibus Regum ſunt.* Expende illa, *vt aulicorum ſtudia diſcas*, eò tendunt vniuerſa aulicorum ſtudia, vt ſciantur pulchræ puellæ, & ambiantur, & adamentur omnes. Non eſt aula, quæ his ſtudiis non ferueat, quæ tota amoribus fœminarum

Matth.2. non incumbat. Hinc Matth. de Magis locutus ait: *Reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt.* Non amplius ad Herodis aulam redeunt, ſed aliam

Chryſoſt. viam arripiunt. De quo ait Chryſoſtom. hom. 1. ex variis in Matth. *Poſt oblata itaque munera, admonentur Magi, ne redirent ad Herodem Regem: & ſic per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Exemplum nobis pudicitiæ, ac fidei præferentes*, &c. Expende illud ſingulare dictum, nimirum, *Exemplum nobis pudicitiæ præferentes*, quippe quod admoniti non redeant ad Herodem, ad pudicitiæ exemplum refertur à Chryſoſt. Et quid habet cum pudicitia commune, quòd Magi non redeant ad Herodem? Equidem non poteſt non maximè ad pudicitiam, & caſtitatem pertinere, quòd fugiantur aulæ Principum, in quibus totum negotium, totum ſtudium, tota conuerſatio eſt de fœminarum pulchritudine.

§. III.

Luxuriæ peccatum numquam inuenire ſolet ſine aliis plurimis.

Non ſolùm Salomon vt equus laſciuiens ad fœminas currit, ſed, & alienigenas quærit, quarum connubia ſingulariter à Deo Iſraëlitis prohibebantur. Dicit enim: *Salomon adamauit mulieres alienigenas multas*, &c. *de gentibus, ſuper quas dixit Dominus filiis Iſraël, Non ingrediemini ad eas*, &c. Non ſolùm amabat fœminas laſciuè, ſed illas amabat, quæ peculiari lege erant prohibitæ. Quas leges non rumpat laſciuia? Ea eſt, quæ nequeat quieſcere in vnius legis confractione, ſed magis ab omnibus exorbitet legibus, & vagetur per omnia vitia. Geneſ. 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt vxores ſibi ex omnibus, quas elegerant.* Quid tunc ſtatim ſubdit: *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra*, &c. Hoc vnum peccatum filiorum Dei relatum fuerat, quod nimirùm laſciuè ad fœminas filias hominum cucurriſſent, & hoc ſolum flagitio narrato ſtatim ſubditur; *videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet.* Vna ſola laſciuiæ malitia dicebatur; vnde ergo apparuit tam multa malitia? Quando vna laſciuiæ malitia erat, non poterat ſic in vno ſiſtere, quod non ferretur ad multas alias malitias. Vt dicat D. Chryſoſtom. *Videns autem*, ait, *quod multa malitia hominum eſſet in terra. Ex hac enim malo opere, quaſi fonte quodam multa etiam alia ſuboriebantur peccata, & ideo dixit, quòd multa malitia hominum. Nam vbi ſcortatio, & luxuria, & tanta intemperantia, veriſimile eſt ibi, & ebrietatem, & crapulam, & magnam iniuſtitiam, & auaritiam, & innumera alia naſci mala.* Vna eſſe laſciuia non nouit, ſed ad omnia vitia alia hominem rapit; quibus ſemper hæc eſt coniuncta. adeò vt oblata laſciuia ſapienter putetur omne genus oblatum eſſe peccati. Nota eſt hiſtoria Ioſephi Geneſ. 39. vt ingreſſus cubiculum appetitus fuit à laſciua Ægyptia, quam ille viriliter propulſauit, dicente textu: *Nequaquam acquieſcens operi nefario dixit*, &c. Ecce tibi vnius laſciuiæ impetum fregit Ioſeph. Quid inde? Sapienter in eo ſolo creditur Ioſeph contudiſſe omne genus peccati, pro quo tollendo venit Saluator. Accipite D. Ephræmum de laudibus Ioſephi ſic fantem: *Deſcenſus Ioſephi in Ægyptum Saluatoris noſtri ſignificat deſcenſum in terram. Et quemadmodum Ioſeph intra thalamum incluſus, omnem peccati vim proculcauit, ac præclarat aduerſus Ægyptiam dominam ſuam; victoriæ coronas retulit; ſic Dominus, & Saluator animarum noſtrarum, ad clauſtra deſcendens inferni, omnem illic potentiam diræ mortis, inuictique tyranni ſubuertit, atque deſtruxit.* Expende illud, *omnem peccati vim conculcauit*, ſapienter enim ſentit vir ſanctus in vna conculcata laſciuia, conculcatam eſſe omnem vim peccati, adeò vt poſſit in eo triumphus figurari, quem de omni peccato, Saluator mundi reportauit. Vide tom. 3. de Chriſto fig. lib. 6. cap. 2. §. 11. Geneſ. 6. Chryſoſt. Geneſ. 39. Ephrem.

§. IV.

Per plura voluptuoſa obiecta homo vagatus facilius perit.

Illud in miſero iſto Principe ponderandum quòd textus dicit: *Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, & Cethæas.* Expende illa, *filiam quoque Pharaonis*; ſuprà enim cùm de Salomonis nuptiis, cum filia Pharaonis egimus, minimè vidimus Salomonem damnatum ob eas nuptias. Cur ergo modò etiam additur filia Pharaonis in damnationem mariti? Fortè filia Pharaonis cùm per ſe ſola amabatur à Salomone, licet cum aliquo exceſſu laſciuiæ amaretur, veniabiliorem in eo faciebat culpam; at huius amor exceſſiuus iunctus cum aliarum Moabitarum, Ammonitarum, Idumæarum, Sidoniarum, & Cethæarum amoribus, eam accendit pyram, excitauit flammam, quæ miſerum hominem adureret. De illo pinguiſſimo Amalecitarum Rege Agag luxuriæ typo aiebat textus, 1. Regum 15. *In fruſta concidit eum Samuel coram Domino.* Multi Reges deuicti ſunt ab Iſraëlitis; quorum alij ſuſpenſi ſunt lignis, alij vario genere mortis interfecti 1.Reg.15.

perfecti; de hoc ſolo pinguiſſimo Agag inuenio dictum, quòd conciſus in fruſta a Propheta conciderit. Et cur Samuel voluit, vt hic ſolus in fruſta conciſus caderet? Vt hic erat laſciuiæ typus, ſic oſtendebatur laſciuiæ finis venire, cùm ea in minutas partes diuiditur, vt nulla pars iungatur cum alia. Cùm enim ſic ſeparatim ſumitur minuta pars laſciuiæ, facilè abſumitur. At ſi multæ eius partes, nimirum multæ materiæ, multi fomites ſimul congregentur; tantum abeſt, vt tum cadat laſciuia, quin potius ipſa hominem perdet funditus. Rem
Greg. PP. pulchro exemplo explicat D. Gregor. PP. lib. 6. in 1. Reg. cap. 2. *Talis eſt Agag iſte, vt niſi conciſus in fruſta mori non poſſit. Vt enim diximus, more ignis libido ſuccenditur. Magnus quoque ignis diſperſus ſæpe extingui meliùs poteſt. Nam cum in vnum multi carbones conueniunt, ingentem maſſam prunarum faciunt. Ne ergo extinguens comburatur, prunarum maſſa ante ſapienter diſpergitur, vt per ſingulorum carborum fruſta velociter extinguatur.* Quid pulchrius? Plane vbi multi carbones conueniunt, eam efficiunt prunarum maſſam; quæ facilius adurat accendentem, quàm ipſa extinguatur. Quiſquis autem vult facilè talem maſſam extinguere, priùs diſpergit eam, & ſic ſingulas prunas ſeparatim facile extinguit, a quibus iunctis potiùs ipſe timebat comburi. Idem prorſus in re laſciuiæ accidit, ignis laſciuia eſt, ſi multæ eius prunæ coniunguntur, eam accendunt piram, quæ non facilè extingui valeat, ſed hominem to-
Gregor. tum ardere faciat. Vnde pergit Greg. vbi ſuprà: *Quid enim ſunt cogitationes luxuriæ niſi carbones ignis? Qui nimirum ſi in turba, aut in carne conueniunt, comburere cito poſſunt, extingui facilè nunquam poſſunt. Diſpergatur ergo ignis, in fruſta concidatur Agag, & cuſtodiatur mens, vt immundas cogitationes diſpergat, ne vnam alteri adhærere permittat,* &c. Vbi multi fomitis materia conuenit, vbi multæ prunæ libidinis coadunantur, ſibi homo ab exterminatore incendio ca-
Iob 3. ueat. Huc reſpiciebat Iob cap. 3. dicens: *Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem. Cum Regibus, & Conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines.* Cùm Reges dicit, non eos Reges intelligit, qui in mundo regnant; ſed illos Reges, qui regali corona à pudicitia inſigniuntur. Horum proprium eſt ſolitudines ſibi ædificare, vt triumphent. Contra quot armata luxuries populoſitatem cogitationum laſciuarum opponit, quibus opprimuntur.
Gregor. PP. Ait D. Gregor. PP. lib. 4 Moral. cap. 28. dicens: *Qui turi ſe luxuriæ ſubdit, ante oculos mentis ſchemata turpitudinum fingit, & hæc crebriùs agitur intentione cogitationis. Mens itaque hæc quaſi quemdam populum patitur, & inſolenti cogitationum tumultu vallatur.* Expende illa, *quemdam populum patitur,* quippe laſciuarum cogitationum populoſitas iuncta ad ſe rapit mentem, quæ erat caſta in ſolitudine.

§. V.

Luxuria ignis ardentiſſimus eſt, qui homines adurit.

MEritò Salomonis amor erga fœminas ardentiſſimus vocatur, cùm dicit: *His copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore.* Et quando laſciuus amor non maximè ardet? Crede mihi, luxuria ignis eſt, & vehementiſſimus ardor, qui totam hominis depaſcit virtutem. Quò ſpe-
Gregor. PP. ctans Gregor. PP. lib. 6. in 1. Reg. cap. 1. ait: *Quid enim eſt libido niſi ignis? Et quid exorta virtutes niſi flores? Quid item turpes cogitationes niſi paleæ? Quis ergo neſciat, quia ſi in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parua ſcintilla, quæ remanet, omnes paleæ accenduntur? Qui ergo virtutum flores in mente non vult comburere, ita debet libidinis ignem extinguere, vt per tenuem ſcintillam nunquam poſſit ardere.* Vt cauent omnes, ne ignis paleis accedat, quando amant incendia fugere. Sic debes cauere, ne libidinis ignis accedat ad tuas cogitationes, ſi enim eò acceſſerit, tale excitabit incendium, quod omnes tuas abſumat virtutes. Deuteron. 32. dicebat
Deut. 32. Dominus: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima, deuorabitque terram cum germine ſuo.* Siue, vt alii legunt: *Ignis exarſit ab ira mea, & ardebit vſque ad inferos deorſum, comedet terram, & naſcentia eius.* Et quis eſt ignis iſte, qui à Dei furore venit, vt perdat omnes ho-
Gregor. PP. minum virtutes; Ait D. Gregor. PP. lib. 21. moral. cap. 9. *Ignis terram, atque eius naſcentia comedit, cùm libido carnem, atque omnia bene acta conſumit. Nam quidquid procedit ex fruge rectitudinis, hoc nimirum concremat flamma corruptionis.* Ardentiſſima eſt flamma libidinis, quæ in homine nihil virtutis non abſumit.

3. *Regum* 11. Fuerúntque ei vxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ, & auerterunt mulieres cor eius. Cumque iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius. Sed colebat Salomon Aſtarthen deam Sidoniorum, *&c.*

§. VI.

Impiorum multitudini rarus obſiſtit, quin rapiatur ad facinora.

PRopone tibi ob oculos duo impiarum fœminarum agmina, hinc ſeptingentas Reginas, illinc trecentas concubinas, quæ omnes Salomonis animum impetunt, vt illum a Deo auertant, & iuſtitia. Nonne tot impietatis milites ad ſe rapient miſerum, & a Deo auertent? Ait textus: *Fuerunt ei vxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ, & auerterunt mulieres cor eius.* Nec miror, quis enim tantæ multitudini clamanti non concederet vel in maximo facinore? De perſecutoribus Ieſu locutus D. Luc. Luc. 23.
cap. 23. ait: *Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accuſare,* &c. Poſt ludibria, & colaphos, & ſputa, quæ pertulit Ieſus meus in domo Pontificis, ſurrexit omnis multitudo hoſtium, & duxit illum ad Pilatum, & ibi accuſabant eum. Et cur omnis multitudo Phariſæorum, & Scribarum ad hoc facinus cucurrit? Cur non potiùs demandatum fuit paucis aliquibus, qui facinus perficerent? Aſtutè factum eſt, vt id tractaret omnis multitudo, ne tantæ multitudinis clamoribus poſſet vel conſtantiſſimus iudex obſiſtere, ſed magis ei in nefario facinore conſentiret. Rem ſic ponderat D. Leo ſerm. 8. de Paſſ. inquiens: *Offerebant enim* D. Leo
Ieſum diris nexibus vinctum, colaphis, & alapis frequentibus caſum, ſputis oblitum, clamoribus prædamnatum, vt inter tot præiudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus abſoluere. Et quis audeat multitudini contraire vel in facinore? Rapitur homo ad facinus; vbi multi ſunt impij, qui impellant illum. Rarò cùm ab impiorum multitudine non transformatur homo in ipſa vitia. Apocal. 13. di- Apoc. 13
cebat Ioan. *Vidi de mari beſtiam aſcendentem;* & ſine dubio de homine peccati loquebatur, iam in beſtiam transformato. Et vnde homo cùm eſſet, potuit in beſtiam transmutari? Iam oſtendit Ioannes cùm dicit: *De mari beſtiam aſcendentem,* vt enim per mare multitudo gentium exprimitur, ſic qui de multitudine, & populoſitate malorum veniebat, non poterat non vel in beſtiam tranſire. Ait ibi Rupert
Rupert. lib. 8. in Apocal. *De mari, id eſt, de ſæculo præſenti nequam, de fluxu generis humani naſcendo beſtia talis aſcendit, de multitudine impiorum, de vndoſa populoſitate malignantium.* Inter malignantium populoſitatem miraculum eſſet, niſi homo transferretur in beſtiam, & iret in quodcumque facinus.

§. VII.

Idololatria coniunctiſſima libidini eſt.

SImul Salomon & luxuriæ ſe dedit, & idola coluit, vt de illo dicat text. *Deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos,* &c. Quod pulchre attingens Ter- Tertu
tullian. lib. 1. in Mar. cap. 23. ait: *A mulieribus autem poſſeſſus, & idolis Moabitarum, & Sidoniorum mancipatus.* Hæc conſequentia neceſſaria videtur, quod a mulieribus poſſeſſus, idolis ſit mancipatus. Dicebat Dominus Oſeæ c. 10.

Ex

Oſe. 10. *Ex diebus Gabaa peccauit Iſraël, ibi ſteterunt: non comprehendet eos in Gabaa prælium ſuper filios iniquitatis. Iuxta deſiderium meum corripiam eos; congregabuntur ſuper eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates ſuas.* Propter duas iniquitates corripiendus Iſrael aſſeritur, quarum vna manifeſtè explicatur verbis illis, nimirum, *ex diebus Gabaa peccauit;* quando ſcilicet Gabaitæ adulteri vxorem compreſſerunt Leuitæ, vt habetur Iud. 19. Ea igitur fuit vna iniquitas Iſraelitarum notiſſima; altera autem minimè explicatur. Et quando propter duas iniquitates plectendus aſſeritur Iſrael, & vna oſtenditur fuiſſe in adulterio in Gabaa commiſſo, cur etiam non explicatur ſecunda? Planè, in prima illa explicata iam ſatis innoteſcebat ſecunda; cùm tanta illa quidem Gabaitarum luxuria non poterat ſimul non eſſe idololatria. Ait Rupert. lib. 4. in Oſeam: Ex diebus Gabaa peccauit Iſrael. Peccauit autem illic ſemel, & iterum Iſrael. Venit Leuita in ciuitatem illam cum vxore ſua, & ecce homines ciuitatis illius circumdederunt noctе domum, in qua manebat, volentes illum occidere, & incredibili libidine vxorem eius vexantes. Rupert. *Vbi tanta regnabat corporalis nequitia fornicationis, iam inueneràt nequitia quoque ſpiritualis, & hoc nihilominus eadem ſcriptura denarrat, referens idolum factum in domo Michæ.* Non potuit tanta fornicationis nequitia ſine idololatria inueniri. Huc trahe dicta tom. 1. de Chriſto fig. lib. 1. cap. 2. §. 20. & tom. 2. lib. 5. cap. 32. §. 12. & alibi.

§. VIII.

A parentum virtutibus degeneres filij maximè Deo odioſi.

HVc ponitur, quaſi extremum malum in Salomone, nimirum: *Non erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo; ſicut cor Dauid patris eius.* Tantum patrem habens, nimirum Dauidem perfectiſſimum erga Deum, ipſe degenerans à patris perfectione idola colebat, in quo maximè Deo odioſus erat. Deus enim nunquam non inſectatur filios à virtutibus parentum degeneres. Dicebat Amos Amos 8. cap. 8. *Iurauit Dominus in ſuperbia Iacob. Si oblitus fuero vſque in finem omnia opera eorum. Numquid ſuper iſtud non commouebitur terra,* &c. Cùm audis Deum iurare in ſuperbia Iacob, hoc eſt, propter ſuperbiam Iacob, intellige Iacobi filios, populum à Iacob deſcendentem; cuius populi ſuperbia adeò offendit, vt illum iurare faciat pro vindicta ſumenda, qua totum illum populum perdat. Sed quando nec propter ſuperbiam Nabuchodonoſor iurauit Deus, nec propter ſuperbiam aliorum Regum, cur vna ſuperbia filiorum Iacob iuramentum extorquet à Deo de perdendo Iacobi genere? Vt Iacob pater fuit vir humillimus, vbique ſuam tenuitatem prædicans, ſic filij eius ſuperbientes multo degenerabant a virtute parentis; indeque reddebantur Deo infenſi, à quo iuratum ſupplicium, & pœnam extorquebant. Valde enim odioſi Deo ſunt filij, qui à parentum virtutibus degenerant. Rem ſic proponit Rupert. lib. 4. in Amos, dicens: Non dicit, Iurauit Dominus in ſuperbia populi; ſed iurauit in ſuperbia Iacob. Breuiter namque innuit, valde eſſe incongruum, magnaque animaduerſione dignam ſuperbiam in filiis hominis pauperis, & humilis, qui tota vita ſua fuit humilis. Qui pro vxore ſemel, & iterum ſeptem annis ſeruiuit: in conſpectu Pharaonis confiteri non erubuit, Dies peregrinationis meæ parui, & mali, & paſtores ouiũ ſumus ſerui tui, & nos, & patres noſtri. *In filiis,* inquam, *patris eiuſmodi, qui tam humiliter vixit, ſuperbia eſt valde reprehenſibilis, imò execrabilis. Et idcirco ſatis congruè iurauit Dominus, innuens, quòd grauiter tulerit, quòd à patre tam humili, tam longè ſuperbiendo degeneraſſent filij.* Numquam equidem Deo non graues, & execrabiles ſunt filij, qui à maiorum, parentumque virtutibus degeneres inueniuntur. Quid enim execrabilius in filio, quàm quòd nutritus in ſinu parentis humilis, pudici, fidelis, ipſe barathrum peccatorum declinet? Aiebat Iſaias cap. 1. Iſai. 1. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis.* Sic paulatim auget malitiam, vt in vltimo illius culmine ponat filios ſceleratos. Et quidem ad vltimum malum pertinet, quod habentes patrem ſanctum filij ſcelerati ſunt. Quod in ſpirituali generatione Iudæorum expendit D. Baſil. ibi, aiens: Baſil. *Ob hoc digni ſunt, qui deplorentur, & quos proſequamur luctu, quò pro eo, quòd filij eſſent Altiſſimi, filij facti ſunt exleges, & iniqui.* Hoc deploratum fuit in Iudæis, qui habentes patrem Deum, facti ſunt ſunt filij iniqui. Nec minus iuxta carnalem eorum deſcendentiam, in qua io immenſum gloriantur patre Abrahamo, & ſanctiſſimis illorũ progenitoribus, à quibus degenerantes ipſi non gloriam, ſed offenſam incurrũt. Pro quo D. Zeno lib. 3. ſer. 33. ait: *Iudæi vnde ſe beatos prædicant, infelices inde eſſe noſcuntur. Nam prædicant patres ſuos Ægyptium populum fugiendo deleſſe; Deum ſuis præfuiſſe motoribus; non intelligentes, quia exinde eos à facie ſua remotos poſt ſuum dorſum, cum poſt futuris abiecit.* Zeno. Non ad felicitatem, ſed ad infelicitatem pertinet, quòd habeas patres multis virtutibus inſignes, ſi tu degener ab illis declinas, inde autem magis in te eluceſcet æterna repulſa.

§. IX.

Monſtroſa filiarum facinora nullam notam parentibus inurunt.

INtra tres, aut quatuor lineas bis notat textus rectitudinem Dauidis erga Deum, à qua declinauerat Salomon per mulieres. Dixerat modò: *Non erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius.* Et ſtatim ſubdit: *Non adimpleuit, vt ſequeretur Dominum, ſicut Dauid pater eius.* Et cur in damnãda laſciuia Salomonis, qua ſe à Deo auertebat, adeò inculcat Dauidis rectitudinem erga Deum? Nonne etiam Dauid ſeſe laſciuiæ dedit? Nonne adulter fuit? Nonne Berſabeth pulchritudine irretitus à Deo declinauit? Cur ergo non ſemel, ſed & bis meminit rectitudinem Dauidis erga Deum, vt magis mordeat Salomonem à Deo ipſo auerſum? Imò cur non magis cauit nominare Dauidem in mordenda Salomonis laſciuia, ne patriſſaſſe videatur in illa? Non erat Salomonis laſciuia communis, nec vſitata, ſed prorſus inaudita, & monſtroſa, quæ non circa vnam, aut aliam fœminam domeſticam, ſeu vicinam; ſed quæ ſeptingentas puellas virgines ex alienigenis vxorum titulo petitas, & trecentas alias virgines concubinarum nomine ſtuprauerit, & inſuper alias plebeias puellas innumeras. Hæc hominis adeò monſtroſa, & inaudita laſciuia, nec parentibus eius, nec magiſtris, nec educatoribus poterat dari vitio. Marij Imperatoris tribunus, ſimul & eius propinquus ſtrenuum in exercitu militem deperibat, eique ardentiſſimo copulari cupiebat amore. Quod facinus damnaturus Quintilianus coram ipſo Mario, & Imperatore, & propinquo tribuni; veritus ne inde crederetur aliqua velle nota aſpergere Imperatorem, ait in declamat. 3. Quintilian. *En quanta delectus tuo ſit inuidia; diceres aduerſus Cimbros puerum probaſſe. Sed neque te militaris ætas feſellit, cuius certiſſima menſura eſt, poſſe fortiter facere. Neque illa libido fuit ſaltem vitiis vſitata, quæ ad obſcœnos Veneris impetus formæ cupidine incenditur, ſed quidam perditus contumeliæ amor, ac ſumma flagitiorum voluptas. Hoc ipſum, quod primus ante ſigna procurrit, quod veterã nos tyro præcedit, quod redit puluere, & cruore concretus, illud, illud, quod tam vir eſt. Vulgaria ſunt irritamenta cupiditatis, forma, ætas; ſingularis res eſt fortis concubitus,* &c. Quid pulchrius? Vbi inauditũ facinoris genus, & planè monſtroſum oſtẽditur in homine, nulla inde nota oſtenditur, qua poſſint aſpergi eius parentes, aut magiſtri.

3. *Reg.* 11. Igitur iratus eſt Deus Salomoni, quòd auerſa eſſet mens eius à Domino Deo ſuo, qui apparuit ei ſecundò, & præceperat de verbo hoc, ne ſequeretur Deos alienos, & non cuſtodiuit, quæ mandauit ei Dominus. Dixitque Dominus Salomoni: Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam, *&c.*

§. X.

Crebra, & aſſidua impugnatio vel validiſſimum animum infirmat, & expugnat.

ILlud mirandum in Salomone, quod de eo dicitur, nimirum: *Quod auerſa eſſet mens eius à Deo, qui apparuerat ei ſecundò.* Qui toties Dei fuerat, qui toties exceperat fauores diuinos, ad diuinam conuerſationem admiſſus, tamen mentem ſuam à Deo auertit. Quis hoc crederet, niſi nouiſſet aſſiduos illos aſſultus per tot agmina vxorum concubinarum, puellarum? Dicebat ſuprà: *Fueruntque ei vxores ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ, & auerterunt mulieres cor eius.* Quam rupem non excauent tot laſciuiæ decumani fluctus?

Gregor. Sapienter dicebat D. Gregor. 12. Moral. 13. *Salomon immoderato vſu, atque aſſiduitate mulierum ad hoc perductus eſt, vt templum idolis fabricaret, & qui prius Deo templum conſtruxerat, aſſiduitate libidinis, etiam perfidiæ ſubſtractus idolis conſtruere templa non timuit. Sicque factum eſt, vt aſſidua carnis petulantia, vſque ad mentis perfidiam perueniret.* Firmatus fuerat Salomon in Dei veri fide, duabus apparitionibus diuinis: inſuper & firmitudini ſuæ addiderat murum tot lapidibus quadris conſtructum, quod poſuerat in templo Dei ſummi. A quo ergo expugnari potuit homo vel tanta mole lapidum munitus? Pulchrè ait Gregor. *Aſſiduitate mulierum ad hoc perductus eſt, vt templum idolis fabricaret,* creber aſſultus tanti fœminarum agminis, aſſidua mille fœminarum lenocinia & animum excauarunt adamantinum, & perdiderunt hominem virtutibus validiſſimum.

Iob 14. Meritò dicebat Iob. cap. 14. *Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra conſumitur; & homines ergo ſimiliter perdis.* Permittit equidem Deus, vt homines eo modo perdantur, quo duriſſimi etiam lapides, & immenſi terræ aggeres perduntur. Et quomodo perduntur lapides? Aiebat ille: Gutta cauat lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo: aſſiduitas enim, & creber lapſus guttarum lapides perdit, & immenſos terræ aggeres allambit. Sic validiſſimos, & munitiſſimos animos aſſidua blandimentorum impugnatio proſtituit.

Gregor. Vt dicat D. Gregor. vbi ſuprà: *Lapides excauant aquæ, quia videlicet duritiam mentis abſorbent aſſidua, & mollia blandimenta libidinis, & lentum, atque ſubtile vitium corrumpit durum, & fortè mentis propoſitum.* Quis animus adeò lapideus, & adamantinus eſt, quem non molliant, & abſorbeant continua, & aſſidua libidinum blandimenta?

Prouerb. 27. Non longè ab hoc aberat Prouerb. 27. iuxta Septuag. lection. inquiens: *Stillicidia eiciunt hominem in die hyemali de domo ſua.* Quæ ſunt ſtillicidia, niſi crebri guttarum influxus, qui neglecti munitiſſimam perdũt domum.

Caſſian. Ex quo in rem noſtram Caſſian. collat. 6. cap. vltim. ait: *Eleganter mentis iniuriam domui comparauit, tectoque neglecto; per quam primò velutis munitiſſima quædam penetrant ad animam ſtillicidia paſſionum, quæ ſi velut parua, ac leuia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & poſthæc influunt imbres largiſſimi vitiorum, per quos in die hyemali, hoc eſt, tempore tentationis, ingruente impugnatione diaboli, expellitur mens de habitatione virtutum.* Cui & ſapienti, & piæ excogitationi ſubſcripſit Ethnicus

Plaut. Plautus in Moſtellaria ſatus:

Continuo pro imbre amor aduenit,
Is vſque in pectus permanauit, permadefecit
Cor meum. Nunc ſimul res, fides, fama, virtus
Decuſque deſeruerunt, &c. *Non video mihi*
Sarcire poſſe ædes meas, quin totæ
Perpetuò ruant, quin cum fundamenta
Perierint.

Dixiſſet hæc Salomon de ſe, qui aſſiduo amorum madefactus imbre, etſi ſaxeus videretur, tamen ruit.

§. XI.

Subita, & extemporaneæ tentationes excuſabiliter vel validiſſimum abripiunt.

INexcuſabilis eſt Salomon apud Deum in clade ſua, de qua dicit textus: *Iratus eſt Deus Salomoni, quòd auerſa eſſet mens eius à Domino Deo ſuo, qui apparuit ei ſecundò, & præceperat de verbo hoc, ne ſequeretur Deos alienos*, &c. Inexcuſabilis, inquam, eſt & dignus Dei ira, non tam quòd in adeò immania facinora deuenerit, quàm quòd in ea deuenerit admonitus, & præuentus à Deo. Præceperat illi Deus de verbo laſciuiæ, & de verbo idololatriæ, ad quod certiſſimè per mulieres erat trahendus. Quid mirum ſi inde inexcuſabiliter Dei iram incurrat? Solet enim Deus non ſic iraſci in eos, qui non præmoniti, ſed ſubitò, & extemporaneè à tentationibus abripiuntur. Quæ enim ſic veniunt tentationes, vel validiſſimos rapiunt. Iob c. 14. *Iob 14.* *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti iniquitatem meam. Mons cadens defluit, & ſaxum transfertur de loco ſuo. Lapides excauant aquæ*, &c. Fatetur peccata ſua à Deo obſeruata, ſed etiam illud notat, quòd iniquitate ſua, etſi maxima, tamen à Deo non iram, ſed extorſerint medicinam, ait enim: *Curaſti iniquitatem meam.* Et cur peccata ſua apud Deum, & excuſabilia, & curabilia fuerunt, nec negotiata ſunt iram, ſed medicinam? Rationem inſinuant illa verba: *Mons cadens defluit, lapides excauant aquæ.* Circa quæ verba D. Greg. Gregor. 12. Moral. 13. ait: *Duo ſunt genera tentationum. Vnum quod in mente etiam iuſti hominis per repentinum euentum agitur, quatenus ſic ſubitò tentetur, vt hunc inordinata proruentis concutiat, & proſternat, caſumque ſuum nonniſi poſtquam ceciderit videat. Quum ergo alia eſt tentatio, quæ iuſtos plerumque ſubita inuaſione proſternit, dicatur, Mons cadens defluit, id eſt, mens ſublimis impulſu ſubito transfertur ad culpam.* Nulla equidem mens adeò eſt ſublimis virtutibus, quæ ſi ſubitis, & minimè præcognitis tentationibus pulſetur, non rapiatur ad minimè excogitatam culpam, nec antea præuiſam. Ne miremur, quod hæ culpæ inexcogitatæ à Deo magis extorqueant medicinam, quam iram. Iræ magis ſubiectus eſt, qui præuentus & admonitus, nihilominus vadit in culpam. De Dauide dicitur 2. Reg. 11. *Cum ambularet in ſolario domus Regis, viditque mulierem ſe lauantem ex aduerſo*, &c. *tulit eam*, &c. 2. Reg. 11. Hæc fuit tota tragœdia Dauidis, qui & adulter, & homicida factus fuit ex Dei familiariſſimo. Cui nihilominus Nathan mittitur, qui hominem curet. Et cur Dauidis peccatum medicinam obtinuit, Salomonis autem peccatum magis traxit iram? Salomon præuentus, & admonitus ruit; Dauid autem ſubito impulſu decidit, in caſum, quem antea non viderat. Ait D. Gregor. ſuprà: *Dauid ſubito caſu defluit,* Gregor. *qui dum in ſolario deambulans, alienam coniugem concupiuit, & rapuit*, &c. *repentina caſu mons decidit, cùm mens illa myſteriis cœleſtibus aſſueta, inopinata tentatione deiecta eſt; tamque immaniſſimæ turpitudini ſubiecta.* Expende illud, *inopinata tentatione deiecta eſt*; nuſquam aliàs Dauid venenata carnis ſpicula ſenſerat, totus cœleſtibus cogitationibus immerſus. Nunc primum ad minimè nota præcipitia acceſſit, & ſubita tempeſtate, & inopinata ventorum vi iactatus pertulit naufragium. Ne miremur, quòd ei Dominus porrigat pœnitentiæ tabulam, qua euadat.

§. XII.

Nulla præuentio, aut admonitio ſufficit, ne à cœleſtibus cadas, vbi fœmina interuenit.

NOuum hoc in Salomone? *quòd auerſa eſſet mens eius à Domino Deo ſuo, qui apparuerat ei ſecundò, & præceperat de verbo hoc, ne ſequeretur Deos alienos.* Quippe præmonitus, & præuentus à Deo, ne per mulieres in idolatriam rueret, non ſe tamen continuit, quin incenſum idolis adoleret. Et cur non magis valuit præuentio Dei, & admonitio in viro adeò ſapienti? Iam dixerat paulò antè: *Mulieres auerterunt cor eius.* Vbi mulieres interueniunt, inefficaces ſunt præuentiones, & admonitiones vniuerſæ, quin imo quantumcumque admonitus, & præuentus deficies à cœleſtibus. Præuentus fuerat Petrus, & admonitus à Ieſu denegatione, qua illum negaturus erat. Qua admonitione Petrus adeò ſe confirmauit, vt diceret Matth. 27. *Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Matth. 27. Quid tunc? *Acceſſit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus.* Cur negas Petre, quando paulo antè ſic præmonitus, & præuentus fuiſti, ne negares. Nonè *acceſſit ad eum vna ancilla*, & vbi fœmina interuenit, nullæ præmonitiones facere potuerunt, ne obliuiſceretur, & negaret Dominum. Vt meritò dicat D. Hilar. canone 2. *Petrus amariſſimè fleuit, recolens trepidationis illius culpam.*

ſe aeque admonitum potuiſſe vitare ; expende illud , *atque admonitam potuiſſe vitare*, quippe nullæ admonitiones, aut præuentiones valere videntur , quominus cœleſtia
Matth.1. omnia relinquas, vbi fœmina intercedit. Matth. 1. de incarnatæ ſapientiæ generatione locutus ait : *Abraham genuit Iſaac , Iſaac autem genuit Iacob , Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar*, &c. *Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obeth ex Ruth* , &c. *Dauid autem genuit Salomonem ex ea , quæ fuit Vriæ* , &c. vſque ad Ieſum , qui de Maria natus dicitur. In eius genealogia quinque propoſitæ ſunt
Luc. 3. fœminæ. Aliter Lucas cap. 3. poſt baptizatum Ieſum , eius progenitores numerans , ait : *Qui putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathath, qui fuit Leui* , &c. *Qui fuit Adam , qui fuit Dei.* Nulla in tota hac genealogia fuit fœminæ mentio. Et cur Lucas nullam fœminam meminit in genealogia Saluatoris , Matthæus autem quinque poſuit fœminas ? Lucas oſtendebat , vt regeneratus in baptiſmo homo aſcendit ad Deum ; Matthæus autem voluit oſtendere , vt homo deſcendens à cœleſtibus veniebat ad terram. Ideo in deſcenſu hominis à cœlis in terram maluit proponere fœminas, quæ vbi interueniunt, non poteſt fieri , quòd homo à cœlis in terram non deſcendat. Non
Orig. longè abeſt Origen. homil. 28. in Luc. dicens : *Nec eædem perſonæ ſunt in generatione Ieſu, quando deſcendere dicitur, & quando conſcendere. Qui enim facit eum à cœlis tibi deſcendentem , mulieres non quaſlibet , ſed peccatrices , & quas Scriptura reprehenderat, introducit : qui verò baptizatum narrat , nullius mulieris facit mentionem.* Dupliciter oſtenditur Ieſus in genealogiis ſuis, in altera oſtenditur aſcendens ad Deum , in altera oſtenditur deſcendens à cœlis in terram. Qui autem eum deſcendentem oſtendit , in linea eius deſcenſus mulieres introducit , à quibus non poteſt non accidere homini, quòd à cœleſtibus deſcendat , & cadat in terram. Quis enim vitauit caſum in fœminarum interuentu? Rarus hic erit, & dignus laude æterna.

§. XIII.

In corrigendis potentibus te ipſorum Deum exhibebis.

VBi diuiſoæ minæ Salomoni proponuntur , ait textus *Dixitque Dominus Salomoni : Quia*, &c. Et quidem non Deus per ſe venit , nec Deus per ſe locutus eſt cum Salomone idololatra , ſed Propheta aliquis ad illum venit , vt quondam venit Nathan ad Dauidem patrem eius. Sic non pauci Doctores ſentiunt apud Salianum in præſenti. Et quando Propheta aliquis erat qui loquebatur, cur dicitur Dominus locutus Salomoni 2. Reg. 12. vbi Nathan venit ad Dauidem , Nathan oſtenditur loquens. Cur ſimiliter non oſtenditur Propheta locutus Salomoni , ſed Dominus dixiſſe fertur ? Erat Salomon potentiſſimus Rex , & proteruiſſimus peccator, in quo corrigendo non ſe hominem oſtendit Propheta, ſed Deum. Quaſi enim Deum gerere debet quicumque amat corrigere potentes proter-
Exod. 7. uos. Exod. 7. dicebat Dominus Moyſi : *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Non iudex, ſed Deus fit Pharaonis Moyſes, vt dij fiant, qui tales peccatores corrigere debent. Ex
Bern. quo D. Bern. lib. 4. de conſider. in fine Eugenium Pont. Max. monebat : *De cætero oportere te eſſe conſidero formam iuſtitiæ* , &c. *Sal terræ, orbis lumen , vicarium Chriſti; poſtremò Deum Pharaonis. Intellige quæ dico. Vbi malitiæ iuncta potentia eſt , aliquid tibi ſupra hominem præſumendum. Cui iraſceris tu , Deum ſibi iratum , non hominem putet. Qui te non audierit , auditurus Deum , & contra ſe paueat.* Sic in corrigendis potentibus peccatoribus docetur Pontifex, quòd aliquid ſupra hominem de ſe præſumat , & quòd in ſe faciat Deum timeri. Quid non terribile & diuinum in ſe oſtendebat pauperculus Elias aduerſùs Achab idolo-
3. Reg. 18. latram ? Ait 3. Reg. 18. *Non ego turbaui Iſraël, ſed tu & domus patris tui , qui dereliquiſtis mandata Domini : & ſecuti eſtis Baalim.* Et vnde pauperculus homo ſic audet in Regem ? Cur non magis veretur regiam iracundiam ? Vt vidit ibi potentiam adiunctam malitiæ, ſupra hominem ſeſe leuauit , & leoninam induit audaciam, qua poſſit timeri à potentiſſimo Rege. Ad hæc dicebat D. Chryſoſt. hom.
Chryſoſt. 8. de exhortat. ad virtutem ſatus : *Verè iuſtus vt leo confidit.*

Sicut enim leo in Regem tanquam vilem catulum quemdam inſurrexit. Et enim purpuram habebat ille, ſed hic meliorem habebat indumentum purpurâ illâ venerabilius. Purpura enim illa famem peperit difficilem , melote autem hæc grauia diſſoluit. Non acriùs ſurgit leo in catulum , vt Elias in Regem inſurrexit , tantum enim abfuit , quòd trepidaret ad conſpectum purpuræ , vt tunc magis ſibi aliquid ſupra hominem audere præſumpſerit , & diuinam virtutem in ſe exhibuerit.

§. XIV.

Parentis virtutes ut proſunt etiam filiis malis.

ISraelitici regni ſciſſionem minatus Dominus Salomoni, ſtatim ſententiam temperat , & executionem ſupplicij differt, aiens : *Veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauidem patrem tuum, de manu filij tui ſcindam*, &c. Peccauerat Salomon adeò, vt mereretur regno priuari , non tamen ille priuatur , ſed eius filius. Et cur non magis ille? Ait text. *Propter Dauid patrem tuum* , tanti parentis virtus profecit Salomoni , etiam nequam filio , ne meritam pro peccatis pœnam temporalem ſubiret. Ait ibi Theodor. Theodor.
quæſt. 35. *Diſrumpam , ait Dominus , regnum de manu tua. Deinde oſtendit immenſam bonitatem , dicens : Sed in diebus tuis non faciam hæc propter Dauid patrem tuum. Nam tu quidem habes patrem adiutorem.* Felix filius , cui bonus pater adeſt ; parentis enim virtus multum proficit filiis etiam dyſcolis. In duas generationum lineas diuiſum inuenio totum genus humanum ante diluuium. Altera 4. Geneſ. incipit à Cain , & deſinit in Lamech. Altera 5. Geneſ. incipit à Seth, & deſinit in Noe. Quæ generationes tandem inter ſe permixtæ in ea peccata dilapſæ ſunt, quæ iram Dei maximè mouerent. Voluit itaque Deus perdere vniuerſas has generationes ; verùm dum de eis perpendendis tractat , ſic afficitur ad generationem Sethi , vt in illa ſibi Noemum prouideret, qui diluuium euaderet & genus hominum æternaret in terra. Ait Geneſ. 6. *Dixit Dominus ad* Geneſ. 6.
Noe : Finis vniuerſæ carnis venit coram me, &c. *Fac tibi arcam*, &c. Et quando tam Sethi generationes , quàm Caini permixtæ erant , & eiſdem inuolutæ ſceleribus : cur magis de Sethi ſtirpe Noemum prouidit Dominus ſibi, qui communem euaderet pœnam , abſorpta Caini generatione vniuerſa ? Ait in eam præſentem D. Baſil. Sel. orat. 6. *At* Baſil. Sel.
Sethi filij generis ſanguine purgabantur ; Caini verò poſteris nequitia purganda diluuium apparabatur. Non habebant poſteri Cain auxilium à bono, & iuſto parente profectum, & ideo funditus in diluuio perdebantur. Sethi autem poſteri , vt ſanctiſſimum eum parentem habebant, ſic etiam ſi ipſi mali eſſent , à parentis , authoriſve ſui virtutibus conſeruabantur. Tanti eſt paterna virtus in filios etiam dyſcolos , & malos. Iſaias cap. 35. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos.* non legatum miſit, non ſeruum aliquem ad negotium ſalutis hominum peragendum , ſed ipſe Deus per ſe ad id venit. Et cur neceſſum fuit , vt Deus ipſe per ſe veniret ad ſaluandos homines? Vt ſolus Deus erat hominis author , & creator, ſic tanti authoris, & patris virtus facilius filios etiam malos , & dyſcolos ad ſalutem iuuaret. Quò ſpectans D. Auguſt. homil. 17. de tempore ait : *Ideo Deus noſter filium miſit ad hominem liberandum , vt cui dixerat : Faciamus hominem, ipſe etiam liberator eſſet , qui fuerat, & creator.* Vni authori, & parenti noſtro Deo committuntur peccatores homines liberandi ; virtus enim authoris, & patris nunquam non proficua eſt filiis etiam malis.

§. XV.

Sola virtus valet bona in nobis æternare.

FLorentiſſimo Regum Salomoni ob oculos proponuntur peccata , quorum cauſa ait Dominus : *Diſrumpens ſcindam regnum tuum , & dabo illud ſeruo tuo.* Nihil ad regni conſeruationem in Salomone deſiderabatur , non arma, non milites, non ingentes diuitiæ, non inexhauribiles theſauri, non fœderati alij Reges , ſed quia defuit vitæ rectitudo , non potuit regnum eius non tranſire ad alium. Quod notans in regnis hominum Baruch cap. 3. ait: *Diſce* Baruch 3.

Iſrael, vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus; vt ſcias ſimul vbi ſit longiturnitas vitæ, & victus, vbi ſit lumen oculorum, & pax. Vbi ſunt principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram? Qui in auibus cæli ludunt, qui argentum theſaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum? Qui argentum fabricant, & ſoliciti ſunt, nec eſt inuentio operum illorum; exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij loco illorum reſurrexerunt. Quid ſapientius? Diſcendum nobis eſt, vbi eſt virtus, vbi eſt intellectus. Et ad quid nobis diſcendum eſt, vbi eſt virtus? Iam explicabat, dicens: *Vt ſimul diſcas, vbi eſt longiturnitas vitæ, & victus.* dum enim virtutem neſcimus, nihil diuturnum ſcimus. Omnia quæ in virtute non ſunt, perniciſſimo volatu feruntur. Fuerunt Reges latiſſimo terrarum omnium dominio inſignes. Fuerunt, qui in auro, argentoue congregando nullum nouere finem. Fuerunt qui feras fortunatiſſimè agitabant, qui auibus in aëre ludebant, qui mille delitiis fruebantur. Sed vbi ſunt modò ij omnes? *Exterminati ſunt, in infernum deſcenderunt, & alij loco illorum reſurrexerunt.* In ſola enim virtute longiturnitas vitæ, & ſtabilitas
Eſther 14. bonorum poſſunt inueniri. Vt meritò dicat Eſther cap. 14. *Ne trahas Domine ſceptrum tuum his, qui non ſunt.* Et qui Reges, & Principes poſſunt dici, quòd verè non ſunt? Ait
Carthuſ. Carthuſ. ibi: *Ne tradas Domine ſceptrum tuum his, qui non ſunt, ſcilicet, impiis, & ſceleratiſſimis hominibus, qui protinus moriuntur.* Adeò abeſt longæuitas ab impiis, & tam illis aſſuta eſt mors, & perditio, vt ſemper haberi poſſint, quaſi non ſint.

§. XVI.

Diuini cultus ſtudium, & impenſæ valde homini in ſalutem proficuæ.

NOn ſolùm propter Dauid, ſed & propter Hieruſalem aliqualis miſericordia promittitur Salomonis ſemini. Dicit enim: *Nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid ſeruum meum, & propter Ieruſalem, quam elegi.* Et cur propter Ieruſalem? Sunt apud Abulenſem ibi, qui intelligant pro templo à Salomone facto Ieroſolymis, quibus ego libentiſſimè aſſentior. Quando enim video defuncti Dauidis merita proficere Salomoni, non poſſum non adduci, vt credam ipſius Salomonis opus in ædificando templo Ieroſolymitano, illi vtile fuiſſe, vt aliqualem ex Deo miſericordiam acciperet.
Cant. 3. Cant. 3. dicit: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani*, &c. Vbi Vatab. legit: *Vmbraculum ſibi fecit Rex Salomon.* Chaldæus autem ponit, *Templum fecit ſibi Rex Salomon*, &c. Quod Chaldæus *templum* explicabat, Vatablus *vmbraculum*, & vulgata *ferculum* dixit. Nec miror, templum namque à Salomone vero Deo conſtructum, & illi vmbraculum fuit, quo ſe defenderet aliquo modo ab ardente Dei ira, & ferculum fuit, quòd illum tandem portaret triumphantem de vitiis. Quando enim non proficit oblatori, in triumphum ſalutis, quod diuino cultui obtu-
Zachar. 6. lit? Zachar. cap. 6. *Factum verbum Domini ad me, dicens: Sume à tranſgreſſione, ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia: & venies in die illo, & intrabis domum Ioſiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone. Et ſumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Ieſu Ioſedech Sacerdotis magni*, &c. *Et coronæ erunt Helen, & Tobiæ, & Idaiæ*, &c. Iubetur Zacharias ſumere aurum, & argentum oblatum ab Helen, & Tobia, & Idaia, & ex illo facere coronas, quas imponat ſummo Sacerdoti Ieſu Ioſedech; & ſtatim ſubditur, *& coronæ erunt Helen, Tobiæ, & Idaiæ.* Si coronæ impoſitæ erant capiti ſummi Sacerdotis, qualiter fieri poterat, vt ſimul eſſent coronæ eædem Helen, Tobiæ, & Idaiæ? Dederunt hi aurum pro faciendis coronis ſummi Sacerdotis; quod autem ſiue pro templo extruendo, ſiue pro eius ornatu præſtatur a fidelibus, nunquam illis ad coronas, & glorias non cedit.

§. XVII.

Pretioſæ, & ſpecioſæ veſtes non parum impediunt mentis contritionem.

AVdierat Salomon à Deo irato, *Diſrumpens ſcindam regnum tuum*, &c. & nec verbum fecit, quod oſtenderet cordis pœnitudinem. Quando Dauid audita ſimili ſententia in ſe, ſtatim compunctus clamat, *Peccaui*, & perverſiſſimus Achab ſeſe coram Deo humiliauit. Cur ſolus Salomon videns Deum iratum, & imminens regni excidium, nec verbum dicitur feciſſe aut pœnitudinis, aut humilitatis? Vt immenſæ delitiæ, & diuitiæ Salomonem opprimebant, ſic eum tenebat ſtudium veſtium pretioſarum, & ſpecioſarum, quibus ſupra omnes alios induebatur. Quod carpens in Salomone Ieſus meus Matthæi 6. Matth. 6.
ait: *Nec Salomon in omni gloria ſua veſtitus eſt ſicut vnum ex iſtis.* Sic ad Salomonis veſtium ſtudium & cultum confugit, tanquam ad ſummum, vt liliorum pulchritudinem exaltaret. Cui ergo tantum ſtudium erat circa veſtes, ne mireris, quod in illo, nec pœnitentia, nec fructuoſus dolor de peccatis inueniret aditum. De Eſthere Regina dicitur c. 14. *Cùm depoſuiſſet veſtes regias, fletibus, & luctui apta indumenta ſuſcepit*, &c. Vbi fructuoſe coram Deo lugere voluit, regias veſtes exuit, abiectas induit, illas vt ineptas fletibus, & luctibus fructuoſis, has vt aptiſſimas. Ex quo pungit D. Zeno fœminas, quæ multo veſtium ornatu ad Eccleſiam contendunt, vt pœnitentiam faciant peccatorum ſuorum. Ait enim lib. 1. ſerm. 15. *Aucillæ Chriſti ſalſum idolum reſpuis, mihi crede, in te colis, cuius ornatum, cuius imaginem non deponis. Ad Eccleſiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metalli proceditis onuſta, vbique delicata, ſub mollibus ſertis. Denique ipſo cultus rigore in oratione non flecteris, non manum tendis, tumidum montibus pectus proſternere dedignaris. Quando exhomologeſim facies, quæ plus pro ornatu es, quàm pro ſalute ſollicita? Quid autem à Deo impetrare te poſſe credis, quæ eum, per id, per quod irritatur, deprecaris? Aperi tandem oculos cordis, & inuenies te potius inſultare, quàm rogare.* Nec verbulum fuit licitum præterire; ſingula enim plena ſunt & melle, & pipere. Sed illud maximè ego pondero, *Quomodo exhomologeſim facies, quæ plus es pro ornatu, quàm pro ſalute ſollicita.* Semper enim mihi ſuſpecta eſt pœnitentia, & contritio illarum, quæ poſt conſumptum totum matutinum in torquendis crinibus, in cultu faciei, in aptandis corpori veſtibus totæ aureæ ad ſacramentalem confeſſionem accedunt. Quis credat inter tot delitias procuratas, inter tam longum cultus ſtudium dolorem de peccatis fuiſſe?
Eſther 14.
Zeno.

CAPVT XVI.

Rebellio Adad, & Razon.

TEXTVS HISTORIA.

CVM Dauidis charitiſſimus dux Ioab Idumæam vaſtaret, regius puer nomine Adad fugit in Ægyptum; quem Pharao benignè ſuſcepit, & datis nuptiis ſororis ſuæ in immenſum auxit apud ſe iuuenem. Qui & diuitiis Ægyptiis, & Pharaonis gratiæ patriam præponens, poſt natum ſibi filium nomine Genubath, non paucis a Pharaone extorquet in Idumæam remeandi facultatem. In patria erat nobilis adoleſcens, cùm Salomonis ſcelera reuelato Adado animos addunt, vt regnum ſuum nitatur recuperare. Hic primus cœpit Salomonem agitare. Deinde Razon, qui Adarezer Regem Syriæ Dominum ſuum contritum à Dauide cernens fuga ſibi ſalutem procurarat. Et dum fugitiuus errat, ſociorum paucis ad ſe congregatis latrocinia exercebat, vt viuerent raptu. Tandem auctis ſociis ad inſtar exercitus, dum Adadus Iſraelitas in Idumæa percutit, cœpit ipſe ex Syriæ partibus eoſdem infeſtare. Ecce tibi iam miſer Salomon flagellis hominum traditus.

MORALIA

MORALIA CIRCA literam.

ADADVS, & Razon in Salomonem inſurgunt, egebat enim miſer his duobus ſtimulis, vt cum Nabuchodonoſor, à bouina brutalitate, & tarditate tranſiret in cor humanum.

3. *Regum* 11. Suſcitauit autem Dominus aduerſarium Salomoni Adad Idumæum, de ſemine regio, qui erat in Eden. Cùm enim eſſet Dauid in Idumæa, & aſcendiſſet Ioab Princeps militiæ, ad ſepeliendum eos, qui fuerant interfecti, & occidiſſet omne maſculinum in Idumæa (ſex enim menſibus ibi moratus eſt Ioab, & omnis Iſraël, donec interimeret omne maſculinum in Idumæa) fugit Adad ipſe, *&c.*

§. I.

Peccatum, notum omnium in ſe trahit odium, & iram.

DIcitur de Deo: *Suſcitauit Dominus aduerſarium Salomoni Adad Idumæum*, &c. Et quomodo Dominus ſuſcitauit hunc aduerſarium? An apparens ei, & iubens rebellionem in Salomonem? Minimè; ſed crediderim id tantùm à Deo factum fuiſſe, nimirum, quòd peccata, & voluptuoſa Salomonis vita omnibus pateret, quæ vbi noſci cœpit, & odium, & iram in ſe armauit omnium. Vt ſinguli cauſam quærerent, qua perderent adeò effœminatum, & turpem hominem. Similiter dicebat Pſalm. 104. *Pſalm.104.* *Intrauit Iſrael in Ægyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham. Et auxit populum ſuum vehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius. Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius.* Itaque Deus dicitur conuertiſſe cor Ægyptiorum ad odium contra Iſraelem, vt eum perſequerentur, & multis dolis percuterent. Sed quomodo fieri poteſt, vt Deus ſic in malum trahat corda hominum? An perſuadendo illis malitiam illam, aut odium illis? Abſit hoc à Dei bonitate, ſed populi Iſraelitici iniquitates patefecit, vt noſcerentur ab Ægyptiis; notæ autem & patefactæ Iſraelis iniquitates, & odium, & iram, & furorem Ægyptiorum in ſe concitarunt. Ait ibi D. Hieron. *Hieron.* *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, ſcilicet, vt contemplarentur iniquitates eorum.* Propoſuit Deus populi ſui iniquitates ob oculos Ægyptiorum, fecitque vt Ægyptij contemplarentur eas iniquitates, quibus viſis ira, & odio proſecuti ſunt Iſraelitas. Nequit enim iniquitas manifeſta & viſa non trahere aduersùs ſe aduerſariorum odium, & furorem. Quò ſpectans Oſeas cap. 7. ait: *Oſ.7.* *Reuelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium, & fur ingreſſus eſt ſpolians, latrunculus foris.* Ecce tibi ad notam Ephraimi iniquitatem vt latronum aduolant iacula. Eo ipſo quòd aperta fuit, & manifeſtata eius iniquitas aduersùs ſe latronum furores traxit. Nec longè abeſt illud eiuſdem Oſeæ cap. 8. *Oſ.8.* *In gutture tuo ſit tuba, quaſi aquila in domum Domini: pro eo, quòd tranſgreſſi ſunt fœdus meum.* In tuba clamare iubetur Propheta. Et quid clamabit: *Quaſi aquila in domum Domini, pro eo, quòd tranſgreſſi ſunt pactum meum.* Hoſtilem Nabuchodonoſoris aduentum aduersùs Hieruſalem, aquilæ aduenienti comparat, ait enim, *quaſi aquila in domum Domini.* & meritò, vt enim aquilæ velociſſimè aduolant ad viſa, ſiue odorata cadauera, iuxta illud Matth. 25. *Matth.25.* *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Ex Græco legit D. Iſid. Peluſ. *vbi fuerit cadauer.* Sic vbi fuerit animæ cadauer, nimirum anima mortua peccatis, rapaces ad ſe excitat aquilas, milleque aduerſariorum acies trahit. Ibi D. Hieron. *Hieron.* *Quod dico tibi, ô Propheta, atque præcipio: In gutture tuo ſit tuba, vt vociferetis, & dicas: Quaſi aquilam ſuper domum Domini. Regem venire Chaldæorum, non aliam ob cauſam iubeo, niſi quòd tranſgreſſi ſunt fœdus meum.* Ideo quaſi aquila venit Nabuchodonoſor contra Ieruſalem, quia ciuitas illa peccatis mortua erat, quia ſine Deo quaſi cadauer apparebat, quod vbi odoratur, aut cernitur, rapaciſſimas aquilas ad ſe excitat.

§. II.

Nullum adeò tibi inferiorem æſtimes, qui non poſſit ſupra te, quamprimum eſſe.

VIde quem ſuſcitauit Dominus aduersùs Salomonem, nimirum Adadum, qui cùm regius puer eſſet, coactus fuerat à Dauide Rege fugere à regno ſuo, & priuatus degere apud exteros. Sic enim ait: *Suſcitauit autem Dominus aduersùs Salomonem Adad Idumæum de ſemine regio, qui erat in Edom. Cum enim eſſet Dauid in Idumæa, & aſcendiſſet Ioab Princeps militiæ*, &c. *fugit Adad ipſe*, &c. Fugitiuus puer, & à regno eiectus, ab exercituque Dauidico confractus, modo ſuſcitatur, & erigitur, ſicque ſupra Dauidis filium Salomonem ſe extollit, vt illi non paruum incutiat metum. Vt doceamur omnes ſic erga inferiores, imò infimos quoſque affici, vt vereamur poſſe illos ſubitò ſupra nos efferri. Ex quo D. Auguſt. monebat hominem, qui amabat fieri militem, vt agricolis imperaret ſemper; quippe ait in Pſalm. 136. *Cùm tu timeris vis à minore, time maiorem poteſtatem; te ipſo maior fieri poteſt ſubitò, qui te timet.* Quid ſapientius? *Pſalm.136.* Ea eſt humanæ vitæ conditio, vt qui modò timet, & tremit ſub virga alicuius, poſſit ſtatim ipſe ſuperpoſitus etiam timorem, & tremorem incutere. Quas vices prænoſcens Iob dicebat cap. 17. *Innocens contra hypocritam ſuſcitabitur. Et tenebit iuſtus viam ſuam, & mundis manibus addet fortitudinem.* *Iob.17.* Quæ ſic ex Græco leguntur: *Iuſtus autem ſuper impium inſurgat. Habeat autem iuſtus viam ſuam, & puris manibus reſumat audaciam.* Et mirum eſt, quod Iob, qui in ſuo capite videbat iuſtorum vias, vt ſunt abiecti, & deſpecti in mundo, & pro thronis, & cathedris habeant ſterquilinia, nihilominus audeat petere, vt ſuſcitetur, & erigatur iuſtus contra impios. Cur bone ſperas, quod fieri poſſit, vt iuſti adeò deſpecti in mũdo ſuſcitentur, & erigantur? Imperarant iam diu impij, & ſubiectos habuerant iuſtos, & depauperatos; ſed iam inſtabat ordo humanæ vicis, & quaſi neceſſum erat, vt illi minimi, & infimi vires reſumerent, & imperarent impiis. Ait Olympiod. in cat. *Olymp.* *Antea enim in frugi homines perditi irruerant; nunc certa commutetur, rerum ſit alia conditio, iniquos & facinoroſos imperio iuſti coërceant.* Etiam deiectos, ac proſtratos vocant humanæ vices ad culmina, & ſubitò qui timebat Dominum, timetur; qui in infimis ſedebat, & contemnebatur, ſuſpicitur ſuperior factus. Quam philoſophiam vt efficacem ad componendos erectos ſpiritus perſuadere voluit Dominus Ieſus Principibus Ieroſolymitanis, coram quibus pro tribunali ſedentibus ſtans ipſe deſpectus, & abiectus, & factus omnium viliſſimus, tamen ait Matth. 26. *Verumtamen dico vobis, à modo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei.* *Matth.26.* Sedebant illi vt Principes, ſtabat Ieſus vt ſubditus, monet tamen illos de inſtanti iam vice, qua & illi è contra ſubditi, & iudicandi ſtabunt, & Ieſus ſedebit ſuperior factus, & iudicaturus. Quaſi dicat, ait Euthymius: *Videbitis me, qui à vobis interimor, ſedentem à dextris virtutis Dei. Hoc eſt, breue erit tempus inſidiarum, quæ in me incitatæ ſunt: paruo enim expleto tempore, ſuperior omnibus inimicis meis efficiar.* *Euthym.* Qui iacet, paruum ſuſtineat tempus, & reſurget; qui infimus habetur, non deſperet, quòd ſuperior fiet. Sic humanis rebus diuina ſapientia ludit.

§. III.

Virtutis Chriſtianæ cultor nunquam non reuireſcit à malis.

ECce tibi vt homo à patria, & regno expulſus, in alienis exul, tandem ſuſcitatur, & erigitur in Regni ſpem. Ait enim: *Suſcitauit Dominus aduersùs Salomonem Adad Idumæum, de ſemine regio*, &c. Et qui fieri potuit, vt Adadus adeò confractus, & humiliatus ſic ſuſcitari & erigi potuiſſet. Erat ille de ſemine regio, & cui ſemen regiu m

fauebat, non mirer, ſi ab ipſa ſtercore reuireſcat, & reuiuiſcat. Vt hinc pateat Chriſtianorum fœlicitas, quibus diuinum ſemen datum eſt, vt virtuoſe viuentes de genere habeantur Chriſti, quo licèt deiecti, & proſtrati, & ſolo æquati, tandem exurgant, & reuiuiſcant. Iſaias cap. 1. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus.* Nota eſt Sodomæ clades, vt florentiſſima illa ciuitas funditus perijt, ſic in cineres redacta, vt nihil inde poſſit reuireſcere. Quòd autem peccatores non ſic pereant, ſed ſemper habeant ſuccum vitæ, quo reuireſcant, hoc prouenit ex ſemine diuino, nempe ex Chriſto, ſi eius conformantur virtutibus. Ait ibi D. Baſil. *Cuiuſmodi tandem ſemen ſuperinm eſt ipſi Iſraeli, quo intercedente non ſuſtinuerit afflictione Sodomorum? Num id, de quo Abrahæ dictum eſt: Tibi dabo, & ſemini tuo? Ait Paulus. Non dixit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed, quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Semen Chriſtianarum virtutum nobis inditum facit, ne in calamitatibus pereamus, ſed in illas coniecti rurſus reuireſcamus, & floreamus in vitam. Ad vitis culturam reſpiciens Iob cap. 8. hanc nobis diuinam philoſophiam perſuadere nititur, quippe ait: *Super aceruum petrarum radices eius denſabuntur, & inter lapides commorabitur. Si abſorbuerit eum de loco ſuo, negabit eum, & dicet: Non noui te. Hæc eſt lætitia viæ eius, vt rurſus de terra alij germinentur.* Ex Græco legimus: *De terra alium germinabit.* Solet equidem vitis palmes in terra defodi, ita vt pene ibi obrutus, & ſepultus videatur. Quid tunc terra obruitur palmes, vt rurſus aliò deductus exſurgat, reuiuiſcat, flores exhibeat, & fructus. Sic ſic qui chriſtianarum virtutum eſt cultor, de earum ſemine habet quòd licèt humilietur, deſpiciatur, & cœlo æquetur, tandem reuireſcat, & reuiuiſcat.

Olymp. Ait Olympiod. in cat. Græca. *Tametſi hominis pij miſera, & afflicta videantur eſſe rationes, à Deo tamen non deſpecta ibi omnino. Nam quemadmodum florentem impiorum conditionem Deus euertit, ac funditus delet, ſic innocentium vita, quæ aliquando deflorùit, facit, vt ad florentem ſtatum reuocetur, ac reuireſcat.* Nunquam non in cultore virtutum manet ſuccus, quo reanimetur in vitam, etiamſi videatur malis ſepultus.

Luc. 12. Quò etiam ſpectans Dominus Luc. 12. dicebat: *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent; dico autem vobis, quòd nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur, ſicut vnum ex iſtis.* Non immeritò præponit lilia gloriæ Salomonis, ſuperatur enim tota Salomonis gloria a lilijs. Et in quo ſuperatur? Tota Salomonis gloria vbi poſt peccatum cœpit decidere, ſic decidit, vt maneret perdita funditus. At lilij pulchritudo licèt cadat, manet ſẽper in radice, & ſemine ſuccus & virtus qua denuo reuiuiſcat. Cuius profectò æmuli ſunt chriſtianarum cultores virtutũ. Ad hæc aiebat D. Ambroſ. lib. 7. in Luc. *Plerique etiam comparationem hanc ſecundum naturam floris, & vſum putant propoſiti germinis aptiorem,* &c. *Ita vt cum filiorum puberem caulem videas aruiſſe, floris tamen natura vireſcat. Abſconditur enim viriditas, non amittitur. Aſt vbi verna fuerit prouocata blanditijs, indumentum germinis, comam florũ, lilijue reſumit ornatum.* Hac conditione vincitur impius à pijs, quibus ſemper adeſt ſemen virtutum, quod eos in vigorem reſtituat.

Iob 11. Vt merito virtutis cultori dicat Iob cap. 11. *Cum te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer.* Sic ibi.

3. *Regum* 11. Et inuenit Adad gratiam coram Pharaone valde, in tantum, vt daret ei vxorem ſororem vxoris ſuæ, germanam Taphnes Reginæ. Genuitque ei ſoror Taphnes Genubath filium, nutriuit eum Taphnes in domo Pharaonis. Eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis eius. Cumque audiſſet Adad in Ægypto dormiſſe Dauid cum patribus ſuis, *&c.*

§. IV.

Apud vnum Deum ſola natura hominis æſtimatur, non alij reſpectus temporales.

VT è ſemine regio erat Adad, ſic inuenit gratiam apud Regem Ægypti, vt dicat text. *Et inuenit Adad gratiam coram Pharaone;* nunquam enim apud mundiales Principes vales ſine aliqua vel ſanguinis, vel alterius reſpectus temporalis commendatione. Sic cùm Iſraelitæ captiui ducerentur Babylonem, iuſſit Nabuchodonoſor Dan. 1. *Vt introduceret de filijs Iſrael, & de ſemine regio, & tyrannorum, pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros forma,* &c. *Et conſtituit ei Rex annonam,* &c. *Dan. 1.* Inter tot captiuos ſoli regij iuuenes quæruntur, quibus Nabuchodonoſor annonam prouidit. Nec vllus, quem non commendet vel regia origo, vel aliquis alius temporalis ſplendor, valet vnquam apud mundiales Principes. Vnus Deus eſt apud quem æſtimatur hominis nuda omni alio temporali reſpectu natura. Mat. 9. *Cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominẽ ſedentem in telonio.* *Matth. 9.* Circa quæ acutè Chryſol. ſerm. 28. ait, *Chryſol.* *Vidit hominem. Non dixit: Vidit Matthæum, quia in Matthæo hominem liberarat.* Sola natura hominis oculos Saluatoris trahebat, non quòd diues, aut pauper eſſet, Princeps, aut priuatus à Deo reſpiciebatur, ſed quòd homo eſſet, ideo æſtimabatur. vbi enim ſpiritus Dei eſt, æquè omnes homines æſtimantur, & Principes, & plebeij, & liberi, & ſerui. Apoc. 19. *Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli,* &c. *Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei, vt manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentiũ in ipſis, & carnes omnium liberorum & ſeruorum, & puſillorum, & maiorum.* *Apoc. 19.* Ecce tibi cœli aues inuitantur, vt comedant indifferenter carnes Regum ſeu carnes ſeruorum; hoc eſt, vt nulli ſe negent, ſiue Rex eſt, qui adeſt, ſiue ſeruus, omnes in viſcera ſua traijciant. Et cur hoc præcipuè ab auibus cœli petitur? Quia hoc ſolum præſtant cœleſtes homines, ſpiritu Chriſti magiſtri ſui imbuti. Ait Rupert. lib. 11. in Apocal. *Quia per aues ſignificantur Apoſtoli, congruè vim, & intentionem apoſtolici deſignat officij, quia ſicut aues manducandis carnibus auidè inſiſtunt, nec curant quorum, aut qualium nobilium, aut ignobilium cadauera traijciant, dum in campo magno ſtragem inuenerint occiſorum. Ita Apoſtolorum eſt, nullam facere, vel habere diſtinctionem hominum, ſed omnes indifferenter ad fidem ſuſcipere, & in Eccleſiæ corpus traijcere.* *Rupert.* Iubebatur quondam Petro Act. 10. vt quadrupedia, & ſerpentia occideret, & manducaret, hoc eſt, vt efferas gentes ad fidem ſuſciperet. Sub qua etiam metaphora dicitur auibus cœli, vt comedant omnes carnes indifferenter, hoc eſt, vt qui ſpiritu Dei aguntur, eiuſque ſunt diſcipuli, non aſpiciant ad reſpectus temporales, ſed ad nudam hominum naturam. Et quando homo ſit, ſiue Rex, ſiue ſeruus, ſiue nobilis, ſiue ignobilis, ſiue pauper, ſiue diues hac parte æqualem gratiam accipiat.

§. V.

Non niſi abiecta terra præualebis apud Chriſtum Dominum.

RElicta natiuitatis terra, cum omnibus bonis ſuis confugit ad Ægyptum regius iuuenis Adad; &, vt ait text. *Inuenit Adad gratiam coram Pharaone valdè.* Vt hinc diſcam, quanto magis debeat terrena omnia relinquere, qui velit gratioſum ſibi cœleſtem regem inuenire. Apocal. 19. *Vidi vnum Angelum in ſole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli, Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.* *Apocal. 19.* Sic omnes cœli aues inuitantur ad cœnam magnam Dei, & nulla auditur auis ſe excuſare. Verùm Luc. 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos,* &c. *Et cœperunt ſimul omnes excuſare.* Vtrobique cœna paratur, & vtrobique cœna magna, & vtrobique vocantur multi ad cœnam. In Apocal. nullus ſe excuſat, in Luca omnes cœperunt ſe excuſare. Et quando hic omnes ſe excuſant,

cur

aues cœli, quæ relicta terra, & bonis eius cœleſtia ſpectabant; apud Lucam mutantur homines terrenis bonis immerſi, vxoribus, villis, & iugis boum alligati. Ne miremur, quòd hi cœleſtis Regis non guſſent gratiam, illi autem eum ſibi gratioſum ſequantur. Rupert. Ait Rupert. lib. 11. in Apocal. *Homines quidem excuſauerunt, alius dicens, Villam emi: alius, Iuga boum emi quinque; alius, Vxorem duxi. Aues autem iſtæ, ſiue volatilia, quæ ſicut non ſerunt, neque metunt, ita neque villas emunt, neque iuga boum, neque voluptatum habent ſtudium, non excuſauerunt. Quod eſt dicere: Cupidi amatores ſæculi vocantem contempſerunt, hi autem qui liberum cor à cupiditatibus habere meruerunt, ſecuti ſunt eum.* Quidquid terræ eſt, à te excute, terrenas affectiones relinquas neceſſum eſt, quiſquis amas tenere Regem cœleſtem, & eius fauoribus frui. Ioan. 19. Ioan. 19. poſt ſepultum Ieſum, *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu, &c. Et vidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat, quia Ieſus eſt.* Inter Angelos eſt Maria, & habet præſentem Ieſum, & non agnoſcit illum, nec Actor. 10. vllam conſolationem recipit ex eius conſpectu. Actor. autem 10. cùm Stephanus eſſet inter perfidos Iudæos, dicitur de illo: *Cùm eſſet plenus Spiritu ſancto intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Quid fœlicius? Compone Stephanum, & Mariam; hæc inter Angelos exiſtens non noſcit Ieſum, nec guſtum eius præſentiæ recipit, ſed tota in lachrymas ſe effundit. Ille inter Iudæos poſitus Ieſum in cœleſtibus videt, ciuſque gloria fruitur. Et cur ille ſic Ieſum tenet, iſta autem tam longè eſt à Ieſu? Maria adhuc terræ inhærens, quærebat in terra ſua Ieſum, & ideo non inuenit. Stephanus terram deſpiciens ad cœleſtia intendebat, quo fauoribus Ambroſ. Ieſu fruitur. Pulchrè D. Ambroſ. lib. 10. in Luc. *Stephanus non ſupra terram quæſiuit, qui ſtantem te ad dexteram Dei vidit; Maria autem quæ quærebat in terra tangere non potuit, Stephanus tetigit, quia quæſiuit in cœlo. Stephanus inter Iudæos vidit abſentem, Maria inter Angelos non vidit præſentem.* Relinque tu terram, fuge terrena omnia, & gratias mille apud Ieſum inuenies.

§. VI.

Iuſtis viris ingens gaudium ex cœleſtibus nuptijs venit.

ECce tota fœlicitas, ad quam Adadus eiectus à ſuis apud Ægyptiorum Regem inuenit; nimirum ait: *Inuenit Adad gratiam coram Pharaone valde, in tantum vt daret ei vxorem ſororem vxoris ſuæ, germanam Taphnes Reginæ,* &c. Quantum hoc gaudij deiecto, & fugitiuo principi? Et potentiſſimi Regis Pharaonis gratia, & nuptiæ Regiæ illi obuenerunt, quæ non potuerunt in immenſum eius non augere gaudia. Vt videas quanto maius gaudium expectat iuſtos viros ab hac terrena vita exeuntes, cùm ſe videant ad diuinas nuptias vocari. De virginibus illis prudentibus Matth. 25. ait Dominus Matth. 25. *Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua.* Hoc ad ſummam illarum fœlicitatem dicitur, quòd introierunt cum Domino ad nuptias, quando nil felicius, aut lætius homini eſt, Greg. PP. quàm Deo in gloria copulari. Ad hæc D. Greg. PP. hom. 12. in Euang. ait: *O ſi ſapere in cordis palato poſſit, quid dulcedinis habet, intrauerunt cum eo ad nuptias, &c. Quanta verò tunc erit electorum lætitia, qui de eius merentur viſione gaudere, de cuius conſpectu vident, & elementa omnia contremiſcere, cum eo ſimul ad nuptias intrare, qui & in ſponſi nuptijs gaudent, & tamen ipſi ſunt ſponſa, quia in illo æterni regni thalamo viſioni noſtræ Deus coniungitur.* Eo vſque peruenit iuſtorum hominum & gaudium & fœlicitas, quòd à terreno regno, ſiue exilio egreſſi, cum Domino ingrediantur ad nuptias, & in cœlis mereantur æternum Deo ſponApocal. 19. ſo coniungi. Hinc Apocal. 19. dicitur Ioanni: *Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni ſunt vocati.* Circa quæ ait RuRupert. pert. lib. 10. in Apocal. *Scribe ergo inquit, quia beati ſunt vocati ad illam cœnam; non qualiumcumque calendarum, aut feſtiuitatum, ſed nuptiarum Agni. Ibi namque tota cœna eſt amor, vbi vxor viro, id eſt, anima coniungitur Deo non ad horam, ſed æternaliter; quia hæc cœna nuptialis, hic amor coniugalis, æterna vita eſt.* De æternis gaudijs agitur, vbi ad nuptias Agni iuſti iubentur intrare: in his enim nuptijs, quid niſi gaudiorum æternitas nobis applaudit? Meritò dice-Apoc. 19. bat idem Ioan. Apocal. 19. *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ Agni.* Ex quo di-Rupert. cebat Rupert. ſuprà: *Inde laus, & gloria, inde gaudium, & exultatio, inde toties alleluia, quia dum iudicatur mulier illa meretrix, celebrantur nuptiæ ſuæ Agnus, & vxor eius, mulier alia, mulier beata.* Hinc meretricem vides tormentis puniri, illic vocaris ad Agni nuptias, quo in immenſum creſcit gaudium tuum.

§. VII.

Eò nobis ſpectandum eſt, vt ad priſtinam paradiſi patriam regrediamur.

MVltis abundabat bonis in Ægypto Adad, & multa gaudebat Pharaonis gratia, nilominus anxiè curat ad patriam remeare; quippe ait: *Cumque audiſſet Adad in Ægypto dormiſſe Dauid cum patribus ſuis, & mortuum eſſe Ioab principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me, vt vadam in terram meam,* &c. Tota Ægypti abundantia, & fœlicitas non potuit tenere Adadum, quominus remeare curaret ad patriam antiquam; & me tenebit mundi huius figura, quominus ad priſtinam paradiſi patriam regredi curem? O vtinam mihi moriatur mundus; imò vtinam & moriatur, & naſcatur mihi verus Dauid Chriſtus eius, de cuius auxilio id habeam, vt illam paradiſi patriam ſuſpitem. Luc. 2. *Exijt edi-Luc. 2. ctum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem,* &c. Naſcituro Ieſu in hanc mortalem carnem, illud Cæſaris edictum publicatum eſt, vt vniuerſi ad auitam remearent ciuitatem, ibique ſua nomina, & cognationem profiterentur. Quod edictum, vt naſcituri Dei in mortali carne œconomiæ aptum, maximè à Deo prouiſum eſt. Et quid mortalis natiuitatis Dei œconomia commune habebat cum edicto illo Cæſareo? Planè ideo æternus Deus mortalis homo naſcebatur, vt eainde vniuerſi homines, ad antiquam illam paradiſi patriam regredi feſtinarent. Quò ſpectans Geometra in cat. D. Luc. Græ-Geometra. ca ſic fatur: *Cæterùm ſi oportet hinc aliquid elicere; Imperium quidem Imperij, deſcriptio verò deſcriptionis figura erat. Illud ſiquidem vnius omnium Dei, ac Regis Monarchiam ſignificabat: hæc verò voluntariam obedientiam, aut ſtatum omnium, qui volunt, in cœlis deſcriptionem; & ſicut edictum, ſic & prædicationem totum orbem; quin & omnes ad propriam patriam accurrere, atque ad antiquam, ac primam noſtram patriam, iuſtitutamque viuere, vnde alius alia cùm vita inſtituta, cum affectionibus diſceſſerat.* Expende ab illis: *Quin & omnes ad propriam patriam,* &c. Significabat equidem Cæſareum illud edictum totam naſcentis Dei in mortali carne œconomiam; vt nimirum à Ieſu doceamur omnes eò ſpectare, vt ad antiquam paradiſi patriam, à qua diſceſſimus, valeamus redire. Hoc enim ex Ieſu ſuſpirare debemus, hoc totis curare viribus, quòd ſcilicet caducis huius Ægypti bonis non adhæreſcamus, ſed magis æternam patriam ſuſpiremus. De Abrahamo dicebat Paul. ad Hebr. 11. *Fide demoratus eſt in Hebr. 11. terra promiſſionis tanquam in aliena,* &c. *Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem,* &c. Ex Deo acceperat Abrahamus proprietatem terræ palæſtinæ; nilominus in ea, tanquam in aliena habitabat. Et cur non magis quaſi in propria? Equidem vt fide venturi Saluatoris ducebatur, ſic nil aliud curabat, quam ad antiquam & æternam patriam progredi. Ex quo monebat D. Leo ſerm. 5. de Leo. ieiun. aiens: *Æternis bonis inſeparabiliter inhærendum, temporaliter verò tranſeunter vtendum eſt: vt peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quicquid de proſperitatibus mundi huius occurrerit, viaticum ſit itineris, non illecebra manſionis.* Quid elegantius? Vtendum eſt tibi bonis temporalibus, non vt in eis maneas, ſed vt inde redire poſſis ad patriam.

3. *Regum.* 11. Suſcitauit quoque ei Deus aduerſarium Razon filium Eliadæ, qui fugerat Adarezer Regem Soba dominum ſuum: & congregauit contra eum viros, & factus eſt princeps latronum, cùm interficeret eos Dauid: abieruntque Damaſcum, & habitauerunt ibi, & conſtituerunt Regem in Damaſco, eratque aduerſarius Iſraëli cunctis diebus Salomonis. Et hoc eſt malum Adad, & odium contra Iſraël, *&c.*

§. VIII.

Principes nunquam ſoli pereunt.

PEccauit Salomon, & non ſolus peccatum luit: in pœnam enim peccati datus eſt ei aduerſarius Adad, & Razon, de quo ait text. *Eratque aduerſarius Iſraeli cunctis diebus Salomonis.* Non enim vni Salomoni aduerſabatur, ſed vniuerſo Iſraeli, quæ paſſim opprimebat, & ſpoliabat. Nec miror, nunquam enim Principes ſolent pati ſoli peccatorum ſuorum pœnam, ſed vel domum totam, vel regnum ſecum in pœnam rapiunt. Iſraelitarum

1.Reg.2. Principi Eli dicit Dominus 1. Reg. 2. *Pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem peruenerit. Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis Ophni, & Phinees, in die vno morientur ambo.* Quibus illud maximè notandum eſt, quòd non ſolùm Ophni, & Phinees dicantur morituri in vno die; ſed quòd horum mors in ſignum exquiſitum detur totius familiæ ruituræ. Et cur horum mors datur pro ſigno perdendæ familiæ? Vt hi erant Principes non poterant ſoli in perditionem ſuam, ſed neceſſum erat, vt magnam ſuorum partem in ſimilem pœnam traherent.

Gregor. Ad hæc D. Gregor. lib. 2. in 1. Reg. ait: *Mors filiorum minus peſſima eſſet, ſi ipſa cauſa mortis aliena non fieret. Vnde, & non ſimpliciter mors, ſed in ſignum morituræ domus mori prædicantur, quia cùm ij, qui de vicino reprobum imitantur, in eodem præcipitio corruunt, & ſecutores ſequentium in ruinam cumulantur. Hoc itaque de officio ſuſcepti culminis, temporalem fœlicitatem amantes audiant, & reatus ſui magnitudinem pertimeſcant.* Habent hoc Principum peccata, vt ſoli Principes eam in pœnam, ſed totam domum, vel ditionem, vel regnum ferant ſecum. Vt enim multos rapiunt exemplo, ſic & ſupplicio. Huc trahe dicta tom. 2. in Euangelia lib. 11. cap. 4. §. 2.

§. IX.

Nil aſperius Principi, quàm ſuorum perditio.

NOn dicitur Razon aduerſarius Salomoni eſſe, ſed Iſraeli, cùm ait: *Eratque aduerſarius Iſraeli cunctis diebus Salomonis.* Et quando huius rebellio à Deo permiſſa ſuit in Salomonis ſupplicium, cur non magis dicitur Salomoni aduerſari, quàm Iſraeli? Inde magis Salomonis pœna exacerbabatur, cùm videret populum ſuum, & ſubditos ſuos quotidie ab hoſtibus deuindari, & in mortem trahi. Nil enim ſic afficit ingenuos Principis animum, vt ſuorum perditio, & calamitas. De Ieſu regum Rege, & principum optimo locutus Matth cum eis in cruce tragœdiam

Matth.27. repræſentaret, ait cap. 27. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma ſabacthani? Hoc eſt, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Ex quo Ieſus intrauit prætorium Pilati vſque nunc, non ceſſauit horrenda tormenta pati, ibi verbera, ibi ſpinas coronæ, ibi vinus crucis, ibi clauos, & inter tot, tamque atrocia tormenta nec minimam querelæ vocem effudit. Nunc autem vbi tenebræ omnia obſcurarunt, in has querulas voces prorupit? Et cur non magis in verberibus, in ſpinis, in cruce, in clauis queſtus eſt, quàm in tenebris? Tenebræ ab oculis eius carneis abſtulerunt, & ciuitatem Hieruſalem, & Iudæos populares, qui aſtabant.

Vbi autem bonus Princeps notauit antiquum illum ſuum populum datum tenebris, & à ſuo conſpectu ablatum vt in perditionem iret, noluit hunc dolorem, vt grauiſſimum diſſimulare, ſed illum omnium vehementiſſimum voce

querula declarauit. At Orig. hom. 35. in Matth. *Quamdiu quidem ſuit Solis lumen, etiam tanta, & talia ſuſtinens, non dicebat: Quare me dereliquiſti? Poſtquã autem vidit ſuper omnem terram Iudæam vſque ad horam nonam tenebras factas, dixit magna voce ſua: Quare me dereliquiſti? Illud oſtendere volens per hæc, quòd volens dereliquiſti me pater, & talibus exinanitum calamitatibus tradidiſti, vt populus, qui fuerat apud te honoratus, recipiat, quæ in me auſus eſt, & quæ ſuper Prophetas fecit, vt priuetur à lumine tuæ protectionis; & efficiatur in tenebris.* Orig.

Dum bonus Princeps Ieſus vapulabat, dum ſpinis coronabatur, dum clauis figebatur, habebat adhuc ob oculos populum illum, gentem illam ſuam, & dum illam adhuc circa ſe videbat, non adeò dolebat in tormentis. Vbi autem tenebræ obortæ populum eius oculis eripuere, & in eo iam populum ſuum illum à ſe auulſum, & tenebris æternis datum ſpeculabatur, in eam deuenit anxietatem, qua ſe derelictum a Patre clamabat. Sic bonus Princeps in ſuorum perditione magis, quàm in propriis tormentis pungebatur.

§. X.

Vbi impietas regnat, nullum malum deficit.

PLanè Razon *erat aduerſarius Iſraeli cunctis diebus Salomonis.* Quandiu Salomon non pius, ſed impius regnabat, aduerſarium, & hoſtem in regno ſenſit. Crede mihi nunquam malum deficit, vbi regnat impietas. Luc. 21. *Cùm videritis circumdari ab exercitu Hieruſalẽ: tunc ſcitote, quia appropinquat deſolatio eius.* Ecce tibi Hieroſolymis nonſolùm appropinquauit aduerſarius, ſed & extrema illi aduenit deſolatio. Cur hoc? Regnare cœperat inibi impietas, ne miremur, quod ſtatim pro foribus ſit deſolatio. Ait D. Ambr. Luc. 21.

lib. 10. in c. 20. D. Luc. *Tunc appropinquabit deſolatio, quoniam à vero religione plerique lapſi errore deſiſcent.* Nunquã non aduerſitas & deſolatio ad impietatem nõ currit. Recole vniuerſas regnorum ruinas, vniuerſas mundi plagas, & fallar niſi omnes ad ſe impietas traxerit. Nota eſt Eliæ hiſtoria, quando ſiccitate percuſſit terram. 3. Reg. 18. *Erat autem fames vehemens in Samaria.* Et quis tantam ſiccitatem, & adeo inauditam, & tam vehementem famem potuit trahere? Regnabat tunc impia Iezabel, fouebantur Prophetæ falſi, ideo ibi & ariditas terræ, & ingens fames populum depaſcebatur. D. Ambroſ. vbi ſuprà: *Tunc pſeudo-Prophetæ, tunc fames. Repete mihi Eliæ tempora, & inuenies tunc Prophetas confuſionis, tunc Iezabel, tunc famem, tunc ariditatem terræ.* Sic impietati regnanti adiuncta eſt aduerſaria fames, & terræ ſiccitas, & quod malum non currat ad impietatem? Ambroſ. Ambroſ.

§. XI.

Impiorum vnitas cauenda.

TOta rebellio Razonis vt acerbior oſtendatur, dicitur fuiſſe ab Adado ſolicitata illis verbis: *Hoc eſt malum Adad, & odium Iſraël.* Quippe, quòd Razon rebellaret in Salomonem, ex duplice radice natum eſt, ex proprio ipſius odio in Iſraelem, & ex Adadi malitia, quæ illum ſollicitabat, & ſe illi adiungebat, vt ſimul iuncti Salomonem inuaderent. Nec miror, quòd ex rebellium concordia, & adunatione multa clades Iſraelitis naſcatur. Nunquam enim non cauere debet hanc malorum & rebellium concordiam, qui amat pericula ingentium facinorum vitare. Petentibus Iſraelitis ſibi fieri

idolum, dixit Aaron Exod. 32. *Tollite inaures aureas de vxorum filiorumque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.* Cur non petit aurum ex vaſis aliis, ſed ex inauribus vxorum, filiarum, & filiorum pro faciendo idolo? Planè dum aurum à filiis, filiabus, & vxoribus tolli petit, diſcordiam in domo quæuis volebat ſeminare, ne adunatis impiis, præualeret malum. Ait ibi Caietanus. Exod.32.

Poterat quidem Aaron petere aurum aliud, ab illo, quod erat formatum in aures; ſed cautè quærens diuertere furorem populi, Caietan.

Digitized by Google

populi, propoſuit hoc difficile, quod & difficilius reddidit, dicendo: Ex inauribus vxorum & filiorum, & filiarum veſtrarum, vt diſſenſio domeſtica in domo qualibet oriretur, reluctantibus mulieribus, & pueris. Ecce tibi, vt prudens Pontifex nil magis cauit, quam impiorum adunationem; tuncque putauit ſopiendam rebellionis illius acerbitatem, ſi diſſenſiones, & diuiſiones per ſingulas domos diſſeminaret. Periclitabatur quondam Iſrael habens à tergo hoſtes, & ante oculos congregationem aquarum, nempe mare.

Exod. 14. Quid tunc Deus? Ait Exod. 14. *Cum extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Deus, &c. diuiſaque eſt aqua.* Vnum fecit Deus, vt tolleret populi periculum, nimirum aquas diuiſit. dum enim inter malos diuiſio diſſeminatur,

Gregor. bonorum periculum abeſt. Vt dicat D. Gregor. lib. 34. Mor. cap. 4. *Dum in duas partes vada diuiditur: ab electo populo ad terram promiſſionis tenditur: quia dum malorum vnitas ſcinditur, bonæ mentes ad hoc quod appetunt, perducuntur.* Sic tibi, vt diſcas, quàm debeas cauere malorum adunationem, vt ab illis liber euadas.

Cap. XVII. & vlt.

Rebellio Ieroboam, & mors Salomonis.

TEXTVS HISTORIA.

DIFFICILIOR in Salomonem rebellio eſt, quàm fortè meditabatur Ieroboam, dum tributa à Salomone impoſita pro ædificio Mello erigendo colligit. Erat enim Ieroboam è tribu Ephraim filius Nabath, adoleſcens ingenio, & virtute conſpicuus; ob quas animi dotes ſic placuit Salomoni, vt eum tributis exigendis de tribu Ephraim, & Manaſſe præficeret. Exigebat ille eo gratiùs; quo à magis repugnantibus; in repugnantiis enim ſubditorum, ingenioſus vir non ſemel ſpeculabatur ad defectionem callem ampliſſimum. Interea dum iter ageret obuius ei fit Propheta Ahias, qui Ieroboamum à ſociis abducit ad partem ſecretioris agri; ibique nudatus nouo pallio, quod in duodecim diuiſerat ſciſſuras, duas ſibi reſeruat, & decem tradit Ieroboamo in ſignum à Deo acceptum regni futuri ſuper decem tribus. Sciſſuris pallij datis adiecta eſt ſententia diuina, vt Salomonis filio propter idololatriam patris, decem tribus auferendæ erant, vt conſtituendus Ieroboam ſuper illas, qui ſi Dauidis reſponderet virtutibus, erat in domo ſua regnum æternaturus. Ex his conceptæ regnandi ſpes ſic extulere adoleſcentem, vt inter vnanimes ſuos ſecretiſſimè rem ſpargeret, quo cœpit de prophetia data rumor ali, imò & increſcere, tandem peruenit ad Salomonis aures. Occideretur quamprimum Ieroboam, imperio Regis inſtante, niſi ille velocius ſibi conſuleret, & fuga in Ægyptum, ſuam redimeret incolumitatem. Crediderim his aculeis excitatum Salomonem, & à lethali peccatorum ſomno leuatum, in eam vigilaſſe vitam, qua perueniret ad immortalem. Et dum totus poſitus in luctu multa forſan pro tollendo populi ſcandalo meditatur, correptus morbo exceſſit à vita, hac etiam accepta pœna, vt apud homines maneret ſuſpecta eius ſalus.

MORALIA IN TEXT. literam.

AD tumulum Salomonis peruenimus, qui omni cathedra præſtantior eſt, vt doceat, quid proſint temporalium bonorum ſummæ fœlicitates.

3. *Regum.* 11. Ieroboam quoque filius Nabath Ephrathæus, de Sareda, ſeruus Salomonis, cuius mater erat nomine Sarua, mulier vidua; leuauit manum contra Regem. Et hæc cauſa rebellionis aduersùs eum, quia Salomon ædificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris ſui. Erat autem Ieroboam vir fortis, & potens; videns autem Salomon adoleſcentem bonæ indolis, *&c.*

§. I.

In vno Deo ſemper & patrem & matrem habemus.

E Duobus Ieroboami parentibus, nimirum, patre & matre illius, vna mater oſtenditur ſuperſtes; cùm dicit: *Ieroboam quoque filius Nabath, Ephrathæus de Sareda ſeruus Salomonis, cuius mater erat nomine Sarua, mulier vidua.* Mortuo Nabath patre Ieroboam, mater eius Sarua vidua remanſit; ſic in temporalibus parentibus contigit, quòd quantocius orbemur illis, illorumve deſtituamur auxilio. Feliciores iuſti, qui vni cœleſti parenti Deo confidunt; is enim ſemper adeſt pater, & mater ſuis. Cant. 3. *Cant. 3.* *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem, in diademate quo coronauit eum mater ſua.* Non equidem ad Salomonem hunc terrenum inuitat, ſed ad verum, & cœleſtem Salomonem Dei filium, qui ex patre coronatus exit. Sed ſi à patre coronam accipit Dei filius, quomodo dicitur coronare eum mater ſua? Is eſt pater ille cœleſtis Deus, qui & patrem ſimul, & matrem agit erga ſuos. Pſellus apud Theodor. *Pſellus.* *A matre ſua ita coronatus nos ſibi hodie deſponſauit. Mater verò illius, patris charitas fuit.* Ecce tibi, vt pater, & mater ſimul, & ſemper in vno Deo inueniuntur. Hinc de ſponſo ſuo cœleſti, parentique optimo locuta ſponſa Cant. 1. ait. *Cant. 1.* *Oſculetur me oſculo oris ſui: meliora ſunt vbera tua vino.* De patre, & ſponſo loquitur, & illi adaptat vbera. Quid vbera cum patre, quæ propria matris ſunt? Quando Deus nobis pater eſt, vt quid porrigit vbera, quæ non à patribus, ſed à matribus porriguntur. Equidem ita Deus pater noſter eſt, vt ſimul, & ſemper ſe etiam matrem exhibeat, ne vllo pietatis officio orbentur ſui filij. Vt meritò dicat Guerricus Abbas ſerm. 2. de *Guarric.* SS. Petr. & Paul. *Et ipſe quidem ſponſus habet vbera meliora vino, id eſt, doctrina legis, vel gaudio ſæculari. Habet, inquam, ſponſus vbera, ne vllum de omnibus officijs, & nominibus pietatis eum prætereat, vt qui pater eſt creatione naturæ, vel regeneratione gratiæ, ſit etiam mater affectu clementiæ, ſit & nutrix ſedulitate officij, & curæ.* In mundo omnia tibi auxilia, & officia ſolent deficere; deficit officium patris, etſi mater adſit; vel matris, ſi pater relinquitur; vel patris, & matris ſimul, qui vterque poteſt in mortem ire. In Deo autem & ſemper, & ſimul, patrem & matrem habes, qui nunquam poſſint interire.

§. II.

Effœminati, & molles quamprimum in Deum inſurgunt.

PErduellis hominis aduersùs Salomonem mater, non immeritò notatur fuiſſe vidua: *cuius mater erat nomine Sarua, mulier vidua.* Nunquam enim Hiſpani non ſuſpicantur mollem, & effœminatum illum, qui filius viduæ eſt. Qui amiſſo patre, patriſque orbatus diſciplina, ab vna matre vidua nutritur, nil muliebre, nil effœminatum non bibit: quo audeat inſurgere vel in diuina. Quæ enim vercatur muliebris animus? Fallar, niſi ab illo proditiones exiliant nefariſſimæ vel in proprios dominos, vel in Deum ipſum. De partubus vxoris ſuæ locutus Oſeas cap. *Oſ. 1.* 1. ait: *Concepit adhuc, & peperit filiam; & dixit ei: Voca nomen eius abſque miſericordia.* Et quando Oſeæ filij dabantur, vt expreſſiſſimæ figuræ populi Iſraelitici; cur datur ei filia? Cur in muliere filia voluit Deus, vt Iſraeliticus populus exprimeretur; volebat Deus exprimere populum audacem, & inſurrectorem in Dominum ſuum, in Deum ſuum; & ideo per mulierem illum delineauit, nullum enim flagitium, nulla proditio à muliebri animo non proſilit. Quò ſpectans ait D. Cyril. Alex. ibi. *Appoſitiſſimè autem* *Cyril. Alex.*

incredulum, & iſſrantem, & Domini interfectorem populum Iudaeorum mulieri comparauit; illi, inquam; quæ dicta eſt, Abſque miſericordia. Equidem populus contumax, & rebellis, & Domini Dei ſui interfector, aptiſſimè mulieri comparatur, & mulieri, quæ Abſque miſericordia nominetur. Muliebris enim animus, vbi pietatis ſaporem expuit, nullum veretur crimen, etſi neceſſum ſit authorem ſuum, Dominum ſuum, Deum ſuum, morte ferire.

Oſeæ 4. Hinc etiam Oſeas cap. 4. Iſraelis facinora depingens, ait: *Sicut vacca laſciuiens declinauit Iſraël.* Cùm ad armenta ſe verteret, vt figuram Iſraelis eligeret, fuerant illi præ oculis tauri, qui cornu agitatorem inuaderent, vel fuerant illi etiam ob oculos vituli ſaginati in victimam præparati. Cur relictis vitulis, & tauris maluit vaccam fœminam in populi Iſraelitici figuram trahere? Cauſam attigit D.

Cyril. Alex. Cyril. Alex. ibi fatus *Diſceſſit enim Hieroſolyma, & paſtore ſuo relicto, hoc eſt, Deo, tetrum, ac deteſtandum apoſtaſim deſignauit.* Vbi defectio à proprio Deo, & Domino in Iſraele explicanda erat meritò accurritur ad vaccam fœminam: effeminatus, & muliebris animus eſt, qui hæc crimina parit, quæ quantum eſt ex ſe, vt Domino, ſic & Deo periculum faciant.

§. III.

Perditiſſima ingratitudinis eſt, quòd acceptis donis abutaris in damnum donatoris.

EXcitatæ rebellionis à Ieroboam cauſam exprimens textus ait: *Et hæc eſt cauſa rebellionis aduersùs eum, quia Salomon ædificauit Mello,* &c. *Videnſque Salomon adoleſcentem bonæ indolis, & induſtrium, conſtituit eum præfectum ſuper tributa,* &c. Cùm pro ædificando Mello tributa impoſuiſſet Salomon populis, fecit Ieroboam præfectum tributorum colligendorum. Qui dignitate, munereque inflatus, renitentiaque populi in ſoluendo animatus eos fouebat animos, quibus non videretur ſibi difficile Salomonem à regno deturbare, & regnum ſibi præripere. Sic de accepto a Salomone munere inſoleſcebat in Salomonem ipſum. Proh humanam ingratitudinem! Quàm ſimilis eſt hæc ingratitudo illi, qua homines quotidie donis a Deo acceptis abutimur in offenſam illius? Meritó de

Oſea 2. Iſraelitis querebatur Dominus Oſeæ cap. 2. *Argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt Baal. Idcirco conuertar, & ſumam frumentum,* &c. Deus dabat populo ſuo ingentem vim auri, & argenti, illi autem de accepto argento, & auro faciebant idola, quæ Deo vero opponerent, illique magnam crearent offenſam. Quanta hæc ingratitudo? Non mirer, quòd ſic ingrati in perditionem eant.

Rupert. Ait ibi Rupert. *Cùm ergo dixiſſet, & argentum multiplicaui ei, & aurum pulchrè cautionè addidit: Quæ fecerunt Baal. O dira ingratitudo. De auro, & argento meo fecerunt mihi contraria, vitulas, & Baal, cæteraque idolorum portenta. Idcirco conuertar: Conuertar, inquam, & conuerſus morbo, & recedam, & relinquam eam.* Et cur non relinquatur a Deo in perditionem ire, qui ſic ingratus eſt, vt acceptis donis

Iobi 21. abutatur in offenſam, & iniuriam illius? Iobi cap. 21. dicitur de impiis: *Qui dicebant Deo: Recede à nobis; & quaſi nihil poſſit facere omnipotens, æſtimabant eum, cùm ille impleuiſſet domos eorum bonis.* Deus eò ſpectabat, vt domos eorum bonis impleret; ipſi autem pleni bonis, & donis Dei illum à ſe abiiciebant, & pro nihilo æſtimabant. Et cur Deus amat ditare eos, qui ſic bonis abutuntur acceptis in benefactoris offenſam? Inde iam velociùs rapiebantur ad pœnam.

Greg. Vt dicat D. Greg. lib. 18. Moral. cap. 5. *Bonis Dei largitionibus mala reddiderunt, vt diuina eos tunc ſupplicia puniant, quorum hîc malitiam nec dona vicerunt.* Cùm nec donis vinceris, ſed illis magis abuteris, vt Deum offendas, ſic ingratus oſtenderis, vt non mirer, ſi tantæ

Cyril. Alex. ingratitudinis luas pœnas. Vt dicat D. Cyril. Alex. in cap. 23. Oſeæ: *Beneficiorum Dei obliuio quàm longiſſimè repellenda ab animo, quoniam exitium parit, & Deum omnis nuſteæ ſubſtitatis authorem ad indignationem prouocat. Ingratus enim etiam eſt blaſphemus, vt à quodam ſapienter dictum eſt.* Quòd ſi ſola obliuio beneficiorum adeò prouocat, quid faciet abuſus eorum in Dei offenſam? Hic maximam iram tra-

Amos 6. het ex Deo. Hinc Amos cap. 6. ait: *Quoniam conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in abſinthium,* &c. Græce legitur: *Conuertiſtis in furorem iudicium, & fructum iuſtitiæ in amaritudinem.* Et qualiter conuerterunt iudicium, & iuſtitiæ fructum in furorem? Dum donis acceptis in Dei offenſam abutebantur ingrati. Ait ibi D. Cy- Cyril ril. Alex. *Eſt igitur iniſondum crimen ingrati animi: plectitur autem, & iuſtè admodum. Quem enim magis adhuc benedicendo, & laudando oportebat emollire, & gratiarum actionibus exhilarare, hunc ſtultè ad iram concitare, quomodo non permitem nobis parit?* Sic ibi.

3. *Regum* 11. Factum eſt igitur in tempore illo, vt Ieroboam egrederetur de Ieruſalem, & inueniret eum Ahias Salonites Propheta in via opertus pallio nouo: erant autem duo tantùm in agro. Apprehendenſque Ahias pallium ſuum nouum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes. Et ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem ſciſſuras, *&c.*

§. IV.

Laſciuia exſuperans omnia bona hominis perdit, abſumit.

SAlomonici generis ſpoliatio meritò ſignificatur per nudationem, & ſciſſionem pallij noui Ahiæ, dum inquit: *Apprehendenſque Ahias pallium ſuum nouum, quo coopertus erat ſcidit in duodecim partes,* &c. Meritò, inquam, per nudationem, & ſciſſionem pallij ſignificatur ſpoliatio Salomonici generis; quando enim in illo tanta fuit mulieroſitas, & laſciuia in conquirendis ſibi fœminis alienigenis, non miror, quòd hæc nec pallium homini relinquit. Perdit omnia laſciuia, & in momento ingentia bona abſumit. Vt meritò dicat Caſſiod. 11. variar. 3. *Excludi-* Caſſi *te ſanctiſſimi, inter immundos ſpiritus, implacabiles vitiorum furores, violentiam temperate, auaritiam depellite, furta remouete, depopulatricem humani generis luxuriam à veſtro populo ſegregate.* Expende illa, *depopulatricem humani generis luxuriam;* non equidem bellicus ardor, ſeu furor, ſic ſæuit in campos, in oppida omnia vaſtans, omnia depopulans, & ad deſerti nuditatem reducens, vt flamma luxuriæ omnia perdit bona, & depopulatur. Tantiſper fuit Ioſeph inuitus in manu laſciuæ fœminæ, & fine pallio exiuit, ſi amplius moraretur, exiret ſine libertate, ſine vita. Ait Oſeas 4. *Quoniam ſicut vacca laſciuiens declinauit* Oſea. *Iſraël; nunc paſcet eos Dominus, ſicut agnum in latitudine.* Sicut agnus in vaſtiſſima montis latitudine relictus, ſine matre, ſine paſtore, ſine ſpe vitæ, ſic fuerunt Iſraelitæ relicti. Quam ob culpam? Ait text. *Quoniam ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael,* vbi laſciuia in peccatum ruit, non mirer, quòd in tantam nuditatem, & vaſtitatem, & perditionem populus venerit. Ait ibi pulchrè Ruffin. lib. 2. Ruffi *Aptè-proinde à vacca ſimilitudo ſuſcepta eſt, vt peccati ipſius ſpecies, & rumor peccantium, & mugitus pereuntium ſignificaretur* Expende illa, *peccati ſpecies, & mugitus pereuntium;* non enim aptè exprimeretur ſpecies laſciuiæ, niſi vbi ſimul exprimeretur pereuntium mugitus. Inſeparabilis enim eſt a laſciuia nuditas extrema, & perditio. Habes homo, quo te munias aduersùs extremam ruinam, ſi à laſciuia fugias. Oſeas 12. *Fugit Iacob in terram Syriæ, &* Oſea *ſeruiuit Iſrael in vxorem, & in vxorem ſeruiuit. In Propheta autem eduxit Dominus Iſrael de Ægypto,* &c. Nemo non nouit Dei curam, & protectionem eum Iacob, vt illum populi ſui caput fecerit, vt de Ægypto liberauerit eius ſemen, in eremo pauerit pane cœleſti, & tandem Chriſtum regnare fecerit in domo Iacob. Cur hæc? Ait text. *Fugit Iacob regionem Syriæ, & ſeruiuit Iſrael in vxorē,* &c. Sic temperans à luxuria fuit Iacob, vt in vxoribus ducēdis nullā legē nullam conſuetudinem, nullum parentum monitum voluerit præterire. Ne contra votū parentum vxorē de Chananæis acciperet, fugit ad regionem Syriæ, inuentáque ibi puella pulcherrima, matrimonium diſtulit vſque ad ſeptēnium ſeruituris conſumptum. Et poſt ſeptennium paſſus eſt ſibi dari aliā pro illa, ne perderetur regionis cōſuetudo. Qui ergo adeò temperans fuit, vt vel voluptatem licitam postponeret legibus ſeruandis, & conſuetudinibus; ne miremur, quòd ſic à Deo protectus fuit. Accipite Theodo- The

retum

vetum ibi ſantem : *Iacob matris conſilium ſecutus, domum paternam ſe relinquere facilè paſſus eſt, atque externam domeſtica noteinſit. Mulieriſque gratia ne videlicet duceret Chananæam, ſed ex genere Sem, ſeruitutem libertati antepoſuit; legemque de vxoribus à patribus rogatam diligentiſſimè ſeruauit; quam ob rem vſque ad poſteros ſuos, à Deo curatione potitus eſt*, &c. Itaque Iacob legem de vxoribus à patribus rogatam diligentiſſimè ſeruauit quo meruit ſuam æternari ſalutem, & proſperitatem. Componite modò Iacobum & Salomonem : vterque fuit à Deo electus præ alijs fratribus, vterque ad domum fundandam vocatus. Sed Salomon vel in ſua vita audit iam domus ſuæ ruinam; domus autem Iacob æternatur. Vnde hoc? Hic in coniugibus habendis nullam legem non ſeruat, nullum non ſpectat morem patrum; ille profuſiſſimè, & ſine lege ad libidinem rapitur, omneſque leges in vxoribus habendis de alienigenis, & Ethnicis patitur conculcari. Ne miremur, quòd domum, & familiam perdant, qui exleges ſunt etiam in licitis coniugiorum voluptatibus.

§. V.

Ad leuamen pertinet, quòd mala non iunctim, ſed per partes ſubeantur.

VT regnum Salomoni auferendum oſtendat Propheta, pallium nouum in decem ſciſſuras diuiſit. Ait enim: *Aprehendens Abias pallium nouum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes.* Et cur in partes ſcidit? Cur non magis integrum abſtulit ſibi, & Ieroboamo tradidit? Etiam in caſtigando peccatore ſeruabat Deus ſuam benignitatem, quando illi non iunctim, ſed diuiſim, & per partes inferebat mala, quod non parui erat leuaminis. Miſeri alij
Baruch. 3. ſub verbere poſiti clamabant apud Baruch cap. 3. *Agglutinata ſunt nobis mala.* Et quid acerbius, quàm quòd mala ſimul iuncta, & agglutinata miſerum inuadant? Meliùs, & leniùs cum illo agitur, cui mala diuiſim, & per partes inferuntur. Et ſic Deus ſuis mala diuiſim venire permitit, bona autem ſimul iuncta, & agglutinata. Vt enim bonorum coadunatio ad augmentum pertinet gaudij, ſic malorom diuiſio pertinet ad leuamen. Nota eſt hiſtoria
2. Machab. 7. ſeptem Machabæorum fratrum lib. 2. Machab. cap. 7. Adducti ſunt ad feriſſimum tyrannum Antiochum ſeptem fratres vnà cum matre, qui religionis cauſa ſeſe libenti animo offerebant excarnificandos. Quid tunc? Ait textus: *Iuſſit ei, qui prior fuerat locutus, linguam amputari*, &c. *Mortuoque illo primo ſequentem deducebant*, &c. *Poſt hunc tertius illuditur*, &c. *Et hoc itaque defuncto quartum vexabant*, &c. *Et cùm admoniſſent quintum*, &c. *poſt hunc deducebant ſextum*, &c. *Cum adhuc adoleſcentior ſupereſſet*, &c. *in hunc ſuper omnes crudelius deſæuit.* Ecce tibi vt ſinguli fratres diuiſim atrociſſimis tormentis perdebantur coram occulis matris. Et cur ſinguli ſic diuiſim coram matre excarnificabantur? Cur non magis ſimul iuncti torrebantur? Nonne tyranni rabies illos iunctim potens erat vurare? Prouidebat equidem Deus in tanto dolore matri aliquod leuamen, ne agglutinata illi acciderent mala, ſed diuiſim, & per partes. Sic enim eius
Leo. temperat dolores, & gaudia adauget D. Leo ſerm. in Feſt. Machab. fatus : *In ſingulis quidem filijs paſſa, in omnibus coronata.* Si enim huius fœminæ nobiliſſimæ paſſionem ſpectemus, habuit hoc leuamen, quòd *in ſingulis paſſa fuit*; non agglutinata, & iuncta recepit mala, ſed diuiſa, & per partes. Si autem gloriam eius attendamus, *in omnibus fuit coronata*; gaudia enim non à ſingulis diuiſa, ſed ab omnibus ſimul iuncta illam implent in patria. Quò ſpe-
2. Cor. 4. ctans Paul. 2. ad Corinth. 4. dicebat illud notiſſimum: *Quod momentaneum, & leue eſt tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operator in nobis.* Expende illud, *momentaneum tribulationis*, & hoc, *æternum gloriæ.* Cur tribulatio præſentis vitæ dicitur momentanea, cùm ſæpe diuturniſſima ſit? Quia vt fluxa eſt, nunquam tota ſimul adeſt, ſed diuiſim, & per momenta. Quod præſens eſt tribulationis, nunquam momentum vnum excedit. Semper equidem tribulatio diuiſa venit per momenta; gaudia autem quæ ab illa generantur, non diuiſa, ſed ſimul iuncta veniunt, vt enim æternitate menſurantur, ſic ſimul iuncta accidunt. Æternitas enim iuxta Boëtium, eſt tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.

§. VI.

Malum, ſeu vitium diuiſim, & per partes ſumptum faciliùs perditur.

ET quando decem tribuum regnum Ieroboamo traditur, cur per decem pallij ſciſſuras traditur? Quippe ait : *Tolle tibi decem ſciſſuras*, &c. Cur in decem ſciſſuris, & nõ magis in integra maiori parte pallij id oſtẽditur? In ſciſſuris ſimul oſtendebatur, vnde Ieroboami impium regnum caderet, nimirum ſi diuiſim, & per partes cœperit impugnari. Nullum enim malum, aut vitium non funditus perditur, dum diuiſim impugnatur & per partes. Ingreſſus fuerat Ieſus domum Zachæi, qui de tanto hoſpite lætus Luc. cap. 18. in medio ſtans dicebat Ieſu : *Ecce* Luc. 18.
dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Non omnia bona ſua dabat, nec dum enim ad tantam virtutem venerat, vt cum toto bonorum affectu dimicaret. Quid ergo egit? Diuidit malum affectum in partes, & cum dimidio pugnat, & Chryſoſt.
ſic tandem auaritiæ victor euaſit. Chryſoſtom. in cat. Græca D. Luc. ait : *Pulchrè autem diuidit iniuſtitiam, ſecat auaritiam. Quodlibet vnitum, & integrum eſt validum, diuiſum autem debile; ea propter ſubſtantiam ſuam in duas diuidit partes. O præclaram vocem, quæ naturam, ſeu potius conſuetudinem ſuperat, & vincit!* Vbi vitium ſecatur, & diuiditur in partes, iam eius perditio nunciatur. Qui enim aduersùs integrum malum infirmus eſt, ſi illud diuiſim, & per partes aggreditur, victor euadet. Huc ſpectans Dauid Pſal. 88. dicebat : *Et concidam inimicos eius à facie illius.* Pſalm. 88.
Non ait, perdam inimicos, ſed concidam, eo enim ipſo, quòd aliquid inimicum in partes concidatur, & diuidatur, iam oſtenditur, vt poteſt ſuperari. Circa quæ D. Au- Auguſt.
guſt. ait : *Conciduntur à conſpiratione ſua, & quod credunt, conſcinduntur. Paulatim enim credunt, & tanquam comminuto capite vituli veniunt in populum Dei, comminuit enim caput vituli Moyſes, ſparſit in aqua, deditque bibere filijs Iſrael. Comminuantur omnes infideles, credunt paulatim, & à populo Dei bibuntur, & in corpus Chriſti traijciuntur.* Vt caput vituli comminutum, & in minutiſſimas partes redactum, ſpargi potuit, & ſparſum abſorberi ab Iſraelitis : ſic vniuerſa malitia, ſi comminuatur, & in partes ſecetur, ſic facilè poteſt abſumi, vt inde pullulent membra Chriſti.

§. VII.

Qui ſpiritu Dei aguntur, in rebus fictis, & ludicris nihil pati volunt, ſed in veris.

PAllium nouum ſcinditur à Propheta, cuius decem ſciſſuræ dantur Ieroboamo, dicente textu : *Apprehendens Abias pallium nouum, quo opertus eſt, ſcidit in duodecim partes. Et ait ad Ieroboam : Tolle tibi decem ſciſſuras.* Non viles aliquæ ſciſſuræ dantur Ieroboamo, ſed ſciſſuræ factæ de pallio nouo. Et cur prouiſum eſt, quòd pallium eſſet nouum, vt de illo ſciſſuræ fierent, quæ Ieroboamo darentur in ſignum futuri regni? Crediderim id prouiſum eſſe, vt veritas promiſſionis magis oſtenderetur in eo, quod pro illa oſtẽdenda Propheta pallium ſuum nouum ſcidit. Nullus enim Spiritu diuino motus in re ludicra, & ficta diſpendium pallij ſui noui pati vellet, ſed in vera. Lyra ſciſſionis huius reddens rationes ait : *Alia cauſa eſt, vt Ieroboam aduerteret, quòd pallium ſuum nouum non ſcidiſſet libenter pro nihilo, ſed pro veritatis indicio.* Planè de nullo prudenti viro credi poteſt, quòd pro nihilo, aut pro re ludicra, & efficta velit pati diſpendium vllum, ſed pro veris, & ſolidis. Vidi mundiales homines in mendacijs, & inanitatibus ingentia patrimonia conſumere; pro ſolidis autem, & veris bonis vel in teruntij diſpendio contremiſcere. Hi vt longè à Deo ſunt, non miror, quòd ſic ad vana currant. Qui autem Deo implentur, ad inania, & ludicra ſtrictiſſimi ſunt, pro veris, & ſolidis profuſiſſimi, itaut nec pallium ſibi relinquant, nec vllum dedecus refugiant. Habeat Moyſes ligneam virgam in manu Exod. 4. *Dixitque Dominus : Proijce eam in terram. Proiecit,* Exod. 4.
& verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes. Mirabar, quòd tantus dux, nempe Moyſes, electus à

Deo,

Deo, vt elementis imperaret, & Ægyptum concuteret, nunc tantum dedecus ſubiret, vt cogeretur à facie colubri fugere. Et cur fugiat colubrum, qui non fugiturus eſt tyrannum Ægyptium? Diceret aliquis virgam non fuiſſe à Deo in verum colubrum conuerſam; cui vt obuiaretur, & veritas colubri à Dei potentia effecti oſtenderetur, cogitur Moyſes fugere. Non enim tantus vir, à Deo motus fugæ dedecus ſubiret pro nihilo, ſed pro vero. Vt dicat

Epiph. D. Epiphan. in Ancorat. *In omnibus dirigens Deus noſtram cogitationem, per Moyſem declarauit veritatem. Cognouit enim Propheta, quòd id, quod factum erat, non erat factum in apparentia, ſed veritate, in eo quod fugeret. Si enim imaginario fuiſſet, quod factum erat, non aufugiſſet Moyſes à conſpectu ſerpentis.* Pro tollenda ſuſpicione mendacij, & pro aſſerenda veritate diuini facinoris, prouidetur fuga in duce tanto, in Moyſe. Non enim tantus dux pateretur fugæ dedecus pro nihilo, pro apparentibus, & fictis, ſed pro veris. Hinc non parum nec leuiter mordentur illi antiqui Ethnici Romani, quorum feſta erant gladiatorum homicidia; cùm enim gladiatores in arena ſeſe percutiebant, & in partes diſſecabantur, tunc ingens erat lætitia circumſtantibus Romanis. Verùm vbi ab arena in theatrum itum eſt, vt hiſtrionum comœdiis, aut tragœdiis adſint, cùm hiſtrio affecto vulnere, ioanique profuſo ſanguine vicem ſuam lamentabatur, percuſſique hominis multis geſtibus, & lamentis perſonam agebat, videres in lachrymas ire circumſtantes Romanos. De quo ſapienter & acutè Minutius Fœlix in ſuo Octauio ait: *Hiſtrio ſimulatis doloribus lachrymas veſtras vanis geſtibus, & nutibus prouocat. Sic homicidia in vero flagitatis, in mendacia fletis.* Cùm vera homicidia à gladiatoribus fiebant, lætabātur Romani, imò flagitabant læti, vt plura fierent. Cùm autem ſimulata in ſolis apparentiis, & repræſentatione hiſtrionum oſtendebantur, tunc compaſſionis, & doloris ibant in lachrymas. Quid aliud facerent dæmoniorum aſſeclæ, quàm in veris malis lætari, dolere in falſis? Sic ſic multi fideles lugent in mendacio, rident in vero malo. Lætantur in adulterio, in ebrietatibus, in impudicitiis, quæ vera mala ſunt, & peſtes lethaliſſimæ: & lugent in temporalium bonorum amiſſione, quæ fictè, & apparenter eſt mala. Non ſic qui Deo implentur, qui pro ſolis veris aliquid ſuſtinent pati.

Minut. Fœlix.

§. VIII.

Temporalia bona pauciſſimis dantur à Deo, æterna innumeris.

VNi Ieroboamo decem ſciſſuræ pallij prophetici, hoc eſt, decem tribuum principatus dantur illis verbis: *Tolle tibi decem ſciſſuras.* Et cur vni dantur? Cur vt in ſe erant ſciſſuræ illæ diuiſæ in decem, non etiam per decem ſaltem Principes diuidebantur? Datæ ſunt duæ tantùm tribus domui Dauidis poſt Salomonem; cur decem reliquæ non datæ ſunt quinque aliis Principibus vt ſinguli binas haberent, & eſſent in Iſraele decem, aut ſex Reges, & non tantùm vnus? Vt regnum erat temporale, & terrenum, ſic datum eſt vni, & non pluribus. Deus enim non dat plurimis temporalia bona, ſed pauciſſimis; æterna ſola plurimis offeruntur. Poſt vitulum adoratum ab Iſraelitis dicebat Dominus Moyſi Exod. 32. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, faciamque te in gentem magnam.*

Exod. 32.

Quibus oſtendebat Dominus non poſſe eſſe Principem in gētem magnam, dum præeſſet Iſraelitico populo. Prius neceſſum erat, vt populus Iſraelis abiiceretur à Deo, vt Moyſes in gentem magnam fieret. Et cur Moyſes in ipſo Iſraele non fieret in gentem magnam; ſed neceſſum erat, quòd gentem magnam præcederet Iſraelis excluſio? Iſraelis populus terram habebat in promiſſione, quæ ex Deo non venit niſi ad pauciſſimos, ideo in illo populo nunquam gens magna poterat inueniri. Gentem enim magnam, & multam ſolæ cœleſtes promiſſiones implent. Adhæc dicebat B. Bern. ſerm. 30. in Cant. *Graue iugum legis. Graue iugum, & vile præmium: nam terra eſt in promiſſione. Pro huiuſmodi non eſt Moyſes miſſus in gentem magnam. Verùm tu mater Eccleſia promiſſionem habes vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ; facile in duplici gratia obtinas ab vniuerſis te recipi, & propter iugum ſuaue, & propter regnum ſublime.* Quis non miretur Eccleſiæ latitudinem compoſitam cum Synagogæ anguſto? Iſraeliticus populus paruus fuit; Eccleſiæ populus adeò multus, quòd occupet omnem terræ amplitudinem. Et meritò, Iſraeli enim terrena bona dabantur, quæ à Deo non dantur plurimis, ſed pauciſſimis. Eccleſiæ autem cœleſtia offeruntur, quæ innumeram implent multitudinem. Conuerte oculos ad quamlibet ciuitatem, & quorum ciuibus pauci ſunt, qui temporalibus floreant bonis, vt quæ non dantur à Deo niſi pauciſſimis, negantur plurimis. Spiritualia, & æterna bona vt nulli negantur, ſic ad illa perueniunt innumeri. Hæc omnibus abundant, illa in paucis ſtagnantur. Samaritana mulier Ioan. cap. 4. mille obtendit difficultates, vt parum aquæ Ieſu exhibeat, dicens. *Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere à me petis, quæ ſum mulier Samaritana.* Sic Dei filius vix parum aquæ à fœmina extorquet; de qua poſt cognitum Ieſum ait textus: *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: nunquid ipſe eſt Chriſtus.* Quæ tam ſtricta fuerat in præſtando aquæ potu; modò tam liberalis eſt in annuntiando Chriſto, vt omnibus Sicharis ciuibus illum annuntiet. Nec miror, reliquerat iam hydriam, hoc eſt, à temporalibus his, & terrenis bonis, quæ difficulter currunt vel ad vnum, oculos leuarat ad diuina, quibus plena intendit illa communicare pluribus. Ait Diuus Cyril. Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 99. *Nam aquam à terreſtri hauſit fonte, nec terreſtrem hydriam domum reportauit; ſed cœleſti Saluatoris gratia, & doctrina plena ad ducendos alios fuit profecta.* Cùm aquam terreſtrem hauriebat, adeò erat animi anguſti, vt pigritaret potum dare vni. Huiuſmodi enim ſunt terreſtria bona, quæ ad paucos, ſic Deo prouidente, fluant; at poſtquam terrena hæc reliquit, & fuit imbuta diuinis, iam feſtinat illa omnibus communicare ciuibus.

Bern. Ioan. 4. Cyril. Alex.

§. IX.

Sciſſuræ in bonis temporalibus opportunæ ſunt ad ſalutem.

QVæ pars integra dari potuit Ieroboamo, datur illi in decem partes diuiſa, dum ait: *Tolle tibi decem ſciſſuras;* conducit enim valde ad ſalutem, ne integra, & plena fit conceſſio bonorum temporalium, ſed magis interrumpatur aduerſis, & ſcindatur. Sciſſuræ namque iſtæ ampliſſimum oſtendent callem ad hoc, vt homo ſapiat. Vbi Ieſus ſpiritum emiſit Ioan. 19. *Velum templi ſciſſum eſt in duas partes.* Et quid in illa ſciſſione? Ait D. Cyril. Alex. lib. 12. in Ioan. c. 37. *Velum templi à ſummo vſque ad deorſum ſcinditur, quia Sancta Sanctorum aperiuntur, & via credentibus in Chriſtum ad interius tabernaculum præparatur.* Quippe dum velum integrum ſtabat, hoc eſt, dum Synagogæ res integræ vigebant, ſalutis, & ſanctitatis via obſcuriſſima erat. Vbi autem interrumpi cœpit florens ille ſtatus, per ipſas rupturas cœpit etiam patere planiſſimus ad ſancta callis. Sic dum temporalium rerum ſtatus integer floret, obſtructa eſt ſalutis via, & multum obſcurata: at dum nonnullis aduerſis rumpitur, & ſcinditur, per ipſas ſciſſuras, & rupturas temporalium, via ad cœleſtia, & æterna paret. De idololatris Iſraelitis dicebat Oſeas c. 4. *Nunc paſcet eos Dominus quaſi agnum in latitudine.* Quibus ita Dei benignitas in populum impium oſtenditur, eum paſcens; vt ſimul interrupta per iram, & ſupplicium monſtretur, dum eo redigitur populus, vt inſtar agniculi ſolitarij in vaſtiſſimo campo timore, & tremore concrcatur. Et cur ſic ſe Deus oſtendit in populum, vt ſimul benignus, & iratus videatur, niſi vt per benignitatis interruptionem, populus videat diſcrimina ſcelerum ſuorum, & inde ſapiat? Ait Ruffin. lib. 1. in Oſeam: Sicut agnus in vaſta loca deductus, & imbecillus, & ſolus, tam matris, quam gregis ſolatio deſtitutus, metuit quidquid aſpexerit, quidquid audierit: ita etiam gens ſubiecta hoſtibus truculentis per ſolitudinem cogetur incedere. *Quam tamen non vſquequaque prouidentia diuina deſtituit; propter quod dicit: Nunc paſcet eos Deus; ſed vt impoſitæ calamitatis magiſterio, intelligat, atque fateatur, nec contemptibilia fuiſſe ſacra legis præcepta, nec ſua vel impunita crimina, vel deſideria fructuoſa.* Expēde ab illis: *Sed vt interpoſitæ calamitatis magiſterio intelligat,* &c. quippe ſimul Deus & paſcuā, &

Ioan. 19. Cyril. Alex. Oſee 4. Ruffin.

& abundantiam exhibebat populo, & calamitatem interponebat inter ipſas eſcas, vt per interpoſitam calamitatem, tanquam per ſciſſuram bonorum temporalium intelligeret populus curarum ſuarum inanitates, ſcelerum diſcrimina, & reſipiſceret.

§. X.

Labor pro temporalibus euanidus, & irritus apud Deum.

NOn in vna, & integra parte, ſed in decem ſciſſuris pallij datur ſignum regni Ierobami, dum dicit: *Tolle tibi decem ſciſſuras.* Et cur regnum in decem ſciſſuras pallij diuiſum oſtenditur? Regnum Chriſti, quæ eſt Eccleſia in tunica inconſutili, & indiuiſa, ſignificabatur Ioannis 19. Cur modò in pallio ſciſſo in decem ſciſſuras ſignificatur regnum Iſraeliticum? Planè inde oſtenditur clariſſimum diſcrimen laborantium, pro regno Dei, aut pro regno temporali. Qui enim pro regno Dei laborat, laborum fructus in ſacculis colligit, qui nec veteraſcunt, nec rumpũtur. Qui autem pro regno mundiali laborat, ſimilis eſt illi, qui mittit laborum fructus in ſacculum pertuſum. Sic enim laborantis pro temporalibus fructus euaneſcit, &
Aggæi 1. effluit. Quo ſpectans Aggæus cap. 1. ait: *Qui merces congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Credè mihi, nullus labor pro temporalibus rebus non irritus, & euanidus eſt apud Deum: Quis neſciat pios labores Cyri Regis
1. Eſd. 1. Perſarum pro populo Dei? De illis locutus 1. Eſdras cap. 1. ait: *Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa. Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? Sit Deus illius cum ipſo. Aſcendat in Ieruſalem*, &c. Quæ vota Cyri adò pia, & quæ curæ pro domo Dei, & quæ confeſſio beneficiorum acceptorum cur non videantur acceptiſſima Deo? cur magni momenti non fuerint, ad ſalutem ex Deo comparandam? Magna hæc videbantur, ſed vt in illis nihil in æternum Cyrus attendebat, totus immerſus temporalibus regnis conſeruandis, ſic apud Deum nihili æſtimabantur,
Rupert. & quaſi in pertuſum ſacculum mittebantur. Ait Rupert. lib. 7. de verb. vict. cap. 25. *Hanc ergo quaſi beneficij viciſſitudinem putas Cyro ſufficientem fuiſſe ad æternam ſalutem? Nequaquam ſufficientem; nec enim animaduerti poteſt, quòd eamdem ſcilicet ſalutem æternam ſperauerit, vel quæſierit. Fuerit quidem alicuius momenti præ cæteris Regibus. Veruntamen non valde magnum eſt, grates agere pro præſentibus beneficijs, dum negligenter, aut ſine cura caret æternis.* Dum pro æternis non laboras, dum ſine æternorum cura, aut expectatione totus incumbis temporalibus, tuos labores mittis in pertuſum ſacculum, ex quo nihil extrahes veræ fœlicitatis. Nec ſolùm irritus eſt, & vanus labor pro temporalibus; ſed & odioſi ſunt Deo valde, qui homines ſic
Oſeæ 6. faciunt laborare. Oſeas cap. 6. *Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda? Miſericordia veſtra, quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens. Propter hoc dolaui in Prophetis, & occidi eos.* Ecce tibi occiduntur, & perduntur à Deo Prophetæ Iſraelitarum, quia ſuis miſericordiam annuntiabant tanquam nubem matutinam, & rorem pertranſeuntem. Et quantum hoc malum? In eo dicitur, quòd nihil de æternis, & permanentibus bonis dicebant, ſed ſola proponebant populo temporalia, quo maximè Deum
Rupert. irritabant. Rupert. lib. 2. in Oſeam: *Propter hoc*, inquit, *videlicet, quia vos tantummodo rerum temporalium matutinam nubem, roremque tranſitorium requiritis, & gloriam Dei, regnumque futurum non attenditis; ego dolaui, id eſt, multas perſecutiones feci in Prophetis, qui vobis ſecundùm veſtram intentionem adulati ſunt, & applauſerunt, videntes vana, & & loquentes mendacia.* Et meritò perduntur magiſtri, qui ſic faciunt ſuos inaniter laborare, vt inhient temporalibus.

3. *Regum* 11. Non auferam omne regnum de manu eius, ſed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ ſuæ, propter Dauid ſeruum meum, quem elegi, qui cuſtodiuit mãdata mea, & præcepta mea. Auferã antẽ regnũ de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus: filio autem eius dabo tribũ vnam vt remaneat lucerna Dauid, *&c.*

§. XI.

Nunquam non datur à Deo aliquid venia temporalis reo, ob priſtinas virtutes vel ipſius, vel parentum eius.

IN magna ira Dei aduersùs Salomonem, adhuc miſericordiæ ſuæ recordatur, dicens: *Non auferam omne regnum de manu eius, ſed ducem ponam eum omnibus diebus vitæ ſuæ, propter Dauid*, &c. Tollit equidem Deus regnum à Salomone, ſed nec totum, nec in diebus eius tollit propter Dauid eius patrem. Nunquam enim vel priſtinæ virtutes propriæ, vel parentum, aut propinquorum non proficiunt homini, ne in ſceleribus ſuis ſuſtineat totum temporalem Dei furorem. Heli ſupplicium decernens Dominus 1. Reg. 2. ait: *Veruntamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: ſed vt deficiant oculi tui, & tabeſcat* 1. Reg. 2. *anima tua, & pars magna domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem peruenerit.* Vide quot mala dicantur euentura domui Heli, vt ab illa ſacerdotium erat auferendum, & dandum alteri, cuius æmulatione vehementer Heli poſteri torquerentur. Inſuper, vt magna pars eius poſterorum immaturè abripienda è vita erat. Sed inter tot mala, illud additur bonum, nimirum: *Veruntamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo.* Sic ſemper dicitur relinquenda lucerna Heli in altari Domini. Et cur homini tot iras merenti adhuc conſulit Deus ne funditus totam eius familiam perdat? Erant inter tot iras ob Dei oculos priſtinæ virtutes hominis, quibus neſcit Deus aliquid non concedere. Ait D. Greg. PP. lib. 5. expoſitionis in 1. Reg. cap. 4. *Heli à viro Dei audiuit: Pars magna domus tuæ morietur, cum* Greg. PP. *ad virilem ætatem peruenerit: veruntamen non auferam penitus ex te virum ab altari meo: vt ſacra ſcriptura hic apertè monſtraret, & percuſſum, & pro præterita conuerſatione reſpectum.* Equidem priſtinæ virtutes hominis etiam inter ſupplicia poſterorum ſcelerum, ſolent reſpici à Deo, vt ſaltem temporalem exhibeat aliquam veniam, vel excitationem ad maiora promerendam. Nec ſolùm priſtinæ virtutes propriæ hoc ſolent à Deo habere, ſed etiam virtutes parentum, aut propinquorum. Ex quo monebat Iſraelitas Oſeas cap. 4. dicens: *Si fornicaris tu Iſrael, non delin-* Oſ. 4. *quat ſaltem Iuda.* Quaſi peccantibus Iſraelitis conſulas, vt curent, ne Iudæi ſimiliter abeant in peccata, ſed magis virtutibus acquirendis operam nauent. Et quando Iſraelitæ ad omnia currebant ſcelera, quid illis vtilitatis attuliſſet, quòd tribus Iuda ſancta eſſet, vt hoc deberent procurare? Vtiliſſimum planè Iſraelitis peccantibus ſaltem Iudam fratrem habere ſanctum, proficiunt enim plurimum parentum, ſeu propinquorum virtutes, vt à Deo peccatoribus impetrent veniam. Ad hæc Ruffinus pulchra Ruffin. paraphraſi ait: *Si fornicaris tu Iſraël, non delinquat ſaltem Iuda. Cur prodigus propriorum bonorum, etiam fratris iura contaminas? Quid vno tumulo genus omne vis inuolui? Patere ſupereſſe aliquam tui ſanguinis portionem, cuius adiuueris ſuffragio, reformeris exemplo.* Dum portio aliqua tui ſanguinis, nimirum aut parens, aut filius, aut frater, aut propinquus in virtutibus viuens agit, exemplum efficaciſſimum habes, quo ad virtutem exciteris, ſuffragium habes, quod tuam ſollicitet ſalutem apud Deum.

§. XII.

Diuina magnitudo clarè elucet in benefacienda hoſtibus.

SAlomonis filio duæ relinquuntur tribus propter Dauid; Ieroboamo autem tribus decem dantur. Sic enim dicit: *Et dabo tibi decem tribus, filio autem dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna Dauid*, &c. Ecce tibi Dauidis nepoti datur vna tribus, decem autem Ieroboamo dantur, ſeruili ſeminis, & Deo futuro infenſiſſimo. Et cur Domine qui adeò paruus es erga Dauidis ſemen, adeò largus es erga Ieroboamum, qui bellum tuæ diuinitati indicet? Dauidis ſemen ſibi electum illa regni paucitate caſtigat

Dominus,

Dominus, vt ſic eius amor oſtendatur erga ſuos; Ieroboami autem futuri hoſtis res maximè adauget, & multiplicat, vt ſic pateat diuinæ benignitatis magnitudo, quæ *Matth. 26.* tunc clarè oſtenditur, cùm benefit inimicis. Matth. 26. habens Ieſus ſibi in cœna aſſidentes duodecim diſcipulos ſuos, ait illis: *Vnus veſtrùm me traditurus eſt.* Inter diſcipulos enim, & inter conuiuas habebat eum, à quo ſe tradendum noſcebat. Et cur quem ſciebat tantum traditorem futurum & ſuæ ſcholæ honore inſignit, & ſua menſa ornat? Sic magnitudo bonitatis oſtendebatur diuinæ. Vt *Euthym.* meritò dicat ibi Euthym. *Quare omnino ſuſcepit Chriſtus in diſcipulum, eum, qui talis euaſurus erat? Vt manifeſta fieret magnitudo bonitatis Chriſti, & malitia proditoris; quomodo ille ſuum proditorem ſalutaria docuit, ac dilexit, gratiiſque dignum duxit; nec ab aliis ſegregauit, ſed omnia, quæ ad conuerſionem, & correctionem eius erant, induxit.* Nihil ad ſalutem, & bonum conducens non largiſſimè præſtitit Ieſus proditori ſuo, quo eius diuinæ bonitatis oſtendebatur magnitudo. Tunc enim clarè oſtenditur aſſiſteos diuina magnitudo, cùm bona impertimur etiam inimicis. Dauid nactus Saulem ſibi infenſiſſimum hoſtem à ſuis militibus impellebatur, vt hoſtem occideret, & a mul- *1. Reg. 24.* tis malis illos eriperet. 1. Reg. 24. *Dixitque ad viros ſuos Dauid: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo,* &c. Et quomodo Dauid audet contradicere ſuis militibus adeò vtilia ſibi petentibus? Cur non magis veretur, ne deſeratur à ſuis, quorum contemnit conſilium vtile? Noone illi inde exaſperarentur, & Daudem relinquerent? Abſit, imò tunc maximè adhæſerunt Dauidi, cui in par- *Chryſoſt.* cendo hoſti clariſſimè nouerunt aſſiſtentem Dei magnitudinem. Ait D. Chryſoſtom. homil. 2. de Dauide, & Saule: *Non ſolùm in ipſum modò beneuolentiores erant, verùm etiam aduerſus hoſtes promptiores; quòd ſciret ſe Deum habere propugnatorem, qui ſemper adeſſet duci, omnes illius actiones proſperans.* Ex illo facto milites beneuolentiores fuerunt duci ſuo Dauidi, & pro illo acriùs dimicabant, quòd ſcirent illi Deum adeſſe. Quippe in quo tanta eſt virtus, quæ benefaciat inimicis, in eo vel à rudibus conſpicitur eſſe Deus, in tota magnitudine beneficentiæ ſuæ.

§. XIII.

Res ſuas alienis tradit Deus, quando illarum melior conditio non ſperatur apud ſuos.

PRopter idololatriam Salomonis eripiuntur ſemini Dauidis, ſemini electo decem tribus, quæ traduntur Ieroboamo, dicente Propheta: *Et dabo tibi decem tribus; filio autem eius dabo tribum vnam,* &c. Sed quando ob idololatriæ pœnam à filio Regis auferuntur decem tribus; cur dantur Ieroboamo, qui ſeruus erat, & idololatriam erat fundaturus? Cur Deus non magis conſulit populo ſuo, ne veniat in manus hominis impiiſſimi, qui eum auertet à veri Dei cultu, & faciet vitulis ſeruire? Tradit Deus Iſraelem Ieroboamo Regi impiiſſimo, qui illũ auertet a veri Dei cultu; quoniam non melior Iſraelis conditio ſperabatur ſub Regibus Iudæ. Sic enim ſolet Deus res ſuas alienis tradere, quando illæ meliorem conditionem *Daniel. 1.* non expectant apud ſuos. Dan. cap. 1. *Anno tertio regni Ioacim Regis Iuda, venit Nabuchonoſor Rex Babylonis in Ieruſalem, & obſedit eam; & tradidit Dominus in manu eius Ioacim Regem Iuda, & partem vaſorum domus Domini, & aſportauit ea in terram Sennaar.* Itaque Deus Babylonio tyranno tradidit omnia vaſa domus Domini, quæ conſecrata erant vero Deo. Et cur non magis pepercit ſacris vaſis? Cur quæ vni Deo, & vero ſacrata erant vaſa, tradita ſunt tyranno, qui nullam illis exhiberet reuerentiam, ſed magis omnia pollueret? Oſtendebat in eo Deus, quàm eadem conditio erat vaſorum ſuo in Iſraelitarum templo, ſiue in aula tyranni Babylonis. Non enim melior erat illis conditio apud Iſraelitas, quàm apud barbaros idololatras, *Theodor.* & ideo barbaris data ſunt à Deo. Quò ſpectans Theodoret. ibi ait: *Tradidit tandem barbaris vaſa, tantum non rebus ipſis ita eos obiurgans: Nullum inter vos, barbaraſque diſcrimen eſt; æquè enim vos ſceleribus ea polluitis, & tantumdem eſt, & vos, & Babylonios ea poſſidere.* Quando ſacra Dei altaria æquè polluuntur ſub fidelibus, ac ſub infidelibus, & barbaris, tantumdem eſt apud Deum, quod illa fidelis populus, aut infidelis poſſideat, imò non dubitat Deus ea infidelibus committere. Nec non, & quando populus æquè ſceleribus vacat ſub fideli Principe, non pluris æſtimat Deus, quòd ſub fideli, quam quod ſub infideli viuat. Et inde conſueuit Deus talem populum tradere infidelibus barbariſſimis, quaſi nullum inter horum, & illorum mores inueniat diſcrimen. Ad negotium enim ſalutis æternę tantumdem eſt, quod qui ſe ſceleribus immergunt ſine vllo Dei metu, & reuerentia, ſiue ſub fideli Principe, ſiue ſub infideli agant vitam.

3. *Reg.* 11. Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaueris in viis meis, & feceris, quod rectum eſt coram me, cuſtodiens mandata mea, & præcepta mea: ſicut fecit Dauid ſeruus meus; ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificaui Dauid domum, & tradam tibi Iſraëlem, & affligam ſemen Dauid, *&c.*

§. XIV.

Tota firmitas principatus à religione veri Dei.

PRopoſita Salomonis idololatria, & Dauidis religione, ſi hunc æmuletur Ieroboam, firmiſſimum illi principatum Dominus pollicetur. Sic enim ait: *Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi,* &c. *ſicut fecit Dauid ſeruus meus: ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem.* Dum Ieroboam non Salomonis idololatriam, ſed Dauidis ſequeretur religionem, & principatum æternaret ex Deo, & domum. Ex cultu enim veræ religionis, ſiue ex defectu firmitas, & ſtabilitas principatuum decerni ſolet. Quò ſpectans Eu- *Euſeb.* ſeb. in cat. Græc. ad cap. 2. D. Lucæ ait de regno Aſſyriorum: *Magnum quoque erat Aſſyriorum regnum: complectebatur enim Ægyptum, & Libyam, Aſiamque totam: extendebat verò ſe vſque ad Indorum orbem. Longiſſimo quoque tempore floruit, à Nemrod enim inchoans ad Nabuchodonoſorem vſque perdurauit, nec prius deletum eſt, quàm Ieroſolymis Dei templum violaſſet.* Ecce tibi ampliſſimi principatus, per tot ſæcula florentiſſimi ſtabilitas tunc deſiit, cùm primùm veri Dei aris offuit. Sic ſic vniuerſi principatus, & domus funditus corruent, vbi veri Dei aris intulerint incommodum. Ex 1. Reg. 4. habes, vt filij Heli portantes arcam Domini exierunt cum populo in prælium aduersùs *Philiſthiim*, vt commiſſo prælio fugit Iſrael, & capta eſt arca, & perierunt filij Heli, & ipſe Heli, & filiorum vxores. Dicit enim: *Arca Dei capta eſt, duo quoque filij Heli mortui ſunt, Ophni, & Phinees*; & ſtatim de Heli ait: *fractis ceruicibus mortuus eſt*; & ſimiliter nurus eius interiit. Sic funditus tota domus Heli periit. Et vnde boni ſacerdotis domus in tantam calamitatem deuenit? De eius filiis dice- batur 1. Reg. 2. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis* *1. Reg. 2.* *coram Domino, quia detrahebant homines à ſacrificio Domini.* Et quando ſic ſacrificia minuebant, incommodique erant cultui veræ religionis; non mirandum quòd ſic funditus pereat eorum domus. Ait Tertul. aduersùs Pſychicos: *Eliditur pro templi foribus ſenior Heli, filij eius in acie ruunt, nurus exſpirat in partu: hanc enim meruerat à Deo plagam domus imprudens ſacrificiorum carnalium defraudatrix.* Vbi Dei veri cultum ſacrificiorum defraudatione abſtulit domus Heli, extremam ſibi acquiſiuit ruinam. De proſperitate, ſiue infœlicitate orta ex religionis veræ cultu, ſiue defectu habes plurima, tom. 1. de Chriſto figurat. lib. 2. cap. 3. §. 17. & cap. 4. §. 9. & lib. 4. cap. 2. § 4. & tom. 2. lib. 5. cap. 19. §. 11. & cap. 20. §. 10. & tom. 3. lib. 6. cap. 10. §. vlt. & cap 11. §. 2. & lib. 7. cap. 2. §. 28. & cap. 4. §. 3. & cap. vlt. §. 4. & alibi.

§. XV.

§. XV.

Difficilius homo fertur ad opera præcepta, quàm ad ſpontanea.

NOn in ſpontaneis, & ſupererogationis operibus, ſed in præceptis ponit Deus Ieroboami regni firmitudinem, dicens: *Si feceris, quod rectum eſt coram me, cuſtodiens mandata mea, & præcepta.* Et cur non magis de ſpontaneis, & ſupererogationis operibus, quàm de præceptis hominis merita requirit? Meritò de præceptis, & non de ſpontaneis examinat hominis merita, quando humanum eſt, difficilius ire in præcepta, quàm in ſpontanea Exod. 3.
Exod. 3. dicebat Dominus Moyſi: *Veni, mittam te ad Pharaonem, vt*
Exod. 4. *educas populum meum Iſrael de Ægypto.* Et iterum cap. 4. *Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque te, quid loquaris. At ille: Obſecro Domine,* inquit, *mitte, quem miſſurus es.* Sic Deus Moyſi iubet ire in Ægyptum, ille autem detrectat maximè talem legationem adminiſtrare. Longè aliter Iſai. c. 6.
Iſai. 6. vbi dicit: *Audiui vocem Domini, dicentis; Quem mittam? & quis ibit nobis: Et dixi? Ecce ego mitte me.* Ille detrectat legatione fungi? hic ſeſe offert legationi obeundæ. Et quando Iſaias ſe offert legationi, cur Moyſes illam refugit? An Moyſes Iſaia pigrior? Abſit; ſed Moyſi legatio præcipiebatur, Iſaiæ non præcipiebatur, ſed quaſi ſpontanea repræſentabatur. Humanum autem eſt, libenter currere ad ſpontanea, præcepta autem maximè detrectare.
Baſil. Ait D. Baſil. ibi: *Ecquid tandem eſt, quòd Moyſes quidem miſſus deprecatur prouinciam legationis, & ſubinde reclamat, eam Apoſtolicam obire abnuens: Iſaias autem tanta cum alacritate ſe vltroneus offert? Siquidem Moyſes nequaquam interrogatur, Quem mittam? Sed in ſe Dei excipit mandatum. Ait enim Dominus: Et nunc veni, mittam te, & educes populum meum. Ex diuerſo Iſaias, indeciſè, nec definito ſermone, requirente Domino, quis foret idoneus adminiſtrandæ huic legationi, ad obeundam ſe ſubſtrauit.* Expende illa de Moyſe dicta, in quibus eſt tota diſcriminis ratio, nimirum, *in ſe Dei excipit mandatum.* mandabatur quidem Moyſi legatio, non Iſaiæ, inde eſt, quòd hic alacrior ſe ad illam offert; vtpote ad rem ſpontaneam, ille autem eam refugit vt præceptam, & mandatam; numquam enim homines non ægriùs accipiunt mandata. Vnde magna, & excellentia præcipienda non ſunt ne præceptum difficultatem augeat. Sic Apoſtol. ad Ro-
Rom. 12. man. 12. *Obſecro itaque vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem,* &c. *Dico autem per gratiam, quæ data eſt mihi omnibus, qui ſunt inter vos, Non plus ſapere, quàm oportet.* In primo non præcipit, ſed obſecrat; in ſecundo non obſecrat, ſed præcipit. Et cur in primo non etiam præcipit? Magna tunc, & excellentia petebat, quæ minimè vt difficiliora ſunt ex-
D. Brun. torquenda præceptis. Vt dicat D. Bruno ibi: *Conſiderandum eſt, quare prædicta ſolùm moneat, quæ autem ſequantur, omni authoritate interdicat. Ea enim, quæ offenſionem generant, licet Prælatum ſubditis vi obedientiæ interdicere: ſed poſtquam legem non violant, non ita cogendi ſunt ad meliora. Si enim diſtrictione obedientiæ ad perfectiora cogerentur, magis in hoc damnaret eos Prælatus,* &c. Itaque in magnis, & præcelſis perfectionibus præcepta magis obſunt, vt quæ reddant operationes difficiliores.

Prouerb. 24. ex Septuagint. Tanquam ager vir imprudens, & tanquam vinea homo egens ſenſu: ſi dimiſerit eum, deſertus fiet, & ſylueſcit totus, & fit derelictus; ſepes autem lapidum eius deſodientur. Nouiſſimè ego egi pœnitentiam; reſpexi, vt eligerem diſciplinam.

3. *Regum* 11. Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia, quæ fecit & ſapientia eius: ecce vniuerſa ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis. Dies autem quos regnauit, *&c.*

§. XIV.

Quo diutiùs quis in peccato exiſtit, eo ad pœnitentiæ fructus difficilior.

QVod agro, ſeu vineæ per longum tempus dimiſſæ à cultore accidit, id prorſus accidit peccatori diutiùs in peccato manenti. Vt dicat text. *tanquam ager vir imprudens, & tanquam vinea homo egens ſenſu: ſi dimiſeris eum, deſertus fiet, & ſylueſcit totus,* &c. Ager, ſeu vinea dimiſſa à cultore per longum tempus, ſic abit in ſyluam, vt ægrè & difficulter ad fructus edendos reduci poſſit. Sic homo peccator in peccato ſuo diu relictus, adeò totus ſylueſcit, vt vix queat reduci ad fructus pœnitentiæ. Poſt peccatum in paradiſo perpetratum dicitur de Adamo Geneſ. 3. Geneſ. 3.
Cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam; & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi, &c. Ad vocem Domini Dei auditam, ecce vt miſeri errones fugiunt, & ſeſe abſcondunt. Cur non magis reuertuntur ad Deum, & coram illo admiſſum flagitium deflent? Luc. 22. negabat Petrus Luc. 22.
Dominum; *& continuò adhuc illo loquente gallus cantauit. Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: Quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras fleuit amarè.* Compone modò Petrum, & Adamum, vterque peccat; ſed Adamus vocatus à Domino fugit, & ſe abſcondit, nec verbum pœnitentiæ facit: Petrus autem ſolùm à Ieſu reſpectus in pœnitentiæ abiit lachrymas. Ille multis tactus vocibus Dei, adhuc fugitiuus eſt: hic vel ſolo ictu oculorum attactus pœnitentiam amplexatur. Et cur Adamum vix Dei voces trahunt, & Petrum vel ſolus oculorum nutus in pœnitentiam rapit? Equidem reſpectus Dei in Petrum antelucanus fuit, ſic maturauit, vt illum in galli cantu reſpiceret; voces autem Dei ad Adamum ſeræ fuerunt, non niſi poſt meridiem circa veſperam audiebantur. Ne miremur, quòd Petrus tam citò vocatus in pœnitentiam aduolet, quando Adamus poſt tantam peccati moram, cùm adeò ſerò vocaretur, vix multis vocibus in pœnitentiam trahatur. Accipite D. Maximum hom. 9. de negatione Petri ſic fantem: Accepit à Domino vterque præceptum, Adam ne tangeret, Petrus ne negaret. Ille ne lignum ſcientiæ præſumeret, hic ne crucis ſapientiam præteriret. Sed tranſgrediens vterque præceptum, pari modo delinquunt. Guſtat
ille, quod non licèt; loquitur iſte, quod non decet; *& tamen facilior negatio Petri, quàm Adæ præuaricatio. Citius enim Apoſtolo, quàm protoplaſto ſubuenitur? hunc enim Deus ad veſperum requirit errantem: illum Dominus pullorum cantu denegantem. Adam reus factus nudus erubuit, Petrus conſcius dicti correctus ingemuit. Ille tanquam deprehenſus feſtinat ad latebras: hic tanquam emendatus prorumpit ad lachrymas.* Quid pulchrius? D. Maxim. Petrus facilè emendatus in lachrymas iuit; Adami nullæ viſuntur lachrymæ, & vix vllum inter tot Dei voces apparet in illo pœnitentiæ ſignum, ſed latebræ, & fuga. Vnde hoc? Sapienter oſtendit rationem diſcriminis dum ait: *Hunc enim Deus ad veſperam requirit errantem; illum Dominus pullorum cantu denegantem.* Qui diutius in peccato relinquitur, & ægrè, & difficulter venit in pœnitentiæ fructus, & multis indiget, vt peccatum excutiat. Iſraelitæ peccarunt in petendo Rege, in quo peccato non mediocri pertinacia perſtiterunt, donec miſſis ſortibus Regem habuere.
Poſt quæ ait Samuel illis 1. Reg. 12. *Videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro. Nunquid non meſſis tritici eſt hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluuias, & ſcietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis.* Vt videant Iſraelitæ inueterati ſui criminis magnitudinem, in quo permiſſi ſunt iacere vſque ad effectum Regis obtenti: in diebus meſſis, quando in Palæſtina nunquam ſunt pluuiæ, ſed omnia arent, & abeunt in cineres, & voces tonitruum, & grandes pluuiæ cœperunt audiri. Et cur hoc ſigno vtitur Samuel, vt magnitudinem admiſſi criminis indigitet? Illo clarè oſtendebatur, quantis indigeat magnus, & inueteratus peccator, vt per pœnitentiam reuiuiſcat. Ex quo ait D. Gregor. PP. lib. 5. expoſit. Gregor. PP.
cap. 2. *Dominus vocem dat, quia peccatorum corda excitat. Dat pluuias, quia excitata corda per infuſionem ſupernæ gratiæ adiuuat. Sed hoc in meſſe tritici fieri dicitur, vt virtus miraculi deſignetur. Non eſt quidem minus miraculum immutatio*

1\. Reg. 12.

cordis, quàm perturbatio aëris. Non minus miraculum eſt arentia corda remiſcere, quàm æſtiuis ardoribus, inuſitato more pluuias inundare. Maius quippe miraculum eſt, intimo ſonitu inſenſibilem mentem concutere, quàm colliſis per ventum nubibus tonitruum inſonare. Equidem vt difficile opus erat, & proprium omnipotentiæ diuinæ, è medijs Palæſtinæ ardoribus, & ſiccitatibus, tempore meſſis, nubes & pluuias educere; ſic difficile eſt, vt arentia corda hominis per peccati diutinam commorationem, ad fructus pœnitentiæ reuiuiſcant.

§. XVII.

Pereat, neceſſum eſt, cui eripitur Chriſtus, à cuius conſpectu vita.

DErelicti agri, & deploratæ vineæ illud ſignum proponitur, nimirum: *Sepes lapidum eius deſodientur.* Vbi enim ſepis lapides à vinea tolluntur, neceſſum eſt, vt perditioni maneat aperta. Sic homo, cui angularis lapis Chriſtus aufertur, neceſſum eſt, vt in perditionem eat.
1.Reg.4. Hoc ſciebant priſtini Iſraelitæ 1. Regum 4. de quibus ait textus; *Egreſſus eſt namque Iſrael obuiam Philiſthiim in prælium, & caſtrametatus eſt iuxta lapidem adiutorij, &c. Inito autem certamine terga vertit Iſrael, &c.* Et quando caſtra habebant iuxta adiutorij lapidem, vnde ſic potuerunt ab hoſtibus fugari, & percuti? Vtinam, vt iuxta materialem lapidem caſtra habebant, ſic etiam verum adiutorij lapidem Chriſtum ſecum haberent; at quia hic ab illis erat reprobandus, & eijciendus, vt ſine hoc lapide erant, ſic extremæ ruinæ paruerunt. Vt dicat Ru-
Rupert. pertus lib. 1. cap. 13. *Falſi ſunt metando caſtra iuxta lapidem adiutorij. Nam & tunc præſagio ſuo fruſtrati ſunt, & nunc eius lapidis non habuere adiutorium, quem in malum ſibi ipſi reprobauerunt.* Lapis diuiniſſimus Ieſus ereptus Iudæis, & ab illis elongatus, & ſeparatus illos reliquit extremæ ruinæ parentes. Et quid non patiantur ſeparati à Ieſu, quando vel eius conſpectu carere, pro ſumma pœna eſt? Na-
Nahum 1. hum cap. 1. *Tremunt terra à facie eius, & orbis, &c.* Sed facies Ieſu ſalutaris eſt omni populo; cur terræ, & orbi tantum incutit timorem: Non à facie Ieſu viſa tremet terra; ſed inde maximum habet tremorem, quòd eam
Hieron. videre non poſſet. Ait D. Hieronymus ibi: *Orbis, atque vniuerſitas faciem Domini formidabunt, hoc pro ſummo cruciatu, pœnâque ducentia, quod vultum eius reſpicere non audebunt.* Hæc ſumma pœna, hic ſummus dolor cenſetur, quod te elongare cogaris à placidiſſimo Ieſu vultu. Nec miror; ſola enim Ieſu facies affulgens, multa hominibus offert ſalutaria auxilia, vt hinc pateat, quàm adiutorius
Pſalm.45. lapis ſit. Pſalm. 45. *Adiuuabit eam Deus manè diluculo.*
Ruffin. Quæ ſic transfert Ruffinus in Oſeam: *Adiuuabit eam Deus vultu ſuo.* Adſit nobis Ieſu vultus, & habemus auxilia, quibus vel à morte tranſeamus in vitam. Quò ſpectans Prouerb. 16. ait: *In hilaritate vultus Regis, vita, & clemen-*
Prouerb. 16. *tia eius quaſi imber ſerotinus.* Ex quo eleganter Guerricus
Guerr. Abbas ſermon. 3. in Ramis Palm. ait: *Intendite fratres in vultum ſereniſſimi Regis. Aſpexit in protoplaſtum, & mox animatus ſpirauit in vitam: reſpexit Petrum, & mox compunctus reſpirauit ad veniam. Mox enim vt Dominus reſpexit Petrum, Petrus de clementia piſſimi vultus, ſuſcepit imbrem ſerotinum, lacrymas poſt peccatum.* Sic de Chriſti vultu, de lapide hoc adiutorij imbres educimus, quibus arentia corda fœcundentur in vitam, & ſyluefcens animus reformetur in paradiſum.

§. XVIII.

Pœnitentia nimis ſera ſuſpecta.

NOn miror pluribus ſuſpectam Salomonis pœnitentiam fuiſſe, etiam illis, quibus notus ſit in ſenſu hiſtorico locus præſens, qui dicit: *Nouiſſimè ego egi pœnitentiam.* Nouiſſimè, ait, hoc eſt, poſt longiſſimam pigritiam, poſt multorum annorum ſurditatem ad Dei voces, ad eius repetitas minas, imò poſt iam denuntiatum ſupplicium in regni amiſſione, & poſt penè tranſactam vitam. Et cur adeò ſera pœnitentia ſuſpecta non ſit? Dum
Matth. 26. cœna fieret Matth. 26. dixit Ieſus diſcipulis ſuis: *Vnus veſtrûm me traditurus. Et contriſtati valdè, cœperunt ſinguli dicere: Nunquid ego ſum Domine? Et ipſe reſpondens ait: Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo; væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Reſpondens autem Iudas, qui tradidit illum, dixit: Nunquid ego ſum Rabbi?* Ecce tibi, vt ad primum de proditione verbum contriſtati diſcipuli, ſinguli interrogant de ſe, an ipſi proditores futuri ſint? Vnus Iudas illis percontantibus tacet, & poſt omnes, & poſt ſignum à Ieſu exhibitum, & poſt ab eodem Ieſu multis denuntiatum proditoris exitium, tandem & ille interrogat: *Nunquid ego ſum Rabbi?* Sed licèt ſerò, tamen Iudas idem interrogat, quod alij interrogarunt. Cur ergo approbatis aliorum interrogationibus in ſalutem, interrogatio Iudæ damnatur? Vt nimis ſera fuit, ſic oſtenditur minimè orta à verò dolore, & triſtitia de proditione, ſed ab animo in crimine diſſimulante, & ob id interrogante, vt ageret, quod fecerant alij. Ad hæc pulchrè Origen. homil. 35. in Origen.
Matth. inquit. Non habebat ipſum timorem, quem cæteri Apoſtoli. *Et ideo forſan poſt omnium Apoſtolorum ſingillatim interrogationes, & poſt Chriſti narrationem de ipſo, vix tandem aliquando, & ipſe interrogauit, quaſi ex cogitatu quodam, & verſuto conſilio, vt ſimilis cæteris Apoſtolis interrogando, celaret interim proditionis ſuæ conſilium. Nam vera triſtitia, & vrgens non ſuſtinet moram, ſicut nec Apoſtolorum ſuſtinuit.* Equidem verus dolor, & triſtitia de crimine non tam longam ſuſtinuiſſet moram, nec tam ſeram interrogationem faceret; ſed vt ſera fuit, & nimis moroſa interrogatio eius, ſic oſtendebatur non orta ex vero dolore, ſed ex animo diſſimulatorio, ſolùm curante, vt faceret, quod alij faciunt. Heu pœnitentiæ nimis tardæ clariſſimum exemplum! Sunt ſunt, qui tardiſſimè, & moroſiſſimè ad pœnitentiæ verba accedunt; in quibus valdè debet eſſe talis pœnitentia ſuſpecta, & prorſus dubitabilis, ſi veniat de vero dolore, vel potiùs de animo nihil aliud intendente, quàm facere, quod faciunt alij. Sic mihi ſuſpecta eſt pœnitentia plurimorum, à quibus illam ſolum tempus paſchale extorquet. Et magis illa ſuſpecta eſt, quæ nuſquam apparuit niſi lethalis ægritudinis tempore, vereor enim, ne tunc quis eam faciat pœnitentiam, illa ſola ratione, quia ſic alij facere ſolent.

§. XIX.

Pœnitentia feſtinata multum ſaporis, & dulcedinis habet.

EXpende, quàm auſterè dicta ſunt illa: *Nouiſſimè ego egi pœnitentiam*, pœnitentiæ actus nominat, ſine vlla eius commendatione. Non ſic Dauid Pſalm. 41. ſed magis ait: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes*, quaſi de ſapo- Pſalm.41.
re, & ſuauitate regalis panis commendet ſuas lachrymas. Et cur Salomonis pœnitentia, & lachrymæ non commendantur de vllo ſapore, aut ſuauitate: pœnitentia autem, & lachrymæ Dauidis de illo commendantur ſapore, qui æmuletur regium panem? Salomon etiam à Deo per Prophetam, ſiue per ſe ipſum admonitus de peccato, & de pœna illius imminente, adhuc diu in peccato permanſit; imò & intendit occidere Ieroboamum, cui dabatur à Deo regnum Iſraeliticum, vt ſuprà viſum eſt. Et ideo non miror, quòd qui adeo tardè, & moroſè ad pœnitentiam acceſſit, in illa nullam inueniret ſuauitatem. Dauid autem cùm primùm admonitus fuit à Nathano de crimine, ſtatim, abſque vlla mora in pœnitentiam abijt. 2. Reg. 12 ne miteris, quòd illi pœnitentia ſapiat. Eſt enim pœnitentia feſtinata ſapidiſſima, & ſuauiſſima pœnitentia, vt vix ſpecies luctus, & doloris habeat. Apocal. 14 *Vocem, quam audiui, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Et cantabant quaſi canticum nouum ante ſedem, &c.* Quæ vox audita Apocal.14.
à Ioanne meritò refertur ad vocem clamantem in deſerto, nimirum ad Baptiſtam, qui pœnitentiam clamabat. Sed pœnitentiæ vox, cùm ſit vox lachrymarum, vox lugentium & dolentium pro peccatis, cur dicitur vox citharœdorum citharizantium, & cantantium? Quid muſica cum luctu? Quid cantus cum lachrymis? Equidem vbi pœnitentiam agere feſtinamus, ſic tota pœnitentia ſuauiatur, vt non tam luctus, quam muſica videatur, & cantus. Ait Diuus Petrus Damianus ſermone de S. Ioanne Baptiſta:

Verbum

Damian. *Verbum pœnitentiæ dulce. Hæc eſt illa vox, de qua maximus contemplator ait: Et vox prima, quam audiui, tanquam citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. A diebus Adæ vſque ad Ioannem organum noſtrũ verſum eſt in vocem flentium, quia vbi peccatorum frequentia, nec pœnitentiæ locus, duplex erat plorādi materia,* &c. *Ioannes natus oſtendit vulneri remedium; peccato pœnitentiam. Ex tunc miſit in os noſtrum canticum nouum, carmen Deo noſtro, & reſonat in ore noſtro gratiarum actio.* Ex quo pœnitentia citò perſuaſa eſt nobis, & cantus dulcedo reſonat in ore noſtro. Dum peccatum adeſt, & abeſt pœnitentia, & luctus, & lachrymæ, & gemitus ſunt; pœnitentia autem cita cantum, & dulcedinem generat. Hinc Marc. cap. 1. ait: Marc. 1. *Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum,* &c. *Et erat Ioannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locuſta, & mel ſilueſtre edebat.* In tanta aſperitate vitæ illud notantes dicitur, quòd cibus eius erat mel. Et quid mellis cibus eum prædicatore pœnitentiæ, ni vt oſtendatur, quàm dulce ſit pœnitentiæ verbum iis, qui maturant facere eam? Ait Petrus Dam. ſuprà: Damian. *A principio mundi vſque ad Ioannem vniuerſitatis humanæ electionem recollige, nec in ſermone, vel opere illius ſanctuarij poteris reperire dulcedinem. Veni ergo ad Ioannem, & audi vocem exultationis, vocem lætitiæ, miſericordiæ verbum, ſermonem gloriæ. Quòd celauerat Deus, tacuerat Angelus, latuerat Patriarchas, Prophetæ neſciebant. Pœnitentiam, inquit, agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Verbum pœnitentiæ dulce, verbum regni cælorum lætum. Hæc eſt prima vox, quàm vox clamantis in deſerto propoſuit, & vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Vt prima vox in Euangelio audita, vox fuit turturis clamantis in deſerto pœnitentiam; ſic qui ad pœnitentiam quam primùm accedit, totam illam inuenit & ſuauem, & melleam. Ante præmaturam hanc pœnitentiæ vocem à Ioanne editam, nihil dulcedinis in ea reperiebatur, ſed totum ad amaritudinem pertinebat. Clamauit Ioannes: Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cælorum, quo docebat, vt maturanda eſſet pœnitentia, & extunc cœpit illa manare dulcedine.

§. XX.

Pœnitentiæ luctus, ſeu lachrymæ acuunt oculos, vt videant diuina.

NOtanter dicit: *Nouiſſimè ego egi pœnitentiam, & reſpexi, vt eligerem diſciplinam* Primò actam pœnitentiam ponit, deinde addit illud: *Reſpexi,* &c. de pœnitentiæ enim luctu, ac lachrymis venit, quòd quis reſpiciat, & videat diuina. De prodigo illo ſubſtantiæ diſſipatore, ait text. Luc. 15. *In ſe autem reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus?* Et miraberis, quòd iuuenis iſte vitiis mancipatus, voluptatibus immerſus poſt totam ſuam ſubſtantiam conſumptam adhuc habeat oculos, quibus mercenarios abundantes in domo patris ſui videat. Quibus oculis ô bone & domum patris, & mercenarios illos vides? Oſtendit text. dum illa præmittit: *In ſe autem reuerſus*, nimirum iam reſipiſcens, & dolens, & lugens tranſactam vitam, oculos acquiſiuit, quibus ea videret. De reſipiſcente, & dolente animo per pœnitentiam venit, quòd oculi acuantur, vt videant diuina. Beda. Ait Beda ibi: *Vnde hoc ſcire poterat, in quo tanta erat obliuio Dei, ſicut in omnibus idololatris ſuit, niſi quia iſta recogitatio iam reſipiſcentis eſt?* Præcedens reſipiſcentia, & pœnitentiæ luctus fecit, quòd iuuenis ille videret diuina; quæ minimè viderentur, ſi pœnitentia non præceſſiſſet. De muliere etiam peccatrice locutus D. Luc. cap. 7. ait: Luc. 7. *Vt cognouit, quòd accubuiſſet Ieſus in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Phariſæus, qui inuitauerat eum, ait intra ſe, dicens: hic, ſi eſſet Propheta,* &c. Compono modo inter ſe peccatricem hanc, & Phariſæum iſtum. Vterque Ieſu adeſt, ſed peccatrix Ieſum, & noſcit, & æſtimat ſuæ infirmitatis remedium, ſuæ authorem ſalutis; quam ab illo tot officiis extorquere nititur. Phariſæus autem non noſcit Ieſum, imò de illo dubitat, an Propheta ſit? vnde ergo ſic Phariſæus cæcutit circa Ieſum, circa quem peccatrix mulier eſt oculatiſſima? Fallar niſi cauſam indigitet Ieſus ipſe; cum ait Phariſæo: *Aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos.* Pœnitentiæ lacrymæ fecerunt peccatricem oculatiſſimam erga Ieſum, quibus quia caruit Phariſæus, adeò cæcutiuit, vt nec præſentem videret Chriſtum. Ait D. Ambroſ. epiſt. 89. Ambroſ. *Ergo Simō Phariſæus, qui aquam non habebat, non habebat pœnitentiæ lachrymas, nam ſi habuiſſet, lauiſſet oculos ſuos, vt Chriſtum videret, quem adhuc cum ſimul accumberet, non videbat, nam ſi vidiſſet, non vtique de eius poteſtate dubitaſſet.* Inde in Phariſæo tanta permanſit cæcitas, quia non illi fuerunt pœnitentiæ lachrymæ; quæ vel cæciſſimum facerent, vt oculatiſſimus eſſet circa diuina.

§. XXI.

Magna hominis ſapientia in luctu pœnitentiæ eſt.

NEc illud omittendum, quod dicit textus: *Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & ſapientia eius, ecce vniuerſa ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis,* Poſt Salomonis natiuitatem narratam, & regnum, & nuptias, & religionem, & apoſtaſiam, & idololatrias, & ſupplicia denuntiata, adhuc oſtendit textus eſſe reliqua alia, nimirum opera, & ſapientiam. Sed quæ illi poſt illa omnia ſapientia reliqua eſſe potuit? Crediderim per reliquam Salomonis ſapientiam denotari eius pœnitentiam. In eo enim eſt magna ſapientia hominis, quòd ſciat ſua peccata lugere, & dolere. Eccleſiaſtes cap. 7. monebat, quas Eccli. 7. debeamus frequentare ſcholas, aiens: *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.* Scio in diuino conuiuio multas eſſe conſolationes; cur ergo non melius eſt ire ad has, quam ad luctus? Equidem diuini conuiuij conſolationes vt oriri ſolent de pœnitentiæ vena in peccatoribus, ſic peccator qui ſapit, in eo magnam oſtendit ſapientiam, ſi priùs in ſe lachrymarum excitat venam, & doloris. Circa quod dicebat Guerricus Abbas ſermone 2. in Penteceoſt. Guerr. *Reuera ſapiens, vt locum paret conſolationibus nouis, nouas exquirit de ſe ipſo cauſas doloris, non ſtatim blandiens ſibi, quaſi per omnia iuſtificatus ſit; ſed eo ſubtilior, quo iam illuminari cœpit, eo diſtrictior, quo iuſtificari cœpit, fit accuſator, & iudex ſui. Ei ergo, qui huiuſmodi eſt, crebrò ſpiritus conſolator aduena. Luctus ſiquidem pius atque religioſus in doctrina ſpiritus, & ordine primus, & vtilitate inuenitur præcipuus; quippe cùm ſit ſumma ſapientia Sanctorum,* &c. Expende hæc vltima, nimirum, *cùm ſit ſumma ſapientia Sanctorum,* in luctu, & dolore pro peccatis excitato creditur eſſe ſumma ſapientia Sanctorum. Tunc enim homo peccator maximè ſapiens eſt, cùm ſcit de peccatis dolere: quæ ſapientia, vt ſumma eſt, ſic nobis minimè niſi de diuino ſpiritu venit. Pſalm. 93. *Beatus homo, quem tu erudieris* Pſalm. 93. *Domine, & de lege tua docueris eum. Vt mitiges ei à diebus malis.* Ecce tibi tota doctrina, & ſapientia à Deo in nos profecta eò ſpectat, vt ſciamus in nobis mala mitigare; quæ non mitigantur niſi per dolorem pœnitentiæ. Vt dicat Guerr. Guerr. vbi ſuprà: *Hæc autem primum circa infirmos, quorum curam ſuſcipit, operatur medicina ſancti Spiritus, qui eſt illuminatio noſtra, & ſalus noſtra; vt videlicet ſe ipſum phreneticus ſentiat, & ſciat, & conuerſus ad cor dicat Domino cum Hieremia 31. Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Niſi enim quis apponat ſcientiam, non apponet dolorem.* Proficiſcitur in primis à Deo in hominem ſcientia & ſapientia non vulgaris, ex qua oritur penitentia, & pro peccatis dolor. Vera enim ſunt illa: *Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum;* numquam enim niſi de magna ſapientia accepta venit homo ad flagella pœnitentiæ. Priùs addenda eſt nobis ſcientia, vt addatur de peccatis dolor.

§. XXII.

Qui exemplis fratres ædificat, quaſi Sol ſtat dierum bonorum author.

ALium præter præſentem deſignat fuiſſe librum textus, in quo Salomonis fuerunt ſcripta magnalia; ait enim: *Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia, quæ fecit, & ſapientia eius: ecce vniuerſa ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis.* Quando in hoc 3. Regum libro & virtutes, & peccata, & idololatriæ Salomonis recenſentur, crediderim alium fuiſſe librum conſcriptum, in quo ſola Salomonis magnalia, & religiones & virtutes ſcriptæ ſunt. Cui

enim Regi non inſcripti ſunt libri, qui diſſimulatis erroribus eius ſola rectè geſta narret? Ergo pro rectè geſtis, & ſapientia Salomonis ad talem hunc librum mittimur. Qui meritò vocatur liber *dierum Salomonis*, vt enim ſolæ virtutum exempla connnebat, ſic quaſi dierum author in Salomone exprimebatur. Qui enim exemplis virtutum alios ædificat, quaſi Sol creditur clariſſimos dies faciens. Luc.4. Luc.4. dicebat Dominus: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ*, &c. Expende illa, *in diebus Eliæ*; quaſi Elias dies faceret. Et quomodo dies ab Elia peragebantur, niſi exempla virtutum Ambroſ. cùm daret? Ait D.Ambroſ ibi: *In diebus Eliæ, ait, Non quia Eliæ dies fuerunt, ſed in quibus Elias operatus eſt: aut quia dies faciebat illis, qui in eius operibus lucem videbant gratiæ ſpiritualis, & conuertebantur ad Dominum.* Erat Elias quaſi Sol in mundo, qui datis virtutum exemplis clariſſimos dies efficiebat in iis, qui eius virtutes æmulabantur, expulſis tenebris peccati. Sic ſic ſunt mundi Soles, & clariſſimorum dierum authores, vniuerſi, qui virtutes perficiunt, quas alij Exod.16. æmulentur. Aiebat Exod.16. *Veſpere comedetis carnes, & manè ſaturabimini panibus*, quibus explicabatur filij Dei aduentus in carnem ad veſperam mundi. Sed quando ad mundi veſperam Verbum caro factum eſt, ſimul additur, quòd manè nos cœleſti ſaturabit pane, cùm ipſe & caro factus ſit, & panis cœleſtis. Et quid veſper, cum manè? Si veſpertinis tenebris ades Domine, quale manè in veſpere erit? Venit Dominus veſperè, imo media nocte venit, ſed eùm eximiarum virtutum opera cœpit exercere, quaſi Sol in mundo ſic tenebras in dies clariſſimos conuertebat. Origen. Orig.hom.7.in Exod. *Quomodo dicit manè dari hunc panem, cùm aduentum eius in carnem factum diximus ad veſperam? Hoc modo intelligendum puto, quod ad veſpera quidem vergentis mundi Dominus venerit, ſed aduentu ſuo, quoniam ipſe eſt Sol iuſtitiæ, nouum credentibus reparauerit diem. Quia ergo nouum ſcientiæ lumen mundo accendit, ſuum quodammodo manè efficit, & ſuum manè tanquam iuſtitiæ Sol produxit, & in hoc manè replentur panibus, qui eius præcepta ſuſcipiunt.* Faciebat equidem Ieſus in carne tot claros dies, quot præcepta vitæ, quot exempla præſtabat virtutum.

§. XXIII.

Summa poteſtas excuſabilem facit hominem in facinoribus.

NOn poſſum non ponderare illud, quod ait: *Dies autem, quos regnauit Salamon in Ieruſalem ſuper omnem Iſrael, quadraginta anni ſunt.* Sic vniuerſi dies, & anni Salomonis regni ad numerum, & æſtimationē rediguntur. De 1.Reg.13. Saule autem locutus text.1.Reg.13.ait: *Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpiſſet, duobus autē annis regnauit ſuper Iſraël.* E pluribus annis regni Saulis duo tantùm anni cenſentur, & æſtimantur, cæteris prætermiſſis, quia in his à Deo defecerat, & à regis munere. Sed & Salomon magnam partem illorum quadraginta annorum conſumpſit, in voluptatibus, & idololatria prorſus alienus à Deo, & à Regis munere, & nihilominus in cenſu, & æſtimatione omnes eius anni ſine diminutione integri ſupputantur. Quando ergo Saulis peccatoris anni prætermittuntur, cur ſimiliter peccatoris, & idololatræ Salomonis anni non excluduntur ab æſtimatione, & numero? Vnde meruerunt magis anni peccatoris Salomonis integrè recenſeri, quam anni peccatoris Saulis? Planè Salomon potentia regni & imperij longiſſimè excedebat Saulem; de cuius potentiæ magnitudine illud lucrum habuit, vt excuſabiliora eſſent eius peccata. Quando enim ſumma poteſtas in homine, non excuſat, & tegit aliquo modo errores eius? Dan.4. vbi altiſſima illa arbor ſucciſa eſt Dei imperio, nihilomi- Daniel.4. nus addit: *Germen radicum eius in terra ſinite*; cuius explicandæ rei cauſa illud ſubditur: *Regnum tuum tibi manebit*, quod & factum eſt, nam & Nabuchodonoſor ſuperbiſſimus à regno eiectus fuit, & cum beſtiis ſeptennio fuit conuerſatus, vbi memor Dei, & ſuam deteſtatus miſeriam, tandem ad priſtinam fuit reſtitutus dignitatem. Et cur ſuperbiſſimi hominis peccata non magis eum funditus perdiderunt? Cur non magis eum prorſus à viuis eradicarunt, ne refloreret amplius? Vt homo ob ſuam incredibilem potentiam in peccata deuenit, ſic ea peccata inde orta hominem aliquo modo excuſabant, & defendebant, vt inter viuos poſſet numerari. Ex quo dicebat D.Ephræm in Parænesi de reprehenſione ſui ipſius: *Scio & Nabuchodonoſor poſt actam pænitentiam ſuſceptum eſſe; ſed eum defendit, atque excuſauit tum ignoratio, tum potentia.* Sic potentia ſumma hominis excuſationem affert eius peccatis. Ex quo ſa- Ephrem. pienter docebat D.Auguſtinus, vt dij gentium, ſi iuſti fuiſſent, potius deberēt perdere Romanos, quàm perdidiſſent Troianos. Vt enim apud Troianos fuit adulterium Elenæ; ſic apud Romanos fuit parricidium Romuli. Hoc autem parricidium fuit perpetratum ab homine tunc priuato, adulterium illud à potentiſſimo Rege, & inde magis erat excuſabile. Quippe ait lib.3.de ciuitate Dei cap.6. *Si eò vſque peccata hominum dijs gentium diſplicerent, vt offenſi Paridis facto deſertam Troiam ferro, ignique domarent; magis eos contra Romanos moueret Romuli frater occiſus, quàm contra Troianos Græcus maritus illuſus; magis irritaret parricidium naſcentis, quàm regnantis adulterium ciuitatis.* Expende hæc, *quàm regnantis adulterium ciuitatis*; vbi enim error de ſumma potentia erumpit, minus debet mouere eum, qui iuſtitiam amat, & odit peccata. Auguſt.

§. XXIV.

Temporalia regna fœlicius citò exu[illegible]

IN Rege apoſtata clarè apparet, non pertinuiſſe ad fœlicitatem tam longum tempus regnandi, vt dicat textus, *Dies autem, quos regnauit Salomon in Ieruſalem ſuper omnē Iſraël, quadraginta anni ſunt.* Felicius quidem cum illo actum eſſet, ſi non tandiu regnaret, ſi citiùs à ſe deponeret onus regnandi. Duodecim Cæſares in Roma memorans Auſonius, vbi ad omnium amabiliſſimum, nempe Titum peruentum eſt: illud dicere audet: Auſon.

Et Titus Imperij felix breuitate.

Sic gratiſſimo, & amabiliſſimo omnium Imperatori, fœlicitati dat, quòd illi breuiarentur regnandi ſpacia. Vtinam id Salomoni contigiſſet, & poſt finitum templum ſtatim è viuis excederet, quis illam regnandi breuitatem fœlicitati eius non concederet? De Ioſiæ religione locutus textus ſacer multa dixit, vt templum refecit, vt ſolemniſſimum Paſcha celebrauit, & ſubdit 2.Paral.35. *Poſtquam inſtaurauit Ioſias templum, aſcendit Nechao Rex Ægypti ad pugnandum*, &c. 2.Paral.35. à quo Ioſias interfectus eſt. Ecce tibi templi inſtaurationi per Ioſiam factæ adiungitur eiuſdem Regis immaturus occaſus: vt inde credatur non ad infelicitatem, ſed magis ad felicitatem pertinere. Ex quo D.Ambr. orat. de obitu Ambroſ. Valentiniani Imperatoris, etiam citò à viuis abrepti, ait: *Ne putet aliquis meritis eius abitus celeritate detractum. Raptus eſt Enoch, ne malitia mutaret cor eius. Et Ioſias decimo octauo anno regni ſui, ita Domini paſcha celebrauit, vt omnes retro Principes deuotione ſuperaret, nec diutius fidei ſuæ meritis ſuperuixit.* Itaque hoc fuit datum meritis Ioſiæ, ne diutius in regno viueret, ſed poſt perfectam religionem templi euolaret ad ſuperos. Quò ſpectans Rex Dauid Pſal.101. aiebat: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Circa quæ D.Auguſt.ait: *Exiguitatem dierum meorum, non æternitatem annuntia mihi.* Solebant Pſalm.101. Auguſt. faſtuoſiſſimi Babyloniorum Reges ſic ſalutari Dan.3. & 4. Dan.3. & 4. *Rex in æternum viue.* quaſi horrerent non ſibi ſemper æternitatem dierum annuntiari. Prudentior Dauid, vt qui longioris regni noſcebat laqueos, minimè ſibi patitur nuntiari dierum æternitatem, & exiguitatem, vt qui fœlicitati ducat, ſi quàm rapidè hoc mundo vtatur.

§. XXV.

Ab vno parente Deo & immortalitas, & incorruptio inducitur.

VEentum eſt ad Salomonis mortem, meritò ait text. *Dormiuitque Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ciuitate Dauid patris ſui*, &c. Dormiuit itaque cum patribus ſuis Salomon; cùm temporalibus enim patribus non potuit non ad mortē, & corruptionem venire. De ſolo enim patre Deo habetur, quòd immortales, & incorruptibiles ſimus. Pſal.109. dictum eſt: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quibus vt de æternando ſacerdotio agitur, Aaronis ordo fugitur, & ordo Melchiſedeci aſſumitur. Et cur aptior Melchiſedeci ordo, quàm Aaronis ordo ad ſacerdotiū æternādū? Aaronis ſacerdotiū per parentū temporalium ſucceſſionē ad filios veniebat. Melchi- Pſalm.109.
ſedech

Google

ſedech autem ſine patre, & ſine matre, & ſine genealogia temporali introductus eſt, vt oſtenderetur eſſe ſub vno patre diuino. Vbi autem de æternando agitur ſacerdotio, ille meritò excluditur qui per parentes venit temporales, cum quibus non poteſt mors, & corruptio non venire. Aſſumitur verò, qui ſolo oſtenditur eſſe ſub patente Deo, à quo ſolo immortalitas venit, & incorruptio. Ait D. Leo ſerm. 2. in anniuerſario die aſſumptionis eiuſdem: *Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech: hoc eſt, non ſecundum ordinem Aaronicum, cuius ſacerdotium per propaginem ſui ſeminis currens temporale miniſterium fuit, & cum veteris Teſtamenti lege ceſſauit: ſed ſecundum ordinem Melchiſedech in quo æterni Pontificis forma præceſſit, & dum quibus parentibus ſit editus non refertur, in illo intelligitur oſtendi, cuius generatio non poteſt enarrari.* Quod per parentum temporalium ſucceſſionem veniebat, non potuit cum illis non deficere; non potuit incorruptionem fundare. In illo forma æterni ſacerdotij affulſit, qui ſine parentibus temporalibus introducebatur; de vno enim parente Deo incorruptio venit, & immortalitas. Vt dicat Dominus Hierem. cap. 3. *Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.* Expende illud, *non ceſſabis*, quo oſtenditur ſub quo viuas patre. Dum enim Deum patrem habes, nulla tibi defectio, nulla bonorum ceſſatio aderit. Quid corruptio, quid defectio cum patre Deo? Inde pulchrè monet D. Thom. opuſcul. 3. cap. 4. *Si ergo, vt Gregor. Nyſſenus dicit, ad res mundanas intuitum dirigis, aut humanam gloriam ambis, aut ſordes paſſibilis appetitus, quomodo qui corrupta viuis vita; patrem vocas incorruptibilitatis genitorem?* Non ſtat cum patre vero corruptibiliũ affectus, nec effectus. Quidquid corruptionis eſt, & mortalitatis, longè eſt a Deo patre; quo ſolo incorruptio, & immortalitas ſtare poteſt. De Chriſti Domini carne locutus Ioan. 6. ait: *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit, non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt; qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Et quando manna illud manducantes moriebantur cum illo; cur qui hunc cœleſtem manducant panem, vitam accipiunt immortalem? Illud manna per hæc corruptibilia elementa aeris veniebat, ne miremur, quòd comedentes illud, cum illo corrumpantur. At panis hic cœleſtis ab æterno patre ortus, & nobis à Domino Deo immediatè datus incorruptionem gignit, & immortalitatem. Ait D. Ambroſ. de Myſterijs initian. cap. 9. citatus apud Algerum lib. 1. de Sacram. cap. 15. *Conſidera modò, vtrum præſtantior ſit panis Angelorum, an caro Chriſti, quæ vtique eſt corpus vitæ. Manna illud de cælo, hoc ſupra cælum. Illud cæli, hoc Domini cælorum. Illud corruptioni obnoxium, ſi in diem alteram ſeruaretur; hoc alienum ab omni corruptione. Quod quicumque religiosè guſtauerit, corruptionem ſentire non poterit.* Expende illud, nimirum, *illud cæli, hoc Domini cælorum*; quippe vt illud per tractum aeris huius corruptibilis veniebat, non poterat ſuos non trahere ſecum in ſimilem corruptionem. Qui autem non per aeris tractum, ſed per Domini Dei manus datur, in nobis gignit incorruptionem.

Leo.

Hierem. 3.

D. Thom.

Ioan. 6.

Ambroſ.

§. XXXI.

Nihil ſolidum in bonis temporalibus.

ITaque *dormiuit Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt*, &c. De quo ait Ioſephus: *Moritur autem omnium Regum felicisſimus, & opulentiſſimus, atque prudentiſſimus.* Et quæ fœlicitas, aut opulentia ſæcularis, relictis nobis in morte, non ſimiliter euanet? Monebat Dominus 1. Reg. 12. *Nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, nec eruent vos, quia vana ſunt.* Sic traducit omnes fortunas temporales, quas ſub nomine vanorum oſtendit: De quibus ibi D. Gregor. PP lib. 5. expoſitionis ait: *In comparatione bonorum æternorum, vana ſunt omnia, etiam bona temporalia. Quidquid enim in hoc ſæculo lætum, delectabile, ſublime, aut proſperum cernitur, vanum profectò eſt; quia difficilè habetur, & citò amittitur. Repente quidem alta ſæculi corruunt, ſubitò tranſeunt, læta, & proſpera euaneſcunt. Nam cùm ſtare his floribus ſuis mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur, aut ſeditione, & omnia conturbante morte concluditur. Vana ergo ſunt gaudia ſæculi, quæ quaſi manentia blandiuntur: ſed amatores ſuos citò tranſeundo decipiunt.* Quid ſapientius? Nolui vel verbulum prætetire, quorum ſingula clariſſimè oſtendunt; quàm longè abeſt a temporalibus fortunis etiam ſummis vera ſoliditas. Crede mihi nihil eſt in temporalibus bonis non inane. Dan. cap. 2. dum ſomnium Nabuchodonoſoris explicat, ait: *Videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis: ſtatua illa grandis, & ſtatura ſublimis*, &c. In ſublimi imagine, auro, argento, ære, & ferro conſtanti mundialia regna monſtrabantur. Et cur in imagine regna monſtrantur, niſi vt appareat, quam ſint omnia inania, & vacua? Ibi Theodor. ſatue: *Qua de cauſa in imagine multiplicis huius materiæ vidit compoſitionem? Imago figuras, ſed non res habet. Talis eſt & præſens vita, quæ nihil habet perſeuerum, nec quæ ſtabile. Quare Paulus exclamat, Præterit figura huius mundi. Quando itaque præſens vita celerrimas habet mutationes; mortalia enim omnia quæ videntur, ad exiguum tempus permanentia. Et imago rerum vim haud continet, ſed ſolas Regum, ac Principum, & aliis ſubiectorum figuras continet. Meritò rerum omnium author ſuperbum illum docere valens, quanta ſit humani ſupercilij varietas, & quàm facillimam habeant res humanæ mutationem, imaginem illi in ſomnis proponit.* Et vacuitatem, & inanitatem, & inſtabilitatem, & celerrimem mutationem bonorum temporalium, vt oſtenderet Deus, hanc proponebat imaginem. Vt meritò de fortuna hominis dici poſſit, quod de cauda pauonis dicit Tertull. lib. 3. de Pallio: *Multicolor, & diſcolor, & verſicolor, numquam ipſa, ſemper alia; etſi ſemper ipſa, quando alia.* Planè iſtud humanæ vitæ conuenit, nimirum: *Semper ipſa quando alia*, adeò enim mutabilis eſt, vt non cenſeatur ipſa, quando non eſt alia. Hinc Apoc. 21. *Vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum, & prima terra abiit, & mare iam non eſt.* De cœlo, & terra dicit, quòd abierunt in melius renouantia ſeſe; de mare autem dicit, quòd protinus deſiit eſſe, quod abſolutè non eſt. Sed & ipſe Ioann. Apocal. 4. ait: *Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo.* Ergo ſi mare vitreum erat iuxta Dei thronum; quomodo dici poteſt, quòd mare iam non eſt? Cur non magis dicatur mare etiam in melius mutatum, nempe in cryſtalli, aut vitri tranquillitatem, ſoliditatem? Cur placuit magis de illo aſſerere, quod non eſt? Adeò eſſentialis eſt mari mobilitas, & inconſtantia, vt eo ipſo quòd ſolidum & tranquillum oſtendatur inſtar cryſtalli, iam credatur funditus periſſe mare. Quod ſapienter refert ad vitam humanam Andreas Cæſarien. in Apocal. cap. 64 fatos: *Obſeruandum eſt autem de cæla quidem, & terram hic aſſeri tranſiiſſe, hoc eſt, mutata eſſe, & ad noſtram ſimilitudinem quandam quodammodo mortem pertuliſſe. Subierunt namque in meliorem formam, mutationem; de mari autem nõ amplius exiſtere. Cùm mare ſublimiori quodam ſenſu ſignificet præſentem hanc, mortalemque vitam fletibus, & perturbationibus plenam, in hac notione nullus erit ei locus, ſiquidem nil turbationis, aut formidinis ſaæculi reliquum erit.* Equidem vbi nihil mutabilitatis, & turbationis relinquitur vitæ humanæ, humanis bonis; iam non eſt humana vita; quæ tunc eſt ipſa, quando & alia; & funditus creditur periſſe, quando aliquid oſtenditur in ea ſolidum, & tranquillum.

1. Reg. 12.

Gregor. PP.

Dan. 2.

Theodor.

Tertul.

Apoc. 21.

Apocal. 4.

Cæſarion.

LIBER DECIMVS.

De Abſalon, ſiue de Iuda proditore Chriſti.

REGIVM agentem triumphum Ieroſolymis Ieſum, proditio diſcipuli excipit: cuius imaginem clariſſimè nobis ob oculos proponit Abſalon, quando in regnantem inſurgit parentem. Vt meritò dicat D. Athanaſius homil. de ſemente: *Inſurrexit aduersùs Dauidem Abſalon ſuus filius, inſurrexit, & aduersùs Chriſtum Iudas, & ipſe quoque filius. Diſcipulos enim ſuos ſolebat Chriſtus vocare filios; dicens: Ecce ego, & filioli mei*, &c. Patriſſat etiam in hoc Ieſus cum Dauide patiens proditorem, hic Iudam, ille Abſalonem. cuius modò amarim explanare hiſtoriam.

CAPVT I.

Iudæ & Abſalonis ſymbola.

ACCESSVRVS, Deo dante, ad Ieſu paſſionem, non poſſum, vel in limine non offendere eius authorẽ, qui fuit Iudas proditor. Cuius dum explico malitiam, incido in Abſalonem, in quo adeò expreſſa eſt Iudæ malitia, vt meritò pro vno ambo ſumi poſſent.

§. I.

Auaritia pondus grauiſſimum.

2. Reg. 14. CAntatiſſimum eſt illud de Abſalone dictum 2. Reg. 14. *Quia grauabat eum cæſaries.* Cæſariem nutriebat elegantiſſimus iuuenis, ſub cuius pondere premebatur, donec ſemel in anno tonderetur, & de capillis faceret mercatum. Nec defuit, qui hoc ad Iudam proditorem adduceret, de quo ait Ioan. 12. *Fur erat & loculos habebat.* Ecce tibi (Ioan. 12.) in Abſalone, & in Iuda mercatus: Iudas enim loculos habebat, in quibus lucra reponebat; Abſalon comam nutriebat, quam venderet, & ſub nutrita coma grauabatur. Nunquam enim non eſt auaritia ſuis ſectatoribus grauis. Drogo. Ad hæc ait Drogo lib. de ſacram Paſſ. *Ecce Abſalon, ecce Iudas, ecce corpus ſatanæ. Sed quomodo comam nutriebat? Fur erat & loculos habebat, iſta eum cæſaries grauabat.* Pecuniarum loculos erat Iudæ cæſaries, cuius non abſimilis Abſaloni ſarcinam ſuſtineret grauem. Et quis in auaritia graue Habacuc 2. pondus peccati non patiatur? Habacuc cap. 2. *Væ qui multiplicat non ſua. Vſque quò? Aggrauat contra ſe denſum lutum.* Circa quæ ait D. Gregor. 34. Moral. cap. 13. *Denſo enim ſe luto aggrauat, qui per auaritiam terrena multiplicans, peccati ſui ſe oppreſſione coangustat.* Gregor. Vt omnia alia peccata, ſic auaritia opprimunt hominem, & ſicut onus graue maximè grauant illum, ne in vitam exurgat. Hinc Matthæi 9. *Dum* Matth. 9. *tranſiret Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio*, &c. In telonio ſedebat homo in conſpectu Ieſu; & cur à Ieſu conſpectus non magis aſſurgit? Erat illi circa pectus grauiſſimum pondus auaritiæ, quo minimè aſſurgebat, quippe acciderat illi iuxta conſuetudinem auarorum, qui ſub ingenti pondere premuntur. Ait Chryſol. ſerm. 30. *Vidit illum* Chryſol. *Chriſtus ſedentem, quia preſſus cupiditatum pondere ſurgere non valebat. Fratres, deterius ſedebat publicanus iſte, quàm paralyticus ſedebat in lecto. Quia ille carnis patiebatur paralyſim, iſte mentis: in illo fuerat compago turbata membrorum, in iſto totus ordo fuerat ſenſuum diſſipatus, ille iacebat captus carne, ſedebat corpore, & animo iſte captiuus.* Expende illud: *Preſſus cupiditatum pondere*; in quo enim auaritia erat, & pondus erat adeò graue, quod hominem opprimeret, & totam ſenſuum compagem diſlocaret. Vidiſti hominem ſub paralyſi grauiſſima preſſum, ne vel manum poſſet leuare? Longè maiori malo opprimitur auarus, cuius ſenſus ſic ſub auaritiæ pondere diſſipantur, vt nil altum, aut ſublime valeant cogitare.

§. II.

Eccleſiaſticorum auaritia omnium peſſima.

ET Iudam, & Abſalonem tactos vidimus auaritiæ crimine, vterque enim temporalia lucra poſtponit pietati; dum hic Dauidẽ patrem, ille Ieſum perſequitur magiſtrum. Et illud in vtroque peſſimũ, quòd in aula Dauidis, & in ſchola Chriſti iunutrita ſic effrenatè rapiantur temporalium

poralium bonorum auaritia: Nonne ille erat Dauid, qui nactus non ſemel hoſtem infenſiſſimum, quem ſi occideret, regnum acciperet; regnum contempſit, vt hoſtem ſuum viuere permitteret? Non Ieſus ille erat, qui cùm Dominus omniũ eſſet, elegit non habere, vbi reclinaret caput ſuum? Et tamen in horum ſchola, qui ſic terrena contemnebant lucra, innutriti Abſalon, & Iudas, miſerè amore temporalium rapiuntur: vt iam ex tunc oſtenderẽt peſſimam in viris Eccleſiaſticis auaritiam. Quando enim non peſſima eſt auaritia in illis, qui in ſchola contemptorum mundi nutriuntur?

Habacuc. 2. Dicebat Habacuc cap. 2. *Væ, qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali.* Expende illud, *auaritiam malam*, quaſi ſint duo auaritiæ genera; altera prorſus mala, & exitiabilis, altera non adeò mala, ſed aliquo modo excuſabilis. Et quod eſt genus auaritiæ prorſus malæ, & exitialis? Hoc genus crediderim ſolum inueniri in illis hominibus, qui viuentes ſub diſciplina parentũ, aut magiſtrorum ab omni auaritia alienorum, illi nihilominus lucrorum amore raptantur.

Rupert. Ad hæc ait Rupertus ibi: *Quid, rogo eſt, quod dicit Auaritiam malam? Quis vnquam audiuit in Scripturis auaritiam bonam? Qualis ergo auaritia fuit Iudæorum, vt rectè dicatur mala, & addito non ſit ſuperflua? Nimirum talis, vt totus orbis audiuit, quia domum Dei, quæ domus erat orationis, fecit ſpeluncam latronum. Quàm mala fuit hæc auaritia, præſertim eorum, qui erant filij peregrinorum, qui pauperes ſpiritu patres habuerunt. Et quidem auaritia nunquam bona, ſed ibi excellenter, & nimis mala.* Expende illa, *qui pauperes ſpiritu patres habuerunt*; quippe in eo Iudæi totam auaritiæ malitiam, prorſus inexcuſabilem oſtendebant; quia cùm educarentur ſub parentum peregrinorum, & pauperum ſpiritu, diſciplina nutrirentur; illi tamen vehementiſſimè afficiebantur bonorum temporalium deſiderio. Habentes patrem Abrahamum, qui nec palmum terræ voluit poſſidere; qui futura inquirens, præſentia omnia contemnebat, ipſi adhuc inhiabant terræ. Horum auaritiam, quis neget peſſimam, & prorſus exitialem eſſe? Conueniant huc Eccleſiaſtici omnes, & notent ſub quibus viuant parentibus, in quorum ſchola verſentur. Sub Chriſto enim viuunt, & Petro, ſub Chriſto, de quo dictum eſt: *Non habet, vbi caput ſuum reclinet*; ſub Petro, qui dicebat; *Aurum, & argentum non eſt mihi.* Qui ergo ſub iis magiſtris, & parentibus militat, & terrenis inhiat, & pro auro gemit, non metuet, ſi dicatur ei: *Væ, qui congregat auaritiam malam*; in nullo enim eſt bona auaritia, ſed in Eccleſiaſtico peſſima. Quò ſpectans Eccleſia Clericos omnes illis verbis initiat ex Pſalm. 15.

Pſalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ*, &c. Circa quæ verba ſapienter ait D. Hieronym. epiſt. ad Nepotian. de vita Clericorum:

Hieronym. *Qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt*, &c. *Obſecro itaque te, & repetens iterum, iterùmque monebo, ne officium clericatus genus militiæ putes; id eſt, ne lucra ſæculi in Chriſti quæras militia. Nonnulli enim ſunt ditiores Monachi, quàm fuerant ſæculares: & clerici, qui poſſideant opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete, & fallace diabolo non habuerant: vt ſuſpiret eos Eccleſia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos.* Planè gemitibus, & ſuſpiriis digni ſunt illi, qui in mundo pauperes cùm fuerint, ſub Chriſto diuitum æmulentur delitias.

§. III.

Duriora ſunt, quæ per chariſſimos nobis mala inferuntur.

VT Abſalon patrem Dauidem, ſic Iudas Ieſum & parentem, & magiſtrum perſequitur. Ab vtroque, vt ab amicioribus duriora tela in Dauidem, & Ieſum proficiſcuntur.

Pſalm. 40. Pro vtroque dicebat Pſalm. 40. *Etenim homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Quò quid amarius homini? Fallar, niſi ſummam amaritudinem attingat, quòd ab eo vulnera accipias, qui tibi in deliciis erat.

Drogo Dicebat Drogo ſer. 1. de Paſſion. *Abſalon patris pax, ipſe eſt & Iudas; & quicumque in pace, Chriſto eſt amaritudo amariſſima. Homo*, inquit, *pacis meæ, in qua ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Ecce tibi & Abſalon, & Iudas amaritudinem amariſſimam Ieſu, & Dauidi fecerunt, quando ab eorum fauoribus in eorumdem damna inſurrexerunt. Nunquam enim non amariora ſunt mala, quæ in nos à chariſſimis veniunt. Sæpe à Saule fugiſſe Dauid dicitur, & ſemel tantùm fugit ab Abſalone, iuxta titulum Pſal. 3. *Pſalm. 3.* vbi ſic: *Pſalmus Dauid cùm fugeret à facie Abſalon filij ſui.* Quantus hic dolor fuit Dauidi? Planè dolor ortus ab hac fuga per filium procurata ſuperauit omnes dolores ortos à fugis aliis.

Chryſoſt. Ait D. Chryſoſt. lib. 3. de Prouid. *Abſalon inſurgit in patrem, illúmque rurſus ad fugas, erroréſque perpetuos, quos perpeſſus erat ſub Saule, reuocat, imò verò multò illi moleſtior ea fuga, quàm prior fuit. Nam priùs quidem dux cùm eſſet, iſta perpeſſus eſt, nunc autem cùm annis plurimis regnaſſet, hoſtéſque innumerabiles ſuperaſſet, migrare cogebatur. Qui autem illum conditione iam miſerabili profugum faciebat, non alienus quiſpiam, ſiue hoſtis erat: ſed qui ex ipſo natus fuerat.* Inde equidem multò moleſtior fuit hæc vltima fuga Dauidi, quia ea cauſabatur à filio maximè ei deuincto, & obligato. Graueſcunt enim ſemper moleſtiæ, quæ inferuntur à charis.

Pſalm. 73. *Gill. Abb.* Pſalm. 73. aiebat: *Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto!* quæ verba ſic enucleat Gillib. Abb. ſer. 14. in Cant. *Neſcis, quia temporis huius miſeria ipſi amantes facti ſunt malignantes. Quanta malignatur hodie amicus in Sancta? Dixiſſe debui inimicus, ſed dixi; quod magis dolet.* Nunquam enim non magis dolet malignitas amici, quàm inimici hoſtilitas. Moyſes occidit Ægyptium rixantem cum Hebræo, & nihil timens occiſum ſepeliuit ſabulo. Quid tunc? Ait

Exod. 2. Exod. cap. 2. *Egreſſus die altero conſpexit duos Hebræos rixantes dixítque ei, qui faciebat iniuriam. Quare percutis proximum tuum? Qui reſpondit: Quis conſtituit te principem, & iudicem ſuper nos? Num occidere me vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium? Timuit Moyſes*, &c. Ecce tibi Moyſes cùm occidit Ægyptium, nullum inde metum, nullam capit anxietatem. Cùm autem illi Hebræus homo necem Ægyptij obiicit, tunc totus eſt in metu, & anxietate. Et cur id, niſi quia maiorem vim habet ad pungendum animum malignitas amici, quàm hoſtilitas contrarij?

Chryſoſt. Ait D. Chryſoſt. lib. 3. de Prouid. *Vix dies altera illuxerat, cùm beatum illum dolor alius, & quidem priore longè grauior accepit, tantúſque metus, vt ipſum Ægypto tota deturbaret. Durum quidem, ac moleſtum eſt, à quouis homine maledictis laceſſiri; verum cùm beneficiis quiſpiam affectus beneficia ipſa exprobrauerit; numquid occidere tu me vis*, inquit, *quemadmodum Ægyptium heri occidiſti? Tunc etiam tunc efficitur ea contumelia intolerabilis.* Planè intolerabilis eſt contumelia, ab illo veniens, quem beneficiis multis ornaueras.

§. IV.

Irrationale murmur de magiſtris, aut Prælatis exitiale.

IN duobos deploratis hominibus Iuda, & Abſalone illud inuenio, quòd ſub amicitiæ ſignis acriter mordeant magiſtrum, & parentem.

Marc. 14. De Iuda enim ait Marc. cap. 14. *Traditor autem dederat eis ſignum, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè.* Cùm ait, *ducite cautè*, magiſtri ſui miracula mordebat, teſte D. Hieronymo, quaſi eſſent Magorum præſtigiæ, quibus ſe poterat eripere periculis. Sic peſſimus & ſignum pacis, & amoris proponit erga magiſtrum, & ſimul eius mordet opera, & miracula. Non aliter Abſalon, cuius nomen idem erat, ac patris pax, nihilominus apud ſingulos

2. Reg. 15. Iſraelitas patrem mordebat 2. Reg. 15. dicens: *Non eſt, qui te audiat conſtitutus à Rege.* quò patris regimen, & prouidentiam erga populares traducebat. His, his deploratis hominibus ſimiles ſunt, qui abſque vlla ratione, nunquam non murmurant de magiſtris, & Prælatis.

Gilb. Abb. Vt dicat Gillib. Abb. ſerm. 14. in Cant. *An non quaſi Abſalones ſunt quidam, qui pacem prædicant, & mordent dentibus. Affectant locum patris, & prauis ſuſurris ſocios corrumpunt, & ſubuertunt corda innocentum. Imitatione Abſalon eſt, qui magiſtri & locum ſibi arrogat, & vitæ derogat; pacem prædicat, & mordet dentibus.* Deplorati Iudæ, & deplorati Abſalonis æmulus eſt, quiſquis ſub pacis nomine ſuorum magiſtrorum, & parentum vitas abſque vlla ratione mordet; nec miretur, ſi in illorum exitum deueniat. Maiorum enim vitas, qui mor-

det abſque ratione, extremam perditionem habet ſibi imminentem. Dicebat Paul. 1. ad Corinth. 9. *Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Recole hiſtoriam ex Numer. 19. vt Core, & ſocij eius, & populares homines murmurarunt de Moyſe, quòd partialis eſſet, quòd ex carnali affectu ſuos ſolos ad dignitates promoueret, quòd crudelis eſſet in reliquos populares, eorum acriter puniens ſcelera. Quid tunc? Ab Angelò omnes iſti murmuratores percuſſi ſunt, & perierunt, quorum exitium minimè cauebit, qui eorum non cauet ſcelera; & abſque vlla ratione maiorum ſuorum vitam mordet, & condemnat. Ait D. Anſelm. ibi: *Core, & ſocij eius murmurauerunt contra Moyſem, & Aaron, quòd non diuina electione, ſed quaſi per ſeipſos prælati eſſent; & ideirco ſic exterminati ſunt, vt viui deſcenderent in infernum. Et ſequenti die murmurauit contra Moyſem, & Aaron multitudo magna filiorum Iſrael: dicens: Vos interfeciſtis populum Dei; & ob id egreſſa ira à Deo in eos, vaſtauit eos incendio. Ita per murmurationes ſuas, quibus falsò de rectoribus ſuis conquerebantur, perierunt. Videte ergo ne & vos ſimiliter*, &c. Expende illa, *quibus falsò de rectoribus ſuis conquerebantur*; falſa enim & temeraria de rectoribus, & magiſtris, murmuratio nunquam non murmuratores exitio dabit.

1. Cor. 9.

Anſelm.

§. V.

Feliciſſima eſt domus in qua vnus filius perditionis ſolus eſt.

ILlud cautiſſimum Ieſu dictum eſt, inſinuans Iudam Ioan. 6. *Nonne vos duodecim elegi; & ex vobis vnus diabolus eſt?* In tota illa Ieſu domo, & familia duodecim conſtante filijs, vnus inuenitur, qui ſolus diabolus ſit. Apocalyp. 12. in cœleſti domo apparuit vnus draco, qui *cauda trahebat tertiam partem ſtellarum.* Vbi enim vnus draco vnus diabolus apparuit, non ſolus fuit; ſed & alios ibi fecit ex Angelis diabolos, & ad ſe traxit. Quando ergo in cœlis non vnus diabolus fuit ſolus, ſed plures alios ipſe fecit; cur in familia Ieſu vnus ſolus diabolus abſque aſſeclis inuentus eſt? Facit hoc ad fœlicitatem familiæ Domini Ieſu, in qua ſic vnus Iudas factus eſt diabolus, vt nullum ad ſe traheret, ſed ſolus ipſe in malitia permanſit. In quo Iudæ ſimillimus extitit Abſalon, qui factus Dauidi aduerſarius, & rebellis, nullum ex filijs Dauidis ad ſe traxit nullum fratrem ſibi ſocium valuit comparare. Vnde hoc? Ex Dauidicæ familiæ fœlicitate. Ait Gillib. Abbas ſerm. 14. in Cant. *Abſalon pax patris dicitur, Bonum planè nomen; ſed ipſe nominis huius virtutem abnegabat. Aſſectauit regnum, inceſtauit cubile. Felix tamen Dauid, cui inter tot filios, non niſi vnus perſecutor erupit. Quem mihi dabis hodie inter magiſtros, cui non niſi vnus Abſalon inſidietur?* Ad magnam equidem Dauidicæ domus pertinuit felicitatem, quod rebellis factus Abſalon filius nullum ad ſe è fratribus traxerit, ſed ſolus ipſe in rebellione permanſerit. Quæ fœlicitas non communis eſt, ſed ſingularis, & rara.

Ioan. 6.

Apocal. 12.

Gilb. Abb.

§. VI.

Fauorabilia omnia deſerunt impium, dum pergit ad ſupplicium.

DE Abſalonis interitu dicit textus 2. Reg. 18. *Accidit autem vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid, ſedens mulo: cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cœlum, & terram, mulus, cui inſidebat, tranſijt.* Sic arbori implicatus, & ſuſpenſus deſeritur à mulo, quo inſidebat, & quo nitebatur liberari. Non abſimilia acciderunt Iudæ, de quo ait Matth. 27. *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et proiectis argenteis in templo, receſſit, & laqueo ſe ſuſpendit.* Ecce vobis & Abſalon, & Iudas, vterque ab arbore pendet; illum deſerit mulus, hunc deſerunt & pontifices, & nummi. Sic impij vbi ad ſupplicium veniunt, ab omnibus fauorabilibus deſeruntur. Ad hæc ait Rupert. lib. 2. in lib. Reg. cap. 35. *Iudas iudicio Dei mente captum ſe ſuſpendit, in quo tam non ar... penſandum, ſed ipſa vel geſta ſuperficies Iudam, & Abſalonem penè demonſtrat eſſe pariles. Nam & iſte pendens quercu, mulo, cui inſidebat, pertranſeunte, deſertus, mortuo in corde lanceas ſuſcepit; & ille laqueo ſuſpenſus, & Principum Sacerdotum familiaritate deſertus, igne...* [illegible] *id eſt, æternæ damnationis ſententiam in anima accepit.* Quem acceperat Abſalon mulum, vt effugeret pugnæ periculum, amiſit, nam cùm primùm arbori implicatus eſt, illum deſerit mulus. Similiter & Iudas, quem Principum Sacerdotum fauorem ſibi acquiſierat, vendito Ieſu perdidit; nam vbi illum in perditionem ruentem viderunt Sacerdotes, ſtatim illum deſeruerunt, dicentes: *Quid ad nos?* Sic ſic impij pereunt deſerti ab omnibus ſibi fauorabilibus Iob cap. 20. ait: *Iſte moritur robuſtus, & ſanus, diues, & felix. Viſcera eius plena ſunt adipe, & medullis oſſa illius irrigantur. Alius verò moritur in amaritudine animæ abſque vllis opibus. Et tamen ſimul in puluere dormient, & vermes operient eos.* Eſt qui multarum opum fauoribus fultus ad mortem contendat, & qui Iro pauperior ſimiliter ad mortem currat. Verùm vbi ad mortem peruentum eſt, nihil magis habet ille, quàm hic. Eadem terra, iidem vermes inuadent vtrumque, nullaque eſt differentia inter illos. Et cur non eſt differentia? Cur opes, deliciæ, amici non magis tunc fauent diuitem? Planè hæc omnia leuaminis fulcra ſtatim euanent, & deſerunt impium: vbi peruenit ad periculum à diuina præparatum iuſtitia. Vt dicat Diuus Gregor. 15. Moral. 32. *Quæ eſt enim tanquam ſalus, aut robur, qui adeps, & diuitiæ: dum totum hic cum celeritate relinquitur, & illa retributio, quæ nunquam relinquitur, ...* Expende illa, *Totum hic, cum celeritate relinquitur*, nihil fauorabile non euaneſcit, & fugit impium, vbi peruenerit ad pœnam, quæ non poteſt fugi.

2. Reg. 18.

Matth. 27.

Rup

Iob.

Greg

§. VII.

Iuſto omnia fauorabilia præhabita comitantur etiam in periculo.

SVſpenſo Abſalone ab arbore, *mulus, cui inſidebat, tranſijt*, 2. Reg. 18. & currente Iuda ad arboris ſuſpendium, dicunt Sacerdotes Matthæi 26. *Quid ad nos?* Sic omnia fauorabilia ab impijs quæſita deſerunt eos, & fugiunt in periculis. Quod longè aliter accidit iuſtis viris, quos ſemper fauorabiliora comitantur. Vbi Ieſus meus crucis ſubiuit arborem, Matth. 27. ait: *Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei.* Scio in horto Ieſum deſertum fuiſſe à diſcipulis, qui relicto eo fugerunt. Sed in cruce adſtantes ſibi fœminas diſcipulas habuit. Et cur non magis hæ fœminæ Ieſum in cruce deſerunt? Nonne Abſalonem in arbore, mulus, cui inſidebat, deſeruit? Cur ſimiliter Ieſus hanc deſolationem in cruce noluit pati, vt fœminæ eum relinquerent? In Abſalonis arbore, ſicut in Iudæ arbore, oſtendebatur fructus impiorum, qui in eo eſt, quod in periculis ab omnibus fauorabilibus deſerantur. In dominicæ autem crucis arbore iuſtorum monſtratur fructus, qui vel in periculis præhabitos fauores aſſiſtentes habeant. Ideo Ieſus diſcipulas illas, quarum eleemoſynis viuebat antea, ſibi in cruce aſſiſtere voluit, vt oſtenderet, quam nullum ante habitum fauorem amitteret in periculo tanto. Ait Euthym. *Erant ibi mulieres*, &c. *ſuppeditantes, quæ ei neceſſaria erant. Chorus enim diſcipularum apud Dei matrem conſiſtentium, & expenſas de ſuis facultatibus ſuppeditantium. Et vide conuerſum ordinem: diſcipuli ſiquidem fugerant, diſcipulæ verò aſſiſtentes permanebant.* Vt expenſis ſuis fauebant viuenti Ieſu, ſic à cruce pendenti adſtiterunt, ne quid deficeret Ieſu in tanto periculo de fauoribus præacceptis, ſed vel mortuo eamdem operam impenderent, aromata ferentes. Gabaonitis conceſſit Dauid 2. Reg. 21. ſeptem Saulis nepotes, *qui crucifixerunt eos in monte coram Domino*, &c. *Tollens autem Reſpha filia Aiia ſubſtrauit ſibi ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo, & non dimiſit aues lacerare eos*, &c. Ecce tibi Gabaonitarum odium ſic in ſemen Saulis deſæuit, quòd ſeptem nepotes eius à totidem arboribus ſuſpenderet. Suſpenſis autem affuit Reſpha

2. Reg

Matth

Matth

Euth

2. Reg

pha & mater duorum, & cognata reliquorum, quæ defunctis qualecumque commodum procurabat: ſed & Ioſue cap. 10. cepit quinque ſibi aduerſarios Reges, *& interfecit eos, atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites*, &c. Nec inuentus eſt vel vnus familiaris, qui adſtaret ſuſpenſis his Regibus. Et cur iis nullus affuit familiaris; illis autem Saulis nepotibus affuit Reſpha? Hi quinque Reges vt impij peribant, ſic ab omni fauorabili deſtituti cadebant. Illi autem Saulis nepotes ob nullam propriam culpam ſuam peribant, imò quantum ex ſe erant innocentes, & iuſti; & ideo datum eſt illis, quod & in illo periculo, familiari, & noto Reſphæ fauore minimè carerent.

CAPVT II.

Thamari vis illata.

TEXTVS HISTORIA.

CVM plures filios ex pluribus vxoribus ſuſcepiſſet Dauid, duos floridiſſimos habuit ex Maacha filia Regis Ieſſur, nimirum Abſalonem, & Thamarem. Abſalon formæ elegantia, vniuerſis ſuæ ætatis adoleſcentibus ſuperior, eo maximè extollebatur, quòd capitis cæſarie poſſet ſibi ingentes diuitias comparare. Nutriebat vir comam auream, quam ſemel tantùm tondebat in anno, ne ſuccumberet & pretioſæ, & fulgenti ſarcinæ, quæ tonſa ſtabat ferenti, ducenti ſiclis aureis. Adeò elegantis iuuenis nuptias tres filij nobilitarunt, & filia vna, nomine Thamar; quæ de parentis pulcherrima ſorore nomen hæreditauit. Erat equidem Abſaloni ſoror vterina Thamar in deliciis; virgo incredibilis pulchritudinis, quam deperibat Ammon primogenitus Dauidis, & Abſalonis, & Thamaris ex parte frater. Hunc amoris flamma, quo occultiùs, eo vehementiùs depaſcebat, vt incendium atrox vix poſſet occultari, quod patentiſſimè monſtrabat oris macies. Quæ macies hæc faciei, ò Ammon? aiebat fidiſſimus eius amicus Ionadab; qui vt viuidi erat ingenij poſt auditam cauſam, conſulit iuueni, vt morbum ſimulet, in lectóque decumbens omnes faſtidiat eſcas, niſi quæ Thamaris ſororis manu coram fuerint paratæ. Annuit iuuenis conſultatori optimo, & dum faſtidioſi infirmi ſcenam peragit, de parentis imperio Thamar adeſt, eſcas dolenti fratri parat, quas cùm ille accipit, magis prendit amatæ puellæ manus, & remotis inde arbitris, laſciui animi virus cœpit inſtillare. Occulta vſque tunc flamma in pyram euaſit, cui infelix virgo fruſtrà vires opponens in breui pudoris ſui flores vidit depaſtos. Heu inauditum facinus! Inceſtæ libidinis ſatur Ammon, eò faſtidij deuenit, vt regiam puellam, & ſororem à ſe abiicere, & extra domum facere non dubitaret. Ibat illa ſciſſis virginitatis veſtibus operta, vultu, manu ſuam iniuriam clamitans, quæ nulli in tota vrbe non manifeſtè patuit.

MORALIA CIRCA textus litteram.

CVM formoſiſſimi iuuenis hiſtoriam expendo, nil prius in eius limine inuenio, quàm inuſitatos, & monſtroſos laſciuiæ partus. Nunquam enim in carnalis pulchritudinis ſolo hæc venena non ſcatent.

2. *Regum* 14. Porrò ſicut Abſalon vir non erat pulcher in omni Iſraël, & decorus nimis. A veſtigio pedis vſque ad verticem non erat in eo vlla macula. Et quando tondebat capillos (ſemel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæſaries) ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis pondere publico. Nati ſunt Abſalon filij três, *&c.*

§. I.

Non aduentitius, ſed natiuus decor æſtimandus plurimi.

IN Abſalone prima venit ponderanda eius pulchritudo, dicente textu: *Sicut Abſalon vir non erat pulcher in omni Iſrael, & decorus nimis.* Et quidem vbi decorus dicitur nimis, iuxta Hebræum apud Abolenſem legitur *laudabilis nimis.* Et mirabar, quod nulla fœminarum dicatur in Scriptura fuiſſe laudabilis pulchritudinis, & ſolus Abſalon ſic dicatur pulcer, vt & eius pulchritudo dicatur laudabilis. De Sara Abrahæ vxore dicitur Geneſ. 12. *Quod* Geneſ. 12. *pulchra eſſet nimis.* & in nullo textu dicitur eius pulchritudo laudabilis, quod in cæteris omnibus fœminis ob pulchritudinem celebratis in textu ſacro eſt ponderandum. Et cur his prætermiſſis ſolus Abſalon ſic dicitur pulcer, & decorus nimis, vt etiam addatur *laudabilis*? In mulieribus nulla tanta eſſe ſolet pulchritudo, cuius magna pars non ſit aduentitia, & arte comparata. Quæ enim mulier pulchritudini ſuæ augendæ non dat operam? Vir autem, vt vir eſt, de pulchritudine extrinſecus augenda nullam curam habet, vnde eius pulchritudo in ſolo natiuo ſplendore relicta maiorem inde & commendationem, & æſtimationem habet. Non enim aduentitius, ſed natiuus ſplendor à magnis mentibus æſtimatur. Matth. 17. vbi Ieſus meus cum tribus diſcipulis montem Thabor aſcendit, & transfiguratus eſt; *Reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſti-* Matth. 17. *menta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Et cur, qui à natiuitate omnia humilia, & abiecta ſumpſerat, modò tam glorioſam, & ſplendentem formam diſcipulorum oculis obiecit? Cur qui caput ſpinis, & faciem mortis pallori tam iam permittebat, tam ingentem ſplendorem modo in facie oſtendebat? Planè oſtendebat modò glorioſam illam ſpeciem, vt quando poſt mortem reſumeret ſimilem ſplendorem, is non crederetur arte, aut opera quæſitus, & additus, ſed natiuus, & innatus à principio. Ait D. Ephræm ſerm. de Transfigur. *Duxit rurſus diſcipu-* Ephræm. *los in montem, & gloriam diuinitatis ſuæ ipſis ante reſurrectionem ſuam oſtendit; vt quando à mortuis in gloria naturæ ſuæ diuinæ reſurrexerit, ſciant ipſum non accepiſſe quaſi mercedem laboris ſui, gloriam, vt qui illa indigeret, ſed eam ab æterno illum habuiſſe cum patre*, &c. Hoc curabat Ieſus meus, ne ſplendor gloriæ ſuæ crederetur aduentitius, & arte, & induſtria quæſitus. Qui enim pallidum, & obſcurum eius diuiniſſimum cadauer poſt mortem viderent, & poſt reſurrectionem, & ſplendidiſſimum & pulcherrimum corpus animaduerterent, poſſent putare totum illum ſplendorem arte & induſtria comparatum ab extrinſeco eſſe. Ideo ante mortem, & reſurrectionem ſeſe in illo ipſo ſplendore, ac decore oſtendit, vt ſibi natiuus, & innatus crederetur. Non enim laudi, ſed pudori ducunt magnæ mentes ſplendorem, qui illis non natiuus, ſed aduentitius eſt, & de foris quæſitus. Primi illi parentes vbi peccarunt Geneſ. 3. *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizo-* Geneſ. 3. *mata*, & cùm ſic abſconderentur, requiſiti à Deo reſpondent; *Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, & abſcondi me, eo quòd nudus eſſem.* Et quidem nunquam magis veſtitus fuerat Adam, quàm tunc erat. Nonne ex viridantibus foliis ſibi amictum fecerat, & illo erat coopertus? Cur ergo illum veſtitum negat, & cum illo nuditatem erubeſcit? Planè vt veſtitus illius decor aduentitius, & ab extrinſeco petitus erat, ſic ingenuæ Adami menti, non laudabili ornatui, ſed magis ducebatur pudori, & dedecori. Ait D. Machar. hom. 20. *Ille primus homo ſe nudum con-* Machar. *ſpiciens erubuit*, &c. *Et ſi è foliis ficus veſtimentum ſibi aptauit pudore tamen ducebatur, animaduertens mendicitatem ſuam, ac nuditatem.* Veſtitus ornatum à foliis viridantibus factum habebat

habebat Adam; ſed vt totus ille ornatus aduentitius erat, & ab extrinſeco, arte, & diligentia quæſitus; ſic in eo magis animaduertebat Adamus mendicitatem, qua erubeſceret, quàm gloriam, qua præſumeret. Vt ex tanto parente ediſcant eius filij erubeſcere, in ornatibus, & ſplendoribus, quos ab alijs creaturis emendicare cernuntur.

§. II.

Bonorum temporalium cumulus, aut defectus nihili ſunt apud Deum.

NVnquam non miror tantum pulchritudinis bonum datum Abſaloni & parricidæ, & peſſimo viro. Ait enim text. *Sicut Abſalon vir non erat pulcher in omni Iſrael, & decorus nimis.* Abſalon ille parricida, & deploratus homo dono pulchritudinis, comarum ſplendore ſuperabat omnes Iſraelitas. Eliſæus autem ſanctiſſimus Propheta turpi laborabat caluitio, vt 4. Regum 2. pueruli illuderent illi,
4. Reg. 2. dicentes: *Aſcende calue; aſcende calue.* Et cur Deus parricidæ Abſaloni tantam præbes ſegetem pulchritudinis in forma, & in cæſarie; ſanctum autem Eliſæum turpi notas caluitio? Ait Chryſoſtom. in Pſalm. 40.
Chryſoſt. *An non erat pulcher, & formoſus Abſalon, & vſque ad capillos capitis per vigebatur eius corporis ſpecies? Quid autem, an non erat caluus Eliſæus, vt etiam rideretur à pueris? Sed neque illum quidquam iuuit forma, nec hunc læſit deformitas.* Planè nec defectus, nec cumulus temporalium aliquo in pretio ſunt, vt hominem commendent, aut deprimant apud Deum. Fuit Iſraelitis ſonorus clamor, & nihiloſminus ait Pſalm. 17.
Pſalm. 17. *Clamauerunt, nec erat, qui ſaluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.*
Exod. 4. Moyſes autem de ſe dicebat Exod. 4. *Impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Septuag. *Gracili voce, & tardo lingua ego ſum*; & nihilominus paſſim à Deo exaudiebatur. Et quando, qui ſonora erant voce, minimè audiebantur; cur ille exauditur, cui vox erat gracilis, & lingua tarda? Quòd vox ſonora ſit, vel gracilis; lingua ſit expedita, vel tarda, vt ad temporalia bona pertinent, ſic apud Deum nihili ſiunt; eorúmque cumulus, aut defectus nullum momentum habent, vt à Deo admittantur, vel reijciantur, dentur bonis, aut malis. Chryſoſtom. in Pſalm. 40.
Chryſoſt. *Quid peccauit, qui eſt parua, & exili voce, tardæque & impeditioris linguæ? Nonne talis erat Moyſes, & omnibus magis exaudiebatur? Non Iudæi clamabant ſuper omnes, ſed Deus eorum precibus non annuit? Magna enim & exili voce eſſe prædi tum, ſunt naturæ commoda. Ea autem non faciunt, vt vel audiamur, vel non audiamur, vt quæ nec digna ſint, quæ vel laudentur, vel vituperentur. Multa enim naturæ commoda adſunt etiam ſceleratis.* Sic commoda, aut incommoda temporalia apud Deum nihili ſiunt; vt & illa paſſim dentur ſceleratiſſimis indigniſſimis, & hæc permittantur eſſe in Sanctis, & iuſtis: vt quæ poſſint abſcondi decore virtutum. Hinc cap. 1. genealogiam Saluatoris proponens, non abſcondit maculam vllam, qua apud nos humanæ genealogiæ inficiuntur. Ait enim: *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar*; Ecce in primis ponitur concubitus illegitimus Iudæ cum Thamare. Rurſus ait: *Booz genuit Obed ex Ruth*, vbi ex Moabitis alienigenis texitur origo. Deinde: *David genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Iam vel in cantatiſſimo Ieſu parente adulterium producitur. Et cur Matthæus in origine Saluatoris non magis maculas illas diſſimulat? Vt originis claritas, vel obſcuritas pertinent ad temporale bonum; ſic Matthæus nihili facit in tanto rege maculas originis notare, vt quæ operiri poſſent flore virtutum.
Ambroſ. Ait Diuus Ambroſius lib. 3. in Luc. *Matthæi conſilium à ratione iuſtitiæ non abhorruit. Ne quis putaret originis maculam impedimento eſſe virtuti: vnde nec inſolens de ſui ſe generis nobilitate iactaret, nec parentum crimino verecundior erubeſceret, cui obumbrandæ originis facultas datetur, flore virtutum.* Ride, quæſo, illorum bonorum cumulum qui inueniri poſſit in ſceleratiſſimis, & indigniſſimis; & eorumdem defectum ride, qui virtutum floribus poteſt operiri.

§. III.

Mundialis ſuperfluitas, & vitioſa prorſus tollenda eſt, vbi datur locus Christo.

HOc virile fuit in pulcherrimo Abſalone, quòd tondebat capillos ſuos, dicit enim textus: *Et quando tondebat capillos*, &c. quippe iuxta Pauli doctrinã 1. ad Cor. 11. vt fœminarum gloria in nutriẽdis crinibus conſiſtit; ſic virorum perfectio eſt, quòd minimè nutriant crines, ſed magis tondeant illos. Et quando fœminis permittuntur crines, cur non ſimiliter permittantur viris, ſed magis iubentur tonderi? Rationem ibi oſtendit Paulus, dicens: *Viri caput Chriſtus eſt.* quando autem Chriſtus eſt viri caput 1. Cor. 1
neceſſum eſt, vt inde reſecentur crines, nulla enim ſuperfluitas mundialis, & vitioſa permittitur, vbi adeſt Chriſtus. Vt dicat D. Paulin. epiſt. 4. *Ideo perfectus fidei, & diſciplinæ magiſter Paulus docet indecorum viro crinem, quia abſcondi non poteſt caput viri Chriſtus.* Paulio
Quia vir non poteſt, nec debet abſcondere caput ſuum eſſe Chriſtum, indecorè non abſcindit à ſe crines, nimirum mundiales, & vitioſas ſuperfluitates, quarum nec veſtigium debet eſſe, vbi eſt Chriſtus. Dilectæ ſuæ dicebat Dominus Cant. 4. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.* Cant. 4.
Ecce tibi, vbi chriſtianum lauacrum meminit, ſeu balneum confotum igne Chriſti, in illo tonſarum greges dicit. Non enim aſcendit, & appropinquat Chriſti calori, qui mundialibus ſuperfluis, & vitioſis non renuntiat. Ait ibi Gillibert. Abb. ſerm. 23. in Cant. *Quaſi grex detonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro. Veterem enim deponentes hominem, & onere ſuperuacuo leuati alacriùs ad ſuperiora conſcendunt. Bene enim detonſi, & de lauacro aſcendunt, quaſi nihil veteris vel ſarcinæ, vel ſordis habentes.* Gilb. A
Crede mihi, ſuperuacuarum rerum ſarcinas, & curas abijcere debes, vt nihil vetuſtum, nihil mundiale, & vitioſum appareat in te, vt maximè de Chriſti lauacro aſcendas, & fulgeas. Non equidem de Chriſti lauacro ſplendet, qui adhuc de mundialibus aliquid in ſe retinet. Cant. 1. dicebat ille: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.* Cant. 1.
Multi alij fuerunt Dei triumphi cantatiſſimi; vt quando in defenſionem Eliſæi 4. Reg. 6. *mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi aduerſus Syrios*; & 4. Reg. 19. in defenſionem Ezechiæ, *vnus Angelus Domini percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Et reuerſus eſt Sennacherib*, &c. 4. Reg. 6. 4. Reg. 19.
Cur ergo Dominus ſponſam ſuam animam non magis aſſimilat equitatui ſuo in caſtris Aſſyriorum, ſiue in circuitu Eliſæi, quàm in curribus Pharaonis? Vnde magis placuit Deo equitatus in curribus Pharaonis, quàm in circuitu Eliſæi, quàm in caſtris Aſſyriorum? Equitatus in circuitu Eliſæi ſic Eliſæum defendit, vt omnes eius hoſtes conſeruaret; equitatus autem Dei in caſtris Aſſyriorum etſi tot millia interfecit, tamen permiſit Regem euadere incolumem. Solus equitatus in curribus Pharaonis omnes funditus perdidit Ægyptios in mari, vt nec vnus euaderet, nec quid Ægypti ſeruatum eſt, ſed totum ablatum, & ſuffocatum fuit. In quo maximè placet Chriſti ſponſa, qui in Chriſtiano lauacro ſic omne mundiale ſuperfluum, & vitioſum perdit, vt nihil in ſe retineat eorum. Ex quo dicebat D. Greg. Nyſſen. homil. 3. in Cant. *Fieri non poteſt, vt aſſimiletur quiſquam equis, per quos in profundum ſunt demerſi currus Ægyptiorum, niſi per aquam myſticam liberatus à ſeruitute aduerſarij, omni ſenſu Ægyptiaca & omni externo vitio, & peccato in aqua relicto purè emergat, Ægyptiacæ conſcientiæ nihil ſecum adducens in vitam poſtea futuram.* Gregor. Nyſſen.
Dum non in te perdis, quidquid Ægyptum, & mundum olet, nec ſimilis es equitatui Dei in Ægyptios, nec conſequenter ſponſa es Chriſti: cuius eſt ſic illi triumpho aſſimilari, vt nihil Ægypti, aut mundi in ſe relinquat.

§. IV.

Impius nil habet, quod perdere debeat metuere.

ETſi pulchram, & auream cæſariem, non veretur Abſalon illam tondere, imò, vt ait text. *Tondebat capillos ſemel enim in anno tondebatur*, &c. Non ſic Samſon Iudic. 16. ſed de ſe ait: *Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum, quia* Iudic.
Nazaræus,

Digitized by Google

Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum ex vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, &c. Sic Samſon cauebat tonderi, ne ſibi aſſiſtentem Dei gratiam perderet. Et quando ſic metuit Samſon ſuis pulchris crinibus, vt mallet eorum ſuſtinere grauedinem, quàm tonderi; cur Abſalon non ſimiliter cauet ſuis comis priuari pulcherrimis? Planè Samſon in capillorum conſecratione habebat gratiam Dei aſſiſtentem, quam meritò verebatur perdere, & ideo maximè refugiebat tonderi. Abſalon, vt nihil diuinæ gratiæ aſſiſtentis habebat, ſic ad tonſuram nihil veritus currebat. Impius enim, qui nihil diuinæ gratiæ, aut virtutis habet, nihil habet, quod perdat, ne miremur, quòd ad omnia alia currat intrepidus.
Paulin. Ait D.Paulin. *Nec Abſalon quamuis decora in corpore, & capite ſuperbus, poterat dicere, quod Samſon dixit: Si tonſus fuero, diſcedet à me virtus mea, quia non habebat illam, in pulcherrima licet crine, virtutem, quæ non corporalium capillorum, ſed gratiæ ſpiritualis erat, quam impius habere non poterat. Virtus enim & ſapientia Dei Chriſtus eſt, qui in parricidalem animam non adibat, quia non habitat in corpore ſubdito peccatis.* Metuebat Samſon gratiæ, & virtuti diuinæ ſibi aſſiſtenti à tonſura capillorum, qui conſecrati erant Deo; Abſalon autem vt nulli gratiæ, aut virtuti diuinæ ſibi aſſiſtenti metuere poterat, quia nullam habebat, ſic tonſuram non metuebat. Impius enim, qui omni gratia, & virtute Dei deſtitutus eſt, exinde nihil habet, quod perdere debeat timere. Ille timeat perdere vel capillum, in quo Dei gratiam, aut virtutem perditurus eſt; qui autem nihil gratiæ Dei nec virtutis habet, in nulla iactura alia habet, quod perdat. Iob c. 18.
Iob. 18. de impio dicebat: *Habitent in tabernaculo illius ſocij eius, qui non eſt.* Socij eius, qui non eſt, dicuntur habitare in tabernaculo eius. Et quis eſt iſte, *qui non eſt?* Impius vt à Dei gratia receſſit, nihilque diuinæ retinet virtutis; nihil amplius habere, imò nihil eſſe cenſetur. De illo D.Greg.
Gregor. 14.Moral.10. *Qui idcirco iam non eſt, quia ſumma eſſentia receſſit, & per hoc quotidie excreſcente defectu, quaſi ad non eſſe tendit, qui rectè quoque non eſſe dicitur, qui bene eſſe perdidit.* Equidem cùm virtutem, & Dei gratiam habemus, aliquid habemus, quod perdere poſſumus. Hæc ſi perdimus, ſimul omnia perdidimus, vt inde iam amplius nihil habeamus, imo & nihil ſimus. Ex quo de eodem impio longum texens ſermonem Iob cap. 21. ait: *Dulcis fuit glareis Cocyti*:
Iob. 21. Græcè autem legitur, *Dulces factæ ſunt ei ſilices torrentis.* Quibus putat catenæ Græcæ author ſignificari totum negotium mortis, & ſepulchri dulceſcere impio homini.
Cat. Græc. Sic enim ait: *Impio homini, & peccandi cupido vel ipſam foſſam torrentis ſpeciem imitantem, quæ poſt mortem eſt illius cadaueri amplexum; vel ipſos lapides, ipſiſque ſilices inijciendas viſum iri dulces, cùm nec moleſtiam, nec admirationem afferat ea res homini euiuſmodi cogitanti non ſibi ſoli eſſe moriendum.* Hoc nouum & inauditum eſt, quòd impio homini mors corporalis videatur dulcis, quæ & ſanctis amariſſima eſt. Et quando mors corporalis amara, & terribilis eſt viris iuſtis, vnde ſic dulceſcere poteſt impio? Ego aliqualem huius rei cauſam excogito in verbis illis, *Impio homini, & peccandi cupido*; qui enim auidus peccandi eſt, & auidè peccata vorat vorátque cum peccatis diuinæ gratiæ, & totius virtutis amiſſionem, nihil inde habet, quod amet, vel timeat, amariſſima quæque dulceſcunt illi. Amara eſt mors iuſtis, qui in ea timent ſpoliari, & tonderi Dei virtutibus; dulcis ſit impio, qui cùm nihil virtutis, aut gratiæ habeat, quo ſpoliari timeat, cætera nihil ſunt illi. Geneſ. 3.
Geneſ. 3. de Adami peccato: *Aperti ſunt oculi amborum, cùmque cognouiſſent ſe eſſe nudos*, &c. De Ioſephi autem virtute ait
Geneſ. 39. Geneſ. 39. *Qui relicto in manu eius pallio fugit, & egreſſus eſt.* Adamus nullum pallium amiſit, & dicitur manſiſſe nudus; Ioſeph amiſit pallium, & non dicitur nudus! Cur non dicitur nudus in pallij amiſſione? Diuus Am-
Ambroſ. broſius libro de Iacob. capite quinto ait: *Etiam relicta pallia, non dicitur nudus, quia indumenta habebat virtutis. Noli igitur metuere eos, qui poſſunt auri compilare theſauros. Iſti tibi nil auferunt. Hæc auferunt, quod non ornabat animam tuam, ſed onerabat*, &c. In ſolius virtutis amiſſione intelligitur perditio, in alijs non intelligitur.

§. V.

Spiritualia bona quo plura, eo nos magis eleuant in ſublimia.

ECce tibi Abſalon *ponderabat capillos capitis ſui*, &c. de iuſtorum autem capillis dicit Matth. 10. *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt.* *Matth. 10.* Illius capilli ponderantur, horum minimè ponderantur, ſed numerantur. Et cur vt Abſalon pōderabat capillos ſuos, Deus non ſimiliter pōderaſſe ſed numeraſſe capillos ſuorum dicitur? Ponderantur capilli Abſalonis, vt qui tantum pondus haberent, ſub quo grauaretur ipſe; iuſtorum autem capilli, quorum caput eſt Chriſtus, numerari poſſunt, ponderari non poſſunt. Quæ enim ſunt bona Chriſti ſpiritualia pondus, aut grauedinem non habent, vt deprimant, ſed quo plura, eo nos citiùs ferunt in ſublime. Quo ſpectans D. Paulinus epiſt. 4. ait: *Peccatis ſuis anima premitur.* *Paulin.* *Quod probat Propheta, qui dicit: Superpoſuerunt iniquitates meæ ſuper caput meum, ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Vides quàm graues habet peccator comas. at cui coma Chriſtus eſt, leuis, & volucer exultat, dicens: Poſuit immaculatam vitam meam, qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum.* Expende illa, *cui coma Chriſtus eſt, leuis, & volucer exultat*; quippe de Chriſti virtutibus nihil graue, & ponderoſum in nos venit, ſed quo pluribus eius vnimur virtutibus, eo velociùs altiora ſubimus. Vt de Chriſtiana charitate dicat Cant. 8. *Lampades* *Cant. 8.* *eius, lampades ignis, atque flammarum.* Septuag. *Alæ eius, alæ ignis.* In lampade grauedo, in ala leuitas exprimitur. Et vnde lampadum grauedo verſa eſt in alarum leuitatem, niſi ex ſimilitudine ignis? Et cur igni confertur Dei charitas? Ait Theodor. orat. de Charit. *Quemodo ignis, quo plus* *Theodor.* *accipit nutrimenti, eo maiorem accipit operationem, ea enim acceſſione materiæ augetur, non obtunditur: ita in Deum dilectio accenditur diuinarum rerum contemplatione, & operationem hinc ſuſcipit vehementiorem, & maiorem: & quo magis in rebus diuinis verſatus quis fuerit, eo magis accendit flammam dilectionis.* Equidem nutrimentorum multitudo non obtundit ignē ſed in altiorem, & efficaciorem eleuat flammam eius. Sic diuinæ dilectionis flamma non hebeſcit, ſed volucrior fit, & ſublimior de multitudine circa res diuinas operationum. Multæ virtutum operationes minimè opprimunt charitatem in nobis, quin potiùs ſic eam eleuant; vt quaſi pennati videamur inſurgere ad maiora. Sponſæ creduntur eſſe ea verba Cant. 2. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet* *Cant. 2.* *vox tua in auribus meis.* Dicebat Philippus Ioan. 14. *Oſtende* *Ioan. 14.* *nobis patrem, & ſufficit nobis*; vnam faciem patris amabat videre, & illius ſplendore contentus erat. Illa autem non ad ſolam faciem patris intenta erat, ſed & ad eius vocem. Et quando Philippus in ſola facie quieſcebat, cur ſponſa maluit intendere & faciei, & voci? Equidem vt amabat Dominum, non in vna virtute quieſcebat, ſed multiplicabat virtutum opera, vt inde volucrior fieret, & ad altiora ſurgeret velociùs. Theodoret. ſupra: *Cum ex iis, quæ de Deo dicuntur, amore capta fuerit, non eſt contenta orationibus, ſed vult etiam ipſam vocem audire: & cùm alas accepiſſet, & in ſublime elata eſſet*, &c. Expende, *& cùm alas accepiſſet*, quippe ex quo non contenta eſt vna virtute, ſed multiplicauit virtutum opera, accepit inde alas, quibus fertur in ſuperiora.

§. VI.

Præſtantia bonorum ſpiritualium notior ex receſſu.

PVlcherrimorum crinium æſtimationem penſabat Abſalon pondere publico, cùm dicat text. *Ponderabat capillos capitis ſui pondere publico.* Sic mundiales honorum ſuorum pretioſitatem ex publico æſtimant, non ex abſcondito. Quam aliter à iuſtis æſtimantur bona ſua, qui ea potius ex receſſu, & abſcondito penſare ſolent. Sponſæ ſuæ pulchritudinem miratus Dominus aiebat Cant. 4. *Capilli* *Cant. 4.* *tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Solent capilli formoſarum comparari vel Solis radijs, vel aureis filis; quæ capræ inuentæ ſunt à diuino paſtore adeò ſplendidæ, & aureæ, quarum comparatione æſtimentur ſponſæ ſuæ capilli? Audio Paulum ad Hebræos cap. 11.

differentem

differentem de pulchro, & egregio electorum grege iis
Hebr. 11. verbis: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ.* Proh felices caprearum greges! Planè ſanctiſſimi viri pellibus caprinis obducti ciuitatum publicum fugiebant, & in montium receſſibus, & in ſpeluncis & in cauernis terræ abſconditi vacabant Deo. Ex his ergo extollit Deus ſuæ ſponſæ pulchritudinem, cuius capilli, nempe Sancti, & virtutes, Deo noti, abſconditi mundo, inde penſabant valorem ſuarum virtutum. Ad hæc Ru-
Rupert. pert. lib. 3. in Cant. *Quis greges caprarum, vel quando apparuerunt de monte Galaad? Vtique greges rationales, greges caprarum rationalium tunc apparuerunt, quando cœperunt homines eiuſmodi eſſe de quibus Apoſtolus dicit: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, in montibus, in ſpeluncis, & cauernis terræ.* Ecce tibi quando ſponſæ caput cœpit Deo commendari, nimirum quando cœperunt Sancti ad montium receſſus conuolare, & in abſconditis cauernarum vitam agere. Vt videas quàm debeant ſpiritualium hominum bona non tam ex publico, quàm ex receſſu æſtimari.
Deut. 15. Ex quo monebat Dominus Deuteron. 15. *Non tondebis primogenita ouium.* Hoc amans in ouium primogenitis ne
Gregorius vnquam tonſi appareant. Quod explicans D. Gregor. 8. Moral. 29. ait: *A primogenitis ouium detondendis compeſcimur, quia & ſi quid robuſtum incipimus, exercere hoc in aperto citiùs non debemus. Et cum vita noſtra ſimplex quid, atque innocuum inchoat, dignum eſt, vt ſecreti ſui velamine non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis, quaſi ſubducto vellere oſtendat.* Equidem quæ in nobis ſunt prima opera, non ſtatim in aperto, & publico ponenda, ſed ſub velamine, & in ſecreto receſſu contegenda. Etenim ex occultatione omnia virtutum prima habent pretium.

2. *Reg.* 13. Factum eſt autem poſt hæc, vt Abſalon filij Dauid ſororem ſpecioſiſſimam vocabulo Thamar adamaret Ammon filius Dauid, & deperiret eam valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret; quia cùm eſſet virgo, difficile ei videbatur, vt quidpiam inhoneſtè ageret cum ea.

§. VII.

Poſt Ieſu œconomiam viſam nullus æſtimandus temporalis ſplendor.

MVltus eſt ſacer textus in ponderanda & Abſalonis, & ſororis eius pulchritudine. De Abſalone iam ſuprà dixit, vt pulcer erat, & decorus nimis; ad eius ſororem accedens ait: *Factum eſt poſt hæc, vt Abſalon filij Dauid ſororem ſpecioſiſſimam, vocabulo Thamar adamaret Ammon*, &c. Expende illud, *ſororem ſpecioſiſſimam*, tam enim in Abſalone, quàm in eius ſorore ponderatur, & æſtimatur ſpecioſitas, & pulchritudo corporalis. Sic etiam
Geneſ. 24. Geneſ. 24. de Rebecca dicit, quòd erat *virgo pulcherrima*;
Eſther 1. & de Eſther cap. 1. *erat pulchra valde*; & ſic de aliis paſſim in veteri Teſtamento. In Euangelio autem, vbi ad pulcherrimam fœminam deuenitur, nempe ad Magdalenam, nec verbum de eius pulchritudine Lucas dicit, totus occupatus in eius pœnitentia ponderanda. Ait
Luc. 7. enim cap. 7. *Ecce mulier in ciuitate peccatrix, vt cognouit*, &c. Et quando veteris Teſtamenti ſcriptor tantus eſt in explicanda pulchritudine formoſarum, vt nihil priùs in illis commendet: cur Lucas de Magdalenæ pulchritudine nec verbum facit? Euangelici ſcriptores filium Dei & in præſepio, & in cruce videntes nihili faciunt ſplendores alios temporales, imò illos vniuerſos deſpiciunt, & ſolum attendunt ad virtutes explicandas, quæ magis Chriſto Domino aſſimilantur. D. Hieronymus in Fabio-
Hieronym. læ epitaph. dicebat: *Alius Fabiorum gentem proferret in medium, diceret pugnas, deſcriberet prælia, & per tantæ nobilitatis gradus Fabiolam venisse iactaret; vt quod in virgo non poterat, in radicibus demonſtraret. Ego diuerſorij Bethlehemitici, & præſepij dominici amator in quo Virgo puerpera Deum fudit infantem, ancillam Chriſti non de nobilitate veteris hiſtoriæ, ſed de Eccleſiæ humilitate producam.* Sic bonus in laudanda clariſſima fœmina minimè recurrit ad vllos eius ſplendores temporales, nihili facit glorias natalium, formæ præſtantiam. Et quando alij inde ſolent laudatorias ſuas orationes initiare: cur Hieronymus in laudanda Fabiola non ſimili- Idem.
ter facit? Rationem ipſe indigitat, fatus: *Ego diuerſorij Bethlehemitici, præſepij dominici amator*, &c. quippe quæ Ieſu præſepe & humilia videbat cunabula, non poterat laudi vertere ſplendores mundiales, ſed illos prorſus deſpiciens ad virtutes properabat Chriſtianas. Quid mundialis ſplendoris non deſpiciat, qui pauperrimis adſtat incunabilis Chriſti? Matth. 17. duxit Ieſus diſcipulos ſuos in Thabor, & transfiguratus eſt ante eos. *Et reſplenduit* Matth. 17.
facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes. Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum: Domine bonum eſt nos hîc eſſe, &c. Sic ad illam temporalem claritatem, & ſplendorem afficiebatur, vt nollet ab eo diſcedere. Verum Luc. 2. nato Ieſu, erant paſtores in eadem regione
vigilantes. *Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos*, &c. *Et dixit illis Angelus: Nolite timere; ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum*, &c. *quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelſis Deo*, &c. *Et factum eſt, vt diſceſſerunt Angeli ab eis in cœlum, paſtores loquebantur ad inuicem: Tranſeamus vſque Bethlehem*, &c. Et claritatem vident paſtores, & voces Angelorum audiunt, & tamen nullus eorum petit ab Angelis, vt tantiſper maneant, ſed illos abire quantocius relinquant. Cur non magis ò Paſtores amatis morari in illa claritate, inter illas Angelorum voces? piſcator erat Petrus, & viſa Thaboris claritate, auditiſque Elia, & Moyſe cum Ieſu loquentibus, ſtatim clamat: *Bonum eſt nos hîc eſſe.* Cur ſimiliter vos non dicitis ſplendentibus, & cantantibus Angelis, quòd liceat cum illis diutiùs morari? Splendor erat Iacob, & nihilominus
dicebat ad luctatorem Angelum Geneſ. 32. *Non dimittam* Gen. 32.
te, niſi benedixeris mihi. Cur vos ſimiliter non tenetis hos Angelos, & aſſeritis, quòd eos non dimittetis? Cur illorum detentionem vobiſcum non magis & precibus, & lachrymis ſolicitatis? Cur nec vllo detentionis verbo dicto tantam à vobis patimini diſcedere claritatem? Non miror, audiunt enim illud: *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Vbi enim pueri huius diuini affulgent Bethlehemitica incunabula, & præſepe, non mirur, quod vniuerſi deſpiciantur temporales ſplendores, & claritates.

§. VIII.

Laſciuiæ ardor pietatis nomina abſumit.

EXpende illa: *Abſalon filij Dauid ſororem ſpecioſiſſimam vocabulo Thamar, adamabat Amon*, &c. Thamar adamata ab Ammone dicitur ſoror Abſalonis, quaſi non ſimul eſſet ſoror ipſius Ammonis. Et Abſalon, & Ammon, & Thamar filij erant Dauidis, & conſequenter inter ſe erant fratres. Cur ergo Ammon dicitur adamaſſe Thamar ſororem Abſalonis; & non magis dicitur adamaſſe ſororem ſuam? Quando Ammon & frater erat Thamaris, & ipſa eius erat ſoror, cur in ſororem ſuam deperiſſe non ille dicatur? Laſciuiæ ardor vt cœperat Ammonem poſſidere, iam nomen fratris, & ſororis fuerat depaſtus. Abſumit enim laſciuia omnia pietatis vocabula. de qua
dicit D. Zeno ſerm. de Pudicitia: *Libido nonnunquam no-* Zeno.
mina pietatis concubitu prodigioſo delet. Equidem in quo libidinis incendium excreſcit, nullum pietatis vocabulum
permittit ſupereſſe. Luc. 7. dicebat: *Ecce mulier in ciui-* Luc. 7.
tate peccatrix, vt cognouit, &c. ſic vna mulier introducitur, quaſi nec fratres, nec cognatos haberet. De illa
tamen Ioan. 11. *Erat quidam languens Lazarus à Bethania,* Ioan. 11.
de caſtello Mariæ, & Marthæ ſororum eius. Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Ecce modò non contentus Ioannes dixiſſe Martham, & Mariam ſorores eſſe Lazari, ſigillatim

ſigillatim de Maria locutæ, receǹſque eius prima pœnitentiæ acta, addit iterum eſſe fratrem Lazarum. Et quando Lucas ſupra illam ſolam abſque fratre, & ſorore proponit; cur Ioannes adeò inſtat, vt cognoſcatur ea habere & ſororem, & fratrem? Vt Lucas illam adhuc ſub nomine peccatricis,& laſciuæ puellę referebat,ſic illam ſolam abſque ſorore, & fratre proponit, ſciens à laſciuia in primis abſumi nomina pietatis. Ioannes autem ſemel, & iterum inſtar eius producere ſororem, & fratrem, vt habens fratres iam credatur libera ab omnis libidinis fæce. Non multum abeſt
Rupert. Rupert. lib. 10. in Ioan. fatus: *Et Lazarus quidem languens erat. Maria autem ſoror eius iam à peſſimo languore per gratiam Domini reuixerat, atque conualuerat.* Planè vbi peccatrix proponitur, mulier ſola dicitur; vbi ſoror Lazari oſtenditur habens fratrem, iam id fit in teſtimonium eius rediuiuę caſtitatis. Laſciuia enim nulla non tollit nomina pietatis. Propoſuerat Ioannes damnationem meretricis magnæ, de cuius perditione fa-
Apoc. 18. tus ait Apocal. 18. *Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam Reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt*, &c. *Et negotiatores flebunt*, &c. *& mercatores*, &c. *omnis gubernator, & omnes, qui in lacum nauigant, & nautæ*, &c. Ecce tibi in purpuratæ fœminæ interitu, qui dicantur lugere, nimirum Reges, Principes, Gubernatores, negotiatores, mercatores, nautæ. Et quando omnes lugentes in eius interitu numerantur, nullus dicitur eius frater, nulla ſoror, nullus affinis, aut cognatus. Et quod funus illuſtris perſonæ fit, in quo aliquis frater, aut affinis in luctu non appareat? Vel iam de-
Luc. 16. ploratus ille diues purpuratus Luc. 16. dicebat: *Habeo quinque fratres.* Cur ergo in huius meretricis magnæ funere nec vnus inuenitur, frater nec vnus amicus, aut cognatus? Vt in meretrice inſolens caſtigabatur luxuries, ſic nullum ibi apparet nomen pietatis, quæ omnia deleta per luxuriam noſcebantur.

§. IX.

Laſciuia plus deſæuit in nobilibus, & principibus.

MOnſtruſi inceſtus reus in ſorore dicitur *Ammon Dauid filius*; quaſi luxuriæ vis nobilibus, & principi-
Apoc. 18. bus appropriata eſſet, vt in illis deſæuiat. Apocal. 18. poſt meretricis magnæ damnationem explicatam ait textus: *De vino fornicationis eius biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa fornicati ſunt; & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti ſunt.* Et gentes omnes, & mercatores, & Reges terræ in medium adducti ſunt, de quibus omnibus ſoli Reges dicuntur cum meretrice illa fornicati. Nec immeritò, cùm laſciuia maximè in his inueniatur
Rupert. deſæuiens. Rupert. lib. 10. in Apocal. ait: *Tria hic dicuntur, quia de vino fornicationis eius biberunt omnes gentes, quia Reges terræ cum illa fornicati ſunt, quia deliciis eius mercatores diuites facti ſunt. Cauſæ ſumma, totum fornicationis opprobrium Regibus imputatur, & hi ſæpiùs in hac lectione fornicationis eiuſdem ſcelere denotantur.* Expende illa: *Totum fornicationis opprobrium Regibus imputatur*; quippe in nullis magis, quam in Regibus, & Principibus, & nobilibus viget laſciuiæ macula. Hæc ferè pro inſigni fertur
Apoc. 17. nobilitatis. Hinc Apocal. 17. ait Angelus: *Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ*, &c. *cum qua fornicati ſunt Reges terræ.* Et in fine capitis addit de eadem: *Quæ habet regnum ſuper Reges terræ.* Ibi dicuntur Reges cum illa fornicari, hic dicitur illa ſuper omnes Reges regnare. Nec mirum, vniuerſi enim Principes, & nobiles terræ nil tam eſſe cenſentur, quàm mancipia voluptatum. Vt dicat
Rupert. Rupert. lib. 10. in Apocal. *Porrò quod tibi dixerat, cum qua fornicati ſunt omnes Reges terræ, hic pauliſper commutauit, dicendo, quæ habet regnum ſuper Reges terræ. Et quidem multum eſt illic dictum ad ſignificandum ignominiam Regum terræ; ſed multo ampliùs hoc valet ad ſignificandam ſeruilem ſtultitiam Regum terræ, cùm dicitur, quæ habet regnum ſuper Reges terræ. Quid enim? Nonne Reges terræ ſeſe eſſe liberos confidunt? Sed, quod turpiſſimum eſt, mulier meretrix ſuper illos regnare aſſeritur. Mentiuntur ergo liberos ſe eſſe, quia ſerui ſunt, & meretricium portant iugum.* Quid ſapientiùs dictum? Planè ſi qui alij, ingenui, & nobiles, & Principes viri maximè ſunt meretricum mancipia, ſubque earum ferula
Numer. 25. viuunt. Numer. 25. *Ecce vnus de filijs Iſraël intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem vidente Moyſe.* Et quis erat, qui ſic ſeruiebat laſciuiæ, vt ab illa in omnium conſpectu reputaretur? Ait textus, quòd is erat *Zambri filius Salu, dux de cognatione, & tribu Simeonis.* Sic Principes reputantur à meretricibus, quaſi propria earum mancipia. Quò ſpectans D. Nyſſen. in vita Moyſi ait: *Viri illi, qui Ægyptiorum equitatum diuinitus tecti non timuerant, qui Amalecitas fuderant, qui ipſorum Madianitarum legiones fugarunt, ſimul ac viſæ ſunt mulieres, voluptatis mancipia facti aſſeruntur.* Planè quò præſtantiores, & nobiliores ſunt viri, eò miſeriùs ſubduntur voluptatibus, & nutibus fœminarum.

§. X.

Laſciuus ſui ipſius interemptor eſt.

SIc Ammon Thamaris deſiderio rapiebatur, *vt propter amorem eius ægrotaret.* Amoris enim laſciui flamma depaſcebat miſerum, & illũ faciebat infirmari. Nec mirũ, nam laſciuus nulli citius, quàm ſibi ipſi infert malum. Pro quo monebat Paul. 1. ad Cor. 10. *Fugite fornicationem: omne* 1. Cor. 10.
enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur in corpus ſuum, peccat. Habet hoc ſingulare laſciuia omnibus ſceleribus alijs peius, propter quod eſt illa fugienda magis, nimirum quòd cætera peccata authoribus ſuis bonum afferunt temporale, alijs afferunt mala. Luxuries autem in nullum prius deſæuit, quàm in authorem ſuum, proprium corpus depaſcens, milleque replens infirmitatibus. Ad hæc. D. Nyſſen. homil. in dicta Nyſſen.
verba fatur: *Fugite*, inquit, *fornicationem. Cur? Quoniam omne peccatum, quod fecerit homo, eſt extra corpus, nempe corporis non corrumpit naturam. Qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat, non ſicut homicida in alienum. Non ſicut auarus in alienum. Fur enim vt alios corpus audet ſocium aggredi. Fornicator ſuæ carni parat inſidias, vt eam deprædetur.* Eſt hoc ſingulariſſimum laſciui hominis, quòd nulli prius, quàm ſibi inferat malum, proprium corpus multis conſumens infirmitatibus. Scio in typum mercedis à laſciuia acquiſitæ poſitum eſſe Lazarum, & infirmantem & mortuum. Sic Auguſt. lib. 83. quæſt. citatus in cat. D. Thom. De iſto ergo laſciui peccatoris typo ait Ioan. 11. *Erat autem quidam* Ioan. 11.
languens Lazarus à Bethania de caſtello Mariæ, & Marthæ ſororum eius. Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Miſerunt ergo ſorores eius ad Ieſum, &c. Quibus illud mihi maximè notandum venit, quòd Lazarus infirmitate correptus morti appropinquet; Maria autem illa quondam peccatrix adeò conualeat, vt pro ſalute fratris ſollicita Saluatorem requirat. Vnde huic tanta ſalus? Vnde illi tanta infirmitas? Ille vt laſciui iuuenis typus, nil in ſe potuit citius oſtendere, quàm infirmitatem, & putredinem: hæc adepta pudicitiam, meritò oſtenditur & robuſtior, & viuidior. Ait Rupert. lib. 10 in Ioannem: *Ille quidem lan-* Rupert.
guens erat. Maria autem ſoror eius, à peſſimo languore luxuriæ, imò ab ipſa morte animæ iam fœtens, per gratiam Domini reuixerat, atque conualuerat. Ipſa quippe Maria erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit capillis ſuis pedes eius. Vbi enim pedes eius lachrymis ſuis lauit, ibi procul dubio, quæ fuerat mortua, iam iam mala conſuetudine ſepulta reuixit. Infirmabatur, qui vel laſciui vmbram referebat. Quæ autem omnem excluſerat laſciuiam, ex tunc viuebat, & morte excluſa viuidior apparebat. Crede mihi, vitam viuit vitaliſſimam quiſquis ſe à laſciuiæ laqueis expedit.

§. XI.

In re libidinoſa maximè facit caſum imaginatio.

QVia propter nimiam cuſtodiam puellarum regiarum nihil cum Thamare agere poterat Ammon, propter eius amorem ægrotabat; Sic enim dicit text. *Ita vt propter amorem eius ægrotaret; quia cùm eſſet virgo, difficile ei videbatur, vt quippiam inhoneſtè ageret cum ea.* Quia difficilis, & penè impoſſibilis, ei videbatur eſſe congreſſus

cum Thamare dilecta, eò deuenit amoris, vt ægrotaret, & macilentus eſſet. Planè libidines exercitæ & morbos, & maciem inferunt. Cur Ammon, cùm libidinis opus tibi videtur impoſſibile, & morbum contrahis, & maciem? Quæ auaritiæ rabies ex impoſſibilitate habendi viſa, non quieſcit? Quò gula non euanet ad impoſſibilitatem guſtandi? Cur ſola tua libido ex operis impoſſibilitate & magis ardet, & vehementiùs viſcera tua depaſcit? Hoc mihi certum eſt, quòd in re libidinis, non tam requiratur operis poſſibilitas, vt in aliis affectibus, quam imaginatio, vt faciat caſum. Zeno. D. Zeno ſerm. de pudicitia ait de laſciuia: *Semper enim cœnoſi gurgitis ſui procella ſubmergunt; dum ſemper exæſtuant libidinis turpitudo aut veritate, aut imagine perpetratur.* Equidem non tam requiritur rei vera præſentia in libidinoſis affectibus, vt in aliis, vt rapiamur ad caſum. Tam potens ſolet eſſe imago laſciua, vt perdat hominem, quàm obiecti laſciui præſentia realis, imò quòd præſens obiectum multas obiiceret niues laſciuiæ flammis, in imagine ſola repræſentatum ingentes adhibet Matth. 5. pyras flammarum. Hinc Matth. 5. ait Dominus: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Et cùm æqualis ſit ratio in omnibus aliis vitiis, quæ & per interoas voluntates prauas intrinſecus in corde perpetrantur, cur id oſtendit Dominus de ſola concupiſcentia fœminarum? Cur ſimiliter non dixit: qui viderit nummos alienos, ad concupiſcendum eos, iam fur eſt? Cur item idem non expreſſit de gula, & aliis? Hoc maluit Ieſus meus exprimere in illa materia, in qua potentior eſt imago, & mera repræſentatio, vt hominem in perditionem trahat. Nummorum ſola cogitatio, ſine rei præſentia, imò ſine nota eius habendæ poſſibilitate, parum mouet, aut nihil hominum animis. Vna libidinum cogitatio, dum paulisper ſubſiſtat, Deus bone, quales gehennas parit. Pulchrè in rem hanc Baſil. dicebat D. Baſil. lib. de vera Virg. *Cum hauſtæ luminibus formæ obtutum paſſiuè affixerit, atque in anima tera inſtar, conſpectæ ſpeciei imagines preſſerit, quamuis ille abeat, ſeorſumque ſit, qui huiuſmodi formas impreſſit; infixu animo conſpecti ſpecies, quod ſuum eſt ſemper operatur; animamque imaginibus ludit.* Sic in re laſciuiæ, tam illuditur anima imagine, quam re voluptatis. Minut. Fel. Vt meritò dicat Minutius Felix in Octauio: *Entrant beſtijs amorem dum fingit, infligit.* Idem enim laſciuiæ incendium excitatur in anima à falſa imagine, quàm à rei veritate.

2. *Reg.* 13. Erat autem Ammon amicus, nomine Ionadab, filius Semmaa fratris Dauid, vir prudens valde. Qui dixit ad eum: Quare ſic attenuaris macie fili Regis, per ſingulos dies? Cur non indicas mihi: Dixitque ei Ammon: Thamar ſororem fratris mei amo. Cui reſpondit Ionadab: Cuba ſuper lectum tuum, & languorem ſimula, cumque venerit pater tuus, vt viſitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar ſoror mea, vt det mihi cibum, *&c.*

§. XII.

Iniquis amicis & Conſiliarijs damnosè vteris.

HOc iam caſtigandæ culpæ Ammoni datur, quòd amicitia, & conſiliis Ionadab vtatur. Ait enim: *Erat autem Ammoni amicus nomine Ionadab, filius Semmaa fratris Dauid, vir prudens valde.* Dicitur vir prudens non in laudem, ſed in vituperium; Geneſ. 3. vt Geneſ. 3. dicitur in Hebræo ſerpens, *ſapientior omnibus animantibus*; quibus non ſapientia in bonum, ſed calliditas, & aſtutia in malum explicatur. Sic Theodor. Lyran. & alij: vt pateat, quàm iuſtè vertatur Ammoni, vitio callidi huius amicitia Ionadabi. Et quando non caſtigandæ culpæ datur, quòd quis ad vitia aſtuto gaudeat conſiliario? Apocal. 2. poſt narratas plures, & maximas virtutes Angeli Pergami, addit Dominus: *Habeo aduersùs te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandala coram filijs Iſrael, edere, & fornicari.* Scitum eſt, quòd Balaam iſte conſuluit Balac Moabitarum Regem, vt debebat Iſraelitas ad fornicationem trahere. Cui peſſimo conſiliario ſimiles multi erant Pergami, propter quos in Angelum huius Eccleſiæ Dominus iraſcebatur. Quòd ſi Pergami Angelo vitio datur, quòd in ciuitate ſua habeat eos conſiliarios, qui conſiliis ſuis foueant libidines; quàm certius vertetur vitio atrociter caſtigando, qui in amicis & coniunctis habet eum, cuius conſilia & laſciuiam, & turpitudinem habent? Qui talem habet conſiliarium, quid niſi extremam ruinam poteſt expectare? Dubius Saul an deberet ire in pugnam conſuluit Dominum; ait enim text. *Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Domini. Erat ibi arca Domini in die illo.* A nullo conſilium accipere voluit, niſi à Dei arca. Et cur Rex in re pugnæ noluit à ducibus conſilium capere, ſed à ſola Dei arca? Pulchrè in rem præſentem D. Greg. lib. 5. expoſ. cap. 4. Gregor. ait: *Ab irreligioſis quidem religionis conſilium, aut ſapientiam à ſtultis petere, non eſt conſilium accipere, ſed præcipitare.* Bene ergo dicitur: *Erat enim ibi arca Dei: quia in rebus dubijs illos debemus conſulere, quibus apertè ſcimus ſpiritualia dona non deeſſe.* Expende illa, *non eſt conſilium accipere, ſed præcipitare*, quippe ab irreligioſo, & iniquo conſiliario nihil citius, quàm præcipitium offertur conſultantibus.

§ XIII.

Mundiales dignitates, & ſplendores nihil intrinſecus boni ponunt, ſecus cœleſtes.

HOc mirabundus dicebat Ionadab Ammoni, nimirum: *Quare extenuaris macie fili Regis per ſingulos dies?* Notanter ait, *fili Regis*, vt oſtendat quaſi rem nouam, & monſtroſam, nimirum quòd in vno ſint & regius ſplendor, & corporis macies, aut ægritudo. Sed verè hoc familiariſſimum eſt omnibus dignitatibus, & ſplendoribus mundialibus, qui cùm nihil boni intrinſecus ponant, ſecum admittunt & maciem, & ægritudinem, & omnes infirmitates. Apocal. 17. dum vniuerſa mundi regna in vnius mulieris imagine repræſentantur, ait: *Et mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro*, &c. Apoc. 17. Purpura, nimirum regium decus, extrinſecus circundabat fœminam, non intrinſecus ornabat. De fœliciori Regina, quæ etiam in veſtitu fulgebat deaurato, addit Pſalm. 44. *Omnis gloria eius, filiæ Regis, ab intus.* Pſalm. 44. Huic non ſolùm extrinſecus ſplendor, ſed & intrinſeca gloria attribuitur; illi extrinſecus in purpura, & auro ſplendor datur, intrinſecus non datur. Et cur illi intrinſecus, huic nihil præter extrinſecum datur. In intrinſeca gloria filiæ Regis oſtendebatur cœleſtium Principum regnum; quod id maximè ſpectat vt ſuos filios intrinſecus ornet, nihil intimè admittens mali. In fœmina autem illa formantur regna, & ſplendores mundiales, qui extrinſecus poſſunt aliquantiſper fulgere, verùm intrinſecus nihil ponunt, ſed vniuerſas admittunt infirmitates. Quò ſpectans Rupert. lib. 10. in Apocal. ait: Rupert. *Pulchrè dicitur, quia circumdata erat purpura: quo nimirum dicta vigilanter audientibus, ad animum reuocet, quanta in regali habitu ſuperborum ſit vanitas. Extrinſecus namque pulchris ſpeciebus colorari poſſunt, quatum vel optima videtur Regia purpura; ſed intrinſecus, vel ſubtus eamdem purpuram, non ſolum propter fluxam libidinem, vlceroſa; ſed etiam per accidentium morborum genera diuerſa, miſera, & tabida, non minus Regum, quàm ruſticorum corpora mortalia ſunt.* Quid verius? Planè vniuerſi mundi ſplendores aliquantiſper extrinſecus ornant; ſed cùm nihil intrinſecus ponant, ſimul admittunt vniuerſas ægritudines, quas pati ruſtici ſolent. Rabidus enim dolor dentium, aut lateris dolor æquè inuadit purpuratum Principem, & ruſticum pannoſum. Ille ſolus verus ſplendor eſt, qui cœleſtium Principum eſt proprius; qui non extrinſecus tantùm, ſed ab intrinſeca perfectione, & præſtantia eſt ortus. Matth. 17. vbi Ieſus cœleſtium Principum oſtendebat glorias, ait: Matth. 17. *Reſplenduit facies eius, ſicut Sol; veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* In margine ponitur, *ſicut lux*; & ita legit D. Ephræm, aiens: *veſtimenta*

eius

eius facta ſunt alba inſtar lucis; candor enim lucis in veſtimentis erat. Et cur maluit oſtendere pulchritudinem veſtium ex lucis candore, & non magis ex purpura, aut cocco? Vt Principum cœleſtium gloriam oſtendebat, ſic cauit vllam pulchritudinem oſtendere, quæ merè extrinſeca eſſet, ſed illam prætendit, quæ intrinſecus habebat ortum. Lucis enim candor in veſtibus planè oſtendebat intrinſecum Solem, qui vt in facie fulgebat, ſic in toto

Ephrem. corpore, à quo habebat ortum. Vt dicat D. Ephræm orat. de Transfigurat. *Veſtimenta autem ſua oſtendit ut alba inſtar lucis; quia in toto corpore eius gloria diuinitatis ſuæ ſcaturiebat: & ex omnibus membris ſuis lux eius refulgebat. Non vt Moyſi reſplenduit eius facies extrinſecus, verùm ex ipſa ſcaturiebat diuinitatis eius gloria, & in ipſo manebat.* In filio cœleſtis Regis omnis gloria, & ſplendor ab intus eſt; de intimorum omnium ſplendore, & perfectione effulgent, quæ extrinſecus ſunt. Vtinam iam in eius imaginem transformemur, & abiectis his ſplendorum mundialium laruis, vt filij cœleſtis Regis refulgeamus, nullam admittentes maciem.

§. XIV.

Laſciuus animus maximè in ſuperbiam abijt, imò in ſuperbiam caſtigandum.

COmpellatione illa delinitus, qua filius Regis vocabatur, ſtatim morbum aperuit Amnon, dicens: *Thamar ſororem fratris mei amo*, adeò facilè aperit tam fœdum vulnus. Quibus verbis, qua arte Ionadab adducere potuit Amnonem, vt fœdiſſimas, & turpiſſimas laſciuiæ flammas aperiret? Crede mihi, in laſciuo adoleſcente illud fuit efficaciſſimum, quod dixit: *Quare attenuaris macie fili Regis.* Nulli enim vitio propinquiores ſunt flammæ libidinis, quam ſuperbiæ, qua ſeſe ſplendoribus regiis

Zeno. extollat. De illa dicebat D. Zeno ſer. de Pudicit. *Hæc per momento, & parit omne, quod malum eſt; & peperit omne, quod peius: nam in idolis dea eſt; in cultoribus verò eorum miniſtra. Venerandam ſe procurat in templis.* Quanta hæc ſuperbia laſciuiæ! Quo magis hæret ſuis fecibus, eo ardentiùs venerari, imò adorari amat. Et regios, & diuinos honores ſibi extorquet, nonne hoc ſuperbiſſimum eſt? Meritò

Oſeæ 7. Oſeas cap. 7. de Iſraelitis dicebat: *Ægyptum inuocabant, & ad Aſſyrios abierunt.* Ex quo Ægyptum inuocabant, ad Aſſyrios abibant. Cur non magis cum Ægyptiis manebant? Quando primò Ægyptum amabant, cur inde tranſire ad Aſſyrios volebant? In Ægypti inuocatione luxuries eorum patebat, in Aſſyriis autem ſuperbia; & meritò, ex quo tradebantur luxuriæ fecibus, ad ſuperbiam currebant.

Rupert. Rupert. ibi fatur; *Propter ſuam ingluuiem, & luxuriam Ægyptum inuocabant; ad Aſſyrios quoque abierunt, & ſimiles illis facti ſunt, videlicet per ſuperbiam.* Nullo citius libidinoſi inficiuntur vitio, quàm vitio ſuperbiæ: quo turpiter glorioſè incedunt. Et quo etiam magis trahuntur in

Apoc. 18. pœnam. Apocal. enim 18. vbi monſtratur Ioanni damnatio meretricis magnæ, ſic dicit: *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit: tantum date illi tormentum & luctum; quia in corde ſua dicit: Sedeo Regina*, &c. Ecce tibi ob quod damnatur meretrix turpiſſima, nimirum quia in corde ſuo dicit: Sedeo Regina, & ob hoc ſe maximè glorificat. Nec enim ſic fornicationibus ſuis, vt ſuperbiis ſuis trahitur in

Rupert. ſupplicium. Ait Rupert. lib. 10. in Apocal. *Summa reatus eius nota, vt peccati eius interminabilis ſit ſuperbia eius, quia videlicet non vtcumque peccat, aut fornicatur, ſed in peccatis, & fornicationibus ſuis gloriatur, ſiue glorificat ſe.* Vnde adhuc ſubdit: *Quia in corde ſuo dicit: Sedeo Regina, &c. Ideo in vno die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames*, &c. In laſciuiæ fecibus volutata regios alebat faſtus; & de voluptatum laſciuarum delitiis, quarum mancipium erat, ſic gloriabatur, vt vellet inde quaſi Regina adorari. quod illi velociſſimum ſupplicium traxit. Huc trahe dicta ſuprà lib. 9. cap. 15. §. 1.

2. *Reg.* 13. Accubuit itaque Ammon, & quaſi ægrotare cœpit, cumque veniſſet Rex ad viſitandum eum, ait Ammon ad Regem: Veniat, obſecro, Thamar ſoror mea, vt

faciat in oculis meis duas ſorbitiunculas, & cibum capiam de manu eius. Miſit ergo Dauid ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Ammon fratris tui, & fac ei pulmentum. Venitque Thamar in domum Ammon fratris ſui; ille autem iacebat: quæ tollens farinam, *&c.*

§. XV.

Nil temporale magnum, ſed & paruum, & leuidenſe.

VT quas ardenter cupiebat, venaretur delicias Ammon, accubuit; dicit enim textus: *Accubuit itaque Ammon*, & ſic accumbens, quid magnum ſperabat? Ipſe ait: *Veniat Thamar ſoror mea, vt faciat in oculis meis duas ſorbitiunculas.* Quid diminutius? Sorbitiunculas petit, & propter ſorbitiunculas accipiendas decumbit in lecto, vt ſic apertiùs traducantur bona omnia temporalia delectabilia, vt quæ maximè diminuta ſint; & hominem ſtantem impleant, ſed decumbentem. Quis enim non parua æſtimet, quæ ſolùm poſſunt concedi decumbentibus? Apocal. 17. Apoc. 17.
Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas, &c. *habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione & immunditia fornicationis*, &c. Compone modo laſciuum iuuenem Ammonem cum hac laſciua, & meretrice fœmina. Ille accumbit, hæc ſedet; neuter ſtat: ille ſorbitiunculas petit, hæc poculum in manu habet, non craterem, quibus clarè oſtenditur, quàm parua ſunt bona delectabilia, quæ paruo in poculo capiuntur omnia, & ſorbitiunculæ menſuram non excedunt, nec dantur ſtanti alicui, ſed decumbenti. Et quomodo non parua, quæ non hauriuntur, niſi à decumbente? Dicebat Rupert. lib. 10. in Apocal. *Cùm dixiſſet, oſtendam tibi damnationem meretricis, addidit, magnæ: ſed profectò talis magnitudo fallax eſt, quia non ſtat.* Vbi ſedens, aut Rupert.
decumbens oſtenditur, niſi fallaciter magna creditur, ſincera enim & vera magnitudo non in ſedenti, ſed in ſtante corpore oſtenditur. Quod quotidie accidit in picturis: pictor enim vbi ſtantem hominem depingit, tunc ſolide, & verè perfectam humanæ altitudinis menſuram exprimit, vt oculis cerni poſſit. Cum autem vel decumbentem, vel ſedentem hominem adumbrat, tunc expreſſa, & delineata facie, & brachiis cum manibus, reliqua ſic vmbrarum, colorumve arte diſponit, vt tota magnitudo cùm in re poſita non ſit, tamen appareat. Ibi in re fallax eſt magnitudo, in ſola apparentia vera. Sic delectabilia huius mundi bona fallacem prorſus habent magnitudinem, quam in re non habent, vt quæ non ſtantibus ſed decumbentibus, & infirmis dentur. Dum Ieſu transfigurato aſſiſtunt tres eius diſcipuli, & in tanta gloria commorari volunt. Matth. 17. dicit: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Legit Orig. *adumbrauit eos.* Verùm vbi de Ieſu Matth. 17.
ipſo loquitur Matth. 24. ait: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa, & maieſtate.* Matth. 24.
Apoſtolis vna nubes, Ieſu multæ nubes, & maieſtas, & virtus multa. Et quando Ieſu venienti in fine multæ nubes, multa virtus adſcribitur; cur in gloria transfigurationis, non multæ, ſed vna nubes oſtenditur? Rationem inuenies in munere, quod exercebat hæc nubes, nimirum ait: *Adumbrauit eos.* Adumbrabat equidem eos nubes illa, hoc eſt, vmbrarum arte delineabat bonorum temporalium, & humanarum gloriarum imagines, vt quæ parua ſunt, magna appareant. In Ieſu autem vt ſolida, & vera erat exprimenda magnitudo, ſic in te multæ ſplendidiſſimæ nubes aptantur. Ad hæc Orig. homil. 30. in Matth. Origen.
ait: *Sicut tunc transformatus eſt coram tribus diſcipulis, poſtea veniet, non ſuper vnam nubem, ſed ſuper multas*, &c. *Et tunc quidem deſcendens lucida nubes adumbrauit eos, poſtea autem multæ nubes portabunt filium hominis venientem cum vehiculo digno gloriæ ſuæ.* Cùm adumbratoris; & pictoris bonorum munus adimplet, vnam præmittit nubem, in parua enim pictor oſtendit magnitudinem,

non quæ ſit, ſed quæ appareat. Vbi autem veræ, & ſolidæ gloriæ ſuæ exprimit magnitudinem, tunc multas adhibeat nubes. Dei enim gloriæ non niſi in multis; hominis autem temporales delitiæ non niſi in paruo ſunt, vt vix impleant menſuram ſorbitiunculæ datæ decumbenti, & infirmo.

§. XVI.

Bona delectabilia mundi non mandi, ſed ſorberi debent, vt amara purgationis potio.

ECce quo nomine exprimat Amnon delicias ſuas, ait enim: *Faciat mihi in oculis meis duas ſorbitiunculas*, non ſolidas eſcas petit, quas manderet, ſed ſorbitiunculas, quæ minimè manderentur. Talia equidem ſunt delectabilia mundi, quæ minimè mandi poſſunt, ſed abſorberi debent, vt amara potio abſorbetur ab infirmo.

Matth. 22. Matth. 22. aiebat Dominus: *Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt*. De meretrice autem ait

Apocal. 17. Apocal. 17. *Poculum aureum habens in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationum*, &c. A Deo prandium offertur, & eſcæ ſuauiſſimæ, nimirum & vituli, & altilia: à meretrice autem non eſcæ, ſed poculum propinatur. Et cur Deus ſolidas eſcas, & meretrix non niſi pocula offert? Cæleſtia, & diuina bona, quo manduntur, eo ſuauiora apparent; bona autem voluptuoſa ſi manderentur, maximè amaricarent, ideo non proponuntur, vt eſcæ, ſed vt potus, qui minimè manditur,

Prouerb. 15. ſed ſorbetur vt potio amara. Hinc. Prouerb. 15. *Os impiorum deuorat iniquitatem*; equidem iniquitatis materiæ, nimirum voluptuoſa bona non dicuntur comedi ab impiis, ſed vorari. Et cur vorari, & non comedi dicuntur? Ait

HugoCard. Hugo Card. ibi: *Deuorat, dicit, quia non maſticat. Sentiret enim amaritudinem amariſſimam, quæ intus latet in fundo calicis: ſed diabolus dulcedinem falſam deſuper apponit, quæ non ſinit ſentire facem amaritudinis, quæ intus latet*. Apponit diabolus dulcedinem quandam extimam bonis his voluptuoſis, & ſimul facit, ne maſticentur, ſed vorentur, ſed glutiantur; talia enim ſunt, quæ ſi maſticarentur, amaritudinem comedenti inferrent intolerabilem. Pro

Prouerb. 5. quo dicebat Prouerb. 5. *Fauus diſtillans labia meretricis: nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium*. Quò ſpectans

Auguſt. D. Auguſt. lib. de decem Chordis cap. 4. dicebat: *Quare ambulamus delectati cantibus laſciuis, ad tempus dulcibus, poſtmodum amaris? Talibus enim turpitudinibus allecti animi eneruantur, & propter ipſas turpitudines poſtea ſentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt, quod cum dulcedine temporali biberunt*. Sunt quadam dulcedine temporali bona delectabilia temperata, quæ dulcedo protinus euaneſceret, ſi ipſa manderentur, & dentibus tererentur, vt in ipſo ore amariſſimum fel effunderent. Non tamen manduntur, ſed bibuntur, & iden in ore ſola ſentitur dulcedo. Vbi autem pauliſper digeruntur, nil amarius hominibus inuenitur, quàm ſunt bona hæc terrena, vt meritò dicat

Idem. Auguſt. illud: *Cum magna amaritudine digerunt, quod cum dulcedine temporali biberunt.*

§. XVII.

Impia peccata inſtar conuiuij ſunt.

PRopter perpetrandum inceſtum ſorbitiunculas de Thamaris manu confectas petit Ammon, dicens: *Faciat in oculis meis duas ſorbitiunculas*, &c. Simul & ſcelus meditatur, & prandium; nec immeritò, impio enim ſcelera pro conuiuiis ſunt.

Iob 1. Iob. 1. dicebat *Vir erat in terra Hus nomine Iob*. Cuius terræ incolas in medium adducens D.

Chryſoſt. Chryſoſt. homil. 1. in Iob ait: *Vir erat in terra Hus nomine Iob. Cuius rei prouinciam nominauit? Vt diſceres, non peruerſorum commercia agere id poſſe, vt iuſtus vir peccet. Nam & Arabia prouincia impurorum, corruptorumque hominum habitaculum eſt: omnes iniqui erant, omnes Deo odibiles, omnes ſuperbi ab Eſau deſcendentes, peccatiſque non ſecus, quàm conuiuiis gaudentes*. Hoc proprium impiorum, & facinoroſorum proprium eſt, quod peccata, & ſcelera, quaſi conuiuia reputent. Non aliter de peruerſiſſimo nomine

Iob. 15. Iob cap. 15. *Qui bibit quaſi aquam iniquitatem*. Non ſolùm enim quaſi conuiuium reputat peccatum, ſed quaſi conuiuium facile parabile, & quod abſque vlla difficultate abſumatur. Vt dicat Polycron. in cat. Græca: *Quid porrò de eo dicimus homine, qui deteſtandus eſt, & impurus? Qui, vt ea, quæ potantur, flagitia exſorbet. Quod ipſum propter eos dicit, qui ſponte peccant, nulla re aduerſa, nulla neceſſitate coacti, ſed voluptatis tantùm adducti libidine, non ſecus, quàm ii, qui ſitiunt bibit*. Sic impio peccata ſunt inſtar conuiuij, vel potus.

§. XVIII.

Temporalia bona ne cordis ſint, ſed diuina.

HInc iam miſer Amnon deploratum oſtendit, quod ait: *Faciat in oculis meis ſorbitiunculas*, &c. In Hebræo, teſte Abulenſi, ibi ait: *Faciat in oculis meis duo cordialia*. Sic miſer non ſolùm ſperabat decoctionem peractam à Thamare, ſed illam decoctionem, quæ totum eius cor poſſideret. Quid miſerius, quàm externa hæc interno affigere animo? Plane externis mundi bonis exteros demus ſenſus, ſed illis intimi cordis animique receſſus prorſus negandi ſunt. Aiebat Pſalm. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini*. Et mirabar, quòd poſt facta tot luminaria in cœlis, Solem, Lunam, & ſtellas, non iubeamur ad illa ire, vt illuminemur, niſi ad Deum. Ad quid ergo facta ſunt tot luminaria, ſi non ad illa ire debemus, ſed ad ſolum Deum, vt lucem capiamus? Eſt homo exterior; & eſt homo interior; pro exteriori homine illuminando facta ſunt aſtra; pro interiori autem vnus Deus, adeo, vt nihil interni hominis, nihil cordis; nihil animi externis his bonis ſit dandum. Vt dicat ſapienter D. Leo ſerm. 7. de Natiuit. *Vtere, quemadmodum vtendum eſt viſibilibus creaturis, ſicut vteris terra, mari, cœlo, aëre, fontibus, atque fluminibus; & quidquid in eis pulchrum, atque mirabile eſt, refer ad laudem conditoris. Nolo eſſe deditus illi lumini, quo volucres, & ſerpentes, quo beſtiæ, & pecudes, quo muſcæ delectantur, & vermes. Lucem corpoream ſenſu tange corporeo, & tota mentis affectu illud verum lumen amplectere, quod illuminat omnem hominem. De quo dicit Propheta: Accedite ad eum, & illuminamini*. Expende illud, *lucem corpoream ſenſu tange corporeo*, quippe his terrenis & corporeis bonis dandi ſunt corporei ſenſus, ſed nihil dandum eſt cordis, quod reſeruari debet Deo ſoli. Vt oculos damus aſtris, cœlo, terræ, mari, fluminibus, fontibus, nec inde vllo modo afficitur cor noſtrum. Sic cæteris corporalibus bonis dandi ſunt ſenſus corporei, ſed minimè dandum eſt cor, nec intimus affectus cordis. Ad hæc Iob dicebat c. 31. *Si ſecutum eſt oculos meos cor meum*, &c. *Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur*. In margine autem legitur apoſitiorem præſentem, nimirum, *ſi ſecutum eſt oculos meos cor meum*, &c. Fiebat aliquando, vt oculi ad pulchritudinem raperentur, an cor ſequebatur oculos? Abſit, ibat oculi, ſed cor non ibat. Veniebat pulchritudo vſque ad oculos, ſed vſque ad cor non perueniebat. Vt dicat Olympiod. in cat. Græca: *Ad affectus hac pertinet vanitatē, ea quidē, quæ digna ſunt in hac rerū vniuerſitate laudare, vt corporū proportionem, vt colorum varias temperationes, vt lapidum ſplendorem, ac nitorem, nec tamen rerum huiuſmodi capi cupiditate*. Sic debet cor minimè ſequi ductum ſenſuum externorum, quo immunis à macula manet homo. Hinc D. Auguſt. epiſt. 109. monebat religioſas fœminas: *Oculi veſtri etſi iaciuntur in aliquem, figantur in neminem. Neque enim quando proceditis, viros videre prohibemini, ſed appetere, aut à vobis appeti velle criminoſum eſt*. Crimen in eo eſt, quòd cor ſequatur ductum oculorum, & ſenſuum, eorum obiectis ſe dedens: vbi autem oculi, & ſenſus corporei in in ſuis obiectis quieſcunt, quin illa ad cor perueniant, nullum crimen eſt.

§ XIX.

Virgineo pudori timendum vel ab officijs debitis.

PAtris præcepto obligata venit Thamar in domum Amnonis fratris, nullum tamen dicitur locuta verbum. Ait enim text. *Venitque Thamar in domū Amnon fratris ſui, ille autem iacebat; quæ tollens farinam*, &c. Ad fratrem infirmum

mum venit virgo, vt illi faceret pulmentum; & ingreſſa cubiculum nihil locuta opus tantùm aggreditur. Cur non magis ingrediens ſalutas fratrem? Cur illum de ægritudine non interrogas? Cur fratrem ægrum non leuas aliquo conſolatorio verbo? Nonne hæc officia vel ab extraneis requiruntur, cur neganda ſunt à ſorore? Erat virgo Thamar, ne miremur, quòd timeat virgineo pudori vel ab officiis debitis. Gratior, mihi credite, eſt ruſticitas in virgine erga viros, quàm officioſitas. De virginum magiſtra Maria Ieſu matre dicit Lucas cap. 1. *Intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth*, &c. Venit Maria in montana ad cognatam ſuam, quæ Zachariæ vxor erat; & cùm intraret Zachariæ, & cognati, & ſenis domum, nullum Zachariæ fecit ſalutationis verbum. Non dicitur Zachariæ locuta, ſed ſalutauit Eliſabeth. Et cur etiam non ſalutat cognatum ſenem Zachariam? Puriſſima Virgo, & puritatis exemplum non conſueuerat ſe officioſam verbis exhibere erga viros, ſed erga ſolas fœminas. Vt dicat Græcus Author in cat. D. Thomæ: *Ad ſolam autem refugit Elizabeth, ſit enim conſueuerat propter cognationem*, &c. Totum cognationis obſequium in verbis officioſis, & ſalutatoriis adimplebat Maria cum ſolis fœminis; viris etſi cognatis, & ſenibus nec vllum officioſum dabat verbum. Vbi duo occurrebant coniuges cognati, relicto viro, ad ſolam fœminam confugiebat. Nunquam enim non timendum eſt pudori virgineo vel ab officioſis verbis erga viros. Vt meritò moneat D. Baſil. lib. de vera Virg. fatus: *Multò melius eſt virginem ſecuritati ſuæ, & intaminatæ ſcandalo cautè proſpicere, at prudenter conſortia quoque vitare, atque interim inhumanitatis elogio apud pleroſque notari, quàm ad voluptatem, detrimentumque cauſſam, obtentu humanitatis, & officij locum latenti ſubreptioni dare.* Sic ibi. Huc trahenda ſunt dicta tom. 2. de Chriſto figurato lib. 5. cap. 2. §. 6.

Luc. 1.

Baſil.

2. *Regum* 13. Dixitque Ammon: Eiicite vniuerſos à me. Cumque eieciſſent omnes, dixit Ammon ad Thamar: Infer cibum in conclaui, vt veſcar de manu tua. Tulit ergo Thamar ſorbitiunculas, quas fecerat & intulit ad Ammon fratrem ſuum in conclaui. Cumque obtuliſſet ei cibum, apprehendit eam, & ait: Veni, cuba mecum ſoror mea. Quæ reſpondit ei: Noli frater mi, noli opprimere me; nec enim hoc fas eſt in Iſraël, noli facere ſtultitiam hanc. Ego enim non potero ferre opprobrium, meum, *&c.*

§. XX.

Nec in minimis à cautelæ legibus excedat, quæ non vult culpa implicari.

NOn otioſè textus ſacer ſemel, & bis meminit conclauem, in quo tragœdia hæc peracta eſt, fatus: poſt eiectos omnes à cubiculo, dixit Ammon ad Thamar: *Infer cibos in conclaui, vt veſcar de manu tua. Tulit ergo Thamar ſorbitiunculas, & intulit ad Ammon fratrem ſuum in conclaui.* Conclauem vocat, teſte Carthuſiano ibi, remotiorem, & ſecretiorem cubiculi partem. Et cur textus notanter ſemel, & bis exprimit modò conclauem in quo Thamar intulit cibos fratri, niſi vt iam Thamarem culparet? Summis enim cautelæ legibus puellæ virgines ſeruabâtur in Aula, adeò vt ne ad fratres poſſent venire. Permiſit tamen Dauid, vt Thamar veniret ad Ammon; permiſſio autem ſic dicebat: *Veni in domum Ammon fratris tui, & fac ei pulmentum.* non addidit permiſſio quo factũ pulmentũ ipſa fratri inferret in conclaui; nec in tota petitione Ammon facta coram Dauide, nec in tota Dauidis permiſſione mentio facta fuit conclauis. Hoc totum fuit additum ab Ammone captante opportuniorem facinoris commoditatem, & incauta Thamar habens licentiam à patre faciendi cibos fratri, nec veritta eſt illos ei inferre in conclaui. In quo, vt cautelæ leges exceſſit, ſic in culpam incidit, & meritò paſſa eſt pudoris malum. Quam virginem cautam non moueret de periculo locus ſecretus, & ſolitarius? Fuerat patris præceptum, vt cibaret illũ ſola in loco ſolitario, & ſecretiori; quod quia fecit, in tantum deuenit malum. Nunquam enim excedendæ ſunt cautelæ leges in minimis, niſi velis incurrere malum. Meritò clamabat Hieron. epiſt. ad Gauden. *Tu quoque virgo cur cũ ſolo relicta nõ metuis?* Quaſi omnes excuſationes eripiat Virgini, quæ nulla lege obligata ſola ingreditur ad ſolum virum Geneſ. 39. poſt importunas amaſiæ preces Ioſepho factas, ab illoque repudiatas, addit textus: *Accidit autem quadam die, vt intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret: & illa apprehenſa lacinia veſtimenti eius diceret: Dormi mecum*, &c. Ecce tibi Ioſeph conſcius dominæ ſuæ cupidinis, tamen remotis arbitris audet ſecretum cubiculum intrare, in eoque ſolus morari. Nonne hoc maximè culpandum in illo eſt? Nonne periculum erat, quòd ſolus cum ſola ibi inueniretur? Cur ergo non magis cauet ſolum eſſe in ſecreto cubiculo cum domina? Cur non magis ſibi à tanta ſolitudine timet? Planè via inde poſſet eſſe à culpa immunis, niſi præceptum Domini excuſaret hominem. Opus enim à Domino mandatum intrauit agere, quod mandatum erat fieri abſque arbitris. Niſi enim totũ illud Dominus iuueni expreſſè mandaſſet, incautè, & culpabiliter ſolitudinem amaret, in qua vel ad punctum poſſet cum domina morari. Vt meritò dicat D. Ambroſ. lib. de Ioſeph cap. 5. *Excuſatur Ioſeph Scripturæ teſtimonio, quia commiſſum à Domino nequibat deſerere obſequium. Non enim ſatis eſt, quòd ſecurus ſuæ domus interiora, quaſi qui capi non poſſet, ingreſſus eſt: iuſtus debuit prævidere, ne furenti copiam daret, & eius illa peccato periret.* Seruabat bonus præceptum domini ſui peragendo opere eius ſolitariè, & abſque arbitris, nec in eo aliquid exceſſit. Alioquin non inculpabiliter in ſecretum ſeceſſum iret, in quo ſolus cum ſola poſſet eſſe, ille enim ſolus ſine labe euadit, qui prouidet, ne furenti copiam daret.

Hieron.

Geneſ. 39.

Ambroſ.

§. XXI.

Æquè periculoſa ſunt virgini, quæ dat viro dona, quàm quæ accipit.

HVc accedant virgines, quæ cùm munuſcula accipere detrectent à viris, ipſæ nilominus non ſic refugiunt viris offerre munera. Ecce enim de Thamar dicit text. Tulit ergo Thamar ſorbitiunculas, & intulit ad Ammon fratrem ſuum. *Cumque obtuliſſet ei cibum, apprehendit eam*, &c. Heu quoties virgines dum officioſè dant dona, capiuntur in laqueo laſciviæ! Ne credas eotũ malum eſſe in eo, quòd caſtæ fœminæ munera à viris accipiant; æquale enim ego crediderim illis imminere periculum in eo quòd dent. Solent equidem munera noſtra ſecum ferre affectum erga illum, cui damus illa. Vt inde videant pudicitiæ amatores, quàm debeant eſſe cauti non ſolùm in accipiendis ſed in dandis muneribus. Sanctiſſima Euſtochium miſerat aliquando munuſcula, nimirum, armillas, epiſtolas, & columbas D. Hieronymo; cui ſanctus vir reſpondit in epiſt. de acceptis muneribus: Parua ſpecie, ſed charitate ſunt magna, munera accepiſſe à virgine, armillas, epiſtolam, colũbas. Armillis in Ezechiele armatur Hieruſalem, Baruch epiſtolam accipit à Hieremia. In columbæ ſpecie Spiritus ſanctus allabitur. *Itaque vt te aliquid & piperis mordeat, caue, ne operis ornamenta dimittas, quæ veræ armillæ ſunt brachiorũ; ne epiſtolam pectoris tui ſcindas; ne ad ſimilitudinem Ephraim audias: Facta es inſipiens, vt columba.* Sic enim muneribus ab Euſtochio datis elicit bonus magiſter vnde virginem mordeat, & illi cautelam inſinuet. Et cur ô bone munera, quæ, a Virgine veniunt, in illam armas, vt illam mordeant? Sciebat ſapiens magiſter, tam debere eſſe ſuſpecta fœminis caſtis munera, quæ ab eis dantur, quàm quæ accipiuntur. Et ſic ex ipſis muneribus elicit ſcintillas diſcriminum; vt cautam magis faciat virginem. Raro enim quæ præbes dona, non officiunt puritati mentis tuæ. Vt ad magnam gloriam Iudith, illud poſt ſalutem populi obtentam addat textus cap. 16. *Iudith magna facta eſt in Bethulia, & præclarior erat vniuerſæ terræ Iſrael. Erat etiam virtuti caſtitas adiuncta.* Quid in ſingulari dicitur de Iudith, in eo quo virtuti habuerit caſtitatem coniunctam? Quiſquis virtutem habet, nonne & illi debet etiam habere adiunctam caſtitatem? Quid ergo particulare dicitur de Iudith? Non loquitur ibi de virtute in communi, ſed de illa particulari Iudith. 16.

virtute, qua Iudith aggreſſa periculum pro populo ſuo, Holophernem occidit, & Iſraelitis dedit libertatem, & Lyra. vitam. Ait ibi Lyra: *Viventi, id eſt, conſtantia qua delererunt Holophernem*, &c. Meritò ergo ponderatur, tanquam nouum, & ſingulare, quod virtuti danti tantam populo ſalutem, caſtitas fuerit coniuncta; rarò enim caſtitas non fuſcatur in ea, quæ non veretur dare dona viris.

§. XXII.

Inde animi bona ſola æſtimanda, quia nobis per vim eripi nequeunt.

PErfidus inſidiator Amnon vbi Thamarem remotis arbitris iuxta habuit, *apprehendit eam, & ait: Veni, cuba mecum*, &c. Equidem apprehendit eam, habent enim hoc miſeriæ bona materialia, quòd nobis nolentibus, apprehendantur, & capiantur à tyrannis. Quidquid corporis eſt, apprehendi poteſt, eripi nobis per vim poteſt, non Geneſ. 39. quod eſt animi. Sic Geneſ. 39. *Accidit quodam die, vt intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret; & illa apprehenſa lacinia veſtimenti eius diceret, Dormi mecum*, &c. Adulteræ latrocinium non vitarunt corporeæ veſtes Ioſephi, quæ violentis dominæ manibus apprehenſæ iuuenem tenebant ad laqueum. Heu miſera conditio bonorum corporeorum, apprehendi poſſunt, imò & rapi à tyrannis, non ſic bona animi. De hoc dicebat Diuus Ambroſ. Ambroſ. lib. de Ioſeph cap. 5. *Ioſeph cum ab vxore domini conueniretur, teneri veſte potuit, animo capi non potuit.* Corporea bona manum nouerunt tyranni, non ſic bona animi; qui inter laqueos liber erat, & immunis, & cum totis bonis ſuis, dum corporea tenebantur, ad Deum euolabat. Quis inde non horreat corporis bona, cùm illa videat per vim rapi, & perdi? Quis iam non amet magis bona animi, quæ ſemper poſſeſſorem ſuum comitantur, Geneſ. 31. nec à tyrannis per vim poſſunt capi? Geneſ. 31. de Iacob ait: *Tulitque omnem ſubſtantiam ſuam, & greges, & quidquid in Meſopotamia acquiſierat, pergens ad Iſaac patrem ſuum*, &c. Soceri iurgia, vt fugeret Iacob, & iret & ad patrem, dicitur tuliſſe omnem ſuam ſubſtantiam, omnia ſua bona abſque eo, quod reliquerit nec filum prendendum à tyranno. Quantum hoc? Planè tantum eſt, quod ſolùm contingere poteſt in bonis animi. Hæc ſola ſic poſſumus integra ferre nobiſcum ad patrem, vt à nemine nobis no- Ambroſ. lentibus eripiantur. Ad hæc dicebat D. Ambroſ. lib. 2. de Iacob cap. 5. *Nunc conſideremus, qualis vir iuſtus eſſe debeat, ſi inuidia fuerit exorta. Primum vt declinet eam, melius eſt enim ſine lite abire, quàm reſidere cum iurgio. Deinde vt talia poſſideat, quæ ſecum auferre poſſet, vt in nullo teneri ab aduerſario poſſit obnoxius.* Expende illa, *vt in nullo teneri*, &c. quippe iuſto viſo illa ſunt bona cordi, nimirum bona animæ, non bona corporis. Hæc enim à tyrannis, latronibuſque per vim nobis eripiuntur; illa à nullo teneri, nec apprehendi poſſunt, nobis nolentibus, ſed omnia illa nobiſcum ad patrem Deum ferre poſſumus.

§. XXIII.

Non parum pudicitiæ ſuæ detrahit qui temperatè ſe gerit in petitorem impudicum.

VIm impudici fratris ſentit Thamar, & illi ſolis datis verbis obſiſtit; dicit enim: *Noli frater mi, noli opprimere me: nec enim hoc fas eſt*, &c. Habens catinum in manu, quo cibos præbebat, & forte ferrum; non percutit audentem, ſed ſolis blandis his verbis obſiſtit. Infelix virgo iam inde ipſa prodebat ſuam pudicitiam. Hinc illam prudenter mordet noſter Salianus, vt quę rationibus agat contra rationem impotem, furioſum hominem, cuius vim vi repellere, aut certè clamoribus oportebat. Sed illa verbis inutilibus agere contenta, oppreſſa eſt. Caſtiùs ageret, ſi ad primum laſciuiæ verbum ciborum catino impudicum percuteret. Sic ille Marianus miles ad allectorium verbum audiuit à tribuno impudico, gladium ſtringit, & miſerum confodit. Cur non magis verbis abiicit, quàm gladio? Non ſatis prouideret pudori ſuo, ſi habens ad maQuintil. num gladium, ſolis verbis ageret. De quo pulchrè Quintil. declam. 3. inquit: *Cùm Romano militi pro vallo excubanti meretricium obſcænæ libidinis potentiam aliquis temperat, num quiſque habeat fortaſſe iudicium: meo ſententia, non ſatis pudicus eſt miles qui armatus tantùm negat.* Qui ad libidinoſam patientiam petitus in manu gladium habeos, tantùm negat, meritò habetur parum pudicus. Ille ſolus ſatis pudicus eſt, qui ad primum impudicitiæ verbum, verbis parcit, & manibus agit, vel ferro, vel fuſte, vel quouis alio parato ſibi moleſtum abigens. Huc adeſt ò doctorum gloria Angelicus Doctor, qui ſcandalum ſibi facientem puellam, non ſolùm negatione, non ſolis verbis, ſed eruto de igne tiſione fugauit, ſimul docens illas muſcas non alio flabello, nec aliis verbis, quàm fuſte vel ferro fugari debere ab eo, qui ex corde pudicitiam amat.

§. XXIV.

Ad brutam ſtultitiam pertinent facinora laſciuiæ.

MEritò infelix puella corruptori ſuo dicebat: *Noli facere ſtultitiam hanc.* Quid ſtultius, imò quid inſipientiæ aſininæ magis proprium, quam facinus libidinis? De Dina locutus textus Geneſ. 34. ait: *Egreſſa eſt Dina filia* Geneſ. 34. *Liæ, vt videret mulieres regionis illius. Quam cùm vidiſſet Sichem filius Emor Heuæi, Princeps terræ illius adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem.* Quantum hoc laſciuiæ facinus? Sed attende eos, qui id perfecerunt, nimirum Sichem filius Emor? Sichem idem eſt, atque humeroſus, Emor autè aſinus; de aſinina enim ſtultitia venit laſciuiæ facinus. Ait ad hæc Rupert. lib. 8. in Rupert. Geneſ. cap. 11. *Sichem humeroſus, Emor aſinus interpretatur. Eſt autem diabolus humeroſus, vel fortis, vt Leo, vel vrſus, ſtultus vt aſinus. Nec verò ſpiritualiter tantùm, ſed etiam corporaliter, nec per ſe ſolum, ſed & per ſui ſimiles id eſt, aſininos homines circumuenit animas.* Planè cùm laſciuiæ facinus auditur, ſemper credi debet illud peractum ab aſininæ ſtultitiæ viro; ſtulti enim ſunt, vt aſini, qui talia peragunt. De his enim laſciuiæ operatoribus dicebat Ezech. cap. 23. Ezech. 23. *Quorum carnes ſunt, vt carnes aſinorum, & ſicut fluxus equorum fluxus eorum.* Nil enim magis eminet in laſciuis hominibus, quàm aſininæ ſtultitia, & vecordia. Ex quo Petr. Damian epiſt. ad Fratres Eremi, de quodam Pontifice de- Damian. functo ſub aſini forma apparente dicit: *Quia miſerabilis ab ipſo Pontificatus primordio, vſque ad finem vitæ, in luxuria caeno conuerſatus eſt, non incongruè viſus eſt, ob auribus incipere, & ad caudam aſini deſinere. Aſinus quippe luxurioſum eſt animal, ſicut Propheta ait: Et carnes aſinorum carnes eorum.* Conueniunt maximè inter ſe aſinina ſtultitia, & homo laſciuus; vt nulla aptius figura depingatur iſte, quàm dum aſinus proponitur, ſub cuius moribus viuit.

§. XXV.

Totus ſplendor virgineæ pudoris in intima voluntatis integritate poteſt conſeruari.

MAlè Thamar oppreſſi per vim corporis opprobrium putat, & opprobrium intolerabile nobili virgini, dicens: *Ego enim ferre non potero opprobrium meum.* Malè, inquam, putat opprobrium intolerabile virgini, eſſe, quòd violentia fuit facta carnis integritati, quin ad conſenſum animi perueniret. Vbi enim animus non corrumpitur, etſi corpus corrumpatur per vim, totus integer manet in animo ſplendor pudicitiæ, abſque vllo opprobrij fumo. Ait D. Aldhel. lib. de Virg. cap. 27. *Omne etenim puræ virgini-* Aldhelm. *tatis priuilegium potius in ſolo liberæ mentis præſidio ſeruatur, quàm in certo carnis caſtello, & magis inflexibili ſpontanea voluntatis arbitrio ſalubriter tutatur, quàm coacto corporis famulatu ad nihilum redigitur.* Non à carnis caſtello, ſed à liberæ mentis præſidio priuilegium puræ virginitatis totum conſeruatur. Vt enim carnis caſtellum violentis aſſultibus patet, & per vim poteſt diripi, ſic non in illo, ſed in liberæ mentis præſidio, in intimo voluntatis aſſenſu ſeruatur, quidquid ad priuilegium & ſplendorem pertinet caſtitatis. Quò ſpectans Pſalm. 44. dicebat: *Omnis gloria* Pſal. 44. *eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietate.* Dictum eſt paulo antè de hac Regina, quòd aſſiſteret a dextris Dei *in veſtitu deaurato.* Si ergo extrinſeca eius veſtis ab auro fulget, quomodo omnis eius gloria dicitur eſſe extrinſecus? Nonne etiam in exteriori gloria eſt aureæ

veſtis

veſtis? Ergo quæ extrinſecus eſt, in intrinſecis deficit, & ſic non tota gloria eſt intrinſecus? Planè in Chriſti ſponſa tota gloria eſt intrinſecus, vt enim gloria ſponſæ Chriſti à virginitate venit, ſic tota intrinſecus eſt; quidquid enim extrinſecus puritatis in corpore fulget, intrinſecus eſt in liberæ voluntatis præſidio. Rem pulchrè tractat D. Gregor. PP. lib. 6. in lib. Reg. cap. 1. *Quid eſt ergo, quod dicitur: Omnis gloria filiæ Regum ab intus: ſi foris eſſe gloria veſtitus aurei prædicatur? Si enim eſt foris aliqua magna aurei veſtitus gloria, intus omnis gloria videri non poteſt. Quid eſt ergo, quòd omnis gloria intus eſſe perhibetur, niſi quia & illa quæ foris eſt gloria cum aliqs innumeris intus eſſe cognoſcitur? Aurea enim virginitas non eſt, ſi foris eſt, & intus non eſt. Quia ergo intus, & foris eſt; quia eodem fulget in corpore, & eodem fulget in mente, omnis gloria filiæ Regum intus eſſe ſentiri conuenienter poteſt.* Et meritò tota virginitatis gloria intus eſſe ſentitur, quia in liberæ voluntatis præſidio conſeruatur, non in caſtello carnis, quod per vim aliquando funditus diruitur, ſed nullo diſpendio gloriæ puritatis. Vt meritò canat D. Proſper in Epigrammatibus. — Greg. PP.

Mens illæſa nihil violato in corpore perdit;
Inuitam carnis vulnera non maculant.
Nec crimen facti recipit non mixta voluntas;
Velle magis facinus, quam tolerare nocet.

Proſper.

Quid pulchrius? Huc etiam adducam Virginis aſſertum, quæ cùm ad lupanar ire compelleretur, niſi negaret Chriſtum, ſic dicebat apud D. Ambroſ. lib. 2. de Virginib. *Tolerabilius eſt mentem virginem, quàm carnem habere. Vtrumque bonum, ſi liceat; ſi non liceat, ſaltem non homini caſtæ, ſed Deo ſimus.* Sic ibi. — Ambroſ.

§. XXVI.

Virginitatis affectus validus adeò eſt, vt vix vinci poſſit.

INfelicis huius Virginis caſus iam oſtenditur futurus in illis eius verbis, quibus præſentem violentiam curabat effugere, dicens ad fratrem: *Noli frater mi, noli opprimere me*, &c. *Quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Quibus non oſtenditur illa reſpexiſſe ad virginitatis virtutem, ſed ad honorem connubij. Dolebat non de virginitatis diſcrimine abſolutè, ſed de virginitatis diſcrimine extra connubium. Vtinam lucta non fuiſſet pro honore connubij, ſed pro virginitatis virtute; & fallar ſi virgineus affectus, etiam in illa violentia vinceretur. Cogebatur Virgo Chriſti in lupanar ire, vt vel renuens laſciuis, & violentis iuuenibus præda eſſet. de qua locutus D. Ambroſ. lib. 2. de Virg. ait: *Claudite aures virgines Dei, ducitur puella Dei ad lupanar: ſed aperite autem virgines Dei, virgo proſtitui poteſt, adulterari non poteſt. Vbicumque Dei virgo eſt, Dei templum eſt.* Expende illa: *Virgo proſtitui poteſt, adulterari non poteſt*; quippe quæ animo, & affectu ad virgineum decus virgo eſt, impugnari poteſt, ſed non expugnari. Inter ipſas violentias, & carnis iniurias adhuc virgo Dei manet, non ſic quæ aliis prætextibus integritatem corporis colit. Honorati connubij ſpes, bonum nomen, & alia eiuſmodi ficulnea arma ſunt vt defendant puellas, vbi adeſt vis, & violentia. Solus virgineæ virtutis affectus inuincibilis ferè eſt, etiam in proſtituti corporis violentia. Iſaias cap. 47. dicebat: *Deſcende, & ſede in puluere, virgo filia Babylon*, &c. *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum*, &c. Babyloniorum ruinam, & caſum nuntiaturus Babylonem vocat virginem. Et quid virginis nomen cum caſu, cum ruina? Nonne virginum nomen magis ad palmam, ad triumphos, & coronas pertinet? Cur modò virginis nomen vſurpatur, ad caſum ſignificandum? Eſt virgo Dei, quæ virtutis affectu virgineo conſulit pudori; hæc ad triumphos ſpectat, & ad palmas. Virgo autem alia, quæ ſolùm ſpectat connubij honorem, plures habet labendi cauſas, & propinquior eſt lapſibus. Pro quo aiebat D. Auguſt. lib. de ſancta Virg. cap. 11. *Nec nos hoc in virginibus prædicamus, quòd virgines ſunt, ſed quòd Deo dicatæ pia continentia virgines. Nam, quod non temerè dixerim, fœlicior mihi videtur nupta mulier, quàm virgo nuptura; habet enim iam illa, quod iſta adhuc cupit, illa ſtudet vni placere, cui data eſt; hæc multis; incerta cui danda eſt.* Ecce Auguſtino fœlicior videtur coniugata mulier, quàm virgo, quæ cogitat, & ſperat nuptias. Et cur illa fœlicior? Quia coniugatæ, vnus iam eſt vir, vnus, inquam, & ſolus, qui eam auocare poſſet à diuinis. Nupturæ autem virgini tot ſunt apti ſponſi, quot videt iuuenes, & dum vagatur per plures, plures habet occaſiones, quibus auocetur à diuinis, & abeat in ruinam. — Ambroſ. — Iſai 47. — Auguſt.

2. *Reg.* 13. Et oppreſſit eam, & concubuit cum ea; & exoſam eam habuit Amnon odio magno nimis; ita vt maius eſſet odium, quo oderat eam, amore, quo antè dilexerat. Dixitque ei Amnon: Surge, & vade. Quæ reſpondit ei: Maius eſt hoc malum, quod nunc facis aduersùs me, quàm quòd antè feciſti, *&c.*

§. XXVII.

Voluptates mundiales ſæpiſſimè in contraria vertuntur.

EXpende rem vulgò notam, nimirum: *Oppreſſit eam, & concubuit cum ea, & exoſam eam habuit Amnon odio magno nimis*, &c. Heu quoties hæc accidunt in voluptatibus huius mundi! Quoties ſummi amores ſubitò mutantur in odia! Quoties dulcedo abit in amaritudinem! Rem omnibus patentiſſimam docet D. Zeno lib. 1. ſerm. 7. dum de luxuria dicit: *In ipſo fructu ſuo, quo expugnati pudoris olim labe gaudere conſueuit, ſemper infelix eſt. Denique poſt negotium peractum, odit & ſe ipſum cum illa quem vicerit.* Sic in humanis delitiis tranſitur de amore ad odium, de gaudiis ad mœrores, de dulcedine ad amaritudines. Hoc paſſim cernitur, hoc ſingulis momentis experiuntur voluptatum mancipia. Dicitur Iob cap. 33. de voluptuoſo homine: *Abominabilis ei fit in vita ſua panis, & animæ illius cibus antè deſiderabilis.* Quorum ardebat deſiderio, & in quorum fruitione totas ſuas delitias, imò totam ſuam beatitudinem cogitabat; abominabilia ei facta ſunt, & horribilia, ex quo ad eius peruenerunt manus. Sed quæ ſunt hæ res, aut hæc bona, quæ poſita in hominis manibus iam infeliciter poſſunt mutari; Eæ ſunt delitiæ, & voluptates temporales. Quo ſpectans D. Gregor. 23. Moral. 17. ait: *Quid aliud panem, quàm præſentis vitæ delectationem vocat? Qui poſtquam vim tentationis expreſſit, illico ſubdit: Abominabilis ei fit in vita ſua panis, & animæ illius cibus ante deſiderabilis: quia videlicet omne, quod prius de ipſo proſperitate viuendi dulce ſapiebat, poſtmodum amareſcit. Nonnunquam verò, quidquid gaudij, quidquid virtutis ſapere videbatur, ſubitò in pauore tentationis amittitur, & quaſi virtutibus euacuatus animus ſolo mœrore poſſidetur.* Vides, vt dulcia omnia temporalia ſubitò mutari ſolent in amarorem, afflictionem & pœnam? Fallar, ſi quid eſt in mundo frequentius. Heu quoties, quæ putantur ingentium gaudiorum materies, vbi cominus tangitur, & agnoſcitur ingens, inuenitur cauſa amaritudinis, & triſtitiæ. De adulteris dicebat Iob cap. 24. *Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.* Quæ ſic exprimuntur à Vatablo in rem præſentem: *Cum agnoſcere poteſt vnus alterum, hoc eſt, apparente luce matutina, vbi vident lucem adueniſſe, triſtantur vſque ad mortem.* Quippe vbi eluceſcat, & agnoſcatur, quid quiſque ſit, heu quot generantur triſtitiæ, & amaritudines etiam ab his, quæ videbantur eſſe fontes lætitiæ. — Zeno. — Iob 33. — Gregor. — Iob 24.

§. XXVIII.

Impiorum non mediocre ſupplicium eſt, quod à contrarijs in contraria currant.

ECce Amnon qui ardenter in Thamarem deperibat, depaſtus florem eius virgineum, ſubitò *exoſam eam habuit odio magno nimis*, &c. Euenit infelici iuueni maledictio, quæ impijs ſolet euenire, vt nimirum à contrarijs in contraria ſubitò currant. Quò ſpectans Iob cap. 24. de adultero dicit;

Ibidem. *Maledicta ſit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum.* Stupebam ad maledictionis diſtrictionem, videbatur enim mihi ingens aliquod malum ſub maledictionis nomine venire. Et cùm tantum metuo malum, illud audio penè ridiculum, nimirum: *nec ambulet per viam vinearum.* Quantum hoc ad maledictionem petitam? Quantulus hic maledictionis effectus! Nonne maledictionis diuinæ effectus ſunt fulmina, quæ Sodomam laſciuam vertant in cineres? Quid ergo cum fulminibus poteſt habere commune, quòd quis non pertranſeat viam vinearum? Crede mihi, illo afferto non mediocre oſtenditur impiorum ſupplicium. Vineæ enim non inueniuntur niſi in locis temperatis, in quibus nec nimius calor, nec nimium frigus ſit, ſed medium aliquod temperamentum. Impij autem in medio, & temperato modo conſiſtere minimè permittuntur, ſed à contrariis, ad contraria ſine medio voluuntur.
Carthuſ. Ait ibi Carthuſ. *Vinea locum temperatum requirit; ſiquidem in locis valde frigidis deſtruitur glacie, in locis nimis calidis deſtruitur exceſſiuo calore. Impius ergo per viam vinearum non graditur, quoniam rebus mundi huius moderatè non vtitur, ſed nunc ad vnum vitioſum extremum, nunc ad aliud ſe diuertit.* In nullo medio conſiſtere permittitur, ſed per extrema
Iob. 24. contraria ſeſe volutat. Vt dicat de illo ipſe Iob cap. 24. *Ad*
D. Thom. *nimium calorem tranſeat ab aquis niuium.* Circa quæ D. Thomas ait: *A contrario vitio in contrarium tranſit, quod in medio virtutis non manet, & illa pœna conſequitur omnes malos, quia inordinatus animus ſibi ipſi eſt pœna.* Sic ſæpe impij viſi ſunt contrariis ſtimulis agitati; iam amoris exuruntur flammis, & ſubitò ſtrident ſub odiorum glacie. Nunquam in medio conſiſtunt, ſed rapi coguntur à contrariis.

§. XXIX.

In re laſciuia ne dormias, niſi ſpoliari ames, & perdi.

QVæ inutilibus verbis teſtiterat Amnonis violentiæ, poſt pudoris vulnus ſuſceptum non maturabat fugere a corruptore, ſed quaſi ad malum peractum obdormiſcens quieſcebat. Adeò vt corruptor ipſe illam excitaret, vt à ſe abiret. *Dixitque ei Amnon: Surge, & vade.* Proh miſera puella! Quando à violento non potuiſti fugere, cur non maturas fugere a corruptore? Cur amas apud illum morari? Cur cùm primum licuit, non ſurrexiſti, & abiſti? Cur neceſſum fuit vt ab illo excitareris, & ab illo cogereris abire? Fallar niſi ab hac ſomnolenta pigritia tua factum eſt, vt tandem ſciſſa *talari tunica*, quaſi ſpoliata, & nuda abire debeas. Sic qui
Apocal. 16. in re laſciuiæ dormiunt, & pigreſcunt, nudi, & ſpoliati in perditionem eunt. Quò refero illud Apocal. 16. nimirum: *Beatus, qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet vt videant turpitudinem eius.* Vigilantium, & dormientium hæc beatitudo eſt, quòd cuſtodiant veſtimēta ſua, & quòd nudi non eant, vt videatur eorum turpitudo. Contrarium prorſus in Thamare inuenio, de qua dicit textus in præſenti: *Quæ aſpergens cinerem in capite ſuo, ſciſſa talari tunica, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum ibat,* &c. Quando qui vigilat, cuſtodit veſtimenta ſua, vt minimè nudus ambulet, reuelata eius turpitudine: cur Thamar ſciſſa tunica quaſi nuda, & turpitudinem ſuam reuelans ibat? Cauſam oſtendunt illa verba, nimirum: *Dixitque ei Amnon: Surge: & vade*, adeò infelix dormiebat, & quieſcebat in lecto voluptatis, vt neceſſum fuerit a corruptore ipſo excitari, vt abiret. Ne miremur, quòd inde nuda abeant. Solus enim qui vigilat, & longe ſe quàm
Ambroſ. primum facit à voluptate carnali, cuſtodit veſtimenta ſua, & nullam incurrit nuditatem. Ait D. Ambroſ. *Impij, qui in carnis voluptatibus, veluti in quadam mollitie lectuli requieſcunt, non inconuenienter dormire dicuntur. Quos Apoſtolus admonet, dicens. Surge, qui dormis, & illuminabit te Chriſtus. Iuſti verò, qui voluptates carnales in ſe extinguunt, non incongruè vigilare dicuntur, ideoque beati ſunt*, &c. Equidem vt vigilantia in extinguendis voluptatibus carnalibus hominem beat, & facit, ne nudus, aut ſpoliatus abeat, ſic ſomnolenta pigritia, qua in his voluptatibus aliquis quieſcit, facit, vt ſine veſtibus nudus, & ſpo-
Geneſ. 39. liatus maneat. Genes. 39. de Ægyptia illa amatrice Ioſephi dicit: *Illa apprehenſa lacinia veſtimenti eius diceret: Dormi mecum.* Simul enim ad laſciuiæ ſomnum inuitat, & manibus veſtem tenet, vt oſtendat, quam ſoleant eſſe ſomnus in re luxuriæ, & nudatio hominis, ſeu ſpoliatio veſtiū.

§ XXX.

Peccaminoſa materia odium non mediocre iuuamen ad virtutem.

QVam priùs amauerat Amnon; vt notat textus, *exoſam eam habuit odio magno nimis*, & adeò exoſam habuit, vt eam à ſe eiiceret, dicens: *Surge, vade*, &c. Quod non mediocre iuuamen ad virtutem creditur. Vt dicat Bachiarius epiſt. ad Ianuarium de recipiendis lapſis; vbi corru- Bachiar.
ptorem virginis monet in hæc verba: *Ne, quæſo, te perſuadeat, quiſquis ille dicat tibi, vt ſcelus hoc in coniugium vertas; ac de crimine matrimonium voces. Si enim id vocatur in culpam, quia furtiuè, & cum timere tibi perſuaſit inimicus, quomodo merebitur veniam, qui velut inſultans Deo, publicè tibi cœperis illam vxorem vindicare? Imitare illum Amnon Dauidis filium, qui cùm in ſororis ſuæ ſtuprum, illicita flamma caluiſſet, poſtmodum eam magis exoſus eſt, quam amauerat antè*, &c. *& agnita culpa errorem non mouſit in crimine, ſed materiam ipſius peccati vehementer exoſus eſt.* Fuit in Amnonis facinore iuxta mentem Bachiarij aliquid imitabile, quod nimirum materiam peccati maximè exoſus eſt, illamque à ſe ſtatim remouit. Timeri enim poſſet in viro potente, & principe, quod vt ruit ad ſtuprum, ſic poſt illud peractum, ad deteſtandas, & nefarias nuptias rueret, vt diutiùs potiretur ſuos amores, à quibus nunquam vellet diſcedere. Vnde odium rei amatæ, quod accidit, non paruum creditur iuuamen ad iuuenis medelam, ſemper enim peccatoribus ad ſalutem iuuat odium materiæ peccaminoſæ, ac deteſtatio. Poſt multa ſcelera enumerata concludit Paul. ad Rom. 1. *Qui talia agunt, digni ſunt* Rom. 1.
morte: non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus. Et cur conſentientes pari ſupplicio damnantur, cum facientibus? Qui conſentiunt, probantur nullum odium, nullam deteſtationem habere illorum peccatorum, & inde oſtenduntur nihil habere in ſe, quo à a peccatis poſſint liberari. Ait Theodolus ibi: *Qui condem-* Theodol.
nat peccatum, poterit olim ſuo tempore ſe ipſum recuperare: maximum nimirum habens ad emendationem iuuamen, condemnationem peccati. Qui verò nequitiam laudibus vehit, ſeſe auxilio, quod ex permutatione morum, in melius dependebat, viduauit. Planè cui peccatum laudi, & amori eſt, ægrè, & difficulter exiet de peccato; cui autem odio eſt & deteſtationi materies peccati, maximum inde habet iuuamen ad vitam, moreſque emendandos.

§. XXXI.

Afflictiones, & ærumnæ non parum conducunt, vt à peccatis eamus.

HOc durius accidit Thamari, quàm ſtuprum, nimirum quòd illud peractum eiiceretur à fratre. Sic enim ipſa ait: *Maius eſt hoc malum, quod nunc agis aduerſùm me, quàm quod ante feciſti, eiiciens me. Et noluit audire eam, ſed vocato puero*, &c. *dixit: Eiice hanc*, &c. Maius equidem hoc malum fuit Thamari, ſed tamen maximè neceſſarium, vt ipſa à peccato cœpto eiiceretur. Planè nunquam illa fortè iam receſſiſſet à corruptore ſuo, niſi ſimul ab eo in illam veniret tantum eiectionis malum. Sic ſolet Deus nobis mala immittere, vt à peccatis quam longè fugiamus.
Quò ſpectans Dauid dicebat Deo Pſalm. 40. *Vniuerſum* Pſalm. 40.
ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Infirmus animus ſic iacebat in medio concupiſcentiæ ſuæ, voluptatis ſuæ, quaſi in ſuauiſſimo ſtratu. Quid tunc Deus? Verſat ſtratum, mutat hinc inde duritiem ægritudinum augens, quo animus cogatur proſilire ab ſtratu, & quærere quietem ſanitatis. Ait D. Gregor. lib. 32. Mor. cap. 15. *Rectè dicit: Vni-* Greg.
uerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Ac ſi diceret: Omne, quod hic ſibi parauit ad requiem, hoc ei mutaſti ad perturbationem. Quod pio quidem Dei conſilio agitur, vt huius peregrinationis tempore, electorum vita turbetur Via quippe eſt vita præſens, qua ad patriam tendimus: & idcirco hic occulto iudicio, frequenter deturbatione atterimur, ne viam pro patria diligamus. Vitæ huius delitiis Deus perturbationes,

nes, & mala multa inſeminat; ne ibi nimis hæreant electi; ſed quantocius inde excutiantur, vt contendant ad patriam. Sunt equidem ad hoc ærumnæ valde ſalutares. Cum Core ſeditionis ſupplicio, fuerunt non pauci rebelles dati flammis à Deo, poſt quorum conflagrationem
Num. 16. ait Dominus ad Moyſem Num. 16. *Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio, & ignem huc, illucque diſpergat*, &c. *producatque ea in laminas, & affigat altari*, &c. Dum rebelles Leuitas tradit Dominus flammis, eorum thuribulis conſulit, quæ iubet ab incendio tolli, & affigi altari. Sed quando ſic perduntur corpora Leuitarum, quid eſt, quòd thuribula eorum affixa altari iubeantur ſeruari? Fortaſſe in thuribulis corũ animæ ſignificantur, quas corporũ conflagratio fecit Deo, & eius
Bachiar. altari approximari. Ait Bachiarius epiſt. ad Ianuar. *Arulæ in æren quibus ignẽ alienũ ſuccendebant Deo circũdari iubentur altario, ob hoc, quia ſanctificatæ dicuntur: nos animas eorum eſſe ſentimus, in quibus adulterinæ flammæ calorem præſumpta libertate ſuſceperant: & ideo viui deglutiuntur, arulæ verò eorum perire prohibentur. Sic enim Apoſtolus dicit: dedi huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat.* Sic mala permittuntur a Deo in hominem venire, quæ pariant illis ſalutem. Quando enim mala in bonis ſaluti eo-
Apoc. 12. rum non proficiunt? Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius.* In Luna ſancti, & fœlices vitæ exprimuntur. Et quid ſancti cum Luna? Habet Luna lucis minutiones, & obſcuritates, ſed quæ non ibi conſiſtant, ſed ad augmentum properent.
Victorin. Vt dicat Victorinus ibi: *Luna verò ſignificat caſus ſanctarum corporum, & debitum mortis, quo deficere nunquam poteſt. Nam quemadmodum minuitur vita, & ſic augetur. Neque in totum extincta eſt ſpes dormientium, ſed habens in tenebris lucem ſicut Luna.* Expende illa, *minuitur vita, ſic augetur*; nulla enim diminutio Sanctis obtingit, quæ non proficiat in augmentum.

§. XXXII.

De cinerum humanæ corruptionis conſpectu caſtitas magis affulget.

A Laſciui fratris latere eiecta Thamar, & enacta abire, quid faceret? Ait textus: *Quæ aſpergens cinerem in capite ſuo, ſciſſa talari tunica, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum ibat*, &c. Expende illam ſtupratæ virginis diligentiam, nimirum, *ſpargens cinerem in capite ſuo*, quippe ad nullum prius confugit, quàm ad cinerem; & meritò, de cinerum enim conſpectu purior eius caſtitas reuiuiſceret. Et quando caſtitas de cineribus viſis non clarior affulget? Nemo non nouit hiſtoriam Troiæ, vt propter adulteros, & raptores puellarum impugnata à Græcis fuerit vt poſt mille prælia tandem immiſſis flammis redacta ſit ad cineres, vt ex eius incendio pauci Troiani liberi fundatores Romæ extiterint. Sed cur pro Roma fundanda relicta fuit Troia ardentibus combuſta flammis? Pulchrè ait D.
Auguſt. Auguſt. lib. 3. de ciuitat. cap. 7. *Deſeruerint dij adulteros, Iliamque flammis Græcorum reliquerint, vt ex eius cineribus Roma caſtior naſceretur.* Meritò prouiſum eſt, vt pulcherrima vrbs Ilium, & pulcherrimis iuuenibus habitata, vbi Helena ſui temporis puellarum pulcherrima erat, Græcorum flammis arderet, & redigeretur in cineres; vt inde Roma naſcitura caſtior exiſteret. Quam caſtitatem non generent tantorum formoſorum cineres? Iob cap. 29. *Di-*
Iob 29. *cebam: In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies meos.* Alij legunt, *& ſicut Phœnix multiplicabo dies meos.* Vniuerſa animalia per coniunctionem maris, & fœminæ dies ſuos, & vitam ſuam augent in ſuccedentibus filiis. Sola Phœnix ſine cõcubitu, caſta, & pura ab omni carnali colluuione dilatat, & cõſeruat ſpeciẽ ſuam. Et vnde Phœnix habet, quòd ſe tanta extollat caſtitate, vt vel ſine vllo
Zeno. concubitu poſſit ſeſe æternare in mundo? Ait D. Zeno ſerm. de Reſurrect. corporum: *Phœnix non ex coitu naſcitur non inuita, non imprudens moritur; ſed cùm maiorum lethi tempus aduenerit, à ſemetipſa inuitatis ſacris ignibus libentiſſimè concrematur. Sepulchrum nidus eſt illi. Fauillæ nutrices; eius propagandi corporis ſemen.* Quæ caſtior natiuitas, quàm hæc, in qua nullus ſcitur carnalis concubitus? Nihil voluptuoſum præceſſit, nihil quod poſſit pertinere ad laſciuiam. Et qualiter tanta caſtitas potuit in natiuitate paſ-

ſerculi inuenire, quæ ſola inuenta eſt in natiuitate Dei filij? Id oſtendunt verba illa; *fauillæ nutrices*; planè quiſquis fauillis, in cineribus nutritur, non mirer, ſi in ipſis voluptatum regnis caſtiſſimus affulgeat.

2. *Reg.* 13. Manſit itaque Thamar contabeſcens in domo Abſalon fratris ſui. Cùm autem audiſſet Rex Dauid verba hæc, contriſtatus eſt valde, & noluit contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei. Porrò non eſt locutus Abſalon ad Amnon nec malum, nec bonum: oderat enim Abſalon Amnon, eo quòd violaſſet, *&c.*

§. XXXIII.

In vno patre Deo habemus omnium malorum remedia.

NOtanter textus de Thamaris irremediabili dolore & afflictione locutus ait: *Manſit itaque Thamar contabeſcens in domo Abſalon fratris ſui.* Permanſit itaque infelix puella mœrens, & dolens quaſi in viduitate perpetua, ſine vllo remedio doloris, & mœroris ſui. Et cur ſic irremediabilis Thamaris dolor permanſit? Nonne etiam poſt ſtuprum potuit dari Thamar in ſponſam alteri coæquali? Michol filia Saulis Regis Dauidi data fuit in vxorem & ab eo cognita; & poſthæc ei per vim erepta à Saule patre, & tradita Phalthieli. Vt ergo Phalthiel conſenſit in matrimoniũ Micholis ereptæ per vim vero coniugi Dauidi: nonne inuenirẽtur Principes alij qui etiã poſt fratris violentiã Thamarẽ acciperẽt, præcipuè Rege patre illas nuptias fauẽte? Cur ergo non iſtud remediũ procuratũ? Cauſam inſinuant illa verba textus, *Contabeſcens in domo Abſalõ fratris ſui.* confugit illa non ad patrem, ſed ad fratrem. Et quidem hoc valde mirandum in hac puella, quod patrem Regem habens, cuius patris præcepto ſatisfaciens diſcrimen pudicitiæ ſuæ incurrerat; nilominus in tanto dolore non dicitur recurriſſe ad patrem, nec patris aures clamoribus pulſaſſe, nec eius limina tetigiſſe, nec ante eius oculos ſtetiſſe: ſed tota cucurrit ad fratrem Abſalonem, in cuiuſque domo permanſit. Quid mirum ſi inde remedium non trahat? Ait veriſſimè Pſalm. 48. *Frater non redimit.* Pater- Pſalm. 48.
na ſola manus eſt, quæ nouit filiorum mala, & triſtitias remediare. Crede mihi homo, a fratribus, nimirum, à creaturis, quæ ſimul tecũ cõditæ sũt, nulla tua mala remedium habent. Vnus eſt pater Deus, ad quem ſi confugis, omnia bona ad te properabunt. Prodigus ille luxurioſus poſt diſſipatam ſubſtantiam in luxuriis, poſt famis extremæ dolorem, & mœrorem, prudenter cauit fratrem interpellare, ſed magis cucurrit ad patrem. Quid tunc? Ait Lucas cap. 15. *Vidit illum pater ipſius, & miſericordia mo-* Luc. 15.
tus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum, &c. *Dixitque pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolã primã, & induite illum, date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum*, &c. Ecce tibi quàm citò omnia infelicis adoleſcentis remediantur, luctus in lætitiam mutantur, fames in ſaturitatem, iniuriæ in honorem, vbi peruenit non ad fratrem, ſed ad patrem. Ad hæc Abbas Cellenſis lib. de Panibus cap. Abbas Cel.
13. ait: *Pater occurrit filio reuertenti, in amplexum ruit; pudorem proſtrata, immo prærepta pudicitia, ignoſcendo reſarcit: ſtola induitur, annulum imponit, pedes veſtit, menſam ponit, vitulum ſaginatum occidit. O conuiuium pinguium, paterna adminiſtratione!* Planè vbi munificus ille pater Deus adeſt filio, omnia eius mala in bonum mutantur: nil enim eſt, quod in nobis non reparetur ſub auſpiciis tanti patris. Hinc Matth. 5. monemur à Domino Ieſu in orationi- Math. 5.
bus noſtris ſic incipere: *Pater noſter.* Et quorum dicitur Pater? Illorum qui per illum remedium omnium malorum habent. Vt dicat D. Cyprian. de Orat. Dom. *Neque* Cyprian.
hoc ſolum intelligere debemus, quòd appellemus patrem, qui ſit in cælis, ſed coniungimus, & dicimus: Pater noſter, id eſt, eorum,

eorum, qui per eum ſanctificati, & gratiæ ſpiritualis natiuitate reparati, filij Dei eſſe cœperunt. Expende illa, *gratiæ ſpiritualis natiuitate reparati*, quippe ſimul filij cœpimus eſſe ſub hoc patre, & ab omnibus reparari malis.

§. XXXIV.

Afflictiones, & luctus pro temporalibus infructuoſi; pro ſpiritualibus autem valde vtiles.

POſt ſtuprum Thamar, *manſit contabeſcens in domo Abſalon fratris ſui*; ſed & alia peccatrix mœrens etiam, & Luc. 7. lugens in domo Phariſæi Luc. 7. lachrymis rigabat pedes Ieſu; non tamen in illis lacrymis manſit, ſed ſtatim audit: *Vade in pace.* Cur hæc poſt tot laſciuiæ errores non manſit in luctu, ſed in pace abire mandatur; Thamar autem in luctu, & mœrore manſit, nec verbum illi datum fuit de pace? Equidem illa mœrebat, lugebat pro culpa commiſſa; ideo eius luctus maximam illi pacis attulerunt vtilitatem: hæc non pro culpa dolebat, ſed pro ſola externa iniuria carnis. Pro his autem externis bonis infructuoſiſſimæ ſunt, & inutiliſſimæ lachrymæ. Hiericho ciues dicebant Eliſæo de illius terræ aquis: *Aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis*, in Hebræo: *Aquæ malæ ſunt, & terram orbantes*, adeò ſteriles erant aquæ, vt terram omni fructu orbarent, ſiccine ſunt lachrymæ pro temporalibus effuſæ, peſſimæ, inquam, ſunt, & terrena corda omni fructu or-

Cell. Abb. bant. Ad hæc aiebat Cellenſis Abbas lib. de Panib. cap. 12. *Sterilis eſt omnis effuſio lachrymarum, quæ non effunditur propter regnum cælorum. Inanes ſunt lachrymæ, quas damnum, vel incommodum extorquet temporale. Non igitur aqua de Iericho huius mundi, ſed de Paradiſo ſit tibi panis, & refectio. Nam flendum ſolummodo eſt, aut pro peccato commiſſo, aut pro amiſſo Paradiſo.* Itaque luctus, aut clamores non editi pro paradiſo amiſſo, aut pro peccato commiſſo inaniſſi-

Oſeæ 7. mi ſunt. De ſimilibus dicebat Dominus Oſeæ cap. 7. *Non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabant in cubilibus ſuis.* In cubiculis ſuis manentes vlulabant, nullamque fructiferam vocem dabant. Et qui iſti, niſi qui pro temporali-

Rupert. bus gemunt? Ait ibi Rupert. *Vſque hodie infelices Iudæi vlulant in cubilibus ſuis. Quare? Quia non clamant ad Dominum in corde ſuo, non cœleſtem quærunt gratiam, non peccatorum optant remiſſionem, non regni futuri ſuſpirant gloriam; ſed vlulant propter terram illam in qua ſe habuiſſe recolunt abundantiam.* Vlulatus eſt, gemitus eſt: non vox vtilis, quæ pro ſolis temporalibus elicitur. Illa ſola triſtitia eſt vtilis, quam

Numer. 19. non temporalis cauſa extorquet, ſed Ieſus. Numer. 19. de victimis offerendis locutus Dominus ait: *Iſta eſt religio victimæ*, &c. *Præcipe filijs Iſrael, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ*, &c. *tradetiſque eam Eleazaro; qui eductam extra caſtra immolabit eam*, &c. Sic cauebat lex, ne victima mactaretur niſi per manus Sacerdotis, vt inde pateret, quam inutilis eſſet quæcumque carnis afflictio, niſi in eius cauſa ſummus Sacerdos, nempe Ieſus meus, in-

Machar. ueniretur. Pro quo dicebat D. Machar. homil. 1. *Oportebat primum victimam à Sacerdote mactari, & mori, deinde ſale condiri, tandem altari ſuperponi; niſi enim primum Sacerdos ouem mactaſſet, neque Deo veniebat in odorem ſuauitatis. Sic & animam noſtram accedentem ad Chriſtum verum Pontificem, ab ipſo mactari conuenit*, &c. Non ab alio, nec ob aliud mactari debemus, affligi debemus, macerari debemus, niſi à Ieſu, & propter Ieſum ſummum, & verum Sacerdotem, de quo vniuerſæ afflictiones noſtræ habent apud Deum valorem.

§. XXXV.

Carnalis amoris affectus, vt facit parentes conniuere ad errores filiorum; ſic illis exitialis eſſe ſolet.

PRoh carnalis amoris effectus, quotam operis multitudinem peccatorum! Fallar, ſi perditiſſimi hominum tot vorant crimina, quot glutiunt in ſuis carnales amatores. Turpiſſimum Amnonis facinus in Thamarem fuit, quòd eam oppreſſit, frater ſororem; & turpius alicui forſan videbitur quòd à ſe violatam foras eiecit, & filiam Regis quaſi publicam meretricem à ſe in callem dimiſit. Vtrumque maximè Dauidis animum ſodicauit, ſed nec verbum durum in adcò ſceleſtum iuuenem extorſit. Et cur bonus non clamauit aduerſùs horrendum facinus? Ait textus: *Noluit contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui, quoniam diligebat eum*, &c. O carnalis amoris affectus criminum opertorium. Horrenda omnia, quæ vel impuriſſimis metum incutiunt, & glutiuntur, & diſſimulantur, & ſæpe defendúntue à carnalibus his amatoribus. Qui vitia magna vo-

tant in ſuis, ſic ineuitabiliter ad ſe trahunt ſupplicium eorum. Dicebat Dominus 1. Reg. 3. *In die illa ſuſcitabo aduerſus Heli omnia, quæ locutus ſum ſuper domum eius, incipiam, & complebo. Prædixi enim ei, quòd iudicaturus eſſem domum eius in æternum propter iniquitatem eius, eo, quòd nouerat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos. Idcirco iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius, victimis, & muneribus vſque in ſempiternum.* Ecce tibi 1. Reg. 3.

vt domus Heli iniquitas dicitur non expianda vllis victimis, aut muneribus. Et quæ erat hæc iniquitas adeò inexpiabilis? Nimirum, quòd iniquos filios non corripuerit. Accipite Concilium Aguiſgranenſe lib. 2. cap. 7. vbi Con. Aguiſ.

ait: *Attendendum, & pertimeſcendum valde eſt, quale ſit flagitium, quod nec victimis, nec muneribus expiari poſſit, & agnoſcendum liquidò eſt, quòd tam terribilis diuina interminatio, quæ non modò victimis, verùm etiam quibuſlibet muneribus expiari interdicitur, ex duobus contemptibus naſci non dubitatur. Vno quidem, quòd paterna diſciplina erga filios delinquentes, ex quodam vano carnalis amoris affectu ſegnior, remiſſiorque eſſicitur, & filiorum admiſſa in ſe ipſos redundare comprobantur.* Expende illa, *ex quodam vano carnalis amoris affectu ſegnior*; qui enim carnalis amoris affectus ſegnitiem infert, ne delinquentes filij caſtigentur, quo tale exitium trahit parentibus, quale nullis victimis, nulliſque muneribus poſſit expiari.

§. XXXVI.

Rarum, & inauditum eſt, quod medijs iniurijs quis bilem prorſus contineret.

VTinam tam pium, quàm magnanimum ſe Abſalon in ſororis iniuria ſe geſſerit. Calente enim adhuc Amnonis in Thamarem iniuria, & virginis inhonoratæ dedecore præ oculis poſito, Abſalon frater eius nullum iratum verbum promit. Ait enim textus: *Porrò non eſt locutus Abſalon ad Amnon, nec malum, nec bonum*, &c. Quantum hoc? Planè rarum, & penè inauditum in hominibus eſt, quòd inter recentes calenteſque iniurias acceptas, ſic bilem contineant, vt nec verbulum iratum excidat. Quaſi quid

magnum à ſe peractum dicebat D. Hilar. in Apolog. contra Conſtantium Imperat. *Neque iniuriam queror, qui diſſimulaui recentem.* Equidem illud validiſſimæ mentis opus eſt, & elogium, nimirum: *Qui diſſimulaui recentem iniuriam*; quòd recens iniuriæ vulnus inflictum, inexpertuſque eius dolor nullum iratum verbulum extorqueat à patiente, magnum quid, & inuſitatum eſt. Siſtitur Ieſus Hilar.

meus Annæ nefario Pontifici, cuius in conſpectu Ioan. Ioan. 18.

18. *Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu dicens: Sic reſpondes Pontifici? Reſpondit ei Ieſus: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe*, &c. Miraris Chriſtiane manſuetudinem Ieſu, quod inter dolorem, & dedecus alapæ acceptæ nil iræ oſtendat in verbis? Crede hoc adeò nouum, & inauditum eſſe, vt meritò miraculum reputari debeat. Ait D.

Ephræm ſerm. de Paſſ. Domini: *Grande miraculum, fratres ſtuporis pleniſſimum eſt, cernere Chriſti Regis, ac Domini noſtri manſuetudinem. Palma cæſus à ſeruo, rationabiliter, prudenterque reſpondit, cum omni manſuetudine, ac reuerentia. Seruus furit, Dominus patitur. Iraſcitur ſeruus, Dominus in ſua benignitate perſiſtit. Indignationis aculeos, vexamque tumultuantis animi, iræ maximè tempore quis continet?* Non poteſt Ephræm.

iniuria homini illata mille tumultus in animo non excitare, & mille immittere indignationis aculeos. Inter hæc autem iram cohibere, cùm præcipuè & tempus, & res ipſæ iram extorqueant, non mediocris animi eſt. Imò id ſi propter Deum, & virtutem fiat, non dubitem numerare inter maxima miracula Chriſti.

CAPVT

Capvt III.

Abſalon occidit Amnonem.

TEXTVS HISTORIA.

POST ſororis iniuriam tertia iam ouium tonſio vocabat Abſalonem in villam, vbi loci, temporiſque opportunitas cupientem iuuenem in vindictam de Amnone ſumendam maximè accendit. Tempus, vt biennium expleuerat, ſic acceptæ iniuriæ memoriam obliterarat apud neſcientem, & quę cum ouibus tondendis gaudia veniunt, nihil cogitare ſinebant funeſtum. Locus, qui villa erat Baalhaſor, ſolis Abſalonis famulis frequens, certiſſimum effugium protendebat facinus aggredienti. Igitur Abſalon tondendarum ouium faſtos patri repræſentans, enixè contendit, vt Rex cum omni familia, filiorumque comitatu in villam veniat ad epulas. Nec deſtitit, donec tandem obtinuit, quòd ſaltem Amnon Regis primogenitus cum cæteris veniret fratribus, quos regio conuiuio Abſalon excepit. Verùm dum ſeruet conuiuij opus, & vinorum flammulæ in pyras aſcendunt, iuxta Abſalonis mandatum, eius ſerui Amnonem aggreſſi, nihil niſi merum cogitantem iuuenem periment. Quanta turbatio fratrum? Quantus metus? Nullus eſt, qui latronem inquirat, ſed omnes requirunt equos, quibus velociùs ad patrem perueniant. Credidiſſet pater, fama loquente omnes ſimul fuiſſe filios peremptos, niſi excepto Amnone, reliquos iam propè incolumes, & ſanos videret. Flere omnes, & multa ſtatuunt de parricida quærendo, qui fugerat in Geſſur ad cognatos maternos, circa quos tribus permanſit annis, dum ira patris deferueſceret.

MORALIA CIRCA textus literam.

PROMIT iam laſciuia fructus ſuos, nimirum Amnonis mortem; nunquam enim de laſciuia non veniunt, & gladij, & cædes.

2. *Regum* 13. Factum eſt autem poſt tempus biennij, vt tonderentur oues Abſalon in Baalhaſor, quæ eſt iuxta Ephraim, & vocauit Abſalon omnes filios Regis. Venitque ad Regem, & ait ad eum: Ecce tondentur oues ſerui tui: veniat, oro, Rex cum ſeruis ſuis, ad ſeruum tuum. Dixitque Rex ad Abſalon: Noli fili mi, noli rogare vt veniamus omnes, & grauemus te. Cùm autem cogeret, *&c.*

§. I.

Paſtoris optimi gloria non ex tondendis, ſed ex paſcendis ouibus.

NIl aliud audio de ouibus Abſalon, quàm quòd tondebantur. Sic enim inquit: *Factum eſt autem poſt tempus biennij, vt tonderentur oues Abſalon*; non vt paſcerentur, ſed vt tonderentur. Solius enim optimi paſtoris gloriatio non in vellerum multitudine ablata ouibus, ſed in præbitis illis conſiſtit paſcuis. Omnium perfectiſſimum paſtorem alloquebatur illa Cant. 1. aiens: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Cant. 1. Expende illud, *vbi paſcas*, non vbi tondeas; & quando in tonſione ouium maior apparet & lucri, & delitiarum cauſa; vbi enim & paſtores conuiuantur, & diteſcunt. Cur non magis quærit illa de loco tonſionis, quàm de loco paſtionis? Sapientiſſimè commendatura paſtorem, non meminit tonſionem, ſed paſtionem, ex paſcuis enim ouibus datis optimus paſtor commendatur. Ad hæc D. Bern. ſerm. 31. in Cant. fatur. Bern. *Etiam nunc deſcribitur hoc loco apparens, nunquam in ſchemate paſtorali, vbi illum ſponſa quaſi vnum quempiam de paſtoribus videtur alloqui, dicens: Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Bonus paſtor, qui animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Animam pro illis, carnem illis. Illam in pretium, iſtam in cibum. Res mira, ipſe paſtor, ipſe paſcua eſt.* Conueniant huc ſtultiſſimi paſtores, qui ſui muneris præſtantiam ex tonſione, ex vellerum multitudine, ex lucro ſibi acquiſito metiuntur. Planè optimi gloria paſtoris non ex accepto, ſed ex dato lucro, vt in ſuarum ouium paſcuam impenderit, & ſuperimpenderit ſe ipſum. Sic optimus omnium paſtor Ieſus dedit pro ouibus ſuis animam ſuam, inſuper & carnem ſuam paſcendam præbuit illis. Ezech. 34. De quo Ezechiel cap. 34. ait: *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid.* Paſtor hic ſuſcitandus intelligitur Chriſtus; ſic D. Ambroſ. epiſt. 47. & Auguſt. lib. de octo quæſtionib. quæſtione 5. Ipſe enim eſt vnicus paſtor, & optimus, cuius illa ſchemata ſunt, nimirum: *Qui paſcat eas*; mundiales enim, & ſtulti paſtores hi ſunt, qui tondunt oues, qui nil magis aſpiciunt, quàm tonſuram, cuius diteſcant velleribus. Bonus ille paſtor eò ſpectat, non vt de detonſis vellera accipiat, ſed vt paſcuam tribuat. Quid dico, paſcuam tribuat? Melius ipſe ait apud Guerricum Abb. ſerm. 1. in Ram. Guerric. *Ego igitur ſeruiam tibi; inquit Creator homini. Vtere me, vt libet in omni neceſſitate tua, non modò, vt ſeruo tuo, ſed vt iumento tuo, vt poculo tuo. Si fatigatus es, aut oneratus es, ego te, & onus tuum feram. Si eſuris, aut ſitis, & ad manum fortè nihil melius habes, nec alter tibi vitulus æquè ſaginatus tibi præſtò eſt: ecce ego paratus immolari, vt carnes meas comedas, & ſanguinem bibas*, &c. Proh paſtoris optimi exercitium! Quis è mundi paſtoribus, hæc præſtat ouibus officia? Quis ſe ſic impendit, & ſuperimpendit pro ouibus ſuis? O quàm ſapientiùs facerent, qui in paſtorali munere, magis propria attendunt, quàm ouium lucra, ſi quantociùs à munere illo fugerent. Ioan. 21. commiſſurus Ioan. 21. Dominus Petro oues ſuas, vt paſcerentur ab illo, priùs ſemel, & ter amorem paſtoris examinat, dicens: *Petre amas me?* Et cur hæc tam repetita amoris examinatio tunc inſtituitur? Ait D. Bernard. ſerm. 76. in Cant. Bernard. *Non otiosè toties repetitum eſt, Petre amas me, in commiſſione ouium. Ego id ſignificatum puto, ac ſi dixiſſet Ieſus: Niſi teſtimonium tibi perhibente conſcientia, quòd me ames, & valde perfectèque ames, hoc eſt, pluſquam tua, pluſquam tuos, pluſquam te, nequaquam ſuſcipias curam hanc, nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus ſanguis vtique meus effuſus eſt. Terribilis ſermo, & qui poſſit impauida quorumuis tyrannorum corda concutere.* Dum propria tua, tuorumque lucra, & te ipſum non poſtponis Deo pro ouibus paſcendis, crede mihi, fuge paſtorale munus; ex eo enim nil citius trahes, quàm extremam ruinam.

§. II.

Feſta paſtorum, & delitiæ armari ſolent in Dei filium.

NVnquam paſtor feſtiuior, & delicioſior inuenitur, quam in tondendarum ouium tempore; tunc feſta paſtorum, tunc cantus, tunc conuiuia. Quæ omnia expectauit Abſalon, vt inter illa mortem inferret Amnoni primogenito Dauidis. Sic enim eius tragœdia incipit: *Factum eſt autem poſt tempus biennij, vt tonderentur oues Abſalon*, &c. Et conuiuia, & cantus, & feſta tondentium oues expectat, & inde parat primogenito Dauidis inſidias. Heu paſtorum tondentium oues delicias, & feſta quando non mortem infertis Dei vnigenito, & primogenito filio! Crede mihi, vbi rationalium ouium paſtores, earum velleribus

leribus diteſcentes in delitias, & cantus ſoluuntur, nihil Matth. 27. inde exitus, quàm mors præparatur Christo. Matth. 27. vbi Christus Dominus cruci destinatur à Pilato, *ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregant vniuerſam cohortem, & exuentes eum, clamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius.* Et cur volens hoc regni ſui ludibrium pati Ieſus ante crucem, prouidit pro ſceptro arundinem accipere? Cur non virgam aliam ſolidam, ſed arundinem tunc temporis in manu oſtendit? Vt de arundinibus, & calamis paſtores faciunt fiſtulas pro feſtis ſuis, & delitiis ſuis; ſic Dominus prætendens arundinem in manu ad mortem iturus, manifeſtè oſtendebat, vnde illi acerbiſſima mors veniret. Nimirum à feſtis, & delitiis, in quibus paſtores ouium rationalium amant viuere. Ad Theodor. hæc dicebat Theodor. habitus in Concil. Epheſino tom. 6. Append. 5. cap. 3. *Deſideratis audire iucundas veſtri paſtoris fiſtulam: paſtoris, inquam, quem paſtores ſocij calamis occiderunt.* Ecce à quibus occiditur Dei filius, nimirum à calamis paſtorum ſociorum, nimirum à cantibus eorum, & delitiis. Et quò non perueniant paſtorum quæſitæ, & procuratæ delitiæ? Non mirer, ſi perueniant ad mortem, & occiſionē primogeniti diuini. Exod. 32. *Sedit populus māducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* quæ conuiuia, & feſta, & Exod. 32. ludos præcipuè à Leuitis factos putat D. Greg. 3. Paſtor. 20. dicens: *Gula deditos Leuitas protinus operit quid ſequitur, authoritas diuina teſtatur, dicēs: Sedit populus mãducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Leuitæ ergo tunc ſolēnia agitarunt cōuiuiis, ludis, cãticis, choreis. Quid tunc? Ait Ioan. 19. *Cùm* Ioan. 19. *ergo vidiſſent eum Pōtifices, & miniſtri, clamabāt: Crucifige, crucifige.* Qui antiquitus conuiuiis, ludis, & delitiis vacabant paſtores populi, vt viderunt filium Dei, ſtatim clamarunt: Crucifige. Vt dicat Rupert. lib. 5. in Ioan. prope finem: Rupert. *Sceleratum etiam Barabbam latronem, homicidam, ſeditioſum Deo præferre habetis, qui tunc Deo, qui vos eduxerat de terra Ægypti, vitulum conflatilem prætuliſtis, tunc ludentes, atque cantantes, nunc tumultuantes, & crucifige, crucifige conclamantes.* Expende illa, *tunc ludentes, atque cantantes, nunc crucifige clamantes*; patet, quò perueniant Sacerdotum, Leuitarumque luxus, & delitiæ, eò enim perueniunt, vt petant mortem Christi filij Dei viui. Qui enim Sacerdotes antiquitus conuiuabantur, ludebant, cantabant, modò crucifixionem Christi clamant. Adſtipulatur Chryſo- Chryſoſt. ſtom. orat. in Paraſceuem, habita apud Grethſerum tom. 2. de cruce: Ait enim: *Poſtquam autem viderunt Pontifices, quam ſæpe viderant, &c. extulerunt contra ipſum Sodomiticum clamorem, extulerunt, & elati ſunt: Tolle, tolle, crucifige eum.* Et meritò Pontificum clamor de crucifigendo Ieſu, vocatur clamor Sodomiticus, quia, vt ille, oriebatur ex ſaturitate panis, & carnis luxu.

§. III.

Dum ablatis extrinſecis notis, magis ſeruatur intrinſecus peccati virus, in maiora mala exurget.

FAllar, ſiquis extrinſecus magis abraſit vel vmbram odij retenti in corde aduersùs fratrem, quàm Abſalon. Ipſe nec vllum amarum verbum dedit Amnoni, nec per biēnium integrum fecit aliquid, quo appareret ſignum animi irati. Quin potiùs fraterni amoris officia adimplens, vbi ad feſtum tondendarum ouium ſuarum accedit, conuiuia parat fratribus. Ait text. *Et vocauit Abſalon omnes filios Regis. Venitque ad Regem, & ait: Ecce tondentur greges ſerui tui, veniat, oro, Rex cum ſeruis ſuis ad ſeruum tuum, &c. Si non vis venire, veniat, obſecro, nobiſcum ſaltem Amnon frater meus.* Quis officioſior in fratres? Quis omnia externa odij ſigna magis raſit? Quid ni, inter hæc officia odium euanuit? Vtinam id accideret, ſed quo minus extrinſecus apparuit, eo intrinſecus diu conſeruatum, nacta occaſione, in maius, & irreparabiliter exitium pullulauit. Febris, quæ ſine externo feruore, viſcera depaſcit, tandem maius detrimentum facit. Ioannes clamabat Matth. 3. de ho- Matth. 3. minum ſalute appropinquante: *Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.* Et quando bonum ſecuris ad radicem arboris ponitur? Nonne prius rami amputantur, & de amputatis ramis fiunt omnia ædificia homini ſalutaria? In bonis plantis vtilis eſt ramorum amputatio; in malis autem plantis, dum radix ſeruetur intrinſecus in terra occulta, nihil intereſt, quod ſuccidas, qui exteriùs videntur, ramos. Maiori enim vi alij de radice celſiores pullulabunt. Sic in peccatis, quæ extrinſecus opera amputantur, retenta in corde malitia, potiùs deſæuiunt ad maius incrementum mali. Multus in hæc D. Bern. ſerm. 2. in Bern. Aſſumpt. Mariæ tandem ait: *Exteriorem, quæ ad modicum valent, nec vnum toto præterit; ſed tamen inglatit, dum caliculum liquat. In corde enim ſeruus eſt propriæ voluntatis, cultor auaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia, aut ſingula quæque intus fouet, & mentitur iniquitas ſibi. Manet enim ſuperficies, & ſalua ſibi eſſe omnia arbitratur, cùm ſit miſerabilis. Nam inuenta occaſione, ebullire ſaniem, quæ latebat in vlcere, & exciſam, non extirpatam arborem in ſyluam pullulare videas denſiorem. Quod periculum ſi volumus deuitare, ſecurim ponamus neceſſum eſt ad radices arborum, non ad ramos.* Planè externorum ramorum amputatio parum prodeſt, dum radix arboris in terra abſcondita ſinitur, quæ amputatis ramis, in ſyluam denſiorem pullular. Sic peccati radix intrinſecus in corde ſita, & ibi fota, eo vehementiùs proſilit in effectus malos, quo minus extrinſecus apparebat eius ſignum. De extrinſecis enim apparentiis virtutum maiores vires ſumit ad mala intrinſecus latens vitium. Spiritus ille immundus, qui ab homine exiuit Luc. Luc. 11. 11. eo ſpectat, vt redeat in domum ſuam priorem; *Et cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Ecce tibi ex quo inuenitur homo ille ſcopis mundatus, & ornatus, ad maiora rapitur facinora. Et qualis eſt illa mundities, & ornatus, qui adeò auget malitiam? Mundities eſt, & ornatus extrinſecus, quo homo quæ foris ſunt, compoſita, & munda, & aliquibus virtutum externis actibus ornata exhibet, latens intrinſecus ſeruans vitium. Mundities hæc, ornatus hic tantum extrinſecus, non mirer, ſi ad facinorum augmentum proficiat. Ait D. Bern. ſerm. 2. de Aſſumpt. Mariæ: *Quid aliud eſt, quàm* Bernard. *fictio execranda, ſi peccatis ſuperficie tenus radas, non intrinſecus eradices? Certum eſt, quoniam pullulabit vberiùs, & emundatum, ſed vacantem domum cum nequioribus ſeptem, qui eiectus fuerat hoſtis malignus, intrauit.* Nunquam non ad maiora exuberat malitia, quæ in corde latens, præ ſe fert extrinſecus quaſi ornarum virtutum.

§. IV.

Deplorati eſt hominis, quòd non vereatur publicè peccare.

QVi ſecretò poſſet vindictam ab Amnone ſumere, maluit publicè perficere facinus. Et tantum abfuit, quod tenebras, & ſolitudinem quæreret, vt inſpectores tragœdiæ fratres vocaret. Ait enim text. *Vocauit Abſalon omnes filios Regis*, &c. Heu miſeri iuuenis malitiam iam inde deploratam, quæ nec teſtes veretur tantæ impietatis. Pſalm. 6. Pſalm. 6. ſapientiùs conſulebat peccantes, aiens: *Erubeſcant, & conturbentur*, &c. Tunc enim non deſperata res eſt, quando homo erubeſcit peccare, & quærit latebras. Vt dicat D. Greg. PP. in expoſit. Pſalm. Pœnit. *Nobilis animus, ſi quas* Greg. PP. *aliquando peccati notas admiſerit, verecundiam tamen à ſe funditus non repellit. Nam & illud verum eſt aperta deſperationis indicium, ſi verecundia non ſequitur peccatum.* Nunquam magis deploratus peccator oſtenditur, quàm vbi abiecit peccandi verecundiam. Ille adhuc ſpem nutrit ſalutis, qui peccati veretur publicum. Quis neſciat Dauidis facinora? Is 2. Regum. 11. adulterium commiſit, ex quo proceſſit 2. Reg. 11. ad homicidium innocentiſſimi, & validiſſimi militis ſui Vriæ. Sic enim iubebat: *Ponite Vriam ex aduerſo belli, vbi fortiſſimum eſt prælium; & derelinquite eum, vt percuſſus intereat.* Quantum hoc nefas Regis aduersùs fidelem militem? Et vxorem eius fœdauit, inſuper & illius inſidiatur vitæ. Sed habet aliqualem excuſationem delicti, quod ad illud raptus fuit peccati verecundia, qua latebras quærebat, ne in lucem eius peccata venirent. Ait D. Ambroſ. in Apocal. 2. cap. 6. *Et hic nonnulla eſt* Ambroſ. *peccati verecundia, & pudor culpæ, quòd latebram quaſiuit erroris, & iniuſta nece, nec authoritatem ſibi iure regiæ poteſtatis*

poteſtatis aſſumpſit, ſed inuidiam declinauit. Culpam fateor, ſed tolerabilior eſt, qua premitur verecundia, quàm quæ inſolentia prædicatur. Inde culpæ ſpes remedij datur, & veniæ, quod non lucem amauit, ſed latebras, quòd verecundiam ſeruauit.

§. V.

Grauiſſima pœna parentis, quod ſub eius conſpectu filij interimantur.

NOn ſolùm Abſalon nitebatur Amnonem interficere, ſed & tantum facinus volebat aggredi in conſpectu patris. Sic enim ait: *Veniat, oro, Rex cum ſeruis ſuis ad ſeruum tuum,* &c. Volebat, inquam in ipſius Regis, fratrumque omnium oculis Amnonem interficere, vt reipſa exprobraret Regi iniuſtitiam in eo non vindicando flagitio. Sic Salianus noſter, ibi. Et quàm durior, & acerbior erat exprobratio Regi, quæ ipſa filij interemptione fiebat in conſpectu patris? Fallar, ſi quid durius parenti poſſet excogitari. 2. Machab. 7. Nota eſt hiſtoria 2 Machab. 7. vbi ſeptem præſtantes iuuenes in matris oculis ab Antiocho tyranno trucidantur. *Nouiſſimè autem poſt filios mater conſumpta eſt.* Prius filij in conſpectu matris interficiebantur; & quanto id tormento matris? Solus omnium tyrannorum maximus poterat? Hegeſipp. tantum tormentum excogitare. Vt dicat Egeſipp. lib. 5. c. 22. *Spectauit pia mater morientes filios, & ſupra ſuorum ſe volutans ſanguinem, vidit complectentes ſe inuicem fratres. Inuenit hoc Antiochus Perſica immanitate. Apud ipſos enim nouorum ſunt commenta ſuppliciorum.* Solùm qui immanitate ſunt inſignes, & quorum eſt noua & inaudita ſuppliciorum genera excogitare, hoc potuerunt inuenire, quòd filij perimantur in oculis patris. Babylonius Rex poſt captam Ieroſolymam 4. Reg. 15. 4. Reg. 15. maximè iratus in petitum Sedeciam; *Filios Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit.* Non occidit rebellem ſibi infenſiſſimum, ſed coram eo innocentes filios occidere maluit. Et cur non magis illum occidit? Hoc ad ſummum dolorem patris ſufficiebat, quòd coram illo filios occidiſſent. Abulenſ. Ait Abul. ibi quæſt. 7. *Vt nimis doleret, occidit filios eius coram eo,* &c. *Quia volebat nimis affligere Sedeciam, & hoc maximè faceret, occidendo filios eius coram eo.* Aliquid morte acerbius quærens, quo affligeret Sedeciam, nil aliud inuenit, quàm ſi occiderentur filij eius corà illo. Qui enim pater tam funeſtum ſpectaculum vidit oculis ſuis, nimirū interēptionem filiorum, adeò dolet, vt propriam mortem non dolori, ſed voluptati ducat. Vt dicat Matathias necandus iam poſt filios apud Egeſipp. lib. 5. c. 22. Egeſipp. *Feſtina carnifex dum cruentum ſanguine filiorum gladium geris, percute patrem, vt vulnus refrigeret. Hoc ſolum morituro medicamentum eſt: hoc ſolum non ſentitur ictus mucronis, dolor vulneris.* Sic interemptio filiorum coram patre facta, patri omnem propriæ mortis ſenſum abſumit. Super omnia enim intolerabile eſt parentibus præ oculis habere mortem filij. Thren. 3. Thren. 2. *Matribus ſuis dixerunt: Vbi eſt triticum, & vinum? Cum deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.* Rupert. Circa quę Rupert. lib. 1. in Hierem. c. 47. *Quod humanitati viſu intolerabile erat, in ſinu matrum ſuarum à ſiccis vberibus decidentes animas ſuas exhalabant.*

2. *Reg.* 13. Feceratque Abſalon conuiuium, quaſi conuiuium Regis. Præceperat autē Abſalon pueris ſuis, dicens: Obſeruate, cùm temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite, nolite timere, ego enim ſum, qui præcipio vobis; roboramini, & eſtote viri fortes. Fecerunt ergo pueri Abſalon, &c.

§. VI.

Qualia ſumit peccator arma aduerſus Deum, talia opponit Deus, vt illum perdat.

EXpende, quid prouideator, vt Amnon perdatur, nimirum conuiuium, cùm dicat: *Feceràtque Abſalon conuiuiū, quaſi conuiuium Regis,* &c. Et cur permittit Deus conuiuium

ſtrui ad Amnonem perdendum? Abner, & Amaſa per oſculum pacis perempti fuerunt à Ioab, vt habes 2. Reg. 3. & 20. Cur ſimiliter Amnon non interimitur per pacis oſculum? Cur ad huoc interficiendum magis conuiuium paratur? Aggreſſus fuerat Amnon ſtupri facinus per eſcas, dum cibos ſibi à Thamare inferri mandat, & ſub cibi capiendi ſpecie totum illud nefas operatur. Qui autem ſub cibi ſpecie in Deum armatur, meritò à Deo illa eadem cibi ſpecies illi opponitur, vt perdatur, iuxta quod dicebat Apocal. 18. Apocal. 18. *In poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum.* Sic Deus ſolet rebellibus ſuis eadem opponere ad perditionem, quæ illi pararunt ad peccatum. Cantic. 1. dicebat Dominus: Cant. 1. 5. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea.* Quibus Deus oſtēditur vſus fuiſſe equitatibus, vt perderet Pharaonem. Et quando vel ſolo ſpiritu oris ſui poſſet impium Regem funditus perdere: cur maluit illi obijcere equitatus, & equitum armatas phalanges? Iunxerat ipſe Pharao aduerſùs Deum currus, equites conuocauerat, & illis medius ibat vt Iſraelis populo inferret damnum. Quid tunc Deus? Similes illi obiicit Equitum apparatus, vt per quæ putabat Deum offendere, per ſimilia perdatur. Ait Nyſſen. hom. 3. in Cant. Nyſſen. *Eſt autem perſpicuum, quòd prout fuerit inſtructa acies aduerſariorum, verus Imperator exercitus ſuas armat copias. Erat ergo quadam virtus, non cadens ſub aſpectum, quæ Ægyptiis afferebat exitium, per miracula, quæ fiebant in mari, quam verbum nominauit equas.* Per equites rebellanti aduerſus Deum equites præparantur, per quos miſere cadat. Prout enim inſtructa eſt aduerſariorum acies, Deus ſuas copias armat, quæ perdant aduerſarios. Rex Syriæ vt offenderet Eliſæum 4. Reg. 3. 4. Reg. 3. *Miſit illuc equos, & robur exercitus,* quibus viſis turbatus puer Eliſæi clamabat; *& aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.* Vt aduerſarij veniebant in equis, ſic Deus aduerſùs illos & equos parabat. Nota eſt hiſtoria Heliodori, qui mandato Antiochi venit Ieroſolymam 2. Machab. 3. 2. Machab. 3. vt aurum in templo aſſeruatum raperet. Cùm autem iamiam rapturus accederet: *Apparuit autem illis equus terribilem habens ſeſſorem, optimis operimentis adornatus: iſque cum impetu Heliodoro priores calces eliſit, qui autem ei ſedebat, videbatur arma habere aurea.* Ecce tibi aureus Eques opponitur Heliodoro, vt hominem perdat. Et cur ad hominē perdendū aureus Eques apparet? Cur non magis niger? Apoc. 6 vbi Apoc. 6. mala inferuntur mundo, ait: *Ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper illum,* &c. *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum nomen illi mors.* Sic equites illaturi aut famem, aut mortem mundi in nigris, aut pallidis equis apparent. Cur Heliodoro mortem illaturus Eques non niger, nec pallidus, ſed totus aureus apparet? Deum offendenti per aurum de templo auferendum meritò obijcitur Eques aureus, qui illum perdat. Prout enim eſt inſtructa aduerſariorum acies contra Deum, & Deus ſuas copias armat, vt illi perdantur.

§. VII.

In re virtutis exceſſus nimius damnoſiſſimus eſt.

ECce tibi quò perueniat Abſalonis furor in fratrem, ait enim: *Cùm temulentus fuerit Amnon vino, percutite eum, & interficite.* Et vnde tantus furor ortum habuit? Ex affectu caſtitatis fraternæ. Sic in virtutum affectibus per exceſſum, grauiùs erratur. Ait D. Ambroſ. in Pſal. 37. Ambroſ. *Filiorum Dauid alter ad inceſtum accenſus de germanitatis affectu, alter ad parricidium armatus eſt ſtudio caſtitatis.* De bonis affectibus ad enormia venerunt mala, quia medium neſcierunt ſeruare, ſed vel nimis dilexit Amnon ſororem, vel nimis dilexit Abſalon caſtitatem. Vel in re virtutis nimietas nunquam non exitialis. Monebat Paul. ad Rom. 12. Rom 12. *Non ſaperbe ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Nec in ſapientia vltra medietatis, hoc eſt, ſobrietatis metam proſiliendum eſt, ni velis perire ex ſuperabundantia. Circa quæ dicebat Celleoſis Abbas lib. Abb. Cel. de Pan. c. 5. *Periculoſior eſt ſuperfluitas, quàm parcitas; nimietas, quàm raritas: & quandoque grauius ægrotatur ex ſuperabundantia quàm ex inopia: faciliuſque vacua corpora replentur, quàm exinaniuntur. Neutrum tamen bonum, neque nimia repletio, neque immoderata exinanitio. Quod autem temperatum eſt, id ſanum, id ſine dubio laudabile eſt.* Fugienda eſt nimietas etiam in re virtutum moralium, vt ex qua grauiſſima ſoleant oriri mala.

§. VIII.

Peccatorum confeſſio ſalutaris.

QVæ Abſalon cogitauit aduerſus Amnonem, feliciter peracta ſunt; dicit enim text. *Fecerunt ergo pueri Abſalon aduerſus Amnon, ſicut præceperat eis Abſalon,* &c. Non ſic peracta ſunt, quæ aduerſus Dauidem ipſe Abſalon cogitauit; cogitauit enim eum regno ſpoliare, imò & perimere & minimè id perficere valuit. Et quod mirer magis, eſt, quòd cùm rebellio Abſalonis in Dauidem permiſſa à Deo fuerit in pœnam adulterij à Dauide commiſſi, nilominus Abſalon minimè in Dauidem præualuit. Et cur Abſalon magis valuit aduerſus Amnonem inceſtum, quam aduerſus Dauidem adulterum? Amnon inceſtum commiſit, quē nunquam dicitur confeſſus fuiſſe; Dauid autem etſi adulterauit, tamen coram Deo confeſſus eſt ſuum peccatum, quò minimè illum perdere Abſalon valuit. Ait Rupert. lib. 5. in lib. Reg. cap. 1. *Regnum Dauidis neque auferre Abſalon, neque ſcindere potuit Siba, quia videlicet, quod habuiſti apud te, hoc ille apud ſe non habebat. Minus peccauerat Dauid, & ipſum peccatum à ſe excutiebat, accuſabat, annunciabat.* Amnon apud ſe retinuit peccatum, minimè illud confeſſus eſt; Dauid autem non apud ſe retinuit, ſed à ſe excuſſit confeſſione peccatum; ideò hic non potuit ab hoſte perimi, ille miſerè fuit necatus. Cur non triumphet, qui peccata confitetur? Cur non pereat, qui peccatum apud ſe habet, nec illud per confeſſionem abijcit? Hinc 3. Reg. 11. ait Dominus Salomoni: *Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum,* &c. Ecce vnde oriatur Salomonici regni perditio, nimirum ait, *quia habuiſti hoc apud te,* non enim per confeſſionem excuſſerat peccatum, ſed illud apud ſe retinebat, & inde in tantam perditionem deuenit. Ait Rupert. lib. 5. in lib. Reg. c. 1. *Quia habuiſti hoc apud te. Cui ſic dicitur, palam eſt, quòd peccatum ſuum necdum confitetur. Nam apud ſe habet, qui quod fecit, non diſplicet. Idcirco diſrumpens, ait: Scindam regnum tuum, ſubauditur, quod penè contigit patri tuo, niſi quia iniquitatem ſuam annuntiauit.* Caue homo apud te retinere peccatum, ſed magis illud per confeſſionem annuntia, & te abijce, vt ſic poſſis ſalutem adipiſci.

Rupert.

2. Reg. 11.

Rupert.

2. *Reg.* 13. Fama peruenit ad Dauid, dicens: Percuſſit Abſalon omnes filios Regis, & non remanſit ex eis ſaltem vnus. Surrexit itaque Rex, & ſcidit veſtimenta ſua, & cecidit ſuper terram; & omnes ſerui illius, qui aſſiſtebant ei, ſciderunt veſtimenta ſua. Reſpondens autem Ionadab filius Semmaa fratris Dauid, dixit: Ne æſtimet dominus meus Rex quòd omnes pueri filij Regis occiſi ſint: Amnon ſolus, *&c.*

§. IX.

In charioribus animi pignoribus pœna peccatori debitæ fundari ſolent.

NOn vnus, ſed omnes filij Dauidis dicuntur occiſi; quippe ait: *Fama peruenit ad Dauid, dicens, Percuſſit Abſalon omnes filios Regis.* Pertinebat enim hæc fama, diuino conſilio, & iudicio, ad maius ſupplicium Dauid, vt indulgentiſſimus erat filiorum amator, in ipſorum filiorum clade tormentum haberet. Sic à Deo ſolent pœnæ peccatoribus prouideri, in illis rebus, quę magis eis cordi fuerunt. Caſtigaturus Ægyptios multis plagis inde incipit Exod. 7. *Eleuans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in ſanguinem.* In fluminis aquis fundat Ægyptiorum ſupplicium, & tormentum. Et cur in fluminis aquis? Erat flumen Ægyptiis in ſumma æſtimatione, & veneratione, adeò vt illi diuinos honores impenderent. Et ideo meritò in eo fundabatur maximum eorũ tormẽtum. Ait D. Machar. orat. in Exalt. S. Crucis apud Gretſ. tom. 2. *Primum autem per aquas puniuit Deus Ægyptios, tum quia eximio cultu aquam venerabantur, ratè eam eſſe omnium rerum principium, tum quia fluuio ille valdè gloriabantur eumque Deum quemdam eſſe arbitrabantur.* Quia fluuius ille maximè erat cordi Ægyptiis, à quibus valdè æſtimabatur, imò & colebatur, in illo exercetur plaga prima. Conſueuit enim Deus in charioribus animi pignoribus fundare pœnam, qua peccatores affligat. Poſt Ieroboami idololatriam 3. Reg. 14. ait: *In illo tempore ægrotauit Abia filius Ieroboam.* Pater in delitiis eſt, & filius primogenitus ægrotat vſque ad mortẽ. Et cur ægrotat tanti impij filius? Aduentans iam Ieroboami ſuppliciũ in chariſſimorum clade eius pœna magis acuitur. Ait Carthuſ. ibi: *Quamuis ægrotatio illa ex naturalibus potuit cauſis procedere, ex diuina tamen prouidentia, cui naturalia cuncta ſubduntur principaliter venit, vt impius Rex ex ægrotatione, & obitu primogeniti, charioriſque filij ſui grauiter affligeretur.* Ecce tibi charioris pignoris clades inſtruitur ad ſupplicium hominis impij. Solet enim Dominus iſtis fundare ſupplicium in iis, quæ illis magis cordi ſunt. Quod fatebantur illi Iſaiæ cap. 64. dicentes: *Omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas.* Equidem quæ magis in æſtimatione ſunt, & in deſiderio, vertuntur in dolorem impiis.

Exod. 7.

Machar.

3

C

Iſ.

§. X.

Præſtet in ſe Princeps, quidquid vult à ſubditis præſtari.

QVod factum eſt à Dauide, ſimul ab omnibus ſeruis eius perficitur, dicente textu: *Surrexit itaque Rex, & ſcidit veſtimenta ſua, & cecidit ſuper terram; & omnes ſerui illius, qui aſſiſtebant ei ſciderunt veſtimenta ſua.* Quod fecit Rex, ſimul omnes ſubditi fecerunt. Hoc itaque faciat Princeps in ſe, quod vult fieri à ſubditis. Nunquam enim ſubditi ſciſſis veſtibus ambularent, niſi priùs ipſas in ſe ſciſſas oſtenderet Dauid. Ex quo ſapienter dicebat D. Leo in 5. epiſt. decretali: *Totius familiæ domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite.* Qui caput eſt myſtici corporis in ſe præoſtendat, quidquid in inferioribus membris eſſe amat, niſi velit perire totum dominicæ familiæ ſtatum. Luc. 22. dicebat Dominus Petro: *Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Cùm dicantur omnes diſcipuli peti à Satana, pro vno Petro aſſerit Ieſus ſe rogaſſe. Et cur non pro omnibus, ſed pro vno Petro rogat? Vt Petrus caput omnium erat, ſic quod ille haberet virtutis, facilè cæteri in ſe reciperent. Ait D. Leo ſerm. 2. de D. Petro ſatis: *Quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis à Domino Petri ſuſcipitur cura, & pro fide Petri propriè ſupplicatur; tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit.* In Principis vita compoſita, ſatis prouiſum eſt ſubditorum moribus, vt inueniantur in virtutibus conſtantes. Hinc boni Principes nihil magis curarunt, quàm leges ſubditis impoſitas ipſi ſeruare, vt inde ad ſubditos tranſiret obſeruatio. Vbi Deus populo ſuo manna præſtitit, ſex diebus pluebat illo; ſeptima autem die nec minutum mannæ cadebat, dicit enim tex. Exod. 16. *Die autem ſeptima, Sabbatum eſt Domini, idcirco non inuenietur.* Et cur die Sabbati noluit Dominus mittere manna? Præceperat ipſe Sabbathi requiem; cuius obſeruationem in ſe oſtendens abſtinebat illa die à pluuia mannæ. Theod. ibi quæſt. 32. *Cùm hominibus lege præcepiſſet quieſcere die Sabbati, docuit illos ipſo facto ſeruare præceptum.* O quàm ſeruantur à ſubditis, quæ in Principibus virtutes videntur! Sic Luc. 2. *Tulerunt Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino; ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum,* &c. Suffeciſſet, quòd diceretur puer Ieſus oblatus Domino, quid neceſſum fuit addere illud de lege præcipiente: Nonne ille immunis erat ab illa lege? Fateor, immunis erat, ſed quia ipſe talem condiderat legem, illam in ſe implere voluit, vt ſic libentiùs arriperetur à ſubditis eius cuſtodia. Ait D. Cyril. Hieroſol. orat. de occurſu Domini, fatus: *Hodie, qui Moyſi olim, non abſque maieſtate legem in monte Sina tradiderat, ſub lege factus, legem implet.* Non aliter citius ſubditi accipiunt in ſe leges, quàm vbi eas à Principibus vident adimpleri.

Le

Lu

Le

Ex

Th

Lu

Cy

§. XI.

§. XI.

Prudentis eſt non exaggerare, ſed minuere iniuriarum illatarum mala,

COmpone rumorem famæ, & Ionadabi prudentiam. Rumor dicebat: *Percuſſit Abſalon omnes filios Regis, & non remanſit ex eis ſaltim vnus.* Quanta hæc mali exaggeratio? Ad ſolum ſtrictum gladiū viſum iam vniuerſi Dauidis filij creduntur occiſi, & dicuntur. Sic in ore vulgi creſcunt iniuriæ. *Reſpondens autem Ionadab filius Semmæ fratris Dauid, dixit: Ne æſtimet Dominus meus Rex, quòd omnes pueri filij Regis occiſi ſunt,* &c. Non immeritò Ionadab dicitur ſupra prudēs vir, in hoc enim maximè oſtendit prudentiam ſuam, vt qui diminutionem velit perſuadere acceptæ iniuriæ. Nunquā ſummum malum à viro prudente credendum eſt, ſed ſemper æſtimanda in illo multa, quæ minuant. Marc. 7. dicebat ſeuerius Dominus Chananææ: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa reſpondit, & dixit illi: Vtique Domine, nam & catelli comedunt de micis.* Ieſus canem vocat, illa autem quaſi alludens ad Ieſu dictum, non canem dicit ſed catellam. Et quando manifeſtiſſimè vocaris, cur tu non refers nomen canis, ſed apponis nomen catellæ? Prudens fœmina, & omni laude digniſſima in aſpero, & iniurioſo verbo quæſiuit diminutiuum, vt doceat, quàm ſint quærenda in acceptis iniuriis, quæ diminuant. Ait D. Hilar. can. 15. in Matth. *Chananæa iam ipſa per fidem ſalua, & interioris certa myſterij reſpondit, micas, quæ de menſa exciderint, paſci catellos, canum opprobrio iam ſub blandimento diminutiui nominis mitigato.* Quid pulchrius? Opprobrium canum ſibi illatum mitigabat per blandimentum diminutiui nominis. Prudentiſſimum enim eſt, audita probra non exaggerare, ſed minuere. Dauid 1. Reg. 17. dum in arenam deſcendit aduersùs Iſraelis hoſtem Goliath, dicebat illi: *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſrael quibus exprobraſti hodie.* Et meritò notat ibi Abulenſis, quòd Dauid illius diei probra à Philiſthæo iactata meminerit, vt illi ea obiiciat, cùm ille non ſolùm ea die, ſed quadraginta diebus antecedentibus, non ceſſauerit manè, & veſpere exprobare Iſraelitis. Ait enim text. ibi: *Procedebat verò Philiſthæus manè, & veſpere, & ſtabat quadraginta diebus.* Et quando toto quadraginta dierum ſpatio ſtabat Philiſthæus probra iaciens in Iſrael, cur Dauid ſola vnius diei probra illi obiicit? Cur nō dixit, quibꝰ quadraginta diebus exprobraſti; ſed maluit dicere, quibus exprobraſti hodie? Prudētiſſimus iuuenis is eſt, qui probrorum acerbitatem nō exaggeret, ſed minuat.

Marc. 7.

Hilar.

1. Reg. 17.

2. *Reg.* 13. Dixit autem Ionadab ad Regem: Ecce filij Regis adſunt; iuxta verbum ſerui tui, ſic factum eſt. Cumque ceſſaſſet loqui apparuerunt & filij Regis: & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt. Sed & Rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis. Porrò Abſalon fugiens abiit ad Tholomai filium Ammiud Regem Geſſur, *&c.*

§. XII.

In vnius innocentis vindicta ſolet tota regni vniuerſitas flagellari à Deo.

EXpende quod immerentium lachrymis vindicatur Thamaris opprobrium. Dicit enim? *Apparuerunt, & filij Regis: & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt. Sed & Rex, & omnes ſerui eius fleuerunt,* &c. Perierit Amnon, qui malum intulerat: at cæteri omnes filij Regis, & Rex ipſe, & ſerui eius, & tota Dauidis aula, quid fecit, vt tot lacrymis deberet impleri? Potuit ſanè Amnon caſtigari ſine vllo fratrū, aut aulicorum dolore; cur permiſſa à Deo eius caſtigatio eſt, eo modo, quo tot principibus, tot aulicis, tot viris & metum, & dolorem inferret? Non eſt nouum hoc apud Deum, qui vt iniuriam innocenti illatam vindicet, ſolet affligere vel integram prouinciam, vel mundum vniuerſum. Innocentiſſimus Ioſeph à fratribus venditus, in Ægyptum deductus eſt; vbi adulterij falsò accuſatus in carcerem coniicitur, inde ad regnum exaltatur, & illi traduntur totius Ægypti ſceptra. Quid tunc? Ait Geneſ. 41. *Cœperunt venire ſeptem anni inopiæ, quos prædixerat Ioſeph, & in vniuerſo orbe fames præualuit,* &c. Ecce tibi fames à Deo toti orbi immittitur, vt affligatur ſub ea. Et cur hæc clades immittitur orbi? Vt fame coacti Ioſephi fratres in Ægyptum pro pane venirent, & ibi affligerentur, & caſtigarentur in vindictam iniuriæ illatæ Ioſeph. Sic vt vindicet culpam in Ioſeph commiſſam, non dubitat Deus vel totum mundum tradere famis tormentis. Ait Imperfect. hom. 25. in Matth. *Qui Ioſeph quaſi maledictus in carcere fuerat, quaſi Propheta eductus eſt. In vnius pueri vindicta totus mundus fami flagellatus eſt.* Eò ſpectabat tota illa famis afflictio immiſſa orbi, vt nimirum de iniuria Ioſepho illata, vindicta ſumeretur. Sic Deus nō dubitat & populos, & prouincias, & regna affligere, vt ſumat vindictam de iniuria illata viri innocenti. Oſeas c. 1. iuxta Dei præceptum accepit vxorem fornicariam, de qua ait textus: *Concepit, & peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrael: quoniam adhuc & modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrael ſuper domum Iehu. Et quieſcere faciam regnum domus Iſrael. Et in illo die conteram arcum Iſrael in valle Iezraël.* Nomine Iezrael intelligitur Naboth Iezraelites, qui occiſus eſt ab Achabo Rege, & vxore eius Iezabele, in cuius occiſionis vindictam ſeſe modò Dominus accingit. Sic Rupert. & D. Cyril. Alex. ibi. Et in vnius Nabothis vindicta dicitur domus Iehu peritura, & Iſraelis potētia cōfringēda. Sed perierunt Achab, & Iezabel, a quibus Naboth interfectus fuit; domus Iehu cur pereat, & cur pereat Iſrael in Nabothis vindicta? Nonne Iehu percuſſit Achabum, & Iezábelē Nabothis interfectores? Cur ergo ipſe pereat in eius vindicta? Vt vindicaretur Naboth, occidendus erat Achab per Iehu; qui dum Achab occidit, culpam incurrit, ob quam ipſe perdendus ſit, cum toto regno Iſraelita. Quam totam Iehu, & Iſraelis cladem glutit Deus, dummodo de iniuria Nabothi illata vindictam ſumat. Ait ibi D. Cyril. Alexand. *Naſcitur Prophetæ puerulus, cui nomen inditur Iezrael, veluti Deo commiſſum in Naboth peccatum recordante. Viro namque iuſto, & religioſo trucidato, quomodo iuſtorum tutor & patronus quieuiſſet? Contriturum igitur promittit arcum Iſrael in valle Iezrael. Victa enim ſunt ab Azaele, & Ader tribus Iſrael.* Non potuit Deus obliuiſci iniuriæ illatæ viro iuſto, ſed magis exarſit in eius vindictam; & quia in illius vindictæ executione, non ſolùm iniuriatores erant interficiendi, ſed & inde occaſionem habitura erat, & Iehu, & Iſraelis perditio, omnes has clades vorat Deus, & permittit, non veritus perdere regnum integrum, dum vnus vindicetur innocens.

Geneſ. 41.

Imperf.

Oſe. 1.

Cyril. Alex.

§. XIII.

Exitiale eſt homini, quod in proximi clade, non quod luctuoſum, ſed quod lucroſum, aſpicias.

HOc maximè ſaluti horum principum tribuo, quòd fratrum maiorum natu & facinus, & ſuos luctu, & lachrymis proſequuntur. Ait text. *Apparuerunt filij Regis, & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt.* In maiorum natu fratrum perditione reliqui omnes Principes remanentes multo ſeſe macerant luctu, & lachrymis. Nullus eſt, qui lætus reſpiciat hæreditatem; nullus, qui meminerit ad ſe iam immediatius venire regnum. Heu quam alia eſt conditio mundialium hominum, qui in fratrum cladibus, minime cladem attendunt, vt caueant, ſed magis inde lætantur, tanquam ad hæreditatem venientes. Planè vt illud eſt bonarum mentium, ſic hoc ad illos pertinet, qui ſub ingenti Dei ſupplicio pereunt. Hos pulchrè deſcribit D. Cyprian. epiſt. ad Demetr. aiens: *Fugientes morientium funera & appetentes ſpolia mortuorum. Tantus cladium terror dare non poteſt innocentiæ diſciplinam; & inter populum frequenti ſtrage morientem, nemo conſiderat ſe eſſe mortalem. Paſſim diſcurritur, rapitur,* &c. Sic deplorati homines de fratrum cladibus non vitæ diſciplinam, ſed auaritiæ augmentum capiunt. De his Oſeas cap. 5. *Ephraim in deſolatione erit in die correptionis,* &c. *Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumētes terminū, ſuper eos effundā quaſi aquam iram meam.* Sub nomine Ephraim oſtenduntur decem tribus Iſrael, quæ hoſtes paſſæ in magna deſolatione erant, & captiuæ ducebantur. Interea tribus Iuda in ſuis permanebat, ſed maximam Dei iram in ſe ſollicitabat. Et quale erat peccatum Iudæ, quo tunc ſollici-

Cyprian.

Oſee 5.

vabat iram Dei? Id exprimunt illa verba: *Principes Iuda facti ſunt quaſi aſſumentes terminos;* quippe dum frater Iſraël percutiebatur ab hoſte, & ducebatur captiuus, Iudas non cauebat in fratris calamitate, nec curabat illam deflere, quin potiùs totus erat intentus eo, vt latiores faceret ſuos terminos. Iam alienus erat à luctu in fratris calamitate, quòd potiùs lætaretur videns inde ſuos terminos, ſuamq; ſubſtantiam maximè creſcere. quod crimen nulla ſupplicia non meretur. Ad hæc Ruffinus ibi: *Ideo mergetur inundatione pœnarum, quia cùm inter cætera beneficia, hoc quoque clementia Dei illi præſtiterit, vt timori eius, & emendationi Ephraim impenderetur exitium: ille eſt eo abuſus ad incrementa petulantiæ: germanique ſibi credidit nõ exempla prouiſa, ſed prædia contributa. Et grauiter ſe Deus commendat offenſum, quòd nihil compunctionis de fraterna damnatione ſuſceperit, ſed remanens Iudas lætatus fines ſuos quacumque occaſione proferri.* Et cur non pereat, qui in fratris, proximivè ruina nihil, quod lugeat, nihil, quod caueat, attendit, ſed ſola inde ſibi orta lucra ſpectat. Et illa maximè ſunt expendenda perituri ſigna, nimirum: *Germani credidit non ſibi exempla prouiſa, ſed prædia attributa.* Sic ſic deploratæ mentes in parentum, fratrumve cladibus, nihil aliud citius vident, quàm hæreditatem ad ſe venientem.

Ruffin.

§. XIV.

Caſtitatis vindex, validiſſimus pro victoriis repartandis.

Illud mirandum, quòd inter tot Principes Amnonis fratres, & inter tot eorum ſeruos, ſic Abſalõ peragat ſuum facinus, interficiens Amnonem, vt liber euadat. Quippe ait textus. *Porrò Abſalon fugiens abiit,* &c. Nec Abſalon, nec vllus eius ſeruus periclitatus eſt in facinore illo, quo filius primogenitus Regis perimebatur coram fratribus, & coram multis eorum famulis. Quin potiùs inter omnes cum ſeruis ſuis Abſalon liber, & immunis euaſit. Nec miror, quando ille pugnauit pro caſtitate ſororis vindicanda. Sunt equidem caſtitatis vindices ad victorias obtinendas præ-
Quintilian. ſtantes. Qintilianus declamat. 3. vbi militem à tribuno turpiter appetitum depingit, ait. *Ad primum ſtatim obſcœnæ libidinis ſermonem, non aliter, quàm ſi in hoſtem claſſicum cecinisset, gladium illum, quem à te pro pudicitia noſtrarum coniugum acceperat, per pectus infandi corruptoris exegit, & in latum vltra pedem. Si omnes milites tales habemus Mari, vicimus.* Sic maximus Hiſpanorũ orator Mario Imperatori perſuadet victoriam eſſe in vindicibus caſtitatis. Vix eſt hoſtis, qui timeatur, vbi eſt integer caſtitatis ſtatus. Pergami Epiſcopo dicebat Dominus
Apocal. 2. Apoc. 2. *Habeo aduersùs te pauca; quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandala coram filiis Iſraël, edere, & fornicari.* Ecce vbi viget aduerſarius; nimirum vbi iuxta Balaami conſilium pudicitia fidelium expugnatur. Docuerat enim Balaam triumphos Iſraelitarum cum pudicitia ſtare, ſine illa perdi, vt ſic nil magis curaretur à Rege Balac, quàm illos ad impudicos affectus pertrahere. Dũ enim pudici, & caſti perſeuerabant, futuri erant victores
Origen. omnium nationum. Pro quo ait Origen. hom. 20. in Num. *Ex hoc ergo apparet, quad nequitia vſus ſit Balaam, & conſilium dederit Regi, talia quædam dicens ad eum: Populus hic non propriis viribus, ſed Deum colendo vincit, & pudicitiam conſeruando. Si vis eũ vincere, prius eius pudicitiã deiice, & ſponte vincetur.* Ibi arma fidelium cadunt, vbi pudicitia cadit. Hæc ſi ſteterit, non erit hoſtis, qui non timeatur. Hinc Iudith dum ſe armat
Iudith. 9. aduersùs Holofernem cap. 9. ait: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum qui violatores ſteterunt in coinquinatione ſua, & denudauerunt femur virginis in coinquinationẽ,* &c. Equidem multis Patribus datus fuerat à Deo gladius quo de hoſtibus triumpharent. Datus enim fuit Abrahamo, quando quinque Reges peremit. Datus Ieſu Naue, Gedeoni, Iephthe, & aliis. Cur Iudith illis prætermiſſis ſolùm meminit gladium, quo Simeon ſtuprum Dinæ vindicauit? Equidem prudens fœmina ad victorias nullum præſtantiorem gladium putauit, quàm illum, qui ſteterat pro caſtitate. De Romanorum victoriis
Quintilian. locutus Quintilian. declam. 3. *Si verè æſtimemus Imperium Romanum ad hanc diem militari diſciplina ſtetit. Non enim nobis aut multitudo maior eſt, quàm cæteris gentibus, aut vehementiora corpora, quàm vel his, ecce Cimbris, aut maiores opes, quàm locupletiſſimis regnis, aut mortis contemptus facilior, quàm pleriſque barbaris. Principes nos facit ſeueritas inſtitutorum,* &c. *Itaque plura pene moribus, quàm viribus vicimus, cum captiuæ quoque ſacræ habebantur,* &c. Sapientiſſimè nullis aliis, niſi caſtis moribus tribuit victorias Romanorum, à quibus vel captiuæ puellæ ſanctè habebantur.

§. XV.

Nullius temporalis boni reuerentia ſeruatur, vbi pudicitia vindicatur.

Illud maximè in hac clade notandum, nimirum quod attinet ad dolorem Dauidis, de quo ait: *Sed & Rex, & omnes ſerui eius, fleuerunt fletu magno nimis.* Nimis equidem dolebat pater, & flebat tam pro filio occiſo, quàm pro occiſore, vt ait Procopius, & Theodoretus. Et mirabar, quòd Abſalon non magis veritus eſſet tantum dolorem inferre patri? Nonne agnoſcebat Dauidem indulgentiſſimum in filios, præſertim in natu maximum? Cur ergo non magis veretur doloribus configere patrem? Audio in vindicanda pudicitia nullius reuerentiã ſeruari. Quintil. in declam. 3. Quintil.
ait: *Quid ergo Virginium noram, qui filiæ virginitatem, quã ſola poterat, morte defendit, raptumque de proximo ſertum non recuſanti puellæ immerſit? Dimiſit illi ſolum Appium, quem tamen populus Romanus, ſeceſſione à patribus, ac propè ciuili bella perſecutus in vincula duci coegit, neque vlla res tunc magis indignationem plebis commouit, quàm quod pudicitiam auferre tentauerat filiæ militis.* Ecce tibi vt virginis corruptorem inſequebatur populus Romanus, vel *ſeceſſione à patribus*, vix enim vlla ſeruatur reuerentia tẽporalis, vbi pudicitia venit vindicanda. Simeon, & Leui filij Iacob Sichimorum Principes ſororis ſuæ ſtupratores occiderunt, quo nõ patrium dolorem, & periculum patri ingeneraturi. Quibus Iacob dolens ait Gen. 34. *Geneſ. 34.*
Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius. Nos pauci ſumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea. Sic bonus pater ſibi mala imminentia ex facinore filiorum exaggerat. Et cur filij non magis veriti ſunt tantum periculum, tantumque dolorem ingenerari patri? Cur non magis eius conſilium expectarunt? Cur eius pietatẽ tanto affecerunt dolore, cùm inſcio illo aggreſſi ſunt tantum facinus? Ipſi pro ſe reſpondent ibi: *Nunquid vt ſcorto abuti debuere ſorore noſtra?* Et quidem vbi læſæ pudicitiæ vindicta ſumenda erat, putant non attendenda vel tanti parentis placita. Et ait D. Ambr. lib. de Bened. Patriarch. c. 3. *Illi cauſas doloris ſui præſtiterant patri, aſſerentes ſe in illa licèt ætate iuuenili vindices læſæ fuiſſe pietatis, & violatæ caſtitatis vltores. Quod vtique ſanctus condemnare non poterat, quia non paſſi ſunt inultam ſororem ſuam loco eſſe meretricis.* Vbi aſſeritur zelus ſeruandæ caſtitatis, non mireris, quòd non ſeruetur reſpectus temporalis, vel ad patres. Ambroſ.

§. XVI.

Filiis Dei illata mala inde contemnenda, quia finem habent.

Poſt triennij exilium ait textus: *Ceſſauit Rex Dauid perſequi Abſalon.* Habuit hoc Abſalon filius Dauid, quòd non ſemper impeteretur, ſed tandem aliquando mala illi illata & perſecutiones ceſſarent. Quod Abſalon commune habuit cum filiis Dei, hi enim perſecutiones patiuntur, mala tolerant, ſed perſecutiones, & mala quæ tandem finiuntur, & tranſeunt. Apoc. 17 poſt viſam beſtiam, à qua Sancti conculcabantur, dicitur Ioanni: *Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit.* Vide Chriſtiane quale ſit omne malum tibi a feris tyrannis illatum, nimirum: *Fuit, & non eſt.* Cur non feras malum, quod in puncto non eſt? Cur non contemnas feritatem, quæ tandẽ pertranſiuit? Pulchrè adhæc ait Rupert. lib. 10. in Apocal. *Apocal. 17.*
Magnificè conſolantur captiui filij Sion, quantumcumque tyrannizet captiuando illos crudelis, & beſtialis Babylon, quia beſtia, quem vidiſti, ait, fuit, & non eſt. At verò Deus, in quo vos ſpem veſtram poſuiſtis, o captiui & peregrini, erat, & eſt, & venturus eſt. Conſolamini igitur, quia pro vobis eſt Deus, ſemper eſt, quæ autem contra vos eſt beſtia, fuit, & non eſt. Non enim ſemper eſt, ſed omne, quod agit, quod valet, aut poteſt, tranſitorium eſt. Ipſa deſinet eſſe, Dominus autem in æternum permanet. Tranſitorium eſt quodcumque malum filiis Dei in hac mortali vita, & quod tranſitorium eſt, contemni à prudentibus debet. Rupert.

CAPVT

CAPVT IV.

Abſalonis reditus agitur.

TEXTVS HISTORIA.

VBi iram Dauidis in Abſalonem temporis longinquitate deferueſcere ſentit Ioab, fœminam ex Thecuæ vrbe trahit, quę dulciori ſermone animum Regis ad filium prorſus deflectat. Erat illa in ſermonis cultu celebris, ſed ignota Regi, & ideo quæſita, vt felicius perageret miniſterium. Ingreditur tandem ad Regem de conſilio Ioabi, pullis veſtibus, luctuoſo geſtu, & quæ diu in lachrymis, & luctu eſſet. Et tota gemitibus intenta filiorum proponit tragœdiam, his verbis. Poſt miſeram viduitatis conditionem, ó Rex, duo, qui mihi filij remanſerant, in agro exiſtentes rixati ſunt, & alter alterum occidit; cuius dum funus gemebunda accelero, ecce propinquorum tumultus percuſſorem poſcentium, vt illum in fratris vltionem, petimant, & me vtroque orbatam oculo, & domum viri mei, in æternis relinquant tenebris. Siccine ſpoliabitur vidua chariſſimis ſuis pignoribus? Siccine lugebo ſepultam cum viro meo totam ſtirpem eius? Interea mollitus Rex, iubet fœminæ, bono animo eſſe, ſuperſtitiſque filij incolumitatem regali munificentia pollicetur. Cui ſtatim ſapiens mulier, Cur, inquit, Rex non ſimilia tibi decernis? Orbatus vno oculo, cur alterum iteris perdere? Quando ad vitam reuocare defunctum non potes, cur alterum in mortem repellis? Implicabatur Rex mulieris ſermonibus, ſed volens magis viro victoriam debere, ſciſcitabatur, an præfata ſcena à Ioabi fuiſſet confic̃ta ingenio. De quo factus certior Ioabo permittit, vt Abſalonem ab exilio in propria reducere acceleret.

MORALIA CIRCA textus litteram.

QVis de paternæ iræ mitigatione dubitet? Ecce ad vnius fœminæ verba iratus Dauid flectitur, & benignius admittit filium rebellem.

2. *Reg.* 14. Intelligens autem Ioab filius Saruiæ, quòd cor Regis verſum eſſet ad Abſalonem, miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem, dixitque ad eam: Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo, vt ſis, quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum, & ingredieris ad Regem, & loqueris ad eum, *&c.*

§. I.

Peccatoris reſtitutio in vitam vt per Mariam.

SVppetebant Ioabo viri, & aſtutiſſimi, & ſapientiſſimi, qui poſſent totam illam repræſentare parabolam Regi; cur maluit id fieri per fœminã? Dicit enim: *Miſit Thecuã, & tulit inde mulierem ſapientem*, &c. Cur non magis viro vſus eſt? Agebatur ibi de reducendo ad patrem filio rebelli; & ideo ex Dei prouidẽtia mulier quæritur, vt ſciamus, quàm ſalutariter prouiſa eſt Maria, vt peccatoribus inſtet reducendis. Poſt Adamum conditum dicebat Dominus Gen. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* Et quando per fœminam tot mala homini acciderunt, cur illi non fuiſſet bonum eſſe ſolum? Et quando ſoli viro poſſet etiam vir alius, nempe Chriſtus, prouideri, cur non magis bonum illi eſſet, ſi fœminam ſecum non haberet? Nonne in vno Chriſto omnia adiutoria etiam lapſi haberemus? Pulchrè ad hæc ait D. Bernard. ſerm. de verbis Apocal. *Equidem ſufficere poterat*

Geneſ. 2.

Bernard.

Chriſtus, ſiquidem & nunc omnis ſufficientia noſtra ex eo eſt: ſed nobis congruum non erat eſſe hominem ſolum. Congruum magis, vt adeſſet noſtræ reparationis ſexus vterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet. Et ſi Chriſtus Dominus ſufficit nobis peccatoribus, tamen congruere magis viſum eſt, vt etiam fœmina Maria nobis prouideretur. Hæc enim auſert infirmis gemitus, & fœliciſſimè curat, ne quid nobis deſit. Hæc ad omnes errores noſtros conniuet, & ſatagit tegere noſtros defectus. Fratres erant Maria, & Aaron Moyſi, & tamen cùm primum ab illo duci vxorem Æthiopiſſam viderunt, contra eum locuti ſunt, dicente textu Numer. 12. *Locutaque eſt Maria, & Aaron contra Moyſem propter vxorem eius Æthiopiſſam.* De quibus ait D. Bernard. ſerm. 2. de Mutat. aquæ in vinum, *Murmuret Aaron, murmuret & Maria; non noua, ſed vetus; non mater Domini, ſed ſoror Moyſi. Non noſtra, inquam, Maria, illa enim ſollicita eſt, ſi quid fortè deeſt in nuptiis.* Mordentibus cæteris omnibus peccatores, vna Maria mater Ieſu eſt, quæ peccatores non mordet, non accuſat, ſed excuſat, quæ ſola ſollicita eſt, ne quid deſit illis. Sine qua malè habebit peccator in vita ſua. Neſcio enim ſi quod malum maius temporale inferre Deus poſſit hominibus, quam ſi illis auferat Mariam. Oſeas cap. 4. minabatur Deus peccatoribus, dicens: *Et nunc paſcet eos Dominus tanquam agnum in latitudine.* Et quid patitur agnus in latitudine? Ait Ruffin. ibi: *Sicut agnus in vaſta loca perductus, & imbecillus, & ſolus, tam matris, quàm gregis ſolatio deſtitutus, metuit, quidquid aſpexerit, quidquid audierit: ita etiam gens,* &c. Quàm miſera eſt conditio agnelli, in vaſtiſſimo monte à matre deſtituti, & vndique vlulatibus luporum circumſepti, tam miſera eſt conditio peccatoris in hoc mundo Mariæ matris patrocinium non habentis. Quid non metuat, quid non patiatur agnellus à matre in ſolitudine ampliſſima deſtitutus? Et quid non metuat, & quid non patiatur peccator ſine Maria matre in vaſtiſſimo & periculoſiſſimo huius mundi medio?

Num. 12.

Bernard.

Oſe 4.

Ruffin.

§. II.

Amicitia cum Deo renouari debet, & luctu, & lachrymis intercedentibus.

VT Dauidis animus luctu, & lachrymis erat emolliendus, ſic ad tale munus non vir eligitur, ſed fœmina quæritur. Cui dicitur: *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri,* &c. Et cur neceſſum fuit quærere & luctus, & lachrymas ad Dauidem flectendum? Vbi agebatur de renouanda amicitia Abſalonis cum patre, prouiſum eſt à Deo, vt luctus, & lachrymæ quærerentur, vt inde diſcerent peccatores, eorum amicitiam cum Deo tunc renouari, cùm luctus, & lachrymæ, aliæque pœnalitates intercedunt. Quò ſpectans Cellenſis Abbas lib. de Panibus cap. 12. *Hunc panem lachrymarum Adam comedit in exilio, Noe in diluuio, populus in deſerto: Ezechias in lecto, Dauid in adulterio, Petrus in negatione, Magdalena in corporis ſui proſtitutione. Quare? Vt anima renouetur, vt inſequens hoſtis demergatur.* Expende illud, *vt anima renouetur*; quippe vt animæ hoſtilitas cum Deo tollatur, & in eius amicitia renouetur, ad luctum, & lachrymas omnibus eſt confugiendum. Nullus vnquam peccator redintegrauit amicitiam cum Deo, niſi luctu, & lachrymis, & pœnalibus operibus intercedentibus. Aiebat Dominus Matth. 9. de gratia danda pœnitentibus: *Neque mittunt vinum nouum in vtres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt; & ambo conſeruantur.* Itaque vt nouum debet eſſe vas, quod vinum nouum recipit, ſic innouari debet homo, qui ſeſe aptat recipiendæ diuinæ amicitiæ. Et qualiter innouabitur? Non luxu, ſed luctu; non delitiis, ſed maceratione, ſed mortificatione, ſed amara peccatorum pœnitudine. Ait D. Baſil. in Pſal. 32. *Igitur in vtres nouos vinum nouum eſt mittendum. Nouum inſuper & ſpirituale vinum, vt quod Spiritu ſancto efferueſcit, nimirum veritatis intelligentiam nondum exoleſcentem vetuſtate erroris mittere conuenit in hominem nouum; qui quod perpetuò Domini noſtri Ieſu Chriſti mortificationem in corpore fert ſuo, iure nouus dici poſſit vter.* Expende vnde innouatur vas diuinæ gratiæ receptiuum, nimirum: *Quòd perpetuò Domini noſtri Ieſu Chriſti mortificationem in corpore fert ſuo*; per carnis mortificationem, per continuam macerationem, & luctum innouari debet homo, qui aptatur diuinæ amicitiæ.

Cel. Abb.

Matth. 9.

Baſil.

§. III.

Peccator per lacrymas accedere ad Deum debet.

VT rebellis, parricidæque Abſalonis acceſſum ad patrem Ioab negotietur, prudentem fœminam quærit, quæ apud Dauidem fleat. Sic enim illam monet: *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri*, &c. Et cur mulieris lachrymæ, luctúſque quæruntur, vt Abſalonis acceſſum ad patrẽ obtineant? Ibi oſtendebatur, vt homo peccator luctu, & lachrymis ad Deũ negotiari debeat acceſſum. Luc.c.19.cũ Dñs iret Hieroſolymam, *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam*. Et cur neceſſum fuit, vt Ieſus meus fleret ſuper Hieruſalem?

Ambroſ. Ait D.Ambroſ. lib.2.de Pœnit.cap.6. *Ipſe Dominus Hieruſalem fleuit, vt quia ipſa flere nolebat, Domini lachrymis ad veniam pertineret. Ipſe nos flere vult, vt euadere poſſimus.* Vt ciuitatem ad ſalutem vocabat, ſic pro illa interponebat lachrymas, vt diſcerent peccatores lachrymari, cùm ad Deum accedere volunt. Quis enim peccator ſine luctu ad Deum acceſſit? dicebat

Thren.1. Threnor.1. *Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus eſt venter meus, ſubuerſum eſt cor meum in me metipſa, quoniam amaritudine plena ſum.*

Ambroſ. Ex quibus D.Ambroſ. ſuprà monebat: *Audiant, qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo ſtudio, quo affectu, qua intimorum concuſſione viſcerum, qua cordis conuerſione. Vide*, inquit, *Domine quia tribulor, venter meus turbatus eſt*, &c. Et crede mihi, nunquam aliter peccatores ad Deum accedunt, niſi per luctum, per concuſſionem cordis, per lamenta. Peccata enim, & ſordes animæ, quæ nos à Deo auertunt, non niſi per concuſſionem cordis ſolent expelli. Poſtquam Ieſus in cruce animam exhalauit, dicit

Matth. 27. Matth.cap.27. *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Ad quid iſta concuſſio petrarum, & motus terræ?

Damaſcen. Ait D.Damaſcen. hom.in Sabb.ſanct. *Terra concuſſa eſt, dominico reſperſa cruore, tabem, ſordeſque idolorum excutiens.* Vbi enim excutiendæ erant ſordes idololatriæ, & aliorum ſcelerum, non poterat, non vehemens concuſſio, & contritio vel petrarum intercedere. Nunquam enim peccator excuſſis ſcelerum ſuorum ſordibus ad Deum accedet, niſi cordis concuſſio, animique luctus præceſſerit.

§. IV.

Apud Deum abſconſa pulchritudo, & gratia efficacior.

MIrabar fœminam lugubri veſte, & luctuoſa veſtiri, vt a Dauide miſericordiam erga Abſalonem eliceret. Sic enim illam monet Ioab: *Lugere te ſi mula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo*, &c. Quàm aliter faciebat Eſther, vt ab irato Rege miſericordiam extorqueret populo ſuo.

Eſther 15. De hac enim ait cap.15. *Die autem tertia Eſther depoſuit veſtimenta ornatus ſui, & circumdata eſt gloria ſua. Cumque regio fulgeret habitu*, &c. Compone modò Eſtherem cum Thecuite illa: vtraque acceſſura ad Regem paratur, vtraque animum iratum Regis ad miſericordiam trahere curat, vtraque ſtat coram Rege pro damnato. Sed Thecuites illa ſub veſte lugubri, & luctuoſa quidquid gratiæ, & pulchritudinis habet, obnubilat; Eſther autẽ glorioſo ornatu, veſtibúſque regalibus ſuam prætendit pulchritudinem. Et cur hæc pulchris monilibus ſe prodit, illa lugubri veſte ſe obnubilat? Eſther agebat apud Aſſuerum Regem mundialem, apud quem ſola valet quæ oſtenditur pulchritudo; Thecuitis autem apud Dauidem agebat, in quo habitabat ſpiritus diuinus, cui magis placet abſcondita, & latens gratia, & pulchritudo.

Arnob. Adhæc aiebat Arnobius lib.2. *Atne idcirco Deus mulieres fecit, vt nimiis ponderis, & grauitatis obrutæ gemmas, capillos, margaritas caſtitatis diſpendio compararent, conſpiciendis corporibus faces quærerent?* Expende hæc pulchra, *conſpiciendis corporibus faces quærerent*; quippe quot pulchra, & pretioſa monilia ſibi aptant fœminæ; tot faces apponunt, quibus conſpiciantur earum gratiæ, & pulchritudo, quod ſanè minime placet Spiritui diuino. Non equidem, quæ aperitur, & oſtenditur pulchritudo, & gratia, ſic placet Deo, vt quæ occulitur. De infelici peccatore locutus

Pſalm.7. Pſal.7. aiebat: *Lacum aperuit & effodit eum, incidit in foueam quam fecit.* Laci apertionem, effoſſionem tribuit Dauid ſcandalo, & periculo, ei, qui aperuit. Sed Abraham Gen.21.

Geneſ.21. de ſe non dubitat aſſerere: *Ego fodi puteum iſtum.* & de Iſaac

Geneſ. 26. aſſerit etiam Gen.26. *Rurſus fodit alios puteos.* Quando ergo ſanctis viris puteorum effoſſiones virtuti dantur; cur miſero illi, laqueo, & præcipitio tribuitur, quod lacum effoderit, & aperuerit? Quid mali protendit lacus, quid boni protendit puteus? Lacus patentiſſimas offert aquas ſuas, vt etiam à longè venienti illas propinet. Puteus abſconditas habet aquas in profundo, vt vix ab accedente poſſint videri. Ne mireris, quòd laci apertor malè oleat apud Deũ; fœlicior autem euadat, qui fodit puteum. Deo enim placet, non qui publicat, ſed qui abſcõdit gratias ſuas. Ex quo D.Ambroſ. lib.5. de Spirit. ſanct. cap.20. aiebat: *Noli ergo aperire lacum tuum; ne quis dicat: Lacum aperuit, & effodit eum, incidit in foueam, quam fecit. Si Ieſum quæritis, contritos lacus deſerite. Chriſtus enim non ad lacum, ſed ad puteum ſedere conſueuit. Ibi eum inuenit Samaritana, quæ aquam haurire cupiebat*, &c. *Sic Abraham Deum, poſtquam fodit puteum, emeruit. Sic Iſaac dum ad puteum deambulauit, in typo Eccleſiæ accepit vxorem. Fideles ad puteum; infideles ad lacum. Meretrices in lacu Iezabel ſe cruore lauerunt.* Ambroſ. Ecce tibi infideles, & meretrices inſtar laci ſuas gratias publicant, omnibuſque propinant. Iuſti autem velut putei illas magis abſcondunt, & obſcurant, quo faciliorem Deum inueniunt. Dei enim ſemper fuit tenebras præmittere, vt præſſet lucem. Quò ſpectans Paulus 2.ad Cor.4 ait: *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, qui illuxit in cordibus noſtris*, &c. 2.Cor.4. quaſi non aliter Deus in corda noſtra lucem mittat, quàm illam miſit in mundum, nimirum præmiſſis tenebris, ſub quibus omnia latebant, & erant abſcondita. Sic qui latere nouerunt, & ſeſe obtenebrare, veniunt ad Dei lucem. D.Anſelm. ait: Anſelm. *Quid autem inconueniens, ſi mundi in materia fuerunt tenebroſa primordia, vt accedente luce, melius quod factum eſt, videretur, & tanquam proficientis, quod poſtea futurum erat, hoc modo ſignificaretur affectio? Nam ſicut ſuum de tenebris lux viſibilis initium ſumpſit, ita poſt tunc lux inuiſibilis, cui dictum eſt: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Illi equidem lucem à Deo eliciunt, qui ſciunt antea latere, & in tenebris viuere.

2. *Regum* 14 Itaque cùm ingreſſa fuiſſet mulier Thecuitis ad Regem, cecidit coram eo ſuper terram, & adorauit, & dixit: Serua me Rex. Et ait ad eam Rex: Quid cauſæ habes? Quæ reſpondit: Heu, mulier vidua ego ſum, mortuus eſt enim vir meus. Et ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati ſunt aduersùs ſe in agro, nulluſque erat, qui eos prohibere poterat, & percuſſit alter alterum, & interfecit eum. Et ecce conſurgens vniuerſa cognatio, *&c.*

§. V.

Parentes nihili æſtimant cætera omnia præ filiorum vita.

VNam filij vitam, & incolumitatem petitura hæc fœmina, illud dixit ad Regem: *Serua me Rex*; quaſi in ea vna filij vita, quam ſolam petitura venerat, totam ſui conſeruationem, & ſalutem haberet, ſine qua vel cum omnibus aliis bonis euaneſceret. Sic ſic æſtimant parentes filiorum vitam, quibus ablatis, nihili æſtimant omnia alia habere. Nabuchodonoſor 4. Reg.25. vehementer iraſcebatur in Sedeciam Regem Ieruſalem, quem bello cepit, 4.Reg.25. *Filios autem Sedeciæ occidit coram eo*, & illum vinctũ duxit Babylonẽ, ibique in carcere diu detinuit, & poſt tempos aliquod, ſubleuauit eum de carcere. *Et locutus eſt ei benignè: & poſuit thronum eius ſuper thronos Regum, qui erat cũ eo in Babylone. Et mutauit veſtes eius, quas habuerat in carcere, & comedebat panẽ ſemper in conſpectu eius cunctis diebus vitæ ſuæ. Annonam quoque conſtituit ei ſine intermiſſione*, &c. Et inter tot fauores non dicitur lætatus Sedecias, imò nec dicitur gratias egiſſe. Et cur non gratias agit, nec lætatur in tantis acceptis beneficiis? Dum illius filij non ſeruati ſunt, ſed occiſi, nihili ducit reliqua omnia bona, ſiue vitam, ſiue ſalutem, ſiue libertatem. Egeſipp. lib. 5. cap. 22. *Quamuis* Hegeſipp.

ei

ei poſtea thronum regium Babylonius Rex iuxta ſe conſtituerit, & conſiliq́ detulerit prærogatiuam, miſeræ calamitatis ſolatia. Tolerabilior ſors eſt poſt liberorum mortem mori, quàm viuere; vt ſciat, quàm crudelis ſit, qui filios ante ora patris iugulet. Cùm etiam regalia munera deteriora ſunt, quàm pietatis vulnera. Aut enim tam impia inferre primò non debuit, aut tam honorata poſtea ſubſtituere, quaſi queunt dignitas redimi poſſet filiorum amiſſione, aut compenſari cædes ſobolis quouis vſu honoris; nulla profectò: nulla dignitas tantum dolorem alleuat. Nullus honor curat hoc vulnus. Quid pulchrius? Nemo iam fideliter ſenſit de dolore parentum in filiorum amiſſione. Sapienter putat parentes nullis honoribus, nullis dignitatibus, nullis fœlicitatibus leuari, aut curari poſſe in filiorum iactura. Cùm Iobi fœlicitas reuiuiſceret, & ſeuiuiſceret duplicata, iuxta *Iob. 42.* illud cap. 42. *Et addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob, duplicia.* Tamen ſeptem eius mortui filij non reuiuiſcunt. Et cur non reuiuiſcunt emortui filij, quando cætera omnia duplicata ei veniunt? Ait **Tertull.** Tertull. lib. de Patient. cap. 14. *Ne ſine aliqua patientia viueret.* Quærebatur Iobo aliquod vulnus incurabile, quod eum ſemper affligeret, nulliſque poſſit bonis ſopire, & inuenta eſt mors filiorum. Hæc dum manet, licèt alij naſcantur, licèt duplicata bona reuiuiſcant, ſemper dolorem infert, nulla dignitas acquiſita tantum dolorem leuat, nullus honor curat hoc vulnus.

§. VI.

Non ſub luctuoſo, ſed ſub glorioſo ornatu fæminarum lethalis dolus eſt.

TOtum viduitatis luctum exprimit coram Rege Thecuites hæc fœmina, dicens: *Heu, mulier vidua ego ſum,* &c. & habitu, & gemitu, & profeſſione ſeſe in viduitatis calamitate eſſe oſtendit. Non ſic Iudith, de qua ad Prin*Iudith. 10.* cipem Babylonium itura dicit textus cap. 10. *Exuit ſe veſtibus viduitatis ſuæ, & lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrto optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ,* &c. Ambæ viduæ erant, nimirum & Iudith, & mulier illa Thecuitis; ambæ ad principes homines procedebant, ambæ aſtu quodam, & arte animos Principum curabant irrente. Et cur Thecuitis ad hoc totum viduitatis exprimit luctum; Iudith autem viduitatem abſcondit ſuam, & gaudiorum ornatum prætendit? Thecuitis miſericordiam elicere curabat ex Dauide; Iudith inferre mortem Holopherni nititur, & ideo viduitatem exuit, & pretioſum ornatum aſſumit, ſub quo lethalis dolus faciliùs effingitur. **Ambroſ.** Non longè abeſt D.Ambroſ. lib. de viduis ſatus: *Iudith vt commentitium strueret dolum, veſtem illam iucunditatis, quam viuente viro veſtiri ſolebat, ſe induit, quaſi placitura viro, ſi patriam liberaret.* Expende illa, *vt commentitium strueret dolum;* quippe eo ibat animo, vt talem ſtrueret dolum, quo deceptus Holophernem periret. Pro tam lethali dolo ſtruendo viduitatis luctus diſſimulat, gaudiorum ornatus aduocat in auxilium, vt qui ad doloſè perimendos viros ſunt validiſſimi. Notum eſt Balaami conſilium datum Regi Madianitæ ad perdendum Iſrael, de quo ipſe dice*Numer. 24.* bat Numer. 24. *Pergeat ad populum meum dabo tibi conſilium,* &c. Et quale illud conſilium? Vt nimirum puellæ Madianitæ optimè ornatæ Iſraelitis obijcerentur, quarum pulchritudine decepti miſeri hoſtium victimæ exiſterent. Sic **Chryſoſt.** D. Chryſoſtomus orat. de Nouilunijs: *Madianitæ olim volebant infenſum Deum Iudæis facere, hac via arbitrati ſe illos ſuperare poſſe, ſi beneuolentiam Dei erga illos minuerent, puellas exornantes, & in exercitus conſpectu collocantes,* &c. Expende, quibus creditur de perdendis Iſraëlitis conſilium, nimirum puellis exornatis, ait enim, *puellas exornantes*, nullo enim melius lethalis dolus abſconditur, quàm ſub ſpecioſo ornatu fœminarum.

§. VII.

Ab vno Chriſto amor in fratres, imò in hoſtes.

VIduæ filij rixantur, & ſeſe mutuò interficiunt, ſed id accidit in agro. Sic enim ait: *Ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati ſunt aduerſus ſe in agro,* &c. *& percuſſit alter alterum, & interfecit eum.* Iam antiquitus fratres in agro rixantur, & frater fratrem in agro perimit, ſed hoc accidit in agro, vbi frater, & frater, duo ſunt; non in Chriſto, in quo frater, & frater, non duo, ſed vnus fit. Vt dicat Paul. multitudini Corinthiorum 2. epiſt. 11. *Deſpondi enim vos* *2. Cor. 11.* *vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Vbi D. Anſel. explicat: *Vt vos omnes vnam Virginem incontaminatam aſſignem Chriſto.* Is **Anſelm.** enim eſt Chriſtus meus, qui ſolos de multis, amore, & concordia faciat vnum. Quò ſpectans D. Petrus 1. epiſt. 2. ait: *Ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem* *1. Petr. 2.* *reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum; & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpirituales.* In margine legitur aptiùs in rem præſentem *domus ſpiritualis*, ex quo enim in Chriſto ſuperædificantur, non plures, ſed vna domus fit. In vnitate enim & concordia fratrum opus Chriſti maximè elucet, vt dicat D. Proſper in Epigram.

Dum lapides viui pacis compage ligantur, **Proſper.**
Inde pares numeros conuenit vna domus.
Claret opus Domini, qui totam conſtrant aulam.

Expende illud, *Claret opus Domini*, nimirum in pace & concordia fratrum; de ſolo enim Chriſti Domini mei opere venit quòd frater fratrem diligat, quòd ſic fratres conglutinentur, vt multi videantur vnus. Qui Chriſti Domini eſt, vel de Chriſto aliquid habet, non ſolùm non odit fratres, ſed etiam hoſtibus oſtenditur placabilis. De Moyſe deſcendente cum tabulis legis dicit Paulus 2. ad Corinth. 3. *Ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter* *2. Cor. 3.* *gloriam vultus eius.* Sic facie ſplendebat Moyſes, vt minimè faciem eius aſpicere poſſent Iſraelitæ, propter quod poſuit Moyſes velamen ante faciem ſuam. Verùm de Stephano dicitur Actor. 6. *Intuentes eum omnes, qui ſedebant in Conci-* *Actor. 6.* *lio, viderunt faciem eius, quaſi faciem Angeli.* Splendore equidem faciei vultum referebat Angelicum, quem rabidiſſimi Iudæi videbant. Et cur ſplendor faciei Moyſis non poterat videri à Iudæis; ſplendor autem Stephani ſe ab infenſiſſimis Iudæis permittebat videri? Ipſe Stephanus indigitabat cauſam illis verbis: *Video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei*, quippe, vt Stephanus habebat, è regione Ieſum ſtantem in gloria ſua, ſic de eius gloria ſplendorem illum concipiebat, quo facie ſplendebat; ſplendor autem, qui de Ieſu veniebat, etiam hoſtibus implacabilibus, ſuauis, & amicus apparebat. Non ſic Moyſi ſplendor, qui à Ieſu non erat. Ait D. Auguſt. ſer. 6. de ſancto Stephano: *Moyſis veſte quando velamentum poſuit* **Auguſt.** *contra ſanctam faciem ſuam, nolebat videre criminoſam faciem veſtram. Stephanus verè reuelata facie ſua ſpeculabatur in cælum gloriam filij Dei, ideo videbant vultum eius Iudæi tanquam vultum Angeli Dei.* Moyſes vt non de Ieſu ſplendebat, ſic nec videre, nec videri tolerabat ab infenſis Iudæis; Stephanus autem vt de Ieſu ſplendorem habebat, ſic neminem reſpuebat, ſed ipſiſſimos hoſtes admittebat, illiſque ſe placabilem exhibebat.

§. VIII.

Veniabilior eſt culpa, quæ fit in ſolitudine.

NEc non & occiſoris culpam aliquo modo mater leuat, dicens: *Qui rixati ſunt aduerſus ſe in agro,* &c. Non tanta fuit occiſoris impudentia, vt frequentiam non vereretur in facinore patrando. Illi minùs venia digni ſunt, qui non agros, non deſerta, ſed frequentiſſima loca captant, vt ſceleribus ſe tradant. Ex quo traducit Mathematicos D. Auguſt. tract. 8. in Ioan. fatus: *Veruntamen ſedactis ſeducunt,* **Idem.** *& proponunt fallacias hominibus. Tendunt ad capiendos homines, & hoc plateis. Nam qui tendunt ad capiendas feras, vel in ſyluis, vel in ſolitudine id agunt. Quàm infeliciter vani ſunt homines, quibus capiendis in foro tenditur.* Et qui falluntur, & qui fallunt in frequentiſſimis plateis, ad eamdem infelicitatem pertinent, vt inde vendibilius perire debeant. Quis enim compatiatur ei, qui frequentias non veretur, vt ſe criminibus dedat? Hieremiæ cap. 7 dictum eſt: *Tu ergo noli orare pro* *Ierem. 7.* *populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem; & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te. Nonne vides, quod iſti, faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem?* Mirabar à Deo contemni tanti viri deprecationem; quando enim Deus vel Sanctorum ſuorum nutum exaudit, eus in Hieremiam adeò durus eſt, vt affirmet ſe illum non exauditurum?

Ipſe cauſam oſtendit illis verbis: *Nonne vides, quod iſti faciunt in plateis Ieruſalem.* Circa quæ Theodor. ait: *Inhibet Propheta, ne vllam pro eis ſupplicationem offerat. Non enim exaudiam te, ait. Et oſtendens quàm iuſtè eos auerſatur, ſubiunxit: Num vides, quid ipſi faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem?* Quippe omnis Dei durities, & ſeueritas in peccatores, inde maximè iuſtificatur, quod ipſi non ſolitudinem, ſed frequentias quærant ad peccandum. Theodor.

§. IX.

Stultorum iudicium eſt, quòd vt ſimplex malum tollat, admittit duplicatum.

QVis ignoret, quàm ſtultè decernant huius interfecti iuuenis cognati? De illis ait defuncti mater: *Ecce conſurgens vniuerſa cognatio aduerſum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percuſſit fratrem ſuum, vt occidamus eum,* &c. Pro filio viduæ occiſo volunt eius occidere filium alterum, vt quæ lugebat vnum, lugeret duos; & cognatio vno propinquo orbata, duobus orbaretur. Quis non rideat & medelam, & ſatisfactionem talem? Sic ſtulti iudicant, nùm pro vna tollenda iniuria, duabus ſuſtinendis parantur. Seneca lib. 10. declam. 3. ſic proponit: *Dementiæ ſit actio. Bello ciuili virum quædam ſecuta eſt, cum in diuerſa parte haberet patrem, & fratrem. Victis partibus ſuis, & occiſo marito, venit ad patrem, à quo recepta ait patri: Quemadmodum vis tibi ſatisfaciam? Ille reſpondit: Morere. Suſpendit ſe ante ianuam eius. Accuſatur pater à filio dementiæ.* Et meritò dementiæ, & ſtultitiæ fit reus, qui iniuriam ſibi illatam diſceſſione filiæ, ſatisfieri credidit eiuſdem filiæ occiſione. Quid dementius quàm vnius damni iniuriam tolli velle, duplo maiori alio ſibi illato? Timebant Phariſæi, ne viuente Ieſu Romani venirent, & ciuitatem ſanctam expugnarent, & ideò Ieſum morti tradiderunt Ioan. 11. Quò ſpectans ait Hierem 17. *Paueant illi, & non paueam ego. Induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos Domine Deus meus.* Expende qualis fuerit pauor Iudæorum, nimirum pauor fuit, qui pro tollendo metu de vna ciuitate perdenda, in Ieſu occiſione, totius regni terreni, & cœleſtis perditiones vorauit. Quid ſtultius? Rupert. lib. 10. in Ioann. ait: *Sic intenderunt arcum conuentus ille malignantium, & multitudo operantium iniquitatem,* &c. *Paueant, inquam, illi vnam contritionem, ſcilicet, illam, ne fortè veniant Romani, & tollant eorum locum, & gentem; & duplicem contritionem incurrant, videlicet, vt & Romani venientes tollant eorum locum, & gentem, & maligni ſpiritus aduolantes tollant animas, & corpora quaque in gehennam ſemper vrentem.* Sic iudicant malignantes, ſic decernit maligna, & ſtulta multitudo, quæ pro vnius mali remedio, ſe ſolet deuouere malo duplicato. Prædicabat Ieſus ſtantem in cœlo Stephanus Actor. 7. clamans: *Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* Quam prædicationem minimè ſuſtinentes Iudæi, ne Ieſus glorificaretur in terra, eius prædicatorem interimere iurarunt. *Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem,* &c. Et quo fructu? Planè interfectionis Ieſu malum in morte miniſtri eius duplicabant, & pœnas ſuas duplicarant magis. Vt dicat D. Auguſtin. ſerm. 6. de ſancto Stephano factus: *Quid vobis profuit Iudæi, quia interfeciſtis filium Dei, & filij Dei martyrem lapidaſtis? Ecce duplo labefacti eſtis, quia ciuitatem veſtram amiſiſtis, & ipſum lapidatorum Principem perdidiſtis, & de ciuitate ſancta eradicata eſt iſta planta. Impleta enim eſt in Iudæa maledictio illa Dauidica: Propterea Deus deſtruet te, in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem de terra viuentium.* Sic ſtultiſſimi homines, vt vni medeantur malo, ſe deuouent malis duplicatis.

Ierem. 17.

Rupert.

Actor. 7.

Auguſt.

Seneca.

2. *Reg.* 14. Qui ait: Viuit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui ſuper terram. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad Dominum meum Regem verbum. Et ait; loquere. Dixitque mulier: Quare cogitaſti huiuſcemodi rem contra populum Dei, & locutus es verbum iſtud, vt peccet, & non reducat eiectum ſuum? Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: nec vult Deus, *&c.*

§. X.

Capitalium legum rigores temperandi ex circunſtantiis.

ARguitur ſententia Dauidis, dicentis: *Quia non cadet de capillis filij tui ſuper terram.* Stabat enim lex Numer. 35. cauens: *Si quis ferro percuſſerit, & mortuus fuerit, qui percuſſus eſt, reus erit homicidij, & ipſe morietur.* Imò magis ad rem præſentem accedendo ait: *Propinquus occiſi, homicidam interficiet, ſtatim vt apprehenderit eum, interficiet.* Quomodo ergo Dauid potuit contra has leges expreſſas parricidam illum viduæ filium à morte liberare? Quem lex diuina damnabat, cur Dauid abſoluit? Erat mater ipſius occiſi, quæ vitam occiſoris petebat, & incolumitatem; erat item in occiſoris interemptione maius damnum familiæ, & propinquis ipſius occiſi inferendum. Vnde occiſorem talem ſapienter putauit Rex minimè comprehenſum legibus illis, quæ magis in eius fauorem erant interpretandæ ex illis circumſtantiis. Nunquam enim capitalium legum rigores non ſunt ex circunſtantiis commodi, aut incommodi partium interpretandi. Cauebant legibus Romani, vt manus amputarentur, illius qui patrem percuſſerit; quidam autem filius coactus à potentiſſimo tyranno percuſſit patrem. Qui poſtea & tyrannum occidit, & patrem maximè extulit. Nihilominus accuſatus fuit apud Senatum, quòd patrem percuſſiſſet, & petebatur ad pœnam. Quid tunc? Pater pro illo ſtabāt, & eius contendebat liberationem, obiicientibus autem legum rigorem ait apud Senecam lib. 9. declamat. 4. *In lege*, inquit, *nihil excipitur. Sed licèt multa non excipiantur, intelliguntur. Et ſcriptum legis anguſtum eſt, interpretatio diffuſa eſt. Quid intereſt lege excipere, ne fraudi ſit ei, qui per inſaniam, patrem pulſauerit, cum illi non ſupplicia, ſed remedia opus ſit?* Sapientiſſimè hoc dictum eſt, quòd in ſtrictiſſimis, ſeueriſſimiſque legibus, intelligi debeant exceptiones ex circunſtantiis, non tam ſupplicium, quam remedium poſtulantibus. v. g. iubet lex percuſſorem occidi; ſed ſi percuſſor ſit inſanus, aut infans; etiamſi de iis nihil pronuntiet lex, tamen excipiendi ſunt à legis ſeueritate. Quia hi non ſupplicio, ſed remedio opus habent. Iubet lex, vt occiſi propinqui, & cognati occiſorem perimant, ſed ſi occiſor ſit occiſi frater, & ſi nihil de illo excipiendo dicat lex, tamen exceptio eius debet intelligi, vbi parens poſtulat, & in eius ſupplicio cernitur maius damnū. Ibi enim nō ſupplicium, ſed remedium requiritur. Hinc eſt, quòd poſitus in cruce Dei filius clamabat ad Patrem Luc. 23. *Pater dimitte illis quia neſciunt, quid faciunt.* Et quando iuſtitia petebat vindictam pro adeò immani delicto, quo Dei filius interficiebatur, vnde illis poterat venia obuenire? Cur non magis iuxta diuinæ iuſtitiæ leges in illos ſupplicium flagitat? Equidem ex parte ignorantiæ reorum erat circunſtantia, non tam ſupplicium poſtulans, quàm remedium, quod præſtando tunc magis Rex cœleſtis inſtabat. Ait Arnold. Carnotenſis tract. de ſeptem verbis ad illud: Vt quid dereliquiſti me? *Cùm enim ipſe ad hoc vitatur, vt ſaluentur: Iudæi ad hoc, vt damnentur; plus debet apud Deum poſſe filij charitas, quàm populi cæcitas: quia & hoc non minimum habet pondus, quòd cauſæ huic non patrocinatur alienus, ſed filius; neque Reipublicæ commodum ex hac indulgentia minuitur, ſed augetur; ideoque nec legibus, nec iudici derogat, ſi temperatur ſententia.* Vbi enim partium commodum augetur, & poſtulantis auctoritas accedit, non derogatur legibus, etiamſi ſententia temperetur.

Num. 35.

Seneca.

Luc. 23.

Arnol. Carnot.

§. XI.

Optimo Principi, non mediocri dolori ſint ſuorum peccata.

SApiens mulier, illud in Abſalone eiecto proponit in primis, quòd magis ſanctiſſimum Dauidem mordeat, nimirum

nimium peccandi occaſiones in terra idololatrarum. Ait enim: *Quare cogitaſti huiuſcemodi rem contra populum Dei, & locutus eſt Rex verbum iſtud, vt peccet*, &c. Quibus eò tendere verbum Dauidis de exilio Abſalonis oſtendebat, vt illi occaſionem peccandi daret moranti in terra alienigenarum. Et quid ad Dauidem, quòd Abſalon peccaret? Planè optimo Principi, illud maximo debet eſſe dolori, quòd ſuos videat ire in peccata. Vbi cœleſtis Rex Ieſus in cruce apparuit, illa prima verba inter tot dolores emiſit, nimirū: *Pater dimitte illis, quia neſciūt, quid faciunt*, Luc. 23. *Luc. 23.* Quibus peccatis Iudæorum quærebat aliquod leuamen ex ignorantia. Sed erant tunc temporis Ieſu acerbiſſimi omnium dolores ex cruce, & clauis, & ſpinis manantes, pro quibus leuandis nec verbulum facit, & ſolùm loquitur pro leuandis Iudæorum peccatis. Et cur, ò Princeps hominum, non priùs tractas de tuis doloribus leuandis? Acerbiſſimi erant illi dolores, ſed multo acerbiora erant illi ſuorum peccata, quæ in primis tollere ſatagit. Arnol. Car. Vt meritò dicat Arnold. Car. tract. de ſeptem verbis in 1. fatus: *Parricidalium mentium intuens vota, non tam clauorum acumine, quàm illorum crimine pungebatur.* Non ſic optimum Principem claui, aut crux pungebant, vt ſuorum peccata eius animum fodicabant. Et in tantum dolebat de ſuorum peccatis, vt non ſolùm tunc non ſentiret alios corporis dolores præ illis, ſed & poſtea immerſus æternæ fœlicitati, adhuc ſeſe oſtendat quaſi dolentem, dum ſui in peccatis maneant. *Leuit. 10.* Cauebat Leuit. 10. *Dixit Dominus ad Aaron: Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu, & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij.* Alij legunt, *Cum intrabitis in tabernaculum teſtimonij, aut cùm accedetis ad altare.* Interdicitur Aaroni vinum eo tempore, quo ad altare accedit. Et cur Sacerdoti magno accedenti ad altare vinum interdicitur? Ibi Ieſum meum lex meditabatur, dum iam in æterno tabernaculo exiſtens, adhuc peccantium hominum cauſas apud patrem agit: Cui vinum interdicitur; quia, vt in vino lætitia oſtenditur, ſic Ieſus ſine lætitia, & multo mœrore plenus repræſentatur, dum in ſuis ſpectat Cyrill. Alex. peccata. Ait D. Cyril. Alex lib. 7. in Leuit. *Nec putandum eſt, quòd Paulus lugeat pro peccatoribus, & fleat pro delinquentibus: Dominus autem meus Ieſus abſtineat à fletu, cùm accedit ad patrem, cùm aſſiſtit altari, & propitiationem pro nobis offerre. Et hoc eſt accedentem ad altare non bibere vinum lætitiæ, quia adhuc peccatorum noſtrorum amaritudines patitur.* Quippe inter beatitudinis infinitæ dulcedines ſi quæ amaritudo ſentiri poſſet, illa ſola à Ieſu meo ſentiretur, quæ ſola à ſuorum peccatis venit. Sic potens eſt ſubditorum peccatum optimi Principis animum lancinare, & dolentem facere. Matth. 26. *Matth. 26.* dicebat Dominus: *Amen dico vobis, quia non bibam de generatione vitis huius, vſquequo bibam illud nouum vobiſcum in regno patris mei.* Et cùm vinum ponatur ad lætitiam ſignificandam, mirabar, quòd Ieſus dicat à ſe non eſſe lætitiam guſtandam donec cum omnibus ſuis ſit in regno patris. Et quandiu tui ſunt adhuc in hoc mundo, cur tu in regno patris exiſtens lætitiam non guſtabis? Vt exiſtentes in mundo non poſſunt eſſe ſine peccatis, ſic ſe oſtendit Ieſus, quaſi non poſſit eſſe ſine dolore, etiam in regno patris, dum ſuos Cyril. Alex. videt peccare. Ait D. Cyril. Alexand. ſuprà: *Videamus nunc, quomodo ſaluator noſter non bibit vinum, vſquequo bibat illud nobiſcum nouum in regno Dei. Saluator meus luget etiam nunc peccata mea, ſaluator meus lætari non poteſt, donec ego in peccatis permaneo*, &c. *Eſt ergo tandiu in mœrore, quandiu nos perſiſtimus in iniquitate.* Dum nos ad regnum non peruenimus, dum in terra aliena degimus, dum in peccandi occaſionibus ambulamus, Princeps noſter vel in ſuo regno adhuc lugens, & mœrens pro nobis vult intelligi. Vt hinc diſcamus, quàm debeant boni Principes in ſuis dolere peccata.

§. XII.

Quæ neceſſariò ventura ſunt mala, parui pendendum eſt, quod citiùs veniant.

OCciſi filij dolorem inde intendit leuare prudens fœmina, quòd occiſus fuerit, qui tandem moriturus erat. Ait enim pro illo leuando: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur*, &c. Quaſi dicat: Quid, quòd Amnon filius tuus interfectus eſt, nonne omnibus hominibus moriendum erat? Quæ ergo mors neceſſariò ventura erat, quis ſapiens non parui pendat, quòd celeriùs venerit? Et quidem maximè inde leuandæ ſunt malorum feſtinationes, nimirum ſi eiuſmodi mala tandem neceſſariò ventura erant. Peccauit Dauid aliquando populum recenſens, in cuius peccati vindictam immiſit Deus peſtilentiam in populum 2. Reg. 24. *Et mortui ſunt ex populo à Dan, vſque ad Berſabee ſeptuaginta millia virorum.* 2. Reg. 24. Quis tantam virorum ſtragem non horreat? Sic Domine propter vnius hominis peccatum, nec adeò magnum, tot hominum facis neces? Cur hæc pœna non videatur culpam excedens? Fortaſſe magna eſſet hæc pœna, ſi qui interfecti ſunt, nunquam morituri eſſent; at quando omnes tandem neceſſariò erant morituri, participandum eſt, quòd paulo ante fuerint interfecti. Qua ratione configens hæreticum blaſphemum D. Auguſt. lib. 1. contra Auguſt. aduerſarios leg. & Proph. finit. *Horum mortibus, non æternis, ſed tam tam humana conditione venturis, & celeriter tranſituris fuit flagellatus, quorum fuerat multitudine elatus.* Expende, vnde Auguſtinus minuat acerbitatem flagelli, nimirum ait: *mortibus tam tam humana conditione venturis*; ſi enim mors nunquam illis aduentura eſſet, acerbiſſimum erat, quòd interficerentur, at quando illis mors datur, quæ neceſſariò ex ſe erat ventura paulo pòſt, hoc parui refert apud virum ſapientē. Idem. Similiter Heli filij neglexerant Dei ſacrificia, propter quod neglectum occiſi ſunt, dicente textu 1. Reg. 5. *Duo quoque filij Heli mortui ſunt.* Quorum occiſionem nimiæ 1. Reg 5. Dei ſeueritati tribuebat Hæreticus; verùm D. Auguſt. vbi ſuprà, inde illum mortis rigorem temperat, quod mortui fuerint, qui paulo pòſt morituri erant. Ait enim: *Quòd neglectum Deus non ſibi conſulens, ſed populo, cui religio pietaſque profuiſſet, bello etiam vindicauit, per eorum mortes, qui fuerant, & ſi ſeneſcerent, poſt non longa ſpatia temporum morituri.* Auguſt. Et quidem non magni momenti eſt vindicta per mortem, quæ, velis, nolis, tandem ipſa neceſſariò erat ventura. Imò multi pro ſolatio habent in primis pati, quod poſtea neceſſariò erant paſſuri. Lib. 2. Machab. cap. 7. ſeptem fratres occiſurus tyrannus *iuſſit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam*, &c. 2. Machab. 7. Maiorem natu vocauit ad pœnam primò; quod illi, non tam dolori fuit, quàm lætitiæ. Ait enim D. Ambroſ. lib. de Iacob, & vita beata cap. 11. *Iuſſit maximum natu eligi. At ille ridens: Rectè, inquit, naturæ ordinem ſeruas. Et pro pietate, inquit, omnes maximi ſumus, ſed tamen à me inchoatum gaudeo.* Ambroſ. Itaque gaudio tribuit, quòd in primis cogatur mori, qui poſtmodum neceſſario erat moriturus. Scio tres pueros Hebræos miſſos in ardentem fornacem, inde immunes exiſſe. Ait enim Daniel cap. 3. *Contemplabantur viros illos, quoniam nihil poteſtatis habuiſſet ignis in corporibus eorum*, &c. Dan. 3. Illæſi itaque, & viuidiores exierunt ab igne; non ſic Machabæi ſeptem fratres, ſed vnà cum matre fuerunt ab igne conſumpti, dicente textu 2. Machab. 7. *Poſt filios & mater conſumpta eſt.* 2. Mach. 7. Et quando tres pueri ab igne liberati ſunt, cur Machabæi non fuerunt liberati? Ait D. Auguſt. ſerm. 110. de diuerſis cap. 3. *Fratres mei, ſicut Chriſtiani intelligite. Machabæi meliùs, & tutiùs liberati ſunt.* Auguſt. Sapienter meliorem, & tutiorem putat Machabæorum liberationem, quam liberationem trium puerorum. Machabæi enim in primis abſoluerunt mortis mala, quæ poſtea abſoluturi neceſſariò erant, & citò poſiti ſunt in tuto. Tres pueri non euaſerunt, sed diſtulerunt mortem, in quam tandem erant peruenturi, & interim ſub eius metu victuri. Quod non adeò felix habebitur à prudenti viro.

§. XIII.

Corporis mortem parui pendit Deus, non ſic animæ mortem.

TAndem Amnonis mortem mollit prudens mulier apud patrem eo, quòd mors corporis fuerit, quæ à Deo parui penditur. Dicit enim: *Omnes morimur, & ſicut aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: nec vult Deus perire animam*, &c. Quaſi dicat; Deus qui maximè abhorret à morte animæ, illamque multis amouere nititur; corporales mortes paſſim permittit, & nos omnes in mortem corporis facit ire. Et qui maximè cauet mortem animæ, nihili pendit mortem corporis, adeò vt vel immerenti

non

non dubitet aliud inferre. Cùm Dauid peccauit populum numerando, peſtis immiſſa à Deo eſt, quæ paucis horis ingentem multitudinem vorauit. Ait enim 2. Reg. 24. *Et mortui ſunt ex populo à Dan vſque ad Berſabee ſeptuaginta millia virorum.* Rex peccat, & populus, qui non peccabat, interficitur, nec miror, nam temporalis mors corporis ſæpiſſimè ſolet immitti à Deo iis, qui non peccarunt, pro illis, qui peccauerant. Vt ſapienter dicat D. Auguſtinus lib. 1. contra aduerſarios leg. & Prophet. *Mortibus quippe corporis legimus alios etiam mortuos propter non ſua ſed aliena peccata,&c. Animarum verò morte alius pro alio plectitur nemo.* Quod cauet Deus in mortibus animæ, ne qua anima pro alia moriatur, hoc non cauet in mortibus corporis, docens, quàm nihili faciat, quòd quis mortem corporis patiatur. De cultoribus Beel-Phegor, iuſſu Dei Numer. 25. *Occiſi ſunt viginti quatuor millia virorum.* Quam occiſionem hæreticus homo maximè exaggerabat, vt indignam mitiſſimo Deo, & propriam Deo aliquo crudeli, & inexorabili. Heu nequam homo! ſic obiicis Deo mortem viginti quatuor millibus illatam? Quantula hæc pœna eſt? Nonne & hanc ſuſtinent paſſim plurimæ immerentium turbæ? Equidem nihili fit apud Deum mors temporaria, qua ſolum corpus cadit. Ait D. Auguſtin. vbi ſuprà: *Viginti quatuor millia cadentium, tanto buccarum ſtrepitu inflat inſaniens, quaſi non innumerabilia millia quotidie moriantur in toto orbe terrarum. Sed tranſitoria iſta corporum mors eſt.* Non mirandum, quòd viginti quatuor millia occidantur, quando quotidie naturaliter multo plura millia moriantur, & denique vniuerſi homines morituri ſunt. Sed vt hæ corporum mortes tranſitoriæ ſunt, ſic Deus illas nihili facit. Imò iubemur non timere eos, qui corpus occidunt, non enim à ſapientibus timenda eſt mors corporis, quæ tranſit, ſed maxime timenda eſt mors animæ.

2. Reg. 24.
Auguſt.
Num. 25.
Auguſt.

§. XIV.

Stabilitas, & firmitudo in virtute Dei amica, & ſocia.

ILlud ſtabilitatis, & firmitatis bonum proponit hæc mulier, nimirum quòd ſocium habeat Deum, & amicum. Sic enim, vt ſententiæ ſtabilitatem perſuadeat Dauidi, dicit: *Sicut enim Angelus Domini eſt Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur: vnde & Dominus Deus tuus eſt tecum.* Ex eo, inquit, quòd nullis aduerſis, aut proſperis à ſententia bona dimoueretur Dauid, ſed in ea firmius ſtaret, & hoc de illo dicitur, quod Deum ſecum habeat. Eſt equidem ſtabilitas in bono ſocia, & amica inſeparabilis Dei. Matth. 16. dicebat Ieſus: *Amen dico vobis, ſunt quidam de hìc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem*, &c. Expende illa, *de hìc ſtantibus*; ſtantes enim eum ſua præſentia coniungit, vt intelligantur ſtabiles, & firmi ſemper Deo aſſociari. Vt dicat Orig. hom. 3. in Matth. *Quæ autem videntur mihi in loco præſenti, ſunt iſta: erant quidem ſtantes, vbi ſtabat Ieſus, & fundatas habentes apud Chriſtum animæ baſes. Iſti ergo ſtabant ibidem apud Ieſum, id eſt, verbum Dei.* Qui ſtabilitate animæ, & firmitudine effulgebant, ibi ſtabant, vbi Ieſus, vbi Dei filius ſtabat. Nec poterat videri ſtabilitas in bono niſi Ieſu aduocata, & aſſociata. Felix qui ſtabilis, & firmus eſt in virtute, qui Ieſum filium Dei ſocium, & amicum habet. Cui maximè contrariatur, vbi ab ſtabilitate cadit. Notanter Matthæus 27. poſt Ieſum crucifixum propoſitum ait: *Prætereuntes blaſphemabant eum mouentes capita ſua*, &c. Expende, qui ſint, qui Ieſu aduerſantur, contrariantur, nimirum, *prætereuntes*, hoc eſt, qui nulla ſtabilitate nõ fundatur. Vnde Orig. homil. 35 in Matth. *Prætereuntium ergo, & declinantium opus eſt Ieſum blaſphemare.* Non equidem ſtabiles, & firmi, ſed mobiles, & inſtabiles blaſphemant, & à ſe abiiciunt. Vt enim ſtabilitas ſignum eſt præſentis Dei; ſic nullo clarius oſtenditur Ieſus abſens, quàm vbi homines ſeſe præcipitant in malum. Matth. 8. dum Ieſus ambularet in terra Geraſenorum, permiſit ſpiritibus immundis, vt ab homine exeuntes ingrederentur in vicinum gregem porcorum. *At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt.* Et cur Dominus ſic voluit gregem Geraſenorum præcipitari? Vt oſtenderet, quales futuri erant Geraſeni, & omnes homines, à quibus abeſt Ieſus. Vbi enim Ieſus ab homine diſcedit, ſeſe homo præcipitem dabit in mala omnia. Ait Rupert. lib. 7. de Glor. & hon. fil. hom. *Geraſeni non ſolum non crediderunt, cùm tantas virtutes vidiſſent, verùm etiam rogauerunt eum, vt diſcederet à finibus eorum. Diſceſſit autem & contigit eis, ſicut & cæteris regionibus, ſecundum ſimilitudinem porcorum ipſorum, qui à dæmonibus agitati per præceps in mare abierunt & mortui ſunt.* Itaque vt porci agitati à dæmonibus per præceps ruerunt, ſic illi, à quibus Chriſtus diſcedit, & qui non habent Chriſtum, nullam ſtabilitatem habent, ſed quouis vento agitati ſeſe præcipitant.

Matth. 16.
Orig.
Matth. 27.
Matth. 8.
Rupert.

§. XV.

Deum verum abnegabit, qui aura populari mouetur.

SApienter dixit illa: *Sicut enim Angelus Domini eſt, ſic Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur: vnde Dominus Deus tuus eſt tecum.* Sapienter, inquam, aſſerit Deum eſſe cum illo, qui populari aura non mouetur. Qui enim populi benedictionibus rapitur, aut maledictionibus, longiſſimè à ſe abiicit Deum, imò & negabit Deum eſſe. De quo non minus ſapiens eſt illa diſputatio poſita à Hieronymo Oſorio lib. 2. de Gloria: in qua dum numerantur monſtra, quæ parat homo ad populi auras aucupandas compoſitus, ait: Primum legum vtilitatem, quæ à diuina mente ad humanæ vitæ cultum defluxit, è medio tollere contendit. Deinde, quod eſt longè grauius, Chriſti religionem, & ſanctitatem deſpicit; atque populi cæcam, & amentem opinionem ſplendori diuinæ lucis anteponit, &c. *Tandiu igitur Chriſtiani nomen retinebit, quandiu id ſibi per populum licuerit. Vbi verò caſus aliquis inciderit, in quo populi leges iubeant à Chriſto deficere, repentè Chriſti leges infringet, & quantum in illo erit, omnia Chriſti ſacra conturbabit.* Equidem non poteſt retinere in ſe Deum, qui rapitur popularibus fauoribus; ſed pro vt aura popularis flauerit, ipſe vel ad Deũ, vel ad alia monſtra Dei aduerſaria ibit. Nota eſt Aaronis hiſtoria ex Exod. 32. quãdo coniecit aurũ in fornacem, & formauit vitulum, *Quod cum vidiſſet Aaron, ædificauit coram eo*, &c. Quis hoc crederet de Aarone? Quis de homine veri Dei religione inſtructo ſperaret, quod ad vitulum adorandum iret? Vnde tantus vir ad tam immane potuit venire præcipitium? Ait Lypoman ibi: *Stupenda Aaron tentatio, quomodo potuerit ſic decipi, & ſuperari, vt neglecto Deo certo, & agnito, populo tam ſtulto acquieſceret in tam nefario facinore. Et vnde, obſecro, tam ſancto viro tam grauis caſus accidit? Certè non aliunde, quàm quòd oculos ſuos ſtatuit declinare in terram, & à voluntate Dei deflexit eos ad fauorem vulgi.* Homo ſanctus, & religioſus erat Aaron, & in veri Dei fide religione videbatur firmiſſimus, vbi autem oculos declinauit ad fauorem vulgi relicto Deo ad vitulum cucurrit. Ex quo meritò dicebat Dominus Iudæorum principibus Ioan. 5. *Quomodo poteſtis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Circa quæ D. Cyril. Alexand. lib. 3. in Ioan. cap. 7. ait: *Quaſi enim natura neceſſarioque accidit omnibus, qui gloriam hominum venantur, vt gloriam Dei amittant, & à ſolo Deo decidant. Hoc Paulus apertiſſimè dicit. Si enim hominibus placerem*, inquit, *Chriſti ſeruus non eſſem.* Facilè contemnitur, imò & reiicitur Chriſtus, vbi popularibus auris viuitur.

Exod. 32.
Lippom.
Ioan. 5.
Cyril. Alex.

2. *Regum.* 14. Vt verterem figuram ſermonis huius ſeruus tuus Ioab præcepit iſtud: tu autem Domine mi Rex ſapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia ſuper terram. Et ait Rex ad Ioab: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & reuoca puerum Abſalon. Cadenſque Ioab ſuper faciem ſuam in terram, adorauit, *&c.*

§. XVI.

§. XVI.

Quam ſententiam dederis in alienis, eamdem in tuis dabis.

QVod decreuerat facere Dauid filio viduæ fratris occiſori, hoc in ſuo filio facit, dicens ad Ioab: *Ecce placatus feci verbum tuum, vade ergo, & reuoca puerum Abſalō.* Non aliter in alienis, & aliter in ſuis iudicat, ſed quam ſententiam viduæ dederat, de filio eius parricida liberando, eamdem ipſe in ſuis patitur, dum iubet ſuum parricidam in domum incolumem reuocari. De Ieſu meo mirabar, quòd non ſolùm voluerit crucifigi, & mori pro hominibos, ſed inſuper voluerit & pro illis terræ mandari. Matth. enim 27. *Accepta corpore Ioſeph inuoluit illud ſindone munda, & poſuit illud in monumento ſuo noua quod exciderat in petra.* Et cur Ieſus non magis horruit atrum ſepulchri carcerem? Cur viuificandum ſtatim diuiniſſimum cadauer terræ mandat? Rationem attigit D. Damaſc. homil. in Sab. ſanct. ſatus: *Qui hominem, vt in terram conuerteretur, damnauerat, in terra ſepultus, obliuionique traditus nunc annumeratur.* Sententiam dederat olim, quòd homines terræ mandarentur, quam ſententiam adeò in ſe obſeruauit, vt ipſe moriens in cruce ſuum corpus terræ mandaret. Eadem quippe menſura & alios, & ſe menſus eſt. Nec nouum aliquid ſuis referuauit, quod alienis in ſimili non dederit: ſed & ſua, & aliena eidem ſententiæ ſubiecit. In 1. Reg. 5. ait textus: *Pugnauerunt ergo Philiſthiim, & cæſus eſt Iſrael, & fugit vnuſquiſque in tabernaculum ſuum, & facta eſt plaga magna nimis, & ceciderunt de Iſrael triginta millia peditum. Et arca Dei capta eſt.* Non miror, quòd iuſtus Dominus Iudæos improbos tradat hoſtibus percutiendos, illud magis mirandum quod ſimiliter eiſdem hoſtibus tradat arcam ſuam. Et cur non ſolùm Iudæos, ſed & arcam ſuam eiſdem hoſtibus tradidit? Io eo oſtendebat, quod & poſtea fecit, tradens populum Iudæorum Romanis, & armis, & ſimiliter Eccleſiam ſuam. Vt pateret omnibus, quàm in ſimili re & alienos, & ſuos eidem ſententiæ ſubiiciat. Ait Rupert. lib. 1. in lib Reg. cap. 14. *Sed & arca Dei capta eſt. Iā iam euangelicam legis proſequamur intelligentiam, eiſdem Romanorum armis, eiſdem imperatorum gladiis, quibus ille populus obſeſſus, conciſus, & in omnes gentes captiuus ductus eſt, eiſdem, inquam, Eccleſia Dei, quæ eſt corpus Chriſti capta, & ab eiſdem perſecutionem paſſa eſt.* Tradidit Deus Iudæos Romanis, ſed & Eccleſiam ſuam, quæ eſt corpus Chriſti, eiſdem tradidit perſequendam, vt & in ſuo corpore faceret, quod fecit in alienis.

Matth. 27.

Damaſcen.

1. Reg. 5.

Rupert.

CAPVT V.

Abſalon reducitur.

TEXTVS HISTORIA.

HIEROSOLYMIS excedens Ioabus ad Geſſuris vrbem ſe contulit, & expectantem Abſalonem grato nuntio deliniit, ſecumque iuuenem in propriâ domum reuocat. Vbi etſi omnia experiebatur læta, illud acerbiſſimè ferebat, quòd non permittebatur venire in patris conſpectum. Nouerat enim Rex feruidum adoleſcentis animum, & cauerat, ne ad ſe veniret, vt illo ſtimulo & facinoris frequentiùs recordaretur, & ſub aliquo viueret diutiùs metu. Duobus annis egit in propria domo, & patria exul, tam longique exilij impatiens ſemel, & bis Ioabum vocabat, vt eius induſtria in integram lætitiam reſtitueretur. Surdeſcebat Ioab, ſed ſurdum fecit audire Abſalonis violentia, qui incēdi iuſſit hordeaceas eius meſſes. Ad hæc queribundus ille ad Abſalonem venit, & iuuenis impatientiam diſcit, qua oſtendebat ſe gratius in alienis animam egiſſe, quàm in propriis eſſe, & patrem non videre. Referuntur iſta per Ioabum parenti, qui lætus filium vocat, arctiſſimiſque excipit amplexibus.

MORALIA CIRCA textus litteram.

NON patitur Dauid ad ſe ingredi Abſalonem occiſorem Amnonis, vt timeamus nos diuini patris conſpectu priuati, ſi duri ſumus in fratres.

2. *Regum* 14. Surrexit ergo Ioab, & abiit in Geſſur, & adduxit Abſalonem in Ieruſalem. Dixit autem Rex: Reuertatur in domum ſuam, & faciem meam non videat. Reuerſus eſt itáque Abſalon in domum ſuam, & faciem Regis non vidit, &c. Nati ſunt autem Abſalon filij tres, & filia vna, nomine Thamar, elegantis formæ. Manſitque Abſalon in Ieruſalem duobus annis, *&c.*

§. I.

Reproborum eſt nimium admirari bona temporalia, ab eiiſque ſolidum aliquid ſperare.

MVlta prætermiſit diuinus ſcriptor de pompa redeuntis Abſalonis ab auo ad patrem, ſolumque ait de Ioab, *& abiit in Geſſur, & adduxit Abſalonem in Ieruſalem.* Qua autem pompa auus eius reditum adornarit, qua lætitia ad generum ſcripſerit; quo cultu adoleſcens rediret, qua frequentia Principum exceptus fuerit. Hæc omnia quæ ad gloriam reditus pertinebant, conſultò prætermiſit diuinus ſcriptor, vt notat ibi noſter Salianus. Et cur diuinus ſcriptor illa prætermiſit? Quid enim magis proprium eſt hiſtoricorum omnium, quàm ſtuporem facere hominibus deſcriptione pomparum in aduentu Principum? Quando ergo hæc ad hiſtorias pertinent, cur diuinus ſcriptor illa præteriuit in Abſalonis reditu? Planè ſcriptor tacet nil mirandum inuenit in pompis, & gloriis temporalibus; quas non boni viri, ſed reprobi homines mirabundi ſolent ſpectare. Mirabatur quondam Ioannes in repræſentatione ingentis gloriæ, qua fulgebat Babylon ſub nomine meretricis magnæ. Et dum miratur tantam gloriam, venit Angelus Domini ad eum Apocal. 17. qui ait: *Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ, quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem. Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram, quorum nomina non ſcripta ſunt in libro vitæ à conſtitutione mundi, videntes beſtiam*, &c. Expende vt miratus Ioannes de gloria mulieris, & beſtiæ reprehendatur ab Angelo, & dicatur illi: Quare miraris? Sed & omnes inhabitantes terram dicuntur miraturi videntes beſtiam, & tamen non ideo reprehenduntur, nec eſt Angelus, qui dicat eis: Quare miramini? Cur ergo Ioanni interdicitur admiratio, quam omnes illi habent? Vt Ioannes bonus, & ſanctus erat, ſic non debebat mirari illam gloriam, & pompam ſæcularem, quæ in momento diſparet, ſed magis debebat illam præterire, quaſi non eſſet. Solum enim mirantur, & auidè ſpectant illi, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ, ſed reprobi ſunt. Pulchrè ait Rupert. lib. 10. in Apocal. *Mirabuntur illi, quod ego te nolo mirari, arguens te, & dicens: quare miraris. Mirentur illi, qui cælum non aſpiciunt, ſed terram ſicut corpore, ita mente inhabitant, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ, id eſt, quos Deus ad vitam non prædeſtinauit. Illi mirabuntur, & ſemper mirati ſunt magnitudinem beſtiæ, ſiue pulchritudinem meretricis, purpuram eius, coccinum eius, aurum eius, pretioſos lapides eius, margaritas eius.* Non equidem iuſti, ſed reprobi ſtupent ad bona mundi, illaque ſuſpiciunt.

Apocal. 17.

Rupert.

ſuſpiciunt, quaſi inde tota ſua fœlicitas pendeat. Quos non ineleganter repræſentat. Hierem. Threnor. 2. inquiens: *Matribus ſuis dixerunt: Vbi eſt triticum, & vinum, cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis*, &c. Dixerunt equidem matribus ſuis, non patri ſuo; in patre enim intelliguntur bona cœleſtia: in matribus autem ſola intelliguntur bona carnalia, voluptuoſa & delitioſa bona mundi; ij autem miſeri deficientes, & egentes non patrem ſuſpiciunt, ſed matres ſuas, hoc eſt, non Deum, ſed carnalia bona ſtupent, ab illiſque petunt triticum, & vinum, ſub qua petitione miſerè pereunt. Et cur pereant ſub petitione panis, & vini? Nonne panis confirmat, & vinum lætificat cor hominis? Vnde malum eſſe illis poteſt, quòd & confirmationem, & lætitiam cordis petant? Non has petunt à patre cœleſti, ſed à voluptuoſis, & carnalibus bonis mundi, qui mirantes ſtupent. Ait ibi Paſcaſ. *Si cum patre eſſent, aut ad patris domum redirent, animas fame non exhalarent. Sed quia caro eos decepit, erant, etſi non in eo, quòd panem vinumque requirunt, ſaltem quòd in carne torpentes ab ea iſta petunt.* Miſeri errones ſola carnalia, & temporalia bona ſtupent, ab illiſque ſperant, quidquid confirmationis & lætitiæ cordis cupiunt.

Thren. 2.
Paſcaſ.

§. II.

In Dei, virtutiſque obtinendæ cauſa, affectibus humanis non cedendum.

NOn oſcitanter nomen patris in Dauide, & nomen filij in Abſalone, in præſenti ſiletur. Ait enim text. *Dixit autem Rex: Reuertatur in domum ſuam, & faciem meam non videat.* Et quis reuertatur? Quando de filio Abſalone reducendo in propria loquitur, cur filium non exprimit? Cur non dicit: Reuertatur filius, ſiue Abſalon? Adhuc curabat Deo, & iuſtitiæ ſatisfactionem reddere in punitione parricidæ: vbi autem Dei virtutiſve cauſa ſpectatur, affectibus humanis non eſt cedendum. Ioan. 19. cùm Ieſus eſſet in cruce ſatisfaciens patri pro mundi reatibus, vidit iuxta crucem matrem ſuam, & ait illi: *Mulier, ecce filius tuus.* Cur non magis matrem vocat, ſeu Mariam? Ait Ammonius Alex. in Harmonia Euang. *Commendabat Ieſus Mariam genitricem cruci vicinam Ioanni diſcipulo, mulierem appellans, ne quid affectibus humanis tribuere videretur, qui patris cœleſtis iam ageret negotium.* Vbi Dei virtutiſque cauſa agitur, nullus carnis affectus eſt attendendus, ſed ſolus ſpectandus eſt Deus. De Leuitis dicitur Exod. 32. *Feceruntque filij Leui iuxta ſermonem Moyſi, ceciderùntque in illa die quaſi viginti millia hominum. Et ait Moyſes: Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo.* Apud D. Hieron. legitur: *impleſtis manus veſtras*, &c. Et cur in adeò atroci interfectione dicuntur Leuitarum manus impletæ, aut conſecratæ Domino? Ideo dicuntur manus illæ impletæ Domini, quamuis Deus fuit inibi ſpectatus, non filius, non frater, non alius humanus affectus. Ait D. Hieron. in epiſt. ad filios Geruntij: *Implentur manus Domino, cùm Domino occupantur imperio: cùm Domino traditæ voluntati, non hominis incipiunt eſſe, ſed Dei: quando non affectus carnis obtemperant, ſed diuinæ ſeruiunt iuſſioni.* Sic boni Leuitæ manus impleuerunt Domini, vbi enim Dei cauſa inſtabat, nihil aliud reſpexerunt, quam Deum, nec filium, nec fratrem. Vt meritò de illis dicar D. Ambroſ. *Neſciunt ſuis parcere, qui nihil ſuum nouerunt, quoniam Sanctis omnia Deus eſt.* Hinc dum Abrahamus ſtringit gladium, vt immolaret filium ſuum Iſaac, dicitur ei è cœlo Geneſ. 22. *Ne extendas manum tuam ſuper puerum.* Quid ais, ſuper puerum? Cur non clariùs loqueris, & dicis, ne extendas manum ſuper filium, vel ſuper Iſaac? Cùm illum petebas ad mortem, ais: *Tolle filium tuum, quem diligis, Iſaac*; quando illum liberare ſatagis, cur etiam non vocas filium, aut Iſaac? Sic Abrahamus erat intentus Deo, ab omni affectu humano diſcretus, vt pro tunc filium non agnoſceret. Ait Diuus Hieronymus ſuprà: *Sic Abraham Domino dexteram ſuam, dum parricidium facere non recuſat, impleuit. Qui filij ſui, dum illam Deo armat, oblitus eſt.* Prætereundi equidem ſunt, & obliuiſcendi omnes affectus humani; vbi Dei cauſa præ oculis habetur.

Ioan. 19.
Ammon.
Exod. 32.
Hieronym.
Idem.
Ambroſ.
Gen. 22.
Hieron.

§. III.

Peccatoribus pœna non ſolet omnino tolli, ſed in alteram mutari.

QVòd Abſalon patiebatur exilium in Geſſur, id nunc etiam patitur Hieroſolymis, dicente Dauide: *Reuertatur in domum ſuam, & faciem meam non videat*, &c. Qui exul fuerat à patria, modò fit exul à patre: ſic pœna non ſolet auferri peccantibus, ſed mutari. Zacharias pater Ioannis ſterilitatis pœna laborabat, cùm autem non credit Angelo filium promittenti, dicit ei Angelus Luc. 1. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem, quo hæc fiant, pro eo quòd non credidiſti*, &c. Non credenti aufertur ſterilitas corporis, ſed datur ſterilitas linguæ, ne peccator omnino careat pœna, ſed pro altera habeat alteram. Andreas Cretenſ. ſerm. in Annunt. fatur: *Zacharias incredulus extitit, vnde à genitalibus ad formandæ vocis organa pœna eſt translata, cum fandi impotentia ſterilitatem commutauit.* Itaque mutata eſt illi pœna, non ablata, quod frequentiſſimum eſt in peccatoribus; iis enim raro auſertur omnis pœna, ſed mutari ſolet in aliam. Id quod factum inuenimus in ipſo Dauide, nam poſt pœnitentiam adulterij, & homicidij dicitur illi 2. Reg. 12. *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum non morieris. Verumtamen, quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Expende illud: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, non equidem dicit, quòd Dominus abſtulerit peccatum eius, ſed quòd tranſtulerit, hoc eſt, quòd pœnam illi indictam pro peccato in aliam mutauerit, vt ſi ille moriturus erat, iam non moriatur ipſe, ſed filius eius moriatur. Ait Eucher. in Gloſſa: *Dauid audire poſt confeſſionem meruit: Dominus tranſtulit peccatum tuum; & tamen multis poſt cruciatibus afflictus effugiens reatum culpæ, quam perpetrauerat, exoluit. Ab electis enim ſuis iniquitatum maculas ſtudet Deus temporali afflictione tergere, quas in eis perpetuò non vult videre.* A fœlicibus peccatoribus tollit Deus pœnam, & relinquit pœnam; pœnam enim æternam mutat in temporalem. Vt adhuc dicar Saluian. lib. 2. de Prouid. *Et tamen hic tanti nominis, ſanctitate maior, quàm poteſtate, prærogatiuis meritorum antecedentium ſupereminens, cùm tanto habitu ſupplices, non euadit. Et hic tantus, tam grandis fructus pœnitentiæ eſt, quid æternæ quidem piaculo non addicitur, ſed in præſenti tamen veniam non meretur.* Tantus iuſtus non ab omni liberatur pœna, ſed eius pœna in aliam transfertur. Id quod in ſe factum exiſtimans Iob. cap. 7. dicebat: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Quæ verba ſic expendit D. Chryſoſtom. in cat. Græca fatus: *Qua de cauſa, præterita pœna culpas, & errata, quæ tua eſt humanitas, aut non contempſiſti, aut penitus deleuiſti?* Expende illa, nimirum, *præterita pœna*, videbat enim Sanctus ſe à pœna in pœnas transferri, imò videbat pœnas alias per ſe præterire, alias manere, alias de nouo accedere. Et miratur culpas ſuas non abſtergi prætereuntibus pœnis, ſed reſeruari aliis de nouo aduenientibus. In quo maximè exprimitur, quid peccatoribus euenire ſoleat.

Luc.
Cret.
2. Reg.
Nut.
Salu.
Iob.
Chry.

§. IV.

Præſtantiſſimum eſt homini, quod alieniſſimus fiat impius.

IN manſuetiſſimo Dauide id nouū, & inſperatum apparuit, quòd adeò ſe ab Abſalone alienauerit, vt dicat: *Reuertatur in domum ſuam, & faciem meā non videat.* Et qui hoſtibus benignus erat, & infenſiſſimi ſibi Saulis nepotem menſa ſua excipiebat; ſic filium ſuū Abſalonem abiicit, vt nec ab ab illo videri patiatur. Cur bone in hoſtes adeò benignus, & in filium adeò auſterus es? Erat filius parricida, & ideo id faciebat Dauid præſtantiſſimum, vt parricidis, & ſceleſtis faciem negaret, & ſe ab illis maximè alienaret. De ſponſa ſua dicenat Dominus Cant. 7. *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Quæ ſe ſe omnibus exhibebat amabilem, vni ſe Damaſco exhibet contrariam. Cur hoc? Ait ibi D. Gregor. *Contra Damaſcum reſpicit, quia peccatoribus ſemper quilibet prædicator contradicit. Damaſcus quippe ſanguinem interpretatur, & peccatrici genti dicitur: Manus tuæ plenæ*

Cant.
Greg.

plenæ ſunt ſanguine. Hoc docet debere eſſe proprium, & prædicatoribus, & Præſulibus, vt peccatoribus ſint auſteri, & infrugiferi. Tertullianos autem vniuerſalius loquitur, & rem omnibus Chriſtianis pnat eſſe communem: Querebantur enim Gentiles, quòd Chriſtiani, & ſteriles erant, & nullam placiditatem habebant cum illis; Tertul. quibus reſpondet Tertul. in Apolog. cap. 25. *Nam ſi qui verè de ſterilitate Chriſtianorum conqueri poſſint, primi erunt lenones, perductores, aquarioli; tum ſicarij, venenarij, magi: item arioli, aruſpices, mathematici. His infructuoſos eſſe magnus fructus eſt.* Per omne genus ſceleratorum diſcurrit, & maximum Chriſtianorum fructum in eo ponit, quòd illis infrugiferi, & ſteriles ſint. Nec miror, quando & homo prudens inter gaudia habet, quòd vel mala ab impio, & ſcelerato illata patiatur. Sic Mathias ille apud Egeſipp. lib. 5. cap. 22. Egeſip. dicebat Simoni tyranno: *Habeo conſolationem tantæ calamitatis. Patior, quidquid miſerrimum eſt, dum tu iuſſeris. Quidquid eſt immaniſſimum ſubeo libenter, te arbitro.* Adeò prudentes viri ſe ab ſceleſtis arcent, vt vel iniurias ab illis pati pro deliciis habeant.

§. V.

Vt voluptas eſt, vbi fœmina, ſic & mors, & interitus adeſt.

FIliorum Abſalonis nomina prætericns textus multus eſt in filiæ eius & nomine, & pulchritudine euulganda, fatus: *Nati ſunt Abſalon filij tres, & filia vna, nomine Thamar, elegantis formæ.* Tres filios præterit, & vnam filiam nomine, & formæ commendatione proponit, nec miror, quòd in familia iam iam peritura excellere ſola fœmina proponatur; vt enim voluptas eſt, vbi fœmina, ſic & mors & interitus iam adeſſe notatur. Dum Caini generationes, quæ diluuio perituræ erant, narrantur, ad vltimas deueniens textus, & diluuio iam proximiores, Geneſ. 4. ait: *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & ferri. Soror verò Tubalcain Noema.* Ecce tibi in vltima Caini generatione, & diluuio iam proxima ponitur Noema, Sellæ filia, cuius nomen ſignificat voluptatem. Et quando in generationibus tunc à principio mundi narratis, nulla exprimitur filia; cur in hac vltima Caini generatione filia proponitur, & Noema, id eſt, voluptas vocatur? Oſtendebatur generatio iam per diluuium peritura, & ideo in ea meritò fœmina proponitur, & ea fœmina, quæ voluptatem ſonat: vt enim in fœmina voluptas, ſic & mors & interitus omnium noſtrûm monſtratur. Vt dicat D. Auguſt. lib. 15. de ciuit. cap. 20. Auguſt. *Progenies ergo ex Adam per Cain ſceleratum vndenario numero finitur, quo peccatum ſignificatur, & ipſe numerus à fœmina clauditur, à quo ſexu initium eſt peccati, per quod omnes morimur. Commiſſum eſt autem, vt & voluptas carnis ſequeretur. Nam & ipſa filia Lamech Noema, id eſt, voluptas interpretatur.* Quippe in fœmina, in qua audiatur voluptas, clauditur perdenda Caini progenies, de fœminis enim nihil citius, quàm mors, & interitus generabitur. Nunquam non ſanguinem, & mortes fœminæi animi amant. Hieroſolymitani ciues vbi de dimittendo Ieſu, aut Barabba agebantur Ioan. 18. clamant Ioan. 18. *Non hunc, ſed Barabbam* De quo Barab- Luc. 23. ba ait Luc. 23. *Qui erat propter ſeditionem quandam, & homicidium miſſus in carcerem.* Et qui homines ſic & ſeditioſum, & homicidam præ Ieſu amarunt? Illi qui fœmineis erant magis immerſi voluptatibus, à quibus, & neces, & exitia Athanaſ. noſcuntur pullulare. Ait D. Athan. ſerm. de Paſſ. Chriſti: *Id rurſum quoque ſciendum, & obſeruandum eſt, quòd ſcortator & proprium animam perdit, & ipſe quoque vt Iudæi, contumelia templum, & corpus Dei afficit: ne ignoret, qui detinetur à voluptatibus, maioremque in illis delectationem ſentit, quod & ipſe, ſicuti Iudæi Barabbam depoſcit, & Dominum interficit. Ita etiam Iudæi reprobos mores Barabbæ diligentes virtutem perſecuti ſunt.* Pulchrè ſanctus Doctor ſcortatores, & voluptuoſos homines componit cum Iudæis petentibus, & imitantibus Barabbam ſeditioſum & homicidam. Fœmineis enim voluptatibus & proxima, & amica ſunt homicidia, exitia, omnium mortes.

* * *

§. VI.

Multò ſordet ad imperium familia, in qua fœmina præcellit.

IN familia Abſalonis prætermiſſis filiis vna filia eius nominatur, & commendatur, dicente textu: *Nati ſunt autem Abſalon filij tres, & vna filia nomine Thamar elegantis formæ.* Et cur vna Thamar filia nominatur in Abſalonis familia? Vna Thamar filia & nomen habet, & præcellit cæteris fratribus in familia Abſalonis, vt pateat, quàm longè abſit à regno familia iſta. Nemini enim obſcurum eſt multum ad Regnum ſordere familiam, in qua fœmina principatur. Nota eſt hiſtoria Achabi Regis Iſrael, vt duxerat vxorem Iezabel, cuius nutui miſer parebat in adorando Baal, & in perſequendis Prophetis veri Dei. Quem Achabum vt Dominus tolleret de regno, miſit Prophetam, qui vngeret Iehu in Regem. Abiit ergo Propheta, & dum vngit Iehu 4. Reg. 9. ait: *Vnxi te Regem ſuper popa-* 1. Reg. 9. *lum domini Iſraël, & percuties domum Achab domini tui, & vlciſcar ſanguinem ſeruorum meorum Prophetarum, & ſanguinem omnium ſeruorum Domini de manu Iezabel.* Ecce tibi vt vngitur Iehu à Deo ad perdendam omnem domum Achab. Et cur tanti Regis domus funditus pereat? Præcellebat in ea vna Iezabel, cuius nutu omnia gubernabantur, quo ſic Achab ſorduit apud Deum, vt meritò à regno eliminaretur. Ait Ruffinus lib. 5. in Oſeam: *Cum* Ruffin. *Achab tam ſuis, quàm vxoris, cuius ſeruiebat, auſus, criminibus ſorduiſſet, Iehu filium Namſi Heliſæus Propheta ex præcepto Dei, in aſſumendum imperium ſuſcitauit.* Itaque ſeruiens Iezabelis auſibus Achab ſic ſorduit Deo, vt funditus perderetur. Nunquam enim non ſordet ad perditionem vir, cuius fœmina dominatur. Iam è viuis exceſſerat crucifixus Ieſus, cùm accedens miles Ioan. 19. *Lancea latus eius aperuit,* Ioan. 19. *& continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Eſto, quòd ſanguis exiret, quia ſanguine Adamum redimebat, & à peccato liberabat, ad quid exiuit aqua? Quando in Adami peccato mulier princeps fuit, cui ſeruiuit Adamus, non ſolùm iſte culpam incurrit, de qua ſanguine Agni debebat mundari, ſed etiam ſic ſorduit Deo, vt nequiret in regnum reſtitui; niſi & illi pararet nouum lauacrum, pro quo exiuit aqua. Vnde Diuus Athanaſius ſerm. de Paſſ. dicebat: *Mactatus enim Ieſus eſt, non alibi, quam in* Athanaſ. *latere, ad coſtas, ex quo effluxit ſanguis, & aqua; vt quoniam prius per mulierem è coſta formatam profluxerat deceptio, ita nunc per coſtam ſecundi Adæ redemptio, & emundatio prioris Adæ dimanaret, & per ſanguinem redemptio, per aquam verò emundatio obtingeret.* In homine Adamo per mulierem decepto, non vnum, ſed duo remedia deſiderabantur; deſiderabatur & remedium redemptionis, quod fiebat per ſanguinem Ieſu; inſuper deſiderabatur remedium lauacri, quod fiebat per aquam. Vt enim per ſanguinem culpa hominis redimebatur, ſic per aquam mundabantur ſordes, quas contrahit homo, cui fœmina dominatur.

2\. *Regum* 14. Miſit itaque ad Ioab, vt mitteret eum ad Regem, qui noluit venire ad eum. Cumque ſecundò miſiſſet, & ille noluiſſet venire ad eum, dixit ſeruis ſuis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem meſſem hordei; ite igitur, & ſuccendite eum igne, *&c.* Et venientes ſerui Ioab ſciſſis veſtibus ſuis dixerunt: Succenderunt ſerui Abſalon, *&c.*

§. VII.

Impij nil citius peſſundant, & deſtruunt, quàm ſuarum cupiditatum fomenta.

TOtas oblatæ reductionis ſpes habebat Abſalon in Ioabo per quem ſperabat exilium ſuum finiendum, & nihilominus ait ſeruis ſuis: *Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem meſſem hordei, ite igitur, & ſuccendite illum igne*, &c. Quid ais Abſalon ſic vnicum amicum perdis? Sic comburis Ioabi amicitiam, per quem ſolum tua deſideria impleri ſperas? Amat miſer ſibi Ioabum aſſiſtere, vt à quo pendet, & ſimul Ioabi meſſem ſuccendit. Sic vniuerſi impij, & mundialia bona ardentiſſimè concupiſcunt, ſine quibus eſſe nequeunt, & ſimul eorum fomenta, & fulcra conculcant, & funditus perdunt. Rem pulchrè figurat Apocal. 17. vbi ſic: *Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt Reges terræ.* Oſtendebantur equidem ſub nomine meretricis vniuerſa temporalia bona, & gloria mundi, & carnis voluptates, ob quæ mundiales homines diſcedunt à Deo, & illis adhæreſcunt. Quid tunc? Ait amplius ipſe Angelus: *Decem cornua, quæ vidiſti in beſtia: hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igne concremabunt.* Ecce tibi cornua illa, nimirum Principes, & potentes ſæculi, qui dicebantur fornicari cum meretrice magna, hoc eſt, nimis adhæreſcere bonis temporalibus, gloriæ mundiali, & carnis voluptatibus; modò hi dicantur odiſſe illa omnia, & illa abucere, & concremare. Quis credet, quòd qui miro afficitur deſiderio gloriæ mundanæ, illam conculcet? Quòd ardentiſſimus amator bonorum temporalium, illa dilapidet? Quòd cupidiſſimus voluptatum, illas perdere amet? Incredibile hoc forſan videbitur, ſed tamen verum eſt, à nullis enim citius, & certius peſſundantur, & cremantur bona omnia temporalia, quàm ab amatoribus ſuis. Ait, & explicat Rupert. lib. 10. in Apocal. *Mira aſſertio, mira & vehemens impiorum deteſtatio. Hi, qui cum illa fornicantur, illam odiſſe, & deſolatam, nudamque facere, & carnes eius manducare, & ipſam igne concremare dicuntur. Mirum hoc tamen verum eſt. Quis neſciat de Principibus mundi, quantis odiis fuerint inquieti? Et cui ſua inquietudine fuerunt infeſti, niſi ipſi cupiditati, vel gloriæ mundi, cum qua fornicati ſunt præferendo illam ſuo creatori? Inſtrumenta fornicationum eorum, pulchritudines ciuitatum, & locupletum gentium multitudines, quibus imperabant, extiterunt. At illi nunquam hæc in pace ſua florere permiſerunt*, &c. Quid pulchrius? Amant impij regia gloria in mundo florere, & cùm gloria regia conſiſtat in pulchritudine ciuitatum, in multitudine locupletum ſubditorum, hi à nullo prius, quàm à ſuo ambitore dilapidantur, cremantur. Amant ab omnibus laudari, & celebrari, pro quo adeò turpia exhibent opera, vt illis tota obruatur laus eorum. Amant perpetuò in voluptatibus eſſe, & ſic viuunt, vt ſint in perpetuis doloribus. Et denique nihil peragunt, quod non penitus abſumat illa ipſa bona quorum afficiuntur deſiderio, vt credas nil magis odiſſe, quàm illa ipſa bona, in quæ depereunt. Sapienter D. Proſper lib. 3. de vita contemplatiua cap. 10. de appetitu mundialis gloriæ dicebat, quod verum eſt de omnibus mundialium appetitibus. Ait enim: *Eſt vanitas inflata quædam circa delectationes varias animi languentis affectio; potiendi honoris auida, ſimul & neſcia.* In rabido honoris potiendi appetitu, quo exardeſcunt mundiales, ſimul affulget ſumma ignorantia, quando omnia honoris fomenta, & ipſas illius matrices non deſinunt factis abſumere, & conculcare. Adeò vt ſi quando de illorum glorijs, aut honoribus agendum eſt, prorſus ſine diſſimulanda, & occultanda ea, quæ illi propter gloriam obtinendam egerunt, vt quæ ſint gloriæ, & honori contraria. Et ſic de impiorum affectibus aliis.

Apocal. 17.

Rupert.

Proſper.

§. VIII.

Etiam maximè amicus trahit Deus ad ſe flagellis.

SIbi maximè amicum Ioabum ad ſe vocat Abſalon, & tantiſper pigritantem ſtimulat meſſis incendio, dicebat enim: *Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem meſſem hordei, ite igitur, & ſuccendite eum igne.* Vt ad ſe trahat amicum, eius meſſem incendit; nec mirum, ſic enim Deus ſolet ad ſe trahere vel amiciſſimos. Dan. 3. noti ſunt tres pueri Hebræi inuenti Deo fideles, ob cuius nomen colendum in fornacem ardentem miſſi ſunt, inter flammas autem ſecuri viuebant. *& nihil corruptionis eſt in eis.* Non ſic ſeptem fratres Machabæi, quin potiùs in ſartagines flammantes immiſſi ibi, cremati, & conſumpti ſunt, 2. Mach. 7. Et hos & illos Deus ad ſe trahebat, tres pueros liberationis munere traxit, ſeptem fratres flagello incendit. Quid ni? Inferiores in amicitia Dei cenſebuntur hi, qui flagello incendij, quàm illi, qui immunitatis munere tracti ſunt? Abſit; ſed & amiciſſimos, & chariſſimos ad ſe trahit Deus flagellis. Ait Diuus Auguſtinus in epiſtol. Ioan. tract. 8. *Seruus Dei tres viri, & ſerui Dei Machabæi. Agnouit igitur ſeruos Dei tres viros, quos non vſſit, quorum nec veſtimenta corrupit, non agnouit Machabæos? Agnouit & Machabæos fratres, agnouit & iſtos, ſed opus erat quodam flagello, permittente Deo, qui dixit in Scriptura: Flagellat autem filium, quem recipit.* Etſi filij Dei, etſi chariſſimi, flagello tracti ſunt ad Deum. Quod in Abele, in Abrahamo, & in Iobo, aliiſque plurimis perſpicuum eſt.

Dan. 3.

Auguſt.

§. IX.

Parui pendenda ſunt mala, quæ maioribus ſunt bonis reſarcienda.

ADhuc expendendum eſt illud: *Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem meſſem hordei, ite igitur, & ſuccendite illum igne.* Et mirabar, quòd ſic perueteret Ioabum Abſalon, quando magis eius interceſſione egebat. O bone! quando amas Ioabum tibi affectum eſſe, cur eius perdis ſubſtantiam? Cur eius incendis hordeaceam meſſem? Ait Salianus noſter: quòd incendit hordeaceam, oblaturus triticeam; vbi autem maiori bonorum cumulo reſarciuntur mala, adeò paruipenduntur, vt minimè vera mala cenſeantur. Ex quo clamabat Pſalm. 93. ad Deum: *Qui fingis laborem in præcepto.* quaſi omnes labores, qui pro adimplendis præceptis ſubeuntur, non veri labores ſint, ſed fictitij. Et vnde fictitij videbantur? Ait Hugo Victor. homil. 1. in Eccleſiaſtem: *Vanum etenim eſſe & ipſum iuſtorum laborem, quamuis ſcilicet ad pœnam tranſitoriam, & hanc quaſi imaginariam ſpeciem miſeriæ ſpectat, Pſalmiſta innuere videtur, cùm dicit: Qui fingis laborem in præcepto. Quaſi enim electis ſuis laborem fingit, cum eis exteriùs velut iratus per iudicium temporalem pœnam irrogat; quibus intus per prouidentiam miſericordiæ ſuæ, æternæ beatitudinis præmia ſeruat.* Adeò ſuauiatur illatus labor amicis Dei per æternam recompenſationem, vt reſpectu illius aut fictitius videatur, aut nullus. De multis tribulationibus iuſtorum locutus Dominus Ioannis 15. tandem finit: *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum.* quæ verba ſic in rem præſentem expenduntur à Rupert. lib. 12. in Ioan. *Ecce quanta eſt conſolatio dicentis: Hæc omnia facient vobis propter nomen meum. Magna planè conſolatio, & diligentibus ad firmandam patientiam ſufficiens. Nam dilectorem Chriſti angunt quidem hominum odia, fatigant opprobria, moleſtant maledicta, affligunt rerum damna, vel etiam corporis tormenta, ſed hæc omnia temperat, & leuia reddit feſtina præmiorum ſecuritas. Glorioſa namque nominis Chriſti dignitas, propter quod hæc patiuntur, opprobria condecorat, maledicta ſanctificat, damna in lucra, tormenta in magnæ ſpei vertit delitias.* Equidem vbi maioribus bonis, & diuturnioribus compenſanda mala noſcimus; adeò paruipendimus illa, vt vel leuiſſima videantur, vel nulla.

Pſal. 93.

Hug. Vict.

Ioan. 15.

Rupert.

2. *Regum* 14. Et reſpondit Abſalon ad Ioab, miſi ad te, obſecrans vt venires ad me, & mitterem te ad Regem, & diceres ei: Quare veni de Geſſur? Melius mihi erat, ibi eſſe: obſecro ergo, vt videam faciem Regis, quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me. Ingreſſus

itaqua

itaque Ioab ad Regem nuntians ei omnia, vocatuſque eſt Abſalon, & intrauit ad Regem, *&c.*

§. X.

Durius ipſa morte eſt, à Deo non admitti, ſed deſpici.

NEgatus Abſaloni ad patrem, ingreſſus durior illi morte ipſa erat. Ait enim: *Obſecro ergo, vt videam faciem Regis, quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.* Sic potiorem ſibi reputat mortem, quàm à patre non admitti, ſed deſpici. Ne miremur, quòd qui ſub patre Deo viuunt, morte durius credant, ſi ab illo deſpiciantur, & alienentur. Clamabat Iob cap. 7. ad Dominum: *Iob. 7.* *Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihi metipſi grauis?* Hoc vnum ſibi inter tot ærumnas grauiſſimum reputabat, quòd videbatur tractari non ſolùm vt alienus, ſed vt contrarius, & è regione poſitus Deo. Quid grauius? Quid intolerabilius? Aiebat Olympiodor. in Procheoria cap. 3. cat. Græcæ: *Olymp.* *Perturbatur nihilominus Iob, & vacillat, ne fortè ſit à Deo planè derelictus. Nec enim re vlla animus Dei amans magis excruciatur, vt diuinæ opis amiſſæ ſuſpicione, maultque emori millies, quàm cùm cruciatibus, atque huiuſmodi ſuſpicione inter viuos numerari.* Hoc maximè excruciat Dei amantes; hoc illis magis durum, & graue videtur, quàm mille mortes temporales. Hoc in ſummo animi dolore dicebat ipſe Iob. cap. 6. *Iob. 6.* *Ecce non eſt auxilium mihi in me.* In Græco legitur: *An non in ipſo confidam? adiutorium autem mihi abeſt, deſeruit me miſericordia,* &c. Circa quæ Nicetas 10 cat. Græca fatur: *Nicetas.* *Quod ex his malis facere coniecturam licet, me à Deo qui mihi præcipue cordi erat, in quo ſpes meas omnes collocatas habebam, prorſus eſſe derelictum, eiuſdemque viſitatione, ac miſerationibus plane nudatum. Atque ea re iuſtus angebatur vehementiſſimè.* Et cur non vehementiſſimè angatur, qui à tanto parente Deo ſe videt alienatum? Pergit Nicet. *Idem.* *Id enim ſecum ipſe expendat vnuſquiſque quantus eius hominis ſit mœror, qui cum diuino amore ſit ſauciatus à Deo, quem vnum optat, deſertum ſe eſſe ſuſpicetur. Etenim ſi nec viuendum ſibi eſſe amplius putant, ij, qui mulierum amoribus exulcerati, ab illis ipſis contemni ſe animaduerterunt: animæ, quæ erga Deum charitate vulnerata eſt, quanta fuerit ægritudo, ſi non amplius eum ſibi adeſſe arbitretur:* Non mirer, quòd, qui à Dei facie ſe excluſos ſuſpicantur, in grauiorem morte ægritudinem veniant. Dicebat Pſalm. 29. *Pſalm. 29.* *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Ecce tibi ex ſola quaſi diuinæ faciei abſconſione filius Dei in pertubationem deuenit. Et in quam perturbationem? In eam, quæ longè moleſtior morte erat illi. Vt dicat Ruffin. ibi: *Ruffin.* *Viſus eſt auertiſſe faciem ſuam pater à filio, quando eum in paſſione derelinquit. Factus eſt autem conturbatus, cùm ait: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Hic magnum meritum Chriſti oſtenditur, qui nec ſic probatus ab obedientia receſſit.* Vt ea fuit maxima probatio, ſic in ea magnum Chriſti obedientiæ meritum capeditur.

§. XI.

Mariæ interceſſio non ceſſat, vſque dum nos in perfecto aſſerat.

MEritò Abſalon illud obiicit coram Ioab, nimirum: *Quare veni de Geſſur? Melius mihi erat, ibi eſſe.* Quòd enim ex Geſſur veniſſet ad patriam negotiatio fuerat Ioabi, de quo dicebatur ſuprà: *Surrexit ergo Ioab, & abiit, in Geſſur, & adduxit Abſalonem,* &c. Sed vt è Geſſur Abſalonem adduxit Ieroſolymam, non amplius curauit de illo reducendo ad patrem, ſed illum reliquit in exilio Hieroſolymitano. Sic omnia auxilia creata in inceptione ipſa laſſantur. Felices illi, qui non Ioabi, nec mundialis creaturæ auxilio nituntur, ſed Mariæ fauore gaudent; hæc enim quem ſemel aſſumpſit, non dimitteret, vſque dum illum in perfecto aſſerat. Educto de Ægypto Iſraele data eſt columna, quæ illum per deſertum duceret; vt dicat textus Exod. 13. *Exod. 13.* *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.* Sed qui has columnas duces habuerunt, vt ex Ægypto egrederentur, nunquam ad perfectum peruenerunt, ſed in tenebris manſerunt excæcati. Et cur columnæ, quæ illos de Ægypto adduxerunt, non illos vſque ad perfectum fuerunt comitatæ? Erant illæ mortuæ columnæ ignis, & nubis, mortalium autem auxilia inceptione laſſantur, & deſerunt aſſumptum; vna eſt columna viuida Maria, quæ ſuſceptum non deſerit, ſed in perfecto aſſerit. Ait Andreas Cret. homil. 2. in Aſſumpt. Mariæ, *Cretenſ.* *O columna mortua, & columna viuifica! Non carnalem per lucem deducens Iſraelem, qui fugatur, ſed ſpiritualem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, diuinis illuminans facibus.* Eſt columna mortua, deducens Iſraelem carnalem, & eſt columna viuifica, nempe Maria deducens Iſraelem ſpiritualem. Sub illa Iſrael manſit in tenebris, non peruenit ad promiſſiones Dei, quin potiùs fuit fugatus ab illis. Sub hac Chriſtiani peruenimus ad promiſſa, & deducimur vſque in perfectum diem, quo patrem Deum cognoſcamus. Neſcit enim Maria in fauoribus ſuis deficere, vt meritò etiam in hac rem poſſet dicere illud Cant. 3. *Cant. 3.* *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ.* Quos ſemel tenuit Maria, non dimiſit, ſed illis affuit, donec in domum paternam peruenirent. Quò ſpectans D. Bernard. ſerm. 2. ſuper Miſſus eſt, inquit: *Bernard.* *Ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia peruenis.* Ea eſt Maria, quæ ſi propitiari incipiat, deſinat, & te in medio itinere relinquat, ſed vbi ſub illa incipis ad fœlicitatem ire, ſic non relinqueris ab illa, donec peruenias.

§. XII.

Vna, quæ à Deo venit, ſanitas totum implet hominem.

VIdeo tandem Abſalonem reductum ad Dauidem patrem, quem pater oſculo excipit; dicit enim: *Oſculatuſque eſt Rex Abſalon.* Ingreſſus Abſalon ad patrem, nullum prætermiſit humilitatis, & ſubiectionis ſignum, quod non præſtaret; pater autem vnum oſculi ſignum filio exhibuit. Sed & alter prodigus filius reducebatur ad patrem Luc. 15. de quo ait: *Luc. 15.* *Vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum,* &c. *Dixit autem pater: Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, date annulum in manus eius, & calceamenta in pedibus eius, adducite vitulum ſaginatum,* &c. Compone modò patrem, & patrem: patrem Dauidem, & patrem Euangelicum, vterque filium excipit prodigum, ille parricidam, hic ſubſtantiæ diſſipatorem. Ille reuertentis filij ori oſculum præbet; hic & oſculum ori, & ſtolam corpori, & annulum manibus, & calceamenta pedibus offert. Et quando hic tam largus in excipiendo filio, vt omnia eius membra adornet, cur ille ſolo excipit oſculo? Planè iſte homo erat, ille Deus à quo ſolo ſanitas veniens implet totum hominem. Matth. 26. *Matth. 26.* *Cœnantibus autem eis accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite, Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Solent panis, & calix porrigi hominibus, vt famem tollant corpoream; modò porriguntur panis, & calix non ſolùm vt famem à corpore ſed magis vt peccata ab anima tollant. Et vnde panis, & calix tantam virtutem continent, vt non ſolùm corpus impleant, ſed & animam ſalute donent? Ex quo per conſecrationis verba ſeſe Deus illis ſpeciebus ingeſſit, non in vna parte ſtetit eius ſanitas, ſed eò proceſſit; vt ſanaret totum hominem. Ait D. Cyprian. ſer. in cœna Domini: *Cyprian.* *Ante verba illa cibus ille communis, tantum nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à Domino dictum eſt: Hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus: quotieſcumque his verbis, & hac fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni ſacratus ad totius hominis vitam ſalutemque proficit.* Vt panis ſine Deo erat, alteri hominis parti, nempe corpori proficiebat, vbi ſub eius ſpeciebus Deus cœpit

eſſe, non alteri parti, ſed toti homini attulit ſalutem, & commodum. Hinc dicebat Dominus Ioan. 7. *Si circumciſionem homo accipit in Sabbato, vt non ſoluatur lex Moyſi, mihi indignamini, quia totum hominem ſaluum feci in Sabbato?* Suum opus cōponit cū opere circumciſionis à patribus inſtitutæ, & inde Ieſu opus excedere circumciſionē aſſerit, quia Ieſus totum hominem ſaluum facit, non circumciſio, non quæuis alia creatura, quarum opus in parte ſiſtit, ſolus Deus in totius hominis ſalutem proficit.

Ioan. 7.

Rupert.

Rupert. ibi: *Totum, inquam, hominem ſaluum feci in Sabbatho, circumciſio verò, quamquam bonum opus eſt, non tamen totum hominem ſaluum facit. Nam etſi interiorem ſaluat hominem,* &c. *non tamen exteriorem ſanat, ſed potius lædit, & dolore afficit hominem. Ego autem dum dico huic. Tolle grabatum tuum, & ambula; alij verò, extende manum tuam,* &c. *totum hominem ſaluum facio, quia dum extrinſecus redintegro, intrinſecus ad fidem reformo.* Hæc eſt à Deo veniens ſanitas, quæ non hæreat in parte, ſed totum hominem impleat, & totum ſaluum faciat.

§. XIII.

Per pudorem confitentis peccata ſua, maximè peccata tolluntur, & eorum reiteratio cauetur.

HVmiliatur Abſalon coram patre, & ad eius admittitur oſculum, dicente textu: *Vocatuſque eſt Abſalon, & intrauit ad Regem, & adorauit ſuper faciem terræ coram eo: oſculatuſque eſt Rex Abſalon.* Multam humiliationem præ ſe fert Abſalon in corporis deiectione coram Rege, qua meretur excipi Regis oſculo; ſed nec verbum confeſſionis loquitur. Aliter ille prodigus filius ſe geſſit, de quo locutus Luc. 15. *Cùm autem longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Dixitque ei filius: Pater peccaui in cælum, & coram te,* &c. Ecce tibi filius, & filius, Abſalon, & filius prodigus; vterque reus erat, vterque à patre exul, vterque ad patrem redit, vterque oſculo, & gratia patris excipitur. Sed prodigus inter redeundum confeſſionem reatus ſui præmittens, ait: *Pater, peccaui,* &c. Abſalon nec verbum confeſſionis oſtendit. Et cur in Abſalone nullum confeſſionis apparet verbum, quod maximè in filio prodigo cernitur? Abſalon ſtatim erat rediturus ad vomitum, & contra patrem rebellaturus in filio autem prodigo repræſentatur, qui cum patre permanſurus eſt perpetuò, qui conſtantiſſimè peccatis valedicebat, ad quod maximè conducit pudor, qui ſuſcipitur ab illo, qui peccata ſua confitetur coram Dei vicario homine.

Luc. 15.

Nyſſen.

Ad hæc dicebat D. Nyſſen. homil. 3. in Ecclesiaſten: *Id maximè conuenire arbitror, vt diſcatur ab iis, qui conueniunt in Eccleſia, dicentes confeſſionem de iis, quæ non facta ſunt conuenienter rationi, quæ ingenerat animæ affectionem pudoris, per enunciationem eorum, quæ ſunt abſurda. Videntur enim eſſe arma valida, & potentia ad effugienda peccata pudor,* &c. Vis homo te in bonis confirmare, & te armare validiſſimis, & potentiſſimis armis aduerſùs peccata, vel aduerſùs peccatorum authores? Confuge ad confeſſionem peccati tui; pudor enim, quem in illa confeſſione ſuſtines, ſic te armat, vt nec lapſum incurras, nec hoſtes.

Idem.

Ait etiam ſuprà D. Nyſſenus: *Honeſtum eſt exiſtimare eſſe proprium Eccleſiæ documentum ſe per peccatorũ confeſſionem, & enuntiationem rectè gerere. Per hoc enim licet ſua animà armare armis pudoris.* Humilieris licèt propter peccata tua vſque ad terram, & lugeas illa, & maximè de illis doleas, dum non accedis ad illorum confeſſionem, quaſi inermis es, vt facilè poſſis capi ab hoſtibus. Confeſſio cum orto ex illa pudore te maximè armat, & hoſtibus inacceſſibilem ponit.

Pſalm. 6.

Hinc monebat Pſal. 6. *Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei, conuertantur, & erubeſcant valdè velociter.* Non contentus ſemel commendaſſe ruborem, & erubeſcentiam; iterum in fine clauſulæ repetit: *Erubeſcant valdè velociter.* Et cur non ſemel, ſed iterum erubeſcentiam poſtulat? Ad firmam, & validam peccatorum expulſionem duæ erubeſcentiæ debent venire, altera, qua homo erubeſcit coram Deo, dum de peccatis dolet, altera, qua erubeſcit coram homine per peccati ſui confeſſionem, in qua non paruum eſt pro peccatis tollendis robur.

Innoc.

Innocentius PP. ibi: *Et repetit iterum: Erubeſcant, quoniam & in recordatione facinorum debet intus erubeſcere Deum, & in confeſſione peccatorum debet foris erubeſcere hominem; quoniam erubeſcentia confitentis pœna eſt non modica pœnitentis, & pudor confeſſionis pars eſt non minima ſatisfactionis.* Sic ibi.

CAPVT VI.

Abſalonis coniuratio.

TEXTVS HISTORIA.

RECEPTVS Abſalon in gratiam patris, maioris gloriæ cœpit in animo ſuo nutrire flammas. Ardebat regnandi cupiditate, & eò totus intendebat, vt regnum præriperet patri. Addebat currenti ſtimulos Achitophel conſiliarius Dauidis, in quo vbi apparuit Dauidis perdendi aditus, neptis Berſabeth, & affinis Vriæ iniuria ſic recruduit, vt nihil ardentius, quàm vindictam cogitaret. Ne vnquam Principes fidant illis, quos aliquando iniuriauerint. Primus tragœdiæ actus & gaudiorum materiem, & gloriarum oſtenſionem ſpirabat, cùm Abſalon currus ſibi faceret, & equos ornaret, & viros quinquaginta præmitteret, quibus regium ſuum decorem, & magnificentiam omnibus præſentaret. Interea matutinus Regiæ occupat limina, venientibuſque ad negotia occurrens mira comitate, & tempeſtiuitate eorum rapit animos. Non detrectat Princeps amplexibus excipere ruſticanos, negotiorũ clauſulas perquirere, ſuffragari narranti, magiſtratuũ parentis, duritiem, ſiue inſcitiam damnare, vt de ſuo potius tempore fortunatiorem vitam vniuerſi ſperarent. Tandem ſoluendi Deo voti prætextu ad Hebron proficiſcitur, annuente patre, ròque cœpit aduocare amicorum legiones; ignari aliqui veniebant, ſed multi conſcij, inter quos Achitophel, cuius aſtu poſt ſolemnes victimas, Abſalonis acclamatur principatus. Et vix regnantis iuuenis egreſſa eſt fama, cùm videres vniuerſos Iſraelitas vndique ad recentem Regem aduolare.

Atrocitate rei commotus Dauid fugæ ſe contulit, eiuſque repetiit vmbras, quarum beneficio toties apud Saulem liber euaſerat. Quidquid roboris, & fortitudinis Hieroſolymis erat, ſecum Rex tulit; decem concubinas reliquit pro domus cuſtodia, ne coniuratorum fulmen ſæuiret magis in fortia, ſed inter infirma innoxius caderet. Nec paſſus eſt ſecum arcam Dei, aut Sacerdotes eius peregrinari, ſed magis religioſis hominibus apud tyrannum manentibus confidit, cum quibus voluit etiam manere ſibi fidiſſimum amicum Chuſai, cuius ingenio ſuffoderet tyranni machinas.

MORALIA CIRCA textus litteram.

ABSALONIS particidium facilè condonatum iuuenem in maius traxit facinus, vt vellet etiam perdere patrem; ſic impunitas ſolet homines in maiora crimina præcipitare.

2. *Regum* 15. Igitur poſthæc fecit ſibi Abſalon currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum. Et manè conſurgens Abſalon ſtabat iuxta introitum portæ in via, & omnem virum, qui habebat negotium, vt veniret ad Regis iudicium vocabat Abſalon ad ſe, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui reſpondens aiebat: De vna tribu Iſraël ego ſum, ſeruus tuus. Reſpondebatque

que ei Abſalon: Videntur mihi ſermones tui boni, *&c.*

§. I.

Non perituri triumphi magis à contemptu temporalium bonorum aſſulgent.

NOn poſſum non duorum iuuenum regni meditationes ponderare; alter eſt Abſalon, de quo in præſenti dicitur: *Fecit ſibi Abſalon currus, & equites, & quinquaginta viros qui præcederent eum.* Sic in Abſalone regni meditatio præmiſit & currus, & equos, & quinquaginta virorum comitatum. Non ſic alter, nimirum Ieſus meus regnum me-
Matth. 21. ditabatur, de quo ait Matthæi 21. *Adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. Aly autem cædebant ramos de arboribus,* &c. Abſalon & Ieſus Dauidis erant filij, vterque regnum meditabatur; meditatio regni in Abſalone, in curribus, in equis, in ornatu præcedentium oſtendebatur; in Ieſu autem meditatio regni in vili aſino, in præcedentium paupertate, & nuditate conſpicua erat. Et quando ô Ieſu bone, regium decorem meditaris, cur non cum Abſalone & currus, & equos adhibes? Cur magis contentus es vili aſino, paupere comitatu? Abſalonis pompa regnum periturum ſpectabat, Ieſus autem & regnum, & triumphos nunquam deſituros procurabat, qui magis affulgent à contemptu bonorum temporalium. Quò ſpectans Drepan. Florus in exhort. ad legenda
Drep. Flor. ſacra volumina ſatus:

Victrices Chriſti vigeant per ſæcula palmæ,
Quas illi exultans turba canora dedit.
Paciferæ ſcindens oleæ de vertice ramos,
Atque ſacram ſternens veſte nitente viam.
Quo Dominum portans manſuetæ pullus aſellæ,
Poneret innocuos molliter ille pedes.

Meritò bonus Pater vbi Ieſum vidit, non curru, non pompoſo equo vectum, ſed humili aſello, victrices eius palmas per ſæcula auguratur, nunquam enim non duraturi triumphi de contemptu temporalis gloriæ veniunt,
Sedul. vt in pompis temporalibus mortalia viſuntur regna. Ad hæc ait Sedul. lib. 4 Paſchal. cap. 20. *Vtque Dominus Ieſus ſecularis ambitus caduca contemnens Dominum ſeſe celſiſſimum magis humilitate monſtraret, non altis curribus, quem pompæ mortalis amor oſtenditur, quadriiuga celeritate ſubuectus iter explicuit puluereum; nec ardua frementis equi tergo compreſſit; ſed viliſſimi lento potius aſelli geſtamine Domino ſuit honos ille ſufficiens.* Expende illa de curribus, & equis, nimirum: *Quem pompæ mortalis amor oſtenditur;* per amplitudinem enim bonorum temporalium, & ſplendorem nihil attingitur ad ruinam, & exitium non pertinens. In illorum autem contemptu & triumphi, & victoriæ fundan-
Oſ. 13. tur æternæ. Hinc Dominus promittebat Oſeæ cap. 13. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne.* Sic Dominus de morte, & inferno triumphat, vt nihil iam immortale non ſit in
Athanaſ. manu eius, & in manu militum eius. Quos triumphos miratur D. Athanaſ. ſerm. de Paſſ. ait: *Ideo Dominus illuſit ſerpenti, & infernus deuaſtatus eſt, profligatoque mortis imperio omnes reſurgunt, neque iam deinde diabolus aduerſus nos reſurgit. Cecidit enim, & planè iam ſuper pectore, & ventre prouoluitur: reſurrexit enim Dominus, & homines didicerunt aſpernari diuitias corporis.* Quid pulchrius? Ex quo homines didicerunt diuitias corporis aſpernari, nil moriturum ſpectant, nihil poteſt mora, nec inferous aduerſùs corú triumphos.

§. II.

Quæ nos bona tempore fœlicitatis ornant, in aduerſitate vertuntur in inſtrumenta exitij.

FOElicitate elatus Abſalon, vt regium decorem prætenderet: *Fecit ſibi currus & equites,* &c. qui autem equi pompæ eius ſeruiebant, dum plauſus humanæ gloriæ implebat iuuenem, vbi aduerſitas cœpit, eumdem rapuerunt ad exitium. Equus enim, aut mulus, quo equitabat, miſerum arbori implicauit, ad ruinam, qui modo eum ad gloriam extollebat in curru. Sic bona, quæ nos in fœlicitate ornant, vbi aduerſitas adeſt, ſolent mutari in inſtrumenta exitij. Dum Pharao miratur Ioſephi ſapientiam Gen. 4. il-
lum Ægypti conſtituit Principem: *Tulitque annulum de manu* Geneſ. 4.
ſua, & dedit eum in manum eius; veſtiuitque eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit. Nec prætereundum eſt, quòd tempore fœlicitatis nó ſolùm manus Ioſephi annulis ornantur, & totum corpus byſſina ſtola, ſed inſuper & collum ornatur aurea torque. Et cur præter corpus, & manus neceſſum adhuc fuit ornari torque aurea collum? Pul-
chrè in rem præſentem Philo lib. de Ioſeph: *Cæterùm torques* Philo.
aurea non ad gloriam ſolam, ſed ad pœnam pertinere videtur. Quandiu enim et res ciuiles bene procedunt, placet ſibi honoratus à ciuibus. Cùm autem aduerſitas accidit, iniecta manu in torquem trahitur, tantùm non increpante Domino: Hanc torquem donaui tibi ornamentum in proſperitate, vinculum in aduerſitate. Sunt equidem aurea dona in fœlicitate ornamenta, in aduerſitate vincula; quando hæc omnia ſæculi bona, quæ nos felices beant, deiectos corrodunt, & inſtrumenta ſunt, quæ miſeros citiùs ad interitum rapiunt. Quo ſpectans Iob cap. 20. ait de
temporali homine: *Panis eius in vtero illius vertetur in fel* Iob. 20.
aſpidum intrinſecùs. Circa quæ D. Thom. ibi: *Bona, quæ in hoc* D. Thom.
mundo habuit perſeueranter vſque ad mortem conuertuntur in amaritudinem mortis. Quibus in fœlicitate gaudebat, & ſplendebat bonis, vbi acceſſerit mortis tribulatio, conuertentur ea omnia in amariſſimum poculum. De quo etiam ait D.
Greg. 15 Mor. 6. *Satietas tranſitoriæ delectationis, in retributionis* Gregor
fine ad amaritudinem vertetur. Nullum eſt tranſitorium bonum, quod in fœlicitatis fine non felleum fiat amatori.

§. III.

Non creaturarum multitudo, ſed vnus Deus ante oculos poſitus nos firmat in bono.

ECce tota Abſalonis gloria quibus nitebatur, nimirum ait: *Fecit ſibi Abſalon currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum.* Vtinam non quinquaginta viros, ſed vnum Deum haberet præeuntem; fallar niſi eius conſtantior, & firmior gloria eſſet. Anna mater Samuelis dice-
bat 1. Regum 2. *Confirmatum eſt cor meum in Domino, exaltatum* 1. Reg. 2.
eſt cornu meum in Deo meo. Non equidem gloriam ſuam, neque exaltationem ſuam in curribus, aut in equis, aut in præeuntibus viris ponebat, ſed in vno Deo. Et quid inde? *Confirmatum eſt cor meum,* magnam inde firmitudinem in bonis recipiebat. Vt dicat D. Chryſoſt. homil. de Anna &
Precat. habita tom. 6. *Exaltata,* inquit, *eſt gloria mea. Quo-* Chryſoſt.
modo exaltata? In Deo meo, inquit. Hæc in tuto eſt hæc celſitudo, ve quæ firmam, atque immobilem radicem habet. Gloria enim quæ eſt ab hominibus, glorificantium vtilitatẽ imitatur, vnde fit, vt non magno negotio ſubuertatur. At non ſic Dei gloria, ſed immobilis manet, in perpetuum. Itaque quæ gloria in curribus, & in equitibus & in hominibus fundatur, non miror, quòd illis euaneſcentibus euaneat. Illa permanet, quæ Deum ſpectat, & quæ ex præeunte Deo ortum habet. Exod. 13. vbi Iſraelitæ
ab Ægypto egrediebantur, dicit text. *Dominus præcedebat eos* Exod. 32.
ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. Non homines, ſed Deus præcedebat eos in ſpecie duarum columnarum. Et cur præcedebat eos in columnarum ſpecie? Memini Magos ad Ieſum venientes, quos ſtella præcedebat vſque ad Belehemi ſpeluncam. Cur ſimiliter Iſraelitas non ſtellæ forma, aut auis præcedebat, ſed forma columnarum? Vt Deus Iſraelitas præcedebat, ſic in columnarum formis monſtrabat, quàm eos ſimul fulciret, confirmaret. Nunquam enim non valde confirmantur in bono, qui Deum præeuntem præ oculis habent.
Ait D. Ambroſ. ſerm. 1. in Epiphan. *Sicut tunc mare filios Iſ-* Ambroſ.
rael in ignis columna præceſſit, ita nunc per baptiſmum Chriſtianos populos in corporis ſui columna præcedit. Ipſa, inquam, eſt columna, quæ tunc ſequentium oculis præſtitit: modò lucem credentium cordibus ſubminiſtrat. Tunc in fluentis vndarum ſolidauit ſemitam: modò in lauacro fidei veſtigia corroborat. Ecce tibi à columna præcedentis Dei, ſiue Chriſtianis, ſiue Iſraelitis oritur & robur, & ſoliditas virtutum. Felix, qui non hominem, ſed Deum præeuntem ſpectat; ab illo enim habebit

eam firmitatem, à qua diuerti non poterit. Hinc dicebat (Cant. 1.) illa Cant. 1. *Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Quem curſum putat Cardin. Hailgrinus explica- (Hailgrain.) tum ab Apoſtolo Paulo ad Hebræos 12. dicente: *Curremus ad propoſitum nobis certamen, reſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum.* Quem Paulus exprimit Ieſum conſummatorem, ſponſa vocat vnguentum. Et cur vnguentum? Vt enim vnguenta ſunt vulneratis quaſi columnæ, & fulcra ſalutis, ſic Ieſus poſitus ante oculos, ſic Ieſu virtus, quæ præcedit, ad immobilem, & firmam ſanitatem præſtandam maximè conducit. Vt meritò clamet ſponſa Cant. (Cant. 2.) 2. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis.* Vbi Septuag. *Confirmate me in vnguentis.* Circa quæ verba ſapientiſſimè ait D. Niſſen. (Nyſſen.) homil. 4 in Cant. *Fulcite me,* inquit, *vnguentis. O admirabiles columnas! O noua fulcra! Quemadmodum ſiunt vnguenta columnæ domus: quemadmodum ſanctiſſima tecti conſtructio nititur bene aſpiranti odore,* &c. *Qui ergo vult fulciri vnguentis, quærit ſibi adeſſe firmitatem in virtutibus.* Equidem vnguentum illud exinanitum, qui eſt Ieſus nos præcedens, & ante oculos poſitus, ſimulque virtutum illius vnguenta conſpecta infirmitatem noſtram maximè fulciunt, & nos confirmant in virtutibus.

§. IV.

Seruus fiat multorum neceſſum eſt, qui tenetur ambitione culminum.

ECce tibi regni obtinendi cupidus Abſalon, qui regiam ſibi pompam adſcripſerat, quot quantiſque ſe tradat ſeruitutibus. Ait de illo textus: *Et manè conſurgens Abſalon ſtabat iuxta introitum portæ in via, & omnem virum, qui habebat negotium, vt veniret ad Regis iudicium, vocabat Abſalon,* &c. Surgebat itaque manè, & ſtans ad portam ciuitatis, omnem virum, ſiue nobilem, ſiue plebeium, ſiue diuitem, ſiue pauperem, qui habebat negotium, ad ſe vocabat, comiter excipiebat, officioſiſſimè alloquebatur. Pulchrè de ambitioſo ho- (Cyprian.) mine dicebat D. Cyprian. epiſt. 2 ad Donat. *Quibus hoc ſordibus emit, vt fulgeat? Quos arrogantium faſtus prius pertulit? Quot ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit?* Priuati potentis fores matutinus ſalutator obſidet ambitioſus homo; at Abſalon vt omnium ambitioſiſſimus, non priuati alicuius potentis, ſed totius ciuitatis regiæ fores obſidebat matutinus ſalutator, vt multitudini ſe ſeruiliter officioſum exhiberet. Sic dignitatum ambitores, vt principatum obtineant, multorum ſeruituti ſe deuouent. Ioſeph Gen 37. non ob- (Geneſ. 37.) ſcurum accipit regni auſpicium in ſomniis, dicit enim: *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me.* Sic regnum ſibi obuenturum prægustabat. Quid tunc? Ad fratres abiit in agrum, qui nudauerunt eum, & miſerunt in ciſternam veterem, & poſt modicum: *Extrahentes eum de ciſterna, & vendiderunt eum Iſmaelitis,* &c. Qui regnum prægustauerat, factus eſt Iſmaelitarum, Ægyptiorumque ſeruus. Vbi eſt regnum illud in ſomnus viſum? Qualis eſt illa Solis, & Lunæ adoratio? Nonne illa omnia credantur euanuiſſe, qua die Ioſeph Iſmaelitis venditur, & fit tot populorum ſeruus? Immò tunc oſtenditur ſomniorum veritas, ſplendor enim dignitatum temporalium ſeruitutem inſert, qua ſeruus, & mancipium fias multorum. Ait ibi Philo: (Philo.) *Rectè autem dicitur, vendi hunc hominem. Nam qui auram populi captans concionaturus locum ſuperiorem aſcendit, ſicut venalitij, ſeruus fit ex ingenuo, propter honores, quos videtur accipere, addicens ſe muneris dominis. At emptores eum reuendunt, quoniam non vnus eſt dominus tractantium Rempublicam, ſed vulgus, aliis poſt alios dominis ſuccedentibus.* Nihil ex honorum ambitione citius percipis, quam ingenuæ libertatis amiſſionem, quàm vilem, & miſeram ſeruitutem, qua te ſeruum exhibes pluribus dominis. Satanas Luc. 4. oſtenſa gloria mundi dice- (Luc. 4.) bat: *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me.* Quod expendens D. Ambroſius lib. 4. ſic de ambitioſo loquitur: *Vt* (Ambroſ.) *dominetur aliis, prius ſeruit. Curuatur obſequio, vt honore donetur: & dum vult eſſe ſublimior, fit remiſſior.* Hæc ſemper ſeruitus amplectenda illi eſt, qui humanos, & mundiales honores ambitioſè quærit.

§. V.

Ambitioſus homo æquè ſubſcribit mendacio potentis, ac veritati.

ACcedentium negotiis auditis ab Abſalone, ſtatim ſingulis dicebat: *Videntur mihi boni ſermones tui,* nullius ſermones reprobabat, ſed omnibus annuebat, ſubſcribebat. At in tanta negotiatorum multitudine, nonne aliquorum ſermones erant iniuſti, & mali? Imò cùm cauſæ inter contrarios agitarentur, neceſſum erat, vt pars negotiatorum iuſtos ſermones proferrent, & pars aut iniuſtos, aut obſcuros ſermones haberet. Abſalon autem vt ambitioſus, omnibus annuebat, omnibus, ſubſcribebat, omnibus dicebat, *Videntur mihi ſermones tui.* Circa quæ ſapienter ait Carthuſ. *Videntur mihi ſermones tui boni, & iuſti, id eſt, rationabiles,* (Carthuſ.) *& iuſti, cùm tamen multi haberent cauſas iniuſtas: ſed ambitioſus adulator omnibus conabatur placere, non timens Deum offendere, ac mentiri.* Tantus eſt conatus placendi potentibus in ambitioſis hominibus, vt non vereantur ſubſcribere eorum apertiſſimis mendaciis, & iniuſtitiæ. Qui ſermo vnquam egreſſus a potentibus eſt ſiue in bonum, ſiue in malum, ſiue iuſtus, ſiue iniuſtus, ſiue verus, ſiue falſus, qui non inueniat ambientium patrocinium dicentium ſtatim: Videntur mihi ſermones tui boni, & iuſti? Perambula mundi Regias, & & nota ſermones à Principibus egreſſos, qui difficillimè, & ægerrimè poſſunt conuenire aut æquæ, aut iuſtæ, aut vtili adminiſtrationi Reipublicæ, nihilominus videbis doctorum turbas, qui ſubſcribant, & clament: *Videntur nobis ſermones tui boni, & iuſti;* quin vnquam difficultatem inuenerint in verbis illius. Iezabel Regina dedit literas Principibus, & optimatibus Iſrael, vt erant ieiunaturi, & damnaturi Naboth ſanctiſſimum. Quid tunc? Ait textus 3. Reg. 21. *Fecerunt ergo ciues eius maiores natu & optimates, qui habitabant* (3. Reg. 21.) *cum eo in Vrbe, ſicut præceperat eis Iezabel, & ſicut ſcriptum erat in literis, quas miſerat ad eos: prædicauerunt ieiunium, & ſedere fecerunt Naboth inter primos populi. Et adductis duobus viris filiis diaboli,* &c. Ecce tibi Reginæ literæ continebant in primis præceptum ieiunij, deinde mendacia confingenda petebant, tandem imperabant Nabotis innocentis homicidium. Et tamen nullus fuit in tota illa ciuitate, & toto illo magnorum virorum concilio, qui non ſubſcriberet, & faceret, *ſicut ſcriptum erat in literis.* Ieiunarunt optimi iuxta præſcriptum Principis, quod religioſum erat; ſed & mendacia lethalia confinxerunt, & perfecerunt homicidium. Sic ambitionis mancipia potentium voluntatibus ſubſcribunt, ſiue religionem, ſiue ſacrilegia præcipiant. Hinc de populo Iſraelitico quæritabundus clamat Oſeas c. 7. *In malitia ſua lætificauerunt Regem, & in mendaciis ſuis Principes.* (Oſ. 7.) Lætificabant equidem eos, eorum malitiæ, & mendaciis ſubſcribentes vniuerſi. Vt dicat ibi Ruffinus: *Refert Regem Ieroboam ſua tantum potentiæ conſulentem, tot mira-* (Ruffin.) *culis, totque ſæculis commendatum Dei cultum, leui pepuliſſe commento, totamque gentem ita aultui profanitatibus obſecutam, vt ſe nihil de obſeruantia veritatis habuiſſe, contentiùs indicaret: certamen quoddam intus adulantium, & dominantium fuiſſe intus deſcribis, quiſque videlicet in criminibus præuenire.* Vbi adulantium ambitio vigebat, nihil tam immane, & ſacrilegum à potentibus ducebatur, cui tota gens non ſubſcriberet.

§. VI.

Vbi ambitio regnat, diutina non ſuſtinentur dignitates.

QVàm ambitioſum eſt illud Abſalonis ſuſpirium, dicentis: *Quis me conſtituat iudicem ſuper terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuſtè iudicem?* Quibus non obſcure indicabat, quàm vellet Dauidis regnum finiri, vt ad ſe perueniret. Nec miror, quia vt ambitioſus erat, ſic non poterat tolerare, quòd vel in parente ſtagnaretur regnum. Sed ardentiùs cupiebat, vt ab illo in ſe deſcenderet. Nunquã enim ambitio tolerat, quòd dignitates aut perpetuæ, aut nimis diutinæ in aliis permaneant,

Ioan.

Digitized by Google

Ioan.cap.11. de conſilio coacto aduersùs Ieſum, locutus
Ioan. 12. ait: *Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit ei*, &c. Iuxta legem Sacerdos ſummus perpetuus erat in munere ſuo, ſolaque morte à ſacerdotali munere abſtrahebatur. Quod euidentiſſimum eſt Scripturam ſacram legenti; & illud ſupponunt Cyril. Alex. & Chryſoſt. in præſenti. Quando ergo ſacerdotium perpetuum erat, iuxta Dei legem, quomodo Caiphæ ſacerdotium non perpetuum ſed annuum erat? Equidem lex diuina ſacerdotium perpetuum fecerat, ſed ambitio Iudæorum illud ad ſolam vnius anni menſuram reduxerat, non ferens, quòd tanta
Cyril. Alex. dignitas in vno diutiùs ſtagnaretur, ſed quòd ad ſingulos quam citiſſimè accederet. Ait D. Cyrill. Alexandrin. lib. 8. Ioan. cap. 2. *Eo tempore lex illa Domini non obſeruabatur apud Iudæos propter ambitionem Iudæorum*, &c. *Erat itaque ea tempeſtate pontificatus dumtaxat annuus, & tranſacto anni curriculo, vni ſuccedebat alter*, &c. Ambitio Iudæorum pontificatus perpetuitatem non tulit, ſed maluit eſſe annuos Sacerdotes, vt ſic ad tantam dignitatem ſperarent peruenturos omnes.

§. VII.

Mendacium adulatorium corda humana aufert ab obligationibus ſuis.

OFficiis his, & obſequiis mendaciſſimis Abſalon remouebat ſubditos ab affectu ſui Regis Dauid, dicit enim textus: *Sollicitabat corda virorum Iſrael*; ex Hebræo autem legitur apud Caietanum: *Furatus eſt Abſalon cor virorum Iſrael.* Sic furti accuſatur Abſalon, ex eo quòd Iſraelitarum corda rapuerit aſſentationibus ſuis. Vt enim fur rem alienat à proprio domino, ſibique illam clam præripit; ſic
Caiet. Abſalon Iſraelitarum corda à Dauide alienabat, & ſibi præripiebat, vt dicat Caietan. ibi: *Ad inſtar furti deſcribitur acquiſitio beneuoli animi virorum Iſrael ergo ipſum Abſalonem, quia verè furti ſpecies fuit relatiuè ad Regem Dauidem. Clam enim abſtulit corda virorum Iſrael à patre, trahendo illa ad ſe; hoc eſt enim furtiuè ſurripere.* Sic adulatoris mendacia ſolent ad ſe rapere homines, ne reſpondeant ſuis obligationibus.
Oſeæ 7. Quò ſpectans Oſeas cap. 7. de Rege, & Principibus Iſraël ſeducentibus populum dicebat: *Operati ſunt mendacium, & fur ingreſſus eſt ſpolians, & latrunculus foris.* Volebant Rex & Principes perſuadere populo vitulorum adorationem, ob quod multa officioſa illis mendacia proponebant. Quid tunc? *Fur ingreſſus eſt, & latrunculus foris*, velut fur, & latro
Rupert. illorum furabantur corda, ne ampliùs afficerentur ad verum dominum. Ait ibi Rupert. *Mendacium quippe ſunt operati, dicendo de vitulis, qui vtique non erant dij, Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Pulchrè ergo dictum eſt, fur ingreſſus eſt ſpolians, ſcilicet diabolus animas furtim deuorans, & latrunculus foris, videlicet Hieroboam latro viſibilis, qui foris, id eſt, extra partem domini peccare faciens Iſrael, grande latrocinium fecit.* Vbi diabolus, & Hieroboam mendaciis aggreſſi ſunt populum, ſibi eorum corda furabantur, ne ampliùs ſeruirent verò ſuo domino, ſed adhærerent idolis. Et quare latrocinium non peragerent in cordibus humanis mendacia adulatoria.

2. *Regum* 15. Poſt quadraginta autem annos, dixit Abſalon ad Regem Dauid: Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron. Vouens enim vouit ſeruus tuus, cùm eſſem in Geſſur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Ieruſalem, ſacrificabo Domino. Dixitque ei Rex Dauid: Vade in pace. Et ſurrexit, & abiit in Hebron.

§. VII.

Ambientium affectibus non fidendum, vt qui facilè rapiantur in contraria.

VOta à ſe emiſſa confingit Abſalon, vt à patre diſcedat, dicit namque textus: *Dixit Abſalon ad Regem Dauid: Vadam, & reddam vota*, &c. Modò à Dauidis facie diſcedendi cauſas confingit, qui paulo antè morte durius ſibi eſſe dicebat coram patre Dauide non eſſe. Sic enim
ait 2. Regum 14. *Obſecro, vt videam faciem Regis; quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.* Malebat tunc mori 2. Reg. 14.
antequam à Rege abeſſe; modò autem nihil magis cupit, quàm à Rege diſcedere. Nec miror, ambitorum enim erat in claſſe; quorum illud proprium eſt, quòd tot contrariis affectibus tam citò rapiantur, vt ſingula corda habere credantur. Illis apta verba illa Pſal. 11. Pſalm. 11.
Labia doloſa in corde, & corde locuto ſunt. Habent enim ambitores plura corda, in quibus capiant affectus contrarios, vt prout ſpes tulerit, ſiue oderint, ſiue ament, ſiue benedictionibus vtantur, ſiue maledicta in eundem iaciant. Exemplum eſt in Gerardo Epiſcopo Engoliſmenſi, qui Legati munus ambiens, dum ſperat illud ab Innocentio Pont. Maxim. obtinere: Innocentium vocabat Papam, & verum paſtorem Eccleſiæ; vbi autem de munere accipiendo deſperat, iam illi Innocentius idem eſt Antipapa, & cauodus ſchiſmaticus. Et vnde in tam contraria rapitur? Ambitor erat, & pro diuerſis euentibus diuerſa corda
monſtrabat. Contra illum D. Bernard epiſtol 126. fatur: Bernard.
Donec in obtinenda impudentis petitione ſpes tibi vlla promerendi Domini Innocentij gratiam eſſe potuit, ſanctus ille, te ſcribente, & Papa fuit. Quomodo ergo nunc ſchiſmaticum criminaris? Numquid cum eadem vana ſpe tua illius ſimul & ſanctitas euanuit, & papatus? Mirum quòd potest ita in breui dulce, & amarum ex eodem fonte procedere. Heri catholicus, & ſanctus, & ſummus Pontifex; hodie nequam, ſchiſmaticus, & turbator. Itaque vno quidem ex ore, ſed corde duplici contraria proceſſerunt. Labia doloſa in corde, & corde locuta ſunt. Habent hoc vniuerſi ambitores, quòd pro diuerſitate expectationis, diuerſa corda expromant, vbi ſpes obtinendi muneris ab aliquo viget, illum magnis extollunt laudibus, diuinum prædicant; quòd ſi contrarium accidat, & ipſi rapiuntur in
vota contraria. De Ioab Rege Iuda locutus textus 2. Paral. 24. ait: *Poſtquam autem obiit Ioiada, ingreſſi ſunt Principes Iuda, & adorauerunt Regem: qui delinitus obſequiis eorum, acquieuit eis.* Quippe Principes aulici, & potentes viri ingreſſi ad Regem, hominem diuinum prædicabant, ſupremiſque illum extollebant laudibus. Et poſt infelicia eius bella narrata, & morbos deſcriptos addit textus: *Surrexerunt autem contra eum ſerui ſui*, &c. *occiderunt eum in lectulo ſuo, & mortuus eſt.* Et ſto à ſententia Saliani putantis hos ſeruos Ioas, qui eum interfecerunt, fuiſſe Principes, & potentes viros illius aulæ. Sicque illi ipſi, qui antea adorauerant eum, qui diuinum prædicarant, modò eum interficiunt, vt enim ambitu correpti adorauerant, ſic eundem interficiunt ambitu. Et nihil aliud ab ambitoribus ſperandum, qui pro diuerſitate ſpei, qua aluntur, aut te adorabunt, aut te morti tradent. 2. Paral. 24.

§. VIII.

Ambitores nihil prius ſolent concutere, quam ſuæ exaltationis principia.

HEbron elegit Abſalon, vt ibi militares copias colligat aduersùs patrem, ait enim: *Vadam, & reddam vota mea quæ voui Domino, in Hebron*, &c. *Et abiit in Hebron.* Et cur elegit Hebron, vt illam priùs militarium copiarum congregatione, & rebellium adunatione opprimat, & concutiat? Erat Hebron ciuitas, in qua prima illius populi fundamenta iacebant, ibi enim erant ſepulti Abraham, Iſaac, & Iacob, in ſpelunca duplici, ſimul & ibi fuit principium regni Dauidici, & ibi natus fuerat Abſalon. Ne miremur, quòd ambitioſiſſimus Abſalon priùs amet concutere ciuitatem illam, in qua totius Iſraelis, & Dauidicæ domus gloriæ erant initia, ſemper enim ambitio ſuæ exaltationis concutit principia. Quid inſanius?

Seneca. Pulchrè Seneca lib. 14. epiſtol. 95. hanc ambitionis notam promit in ambitioſiſſimo iuuene Alexandro. Ait enim: *Multi inueniuntur, qui ignem inferant vrbibus, &c. Nemo illis venientibus reſiſtit, ſed neque ipſi ambitioni reſtiterant. Tunc cùm agere viſi ſunt alios, agebantur. Agebat infelicem Alexandrum furor aliena deuaſtandi, & ad ignota mittebat. An tu putas ſanum, qui à Græciæ primum cladibus, in qua eruditus eſt, incepit?* Equidem eò inſaniæ coniecit ambitio Alexandrũ, vt prima ſuæ gloriæ cunabula, nempe Græciam, ampliandi imperij cupiditate concuteret. Habent hanc inſaniam ſpecialiter ambitioſi, quòd primum ſuæ exaltationis principia periculis tradant.

Matth. 20. Matth. 20. *Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi: Dic, vt ſedeant duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram.* Certum eſt, quòd hi duo fratres ſedium obtinendarum cupidi præmiſerunt matrem, cuius patrocinio Ieſum ad petitionem ſuam inclinarent. Et cur non potiùs ſortiori patrocinio vtuntur apud Ieſum? Cur non potius ad hoc munus venit illis in mentem Maria mater Ieſu, quàm propria illorum mater? Res erat diſcriminis, & periculi, ne pro ſedis beneficio, ſummi Principis iram reportarent. Et vbi metuitur diſcrimen, veri ambitores nullum prius cogitant obijcere diſcrimini, quam matrem, à qua initium viuendi mutuauerant.

Paſchaſ. Vt meritò dicat Paſchaſ. lib. 9. in Matth. *Valde permoti ad gloriam, ſatis neutè; atque ingenioſè ſubmittunt matrem ad deprecandum pro ſe. Fortè, ne vlla ſuſpicio, quòd ipſi hoc peterint, naſceretur; & ſi reprehenſio eſſe poſſet, fœmineus error leuiùs ferretur.* Vbi permoti ad gloriam reprehenſionem & iram timent, præmittunt matrem, vt in ea vis iræ, & reprehenſionis maximè frangatur. Nunquam enim ambitioſi non ſciunt exponere primùm periculis principia ſuarum fœlicitatum. Vt meritò faſtuoſos, & ambitioſos phariſæos vocet Ioannes

Matth. 3. Imperf. Baptiſta Matth. 3. *Genimina viperarum.* circa quæ ait Imperfect. homil. 3. in Matth. *Viperarum natura eſt rumpere viſcera matrum ſuarum, & ſic naſci. Quoniam ergo Iudæi perſequentes Prophetas, corruperunt matrem ſuam Synagogam, ſicut ipſa ingens dicit in Cant. Filij mei dimicarunt in me: ideo viperarum genimina vocantur.* Habent equidem hoc ambitioſi omnes de viperarum natura, quòd in primis ſuæ fœlicitatis matricem inuadant.

Bernard. Quò ſpectans D. Bernardus epiſtol. 126. de ambitioſo Epiſcopo ſic fatur: *Quænam iſta præceps eſt, & frontoſa libido dominandi, vt pro obtentu vix annuæ legationis, primò quidem ſuo nec parcat ſonio, deinde nec lateri Saluatoris, quod in aqua, & ſanguine colligendi in vnitate fidei, populi protulit redemptionem. O ardor, & pudenda ambitio! Accepta de manu ſacrilegi malè cupita poteſtate, latus denuo Domini gloriæ crudeliter confodere non veretur.* Quibus maximè illud expendendum venit, quòd dicatur notanter ab ambitioſo homine latus Domini tranſuerberari, à quo in cru-

Ioan. 19. ce fluxerat ſanguis, & aqua. Ait Ioann. 19. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Ecce tibi à Ioanne dicitur latus Chriſti apertum militis lancea, à Bernardo autem dicitur ab Epiſcopi ambitione idem latus fuiſſe tranſuerberatum. Et qua ratione creditur ambitio non cum clauis perfodiſſe pedes, aut manus Ieſu, nec eum clauis eius vulneraſſe manus, ſed eum lancea eius aperuiſſe latus? Pulchrè indigitat rationem

Auguſt. Diuus Auguſtinus ſermone 120. in Ioann. fatus de lateris Chriſti apertione: *Vigilanti verbo Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret, latus eius percuſſit, aut vulnerauit, ſed aperuit: vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, vnde ſacramenta Eccleſiæ manauerunt, ſine quibus ad vitam, quæ verè vita eſt, non intratur.* Apertum erat in Chriſti latere oſtium vitæ, ibique & Eccleſiæ matris, & Sacramentorum oſtendebantur prima cunabula: ne miremur, quòd hæc maximè ab ambitione impetantur, quæ nil prius deſtruit, quàm prima ſuæ exaltationis fundamina.

§. IX.

Non ſic virtus, vt ambitio homines mundiales rapit ad labores.

QVatuor iam tranſegerat annos Abſalon Hieroſolymis poſt reditum ſuum de Geſſur, nec in toto quadriennio meminerat voti ſoluendi. Nunc tandem dicit patri: *Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron, &c.* Per integrum quadriennium non potuit religio votorum te ab Hieroſolymis, ab aula, à patris, fratrumque conſpectu, & conuerſatione ſeparare, & modò te ab his omnibus exulem, & peregrinum in Hebronem agit. Quis in te adeò amorem religionis excitat, vt tot in aula, in curia commoda perdas voti ſoluendi cauſa? Non equidem votorum religio mundialem hominem à tantis commodis aulæ ſepararet, ſed potentior in illo affectus, nimirum ambitio regnandi. Hæc ſola, non votorum religio eum à delitijs aulæ, & curiæ ſeparauit, & coniecit in rabidiſſimi belli pericula, & difficultates. Multus eſt Seneca lib. 14. epiſtol. 95. in ſui temporis potentium ambitione à Seneca. virtutibus ſeparanda, fatus: *Nec Pompeio externa intire bella, aut domeſtica virtus, aut ratio ſuadebat; ſed inſanus amore magnitudinis falſæ, modo in Hiſpaniam, & Sertoriana arma, modò ad colligendos piratas, ac maria pacanda vadebat. Hæ prætexebantur cauſæ ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam? Quid in Septentrionem? Quid in Mithridatem, & Armeniam, & omnes Aſiæ angulos traxit? Infinita ſcilicet cupido creſcendi, cùm ſibi vni parum magnus videretur.* Prætexebantur equidem virtuoſæ cauſæ, ſed non illæ potuiſſent hominem in tot exilia, & pericula trahere, niſi creſcendi adeſſet infinita rabies. Pergit adhuc Seneca de alio ambitionis mancipio, nempe Mario: *Quid tu Marium, cùm Theutonicos,* Idem. *Cimbroſque concideret, cùm Iugurtham per Africæ deſerta ſequeretur, tot pericula putas appetiuiſſe, virtutis inſtinctu? Marius exercitum; Marium ducebat ambitio.* Equidem mundiales homines ad labores, & pericula non ſic virtus, vt ambitio trahit. Matth. 2. Scribæ & Phariſæi interroganti Herodi locum dominicæ natiuitatis ex prophetia Michææ dixerunt, nimirum aientes: *Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam* Matth. 2. *minima es; ex te enim exiet dux, &c.* & cùm hæc dicerent, & viderent Magos ire Bethleem, vt recèns natum puerum adorarent; nullus eorum viam arripuit, vt ſimilem adorationem exhiberent. Vt dicat Euthym. *Cum Bethlehem pro-* Euthym. *pè haberent, ita inuidi facti ſunt, & pigri, vt ad eam non accederent.* Sed & de iis adeò pigris in Chriſti nati inquiſitione locutus Dominus Matth. 23 aiebat: *Væ vobis Scribæ, &* Matth. 23. *Phariſæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proſelytum.* Nullis vijs, nullis peregrinationibus, nullis laboribus, & difficultatibus parcebant, vt vnum proſelytum facerent, hoc eſt, vt vnum Gentilem ad Iudaiſmum conuerterent. Et quando pro acquirendo Chriſto adeò expectato, ſic pigri ſunt, vt nec gradum ab Hieroſolymis faciant, nec ad vicinum Bethleemi oppidum eant; cur pro vno acquirendo proſelyto tot maria, tot ignotas circumeunt terras, tot periculis, tot laboribus ſe deuouent? Ad quærendum Chriſtum virtus moueret; ad faciendum proſelytum non virtus, ſed infinita laudis ambitio, eos trahebat. Dicit Imperfect. hom. 44. in Matth. Imperf. *Non propter gloriam Dei, vt additis cultoribus honoretur Deus, neque propter miſericordiam valeates eum ſaluare, ſed propter auaritiam, aut propter vanam gloriam, propter hoc ipſum vt videantur Gentilem conuertiſſe.* Non equidem Deus, aut virtus, ſed ambitio homines mundiales in labores trahit.

§. X.

Nullus dolus potentior ad trahendos homines, quàm qui religionem prætendit.

VT Abſalon circumueniat Dauidem, & omnes eius aulicos, & poſſit ſuum regnandi conſilium fundare, ad illum dolum confugit, qui religionem præmonſtraret. Ait enim: *Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino, in Hebron. Vouens enim vouit ſeruus tuus, &c.* Callidus adoleſcens nouerat nullum eſſe potentiorem dolum ad homines trahendos, continendoſve, quàm qui nitebatur religionis fallacijs. Mirabar ego ſæpè, quòd principes illi primi Romani fundatores Imperij, tot falſa numina admiſiſſent, & in tot Deorum fabulis religionem fundaſſent. An ſapientes, & ſcioli viri non nouerant abſurda & falſa eſſe, quæ vi de dijs ſuis dicebantur? Cur ergo cultum illorum prædicabant? Quod mundiali eorum ſapientiæ tribuit D. Auguſtinus, vt enim erant carnaliter ſapientes, ſic nullum dolum potentiorem ad tenendos popu-

los

ips louenerunt, quàm eos religionis deciperent fallaciis. Auguſt. Ait Auguſtinus lib. 4. de ciuitat. cap. 32. *Quod vtique non aliam ob cauſam factum videtur, niſi quia hominum velut prudentium, & ſapientium negotium fuit populum in religionibus fallere*, &c. *Sicut enim dæmones, niſi eos, quos fallendo deceperint, poſſidere non poſſunt, ſic & homines principes, non ſanè iuſti, ſed dæmonum ſimiles, ea quæ vana eſſe nouerant, religionis nomine populis tanquam vera ſuadebant, hoc modo eos ciuili ſocietati velut arctiùs alligantes, quos ſimiliter ſubditos poſſidebant.* Sic ſapientia carnis ad fallacias religionis confugit, vt potétiores ad homines trahendos, & in ſeruitute continendos. Prouerb. 7. Non aliter piſcabatur homines meretrix illa Prouerb. 7. de qua dicitur: *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens*, &c. *Apprehenſumque deoſculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens; Victimas pro ſalute deuoui, hodie reddidi vota mea*, &c. Oſculorum, & amplexuum factis verba iungit, quæ victimas Deo, & vota ſoluenda habent. Et cur ad tanta oſculorum lenocinia additur ſacrificiorum, victimarumque ſignificatio? Nouerat aſtuta illa, quam efficaciora erant, quæ religionem prætendebant, vt caperent, & tenerent humanos animos. Ianſen. Dicebat ibi Ianſenius: *Factis efficacibus adduntur verba efficaciora, in quibus mira arte, & religionis ſtudium, & ſummum amorem ſimulat.* Equidem illud efficacius ad capiendos animos, cùm ſtudium religionis ſimulatur. Religioſis enim fallaciis, quem non capies?

2. *Regum* 15. Miſit autem Abſalon exploratores in vniuerſas tribus Iſraël, dicens: Statim vt audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnauit Abſalon in Hebron. Porrò cum Abſalon ierunt ducenti viri de Ieruſalem vocati, euntes ſimplici corde; & cauſam penitus ignorantes. Accerſiuit quoque Abſalon Achitophel Gilonitem conſiliarium Dauid de ciuitate ſua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta eſt coniuratio valida, populuſque concurrens, *&c.*

§. XI.

Non locus extrinſecus, ſed interna animi virtus facit hominem triumphare.

NOuerat Abſalom patrem ſuum Dauidem ad regnum perueniſſe in Hebron, indéque aduersùs domum Saulis ſoceri ſui præualuiſſe; ideo cùm ad regnum feſtinat, Hebron elegit, vt regnaturis auſpicatiſſimum. Dicit enim: *Statim vt audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnabit Abſalon in Hebron.* Sed non Abſaloni Hebron auſpicata fuit, vt fuerat Dauidi; non enim locus eſt, ſed animi virtus, quæ faciat fœlices. In qua re multus eſt D. Chryſoſt. Chryſoſtomus homil. de cœco nato in tom. 6. inquiens, *Adamo propter tranſgreſſionem paradiſus nihil profuit: Iob verò propter patientiam ſterquilinium minimè nocuit. Adamus propter inobedientiam in paradiſo ignominia afficitur: Iobus autem propter patientiam in ſterquilinio coronatur. Nuſquam enim locorum dignitas comparatur, niſi bona mens concurrat.* Cum loco debet concurrere interna animi virtus, vt inde ſumatur fœlicitatis auſpicium; locus enim bonus ſine virtute interna nihil proficit, vt locus vilis non officit, vbi eſt animi Luc. 10. virtus. Luc. 10. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* In cœlo equidem erat Satanas, & in cœlo inuenit præci- Chryſoſt. pitium. Ex quo D. Chryſoſtom. ſuprà: *Profunda eſt terra, & cælum in ſublime tollitur; at è cælo cadit diabolus poſtquam tranſgreſſus eſt, iuxta illud: Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem. At exaltantur de terra inopes, & de ſtercore erigunt pauperem. Vides non locorum diſcrimen efficere, vt ſuperiores euadamus, ſed vbique fidem, & patientiam, & ſpem promerentibus coronas acquirere?* Semper, & vbique non à locis, ſed ab animi virtutibus naſcuntur coronæ, & triumphi. Domina illa Ægyptia inuenit tandem locum aptiſſimum, vt triumpharet de Ioſephi pudicitia. Dixit enim textus Geneſ. 39. *Accidit autem quadam die, vt intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret, & illa apprehenſa lacinia veſtimenti eius*, &c. Geneſ. 39. Habens vehementem inſidiatricem auſus eſt Ioſeph ſecretum cubile domus intrare; quod notans fœmina credidit iam ſibi victoriam eſſe in manibus. Et quid de tam idoneo loco reportauit? Accipite D. Chryſoſtomum vbi ſuprà fantem: *Quid inſecutæ profuit* Chryſoſt. *Ægyptiæ adulterium in cubiculo? Quid nocuit martyri Teclæ nudam in theatro certare? Non peccauit denudata, non afficitur ignominia, ſed coronatur ſancta. Atque hæc quidem in theatro coronatur, illa verò in thalamo infamatur.* Et pergit adhuc Chryſoſt. fatus: *Quid profuit idolis, etiam eorum, qui non ſunt,* Idem. *adoratio templorum, inquam, amplitudo? Quid verò Martyribus offuit vilitas ſepulchrorum? Nonne dedecus inuſtum eſt errori in amplitudine, & res Martyrum in humilitate ſunt exaltata?* Sic non locus, ſed virtus animi triumphorum auſpicium valet præſtare.

§. XII.

Non parum leuantur iuſti in calamitatibus, videntes ſuorum tyrannorum fines.

IN auſpicium regni ſui ſumebatur Hebron ab Abſalone, dum clangentibus buccinis clamabatur: *Regnabit Abſalon in Hebron*, in ſui, inquam, regni auſpicium Abſalon Hebronem occupabat, at Deus inde Dauidi non parum prætendebat leuaminis in ea calamitate. Dum enim audit aduersùs ſe coniurationem factam in Hebron, ſimul recolit, vt ipſe perdito Saule æmulo, & hoſte ſuo in Hebron cœpit regnare. Nec poterat Hebron illi non repræſentare hoſtium ſuorum tragœdias, & fines cruentos, qui vt illi tunc coronam dederunt, ſic modò non parum tribuebant ſolatij. Solent enim iuſtorum tribulationes à Deo ſuauari, per oſtenſum finem ſuorum tyrannorum. Apocal. 17. Apocal. 17. dicit Ioannes: *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis*, &c. *Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Ieſu.* Qualis hæc viſio diſcipulo Ieſu? Quàm plena doloris, & afflictionis? Videre erat triumphantem fœminam in purpura, & auro, & margaritis, quæ ſtabat aduersùs Chriſti diſcipulos, eoſque miris modis vexabat, mactabat. Quanta inde afflictio oriebatur diſcipulo Ieſu? Sed interea ait illi Angelus: *Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ, quæ portat eam*, &c. *Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt.* Ecce tibi ſacramentum omnium tyrannorum, quæ aduersùs Sanctos ſæuiunt, nimirum: *Non erunt.* Licèt pauliſper videantur triumphare, & in delitiis eſſe, tandem miſerrimè finientur. Quorum finis meritò proponitur Sanctis Dei, vt illo conſiderato maximè in calamitatibus ſuis leuentur. Aiebat Rupert. lib. 10. in Apoc. Rupert. *Sacramentum hoc malum illius eſt, quod nunc ab oculis eius abſconditum eſt, dum in purpura nitet. Sacramentum ergo, id eſt, ſecretum eſt, quod illi futurum eſt damnationis iudicium, & hoc idcirco Sanctis reuelatur, quorum nunc Ioannes typum gerit, vt conſolentur in Deo, nec moueantur pedes eorum, potum peccatorum videndo.* Inter tyrannorum triumphos, & Sanctorum afflictiones, ſolet Deus ſuis Sanctis oſtendere tyrannorum ſuorum fines, & præproperos, & horrendos, quod non parum facit ad leuamen eorum, qui calamitatibus tenentur. Cùm Dei populus in captiuitate Babylonica eſſet, & Babylonius Rex magis ſæuiret in ſeruos Dei, eos beſtialiter tractans. Tunc Daniel cap. 7. raptus in ſpiritu Daniel. 7. dicit: *Vide, quoniam interfecta eſſet beſtia, & periiſſet corpus eius.* Et quidem beſtialis feritas Babyloniorum tùc in maxima erat fœlicitate, premens, & conculcans populum Dei, cur ait Daniel ſibi interfectam videri? Hæc erat notiſſima prouidentia Dei, quæ oſtendebat finem tyrannorum, vt inde in calamitate captiuitatis ſerui Dei leuamen haberent. Rupert. ſuprà: *Non prætereundum, quia tunc maximè caput euſdem mulieris, ſiue beſtiæ damnatio reuelari, quando in captiuitatem Babylonicam ductus eſt populus Dei, vt non mouerentur à ſpe ſua timet tardantis regni Dei, videntes properantē, & quaſi matutinam gloriam huius mundi regni, ſub quo tenebantur* Rupert.

tur captius. Tunc enim Daniel huiuſmodi viſiones vidit quēadmodū dicit: Et vidi quoniā interfecta eſſet beſtia, &c. Sic inter glorias tyrannorū, & preſſuras Sanctorum, datur captiuo Danieli, quòd videat tyrannorum exitium. Nunquam enim inde leuamen non capiunt ſerui Dei. Fortiſſimus ille iuuenis Machabæus cùm ſe & fratres ſuos tormentis vexari videret, & interea tyrannum in fœlicitate eſſe, ſic ait 2. Ma-
2. Machab. 7. chab. 7. *Poteſtatem inter homines habens, cùm ſis corruptibilis, facis, quod vis. Noli autem putare genus noſtrum à Deo eſſe derelictum. Tu autem patienter ſuſtine, & videbis magnam poteſtatem illius, qualiter te, & ſemen tuum torquebit.* Ecce tibi vt martyr in ſuis tormentis ob oculos ponit tormenta tyranno ſuo
Cyprian. manentia, De quo ait D. Cyprian. lib. de exhortat. ad Martyr. cap. 11. *Quale illud leuamentum fuit Martyri, quàm grande ſolatium? In cruciatibus ſuis, non tam tormenta propria cogitare, ſed torteris ſui ſupplicia prædicare?* Inde maximè leuantur ſerui Dei in ſuis calamitatibus, quòd videant tandem hoſtes ſuos dare pœnas.

§. XIII.

A ſacris nequiter peractis in horrenda crimina ruitur.

ILlud maximè notandum, quòd ait, nimirum: *Cumque immolaret victimas, facta eſt coniuratio valida,* &c. A victimis immolatis ad validam coniurationem aduersùs patrem deuenit. Nec miror, ſacrorum enim abuſus nunquam non homines in execranda facinora impellit.
Ioan. 12. Vnus pro mille teſtis Iudas adeſt, de quo ait D. Ioan. c. 13. quod paſchali Ieſu victimæ intereſſet, à quo & panem viuificum malè accepit, *& poſt buccellam, tunc introiuit in eum Satanas,* &c. Ecce tibi vt Sacris abuſus eſt, in ea facinora peruenit, quibus oſtenderetur penitus à Satana poſſeſſus, vt grauius in ſuum authorem rebellaret. Ait Sedul.
Sedul. lib. 5. Paſcal. cap. 2. & 3. *Poſtea quàm corporis ſui Dominus Ieſus Christus, & ſanguinis duo vitæ munera conſecrauit, propriiſque diſcipulis ſpiritualem cibum, potumque porrexit. Mox in Iudæ corda nequiſſimam ſedem vbi liuor inuenerat, tetri ſpiritus introiuit immanitas, inque Dominum tela corripiens execranda, ſeruilis belli conterrant inſaniam, pallens ſcelus grande ſub qualibet mercede.* A dominicæ menſæ abuſu non in aliquod moderatum facinus venit, ſed ſe Satanæ immanitati prorſus tradidit, & bellum ſeruile in proprium authorem concitauit. Bellum ſeruile vocat, vt eius immanitatem exaggeret, nullum enim bellum ſic graue fuit, ac crudele, vt quod in dominos à ſeruis fuit excitatum. Sic nulla immanitas in Deum atrocior, quàm illa, quæ excitari, & admitti ſolet ab iis, qui abutuntur Sacris. Quò ſpectans
Pſalm. 40. Pſalm. 40. ait: *Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Multi ſunt hoſtiliter perſecuti Ieſum, at qui cœleſti eius menſa abutebatur, magnificauit ſupplantationem, ad maiora venit facinora in Deum voranda.
Ruffin. Ibi Ruffin. *Non fuit mirum, ſi inimici mei cogitabant aduerſus me mala, quia homo pacis meæ, qui edebat panes meos, id eſt, cui ego intinctum panem porrexi. Maiorem ſupplantationem ſuper me magnificauit, quàm alij.* Mihi credite, à nullis timeri debent maiora facinora, quàm ab his, qui ſacra nequiter tractant, nec verentur diuinis abuti Sacramentis in malum. Nequiſſima illa Iezabel, vbi Iezraelitas in immaniſſimum homicidium trahere amat, ſic ſcribit ad il-
3. Reg. 21. los 3. Regum 21. *Prædicate ieiunium, & ſedere facite Naboth inter primos populi, & ſummittite duos filios Belial contra eum, & falſum teſtimonium dicant: Benedixit Deum, & Regem; & educite eum, & lapidate, ſicque moriatur.* Ecce quot quantiſque immanibus criminibus ieiunium præcedere mandet. Et quid ieiunium cum periuriis, cum falſis teſtimoniis, cum innocentum necibus? Equidem ieiunium nequiter peractum mirificè diſponit homines ad immania quæque crimina voranda; quando de virtutum, ſacrorumque abuſu nihil non immane naſcitur.

§. XIV.

Vbi vitium, & malitia viget, ibi ſequacium magna multitudo.

AD Abſalonis vocem ingens currebat multitudo, vt dicat text. *Populuſque concurrens augebatur cum Abſalon.* De quo pulchrè ait Diuus Chryſoſtomus homil. de Abſalone: *Vnus parricida furor tot millia inſanire compellit, vnius dementia dementes efficit multos.* Chryſoſt. Nunquam enim non magna multitudo hominum currit ad vitia. Qui vitij author eſt, non immeritò præſumet ſibi aggregandum eſſe magnum ſectatorum numerum. De malitiæ parente loquitus Iob cap. 40. ait: *Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur; & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os ſuum.* Iob 40. Nec inſolita eſt metaphora abſorbendorum fluminum, vt ſequentium oſtendatur infinitas, dicit enim Claudian. lib. 2. in Ruffinum de exercitu comitante Xerxem.

Haud aliter, Xerxem tota ſimul orbe ſecutus Claudian.
Narratur rapuiſſe vagos exercitus amnes.

Et tot millibus comitatum ſe ſperat pater malitiæ, vt non miretur, ſi à comitibus ſuis abſorbeantur omnia flumina. Vt enim omnes homines inſtabiles ſunt, & ſicut aquæ dilabuntur, ſic nequam ſpiritus credit facilè ad ſe vniuerſos venturos. Ait D. Thom. ibi: *Significatur diaboli præſumptio, quæ ſe confidit de facili ſibi incorporare per conſenſum omnes homines inſtabiles, etiamſi habeant aliquam Dei cognitionem, ad quod ſignificandum introducitur illud de Iordane.* D. Thom. Expende illud, *de facili,* non difficile enim, nec arduum putat nequam ſpiritus ad ſe omnes homines trahere, ſed tam facilè credit id ſibi futurum, quam facile eſt, quod omnia flumina in mare influxura redeant, à quo dicuntur primùm exiuiſſe. Ezech. c. 29. *Ego ad te Pharao Rex Ægypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus fluuius,* &c. Ezech. 29. Sic draco iſte magnus ad ſe aduocat fluuium, tanquam ſuum. Et vnde draco tantam fiduciam habet, vt ſuum dicat fluuium, hoc eſt, ſibi adiudicet totum hominum curſum? Vt à diabolo eſt totum hominum initium eius veneno infectum, ſic ſuperbus præſumit ad ſe omnes homines venturos: vt flumina veniunt ad mare, à quo incipiunt. Ait Rupertus lib. 13. de glor. & homil. Fil. Hom. Rupert. *Quid, rogo, eſt dicere iſtum draconem magnum, Meus eſt fluuius, niſi dicere, meum eſt humanum genus? Et vnde putas, eſt illi altitudini Satanæ, vt hoc audeat dicere? Puta, quòd perinde glorietur ſic, tantumque ſibi arroget, quia nequiſſimus venator, per os ſerpentis ſibilans radicem noſtræ originis in primis parentibus vitiauit, vt tam multiplex vitiorum numerum ſuccreſceret propago,* &c. Vt nouit draco à veneni ſui plena origine homines omnes ſcaturire, ſic exiſtimat, & præſumit ad ſe vniuerſos eſſe confluxuros. Vt enim flumina redeunt ad mare, vnde nata ſunt, ſic curſus hominum pergit ad malitiam, in qua concepti ſunt.

§. XV.

Nunquam virtus non malè olet apud ſceleſtos.

QVàm breuiter omnis Iſraël Dauidis hoſti adiungitur, aduerſùſque illum arma ſumit, dicente textu: *Venit igitur nuntius ad Dauid, dicens: Toto corde vniuerſus Iſraël ſequitur Abſalon.* Et in quo Dauid ſic offendit Iſraëlem, vt totus in illum inſurgeret? Iuſtus, & innocens erat Dauid, ne mireris, quòd inde habeat aduerſarios ſceleſtos cunctos. Ait ibi D. Chryſoſtom. homilia de Abſalone: *O innocentia, quantum apud reos periculi ſuſcipis, quantum malitia per flagitioſos incurris? Dauid ſanctiſſimus tot dementes exercitus, quia non deliquit, offendit, tot populorum rabiem, quia non læſit, incurrit. Abſalon vnus reus eſt, & vniuerſus contra patrem conſpirat exercitus.* Chryſoſt. Quia innocens Dauid, quia iuſtus, impij populi rabiem in ſe trahit. Vt te mali perſequantur, hoc ſufficit, quòd bonus ſis, nunquam enim virtus non ſceleſtorum patet iris. Geneſ. 4. *Conſurrexit Cain aduersùs fratrem ſuum Abel, & interfecit illum.* Geneſ. 4. Frater erat Abel Caino, quem nunquam offenderat, & tamen Cain conſurrexit aduersùs fratrem ſuum, & illum occidit. Et cur occidit?

Bonus

Bonus erat Abel, Cain iniquus. Pulchrè ait putatus Hieronym. epiſt. ad Virgin. in exilium miſſam: *O Cain miſerande; quid agis? Quid tibi ſolitarius commeruit frater? Quam fecit iniuriam? Sed quæ maior iniuria iniuſto eſſe poteſt, quàm vita iuſtitiæ?* Vbi ſancta, & innocens vita inuenitur, ibi totum eſt, quod impugnent, & perdere ament iniqui. Dicebat Geneſ. 46. *Deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ouium.* Aliter alij legunt: *Abominatio eſt enim Ægyptiis omnis paſtor ouium.* Circa quæ Diu. Auguſtin. quæſtione 154. *Meritò Ægyptus, in quibus figura eſt præſentis ſæculi, in quo abundat iniquitas, abominatta eſt omnis paſtor pecorum. Abominatio enim eſt iniquo vir iuſtus.* Si iuſtus es, ne miteris, quòd te iniqui abominentur, deteſtentur, & perditioni dedant. Nequeunt enim iniqui non odiſſe eos, qui Deo & virtuti accedunt. Iacob dicebat vxoribus ſuis Gen. 31. *Video faciem patris veſtri, quòd non ſit erga me ſicut heri & nudius tertius: Deus autem patris mei fuit mecum.* Circa quæ pulchrè Philo lib. Quòd deterius potiori inſidietur, ait: *Atqui ideo Laban erga te malè affectus eſt, quia Deus tibi fauet.* Tota cauſa odij, à peccatore viro in te venientis, eſt, quia tu das operam Deo ſeruiendo.

Hieronym. — *Geneſ. 46.* — *Auguſt.* — *Geneſ. 31.* — *Philo.*

2. *Regum* 15. Et ait Dauid ſeruis ſuis, qui erant cum eo in Ieruſalem: Surgite, fugiamus, neque enim erit nobis effugium à facie Abſalon: feſtinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impleat ſuper nos ruinam, *&c.*

§. XVI.

Sapientis eſt in externorum bonorum perditione agnoſcere diuinam manum, & ſibi cauere, antequam in ſe malum experiatur.

BEllicoſiſſimus Dauid audita rebellium fama non currit ad arma, non agit de munienda ciuitate, ſed magis ignominioſam fugam arripit. Sic text. *Et ait Dauid ſeruis ſuis, qui erant cum eo in Ieruſalem: Surgite, fugiamus,* &c. Cur tantorum præliorum victor non magis ad arma, quàm ad fugam vadis? Cur in ciuitate forti, & munita cinctus validiſſimis ſociis non magis niteris obſiſtere hoſtibus, qui toties in agro penè incomitatus de hoſtibus triumphos reportaueras? Non timet Dauid Abſalonem, ſed in eius auſis, in populi coniuratione agnoſcebat diuinam manum, cui non obſiſtere curat, ſed magis ſatagit Deo humiliari per ignobilem fugam, ne quod hodie in ſuis, cras in ſe malum experiatur. Dicebat Lyra ibi: *Cùm Dauid eſſet in bellis expertus, & audaciſſimus, & eſſet in loco forti, & haberet ſecum plures, & fortiſſimos bellatores, non receſſit de ciuitate timore ipſius Abſalon principaliter, ſed timore Dei, quem ſciebat ſe priùs offendiſſe. Et ideò ad placandum Deum voluit ſe coram Deo humiliare, & iſta humilitas apparuit in confuſibili egreſſu eius de ciuitate.* Sapiens homo, vbi vidit regnum Abſalonis incendio conflagrari, non manum Abſalonis, non externarum cauſarum attendit manus, ſed magis agnouit Dei manum, & quaſi oblitus animi militaris, confugit magis ad animum contritum & humiliatum, quē Deo in illa ignobili fuga exhibebat, vt a ſe auerteret malum. Felices illi, qui ſic in externis malis agnoſcunt Dei manum, & cauent, ne ab illa tangantur; licet ignobiliter fugiendū ſit ab inceptis auſis. Inuenio 3. Reg. 13. in rem præſentem, lepidiſſimam hiſtoriam. Poſt vitulos exaltatos ſtabat Ieroboam Rex Iſrael coram illorum altare, illiſque adolebant incenſum. Tunc vir Dei introiuit, videnſque deteſtandam idololatriam, cum altari locutus, multa illi denuntiauit mala, vt nimirum ſcidendum erat. Quid tunc? Ait text. *Cumque audiſſet Rex ſermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum ſuam de altari, dicens: apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat,* &c. Auditis minis contra altare, & viſa ipſius altaris exciſione, ſi ſaperet Rex, deberet manum ab incepto munere contrahere, & ſe coram Deo humiliaſſe. At ille pertinaciter obſiſtens minis, extendit magis manum, vt virum Dei teneret, & opus inceptum conſummaret, & tunc tota illi manus exaruit. Et cur non antea exaruit manus, cum vitulos conſecrauit, cùm incenſum adolere cœpit, ſed poſt altaris & minas, & ruinas tunc aruit? In ira altari denuntiata conſulebat Deus Regis incolumitati, vt agnoſcens ille manum Dei in ſciſſo altari ſibi caueret: & ab opere nequam deſiſteret, & ſic liber euaderet. Vbi autem à ſe erecti altaris damnum videns non ſibi cauit, tunc ad ſe pœnam attraxit, vt non in externis bonis, ſed in ſe ipſo experiretur malum. Ad hæc aiebat D. Chryſoſtomus homil. in Pſal. 141. habita tom. 6. fatus: *Quoniam altaris ſupplicio melior factus non eſt, propria pœna obedientiam Dei docetur. Nam ego quidem, ait Dominus, tibi parcens volui in lapidem iram effundere. quando autem lapidis magiſterio non es eruditus, tu ſupplicium excipe.* O quoties Deus volens homini parcere, eiuſque conſulens incolumitati, iram ſuam effundit in eius bona externa, ſiue in opera eius, vt horum ruina edoctus ipſe ſapiat, & caueat, ne ad ſe perueniat malum. Quòd ſi externorum bonorum ruinis non docetur, neque magis ſapit, tunc ira in illum deſæuit, vt ſub propria gemat calamitate, qui per externam noluit ſapere. Ira Dei eſt, quæ deſæuit in bonis externis, ſed ira quæ ſignum dat ſapientibus, vt fuga à malis ſalutis propriæ præſidium capiant. Dicebat Pſalm. 59. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, & liberentur dilecti tui.* Et quam ſignificationem dedit? Ait D. Auguſtin. *Per tribulationes temporales ſignificaſti tuis fugere ab ira.* Quæ extrinſeca eſt calamitas, ſignum eſt venientis iræ diuinæ, vt fugiatur; nunc enim externa bona perduntur, niſi fugias, niſi caueas, vt modò ipſe perdendus es clamitant. Poſt Ieſu crucifixi facinus à Iudæis peractum, dicit Matth. 27. *Ecce velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt,* &c. Cur Dominus iniuriam paſſus ab hominibus non ſtatim in eos iram effundit, ſed magis illam mittit in velum, in terram, in petras? Pulchrè Euthym. ibi: *Vniuerſaliter autem quæ facta ſunt, diuinæ iræ ſigna erant, Iudæorum inſenſibilitatem reprehendentia, horumque perditionem prædicantia.* Equidem calamitates illæ in velo, in terra, in petris ſigna erant venientis iræ Dei, quæ teſtabantur, vt erant Iudæi ſtatim diſperdendi, niſi fugerent à facie arcus.

Lyra. — *3. Reg. 13.* — *Pſalm. 141.* — *Pſalm. 59.* — *Matth. 27.* — *Euth.*

§. XVII.

Ruinas internæ mentis & ſequuntur, & comitantur ruinæ externæ in bonis temporalibus.

NVnquam ſatis ponderandum eſt, quòd adeò bellicoſus dux Dauid modò correptus metu fugam capiet. Ait enim: *Fugiamus, neque erit nobis effugium à facie Abſalonis.* Vnde tam vanus timor potuit tam exercitatum ducem occupare? Ne mireris, timor erat cadens in virum ſapientem; vt enim Dauid animum ſuum videbat deuictum peccato adulterij, & homicidij, ſic certò credebat regnum ab hoſtibus expugnandum. Sequuntur enim, & comitantur ruinæ bonorum temporalium ruinas internas animi. Ait Carthuſian. *Dauid conſcius ſibi malorum, quæ fecerat, formidauit ſuccumbere propter ſua peccata.* Equidem vt nouerat animum à peccatis expugnatum, ſic ſapienter timebat regnum expugnandum à contrariis. Dicebat Eccleſiaſticus cap. 19. *Vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes,* &c. ex quo autem ſapiens homo animum habeat ſic à vitiis expugnatum, credat ſibi extrinſecus obuenturas mille calamitates. Dicebat Saluian. lib. 5. de Gubernat. Dei: *Dum bibunt, ludunt, mœchantur, inſaniunt, Chriſtum negare cœperunt. Et miramur poſt omnia iſta, ſi ruinam rerum ſuarum paſſi ſunt, qui tanto ante mentibus corruerunt? Vbi talia acta ſunt, priùs perierant, quàm perirent.* Equidem vbi priùs in mente eorum tanta perditio fuit, non mirandum quòd in externis bonis ſtatim ſequeretur immanis perditio. Sequuntur enim internas animi ruinas externæ bonorum ruinæ: & internam mentis perditionem oſtendit certa bonorum externorum perditio. Crucifixo à Iudæis Domino Matth. 27. *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.* Ad quid tenebræ? Ait D. Leo ſerm. 10. de Paſſione: *Sol, ſyderaque indignos vos ſua miniſterio proteſtantes terribili motu, inſolitoque defectu, tenebras mundo veſtræ cæcitatis oſtendunt.*

Carthuſ. — *Eccli. 19.* — *Saluian.* — *Matth. 26.*

Quas

Digitized by Google

Quas mentis Iudæi habebant tenebras, ſecutæ ſunt illarum iudices externæ illæ tenebræ, quibus diurno lumine priuati erant. Et pergit Matth. ibi: *Velum templi ſciſſum eſt in duas partes.* De quo D. Chryſoſt. ſer. 3. de paſſ. (Chryſoſt.) *Illico rumpuntur ſacrario dicata velamina, & in publicum templi ſecreta mittuntur, vt admiſſi ſacrilegij clandeſtina machinatio panderetur.* Internum Iudæorum ſacrilegium externa comitabatur, & oſtendebat ſciſſi veli calamitas. Heu quàm certò interna hominum peccata, externorum bonorum clades manifeſtat! Vt etiam mentis virtutes incrementis bonorum externorum manifeſtatur.

§. XVIII.

Blanditiarum obſequia nunquam non exhibenda humanæ infirmitati.

FVgientem Dauid ſequebatur Ethai Gethæus recèns ad Moyſis religionem conuerſus, cui ait Dauid; *Cur venis nobiſcum? Reuertere, & habita cum Rege, quia peregrinus es, & egreſſus es de loco tuo. Heri veniſti*, &c. Sic bonus quietem placidam procurabat recenti proſelyto; ſemper enim in hominibus reſpicienda eſt humana infirmitas, cui præſtentur obſequia blanditiarum. Sic enim Dauid videbat in Ethai infirmitatem, dum ait: *peregrinus es, & egreſſus es de loco tuo. Heri veniſti.* quibus notatis ſtatim illa blandimenta addit, nimirum: *Reuertere, habita cum Rege.* Vt doceat quam ſemper debeant reſpici in hominibus infirma, quibus blandiſſima obſequia debeant procurari. De Maria ait Lucas cap. 2. (Luc. 2.) *Peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit.* Recèns ab vtero egreſſum filium Maria mater pannis fouit; at idem Lucas c. 3. (Luc. 3.) de Ieſu egreſſo ab aquis ait: *Factum eſt autem, cùm baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum, & vox de cœlo facta eſt: Tu es filius meus dilectus*, &c. Egreſſum ab vtero mater ſuſcipit, & linteis fouet, egreſſum autem ab aquis Pater confitetur, vocibuſque illuſtrat, ſed linteum minimè adhibet, vt aquis madidum exſiccet. Et cur pater nihil præter vocem præſtat filio; cùm mater illi blandiſſima adhibuerit obſequia, linteis eum inuoluens, & quieſcere in præſepio iubens? Mater ad infirmitatem recens nati hominis adſpiciens blanditiarum obſequiis exhibendis ſtudet, à quibus pater abſtinet; dum diuinitatis fortia oſtendit in filio. Ait D. Ambroſ. in Epiphan. ſerm. 1. (Ambroſ.) *Noui partus noua merentur obſequia. Ibi cùm ſecundùm hominem naſcitur, mater eum Maria ſinu circumfouet. Hic cùm ſecundùm myſterium gignitur, pater eum Deus voce complectitur. Ait enim: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Mater ergo partus molli blanditur gremio, pater filio, pio teſtimonio famulatur.* Quid pulchrius? Vbi natus homo infirmus à matre aſpicitur, illi parat obſequia molliſſima, blandum exhibet ſinum, vt ibi quieſcat. Vbi autem Deus fortis exhibendus eſt, tunc pater ſolo illum teſtimonio vocis inſinuat. Vt diſcas ſemper quàm debeas in hominibus infirmitati humanæ præſtare obſequia blandiſſima.

§. XIX.

Duriſſimum, & luctuoſiſſimum homini ſub illo domino eſſe, qui in miſeria ſit.

IN hac Dauidis fuga illud maximè notandum, quod ait: *Tranſiuit Ethai Gethæus, & omnes viri, qui cum eo erant, & reliqua multitudo. Omneſque flebant voce magna; & vniuerſus populus tranſibat, Rex quoque*, &c. Non nouum in mundo erat, quòd validiſſimi Reges cum ducibus ſuis, & militibus cogerentur aliquando fugere ab hoſtibus ſuis. Illud nouum, & inuſitatum, quòd fugientes Reges validiſſimi, & ſtrenuiſſimi duces, milites imperterriti fugam ſuam lachrymis & eiulatibus adornarent. Sic enim ait de fugiente Dauidis exercitu: *Omneſque flebant voce magna.* Et qui erant hi omnes? Dixerat paulo antè: *Vniuerſi ſerui Dauid ambulant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi pugnatores validi* &c. Cordatiſſimorum ducum legiones, & validiſſimi Gethæorum pugnatores Dauidem comitabantur in fuga, & flebant omnes voce magna. Quis hoc audiuit de talibus? Et qua clade tanti bellatores potuerunt perduci ad fletus, ad lacrymas? An quia fugabantur ab orbe, & cogebantur in montibus inuiis errare? Fallar, ſi ideo fleſſent, & lacrymarentur viri tanti. Id potiùs crediderim fuiſſe illis maximè luctuoſum, quòd Regem ſuum Dauidem viderent, in nullo differentem ab illorum calamitate. Si illi pedites fugiebant, & ille pedes; ſi illi in montibus, & ille in montibus, & cauernis errabat. Nihil autem adeò luctuoſum eſt homini, vt quòd ſeruiat Domino in calamitate verſanti. Adeſt apud Quintilianum filius, qui vt patrem redimeret, ſe deuouerat ſeruituti piratarum. (Quintilian.) Quam cladem vt oſtendat, ait declamat. 6. *Habitamus in fructibus, hyberni nos feriunt venti. Non ſtatio, non ſedes, non quies, ſed quod malorum meorum maxima portio eſt, tam miſeri ſunt etiam domini mei.* Ecce tibi ad maximũ malorum additamẽtum reducit, quòd illis ſeruiat, qui in vltima ſunt conſtituti miſeria. Iſai. cap. 3. ait de maxima populi Iudaici calamitate: (Iſai. 3.) *Apprehendet enim vir fratrem ſuum, domeſticum patris ſui. Veſtimentum tibi eſt, Princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſit ſub manu tua. Reſpondebit in die illa, dicens: Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimenta*, &c. Non miror, quòd homines heri diuites, & abundantes, hodie famelici, & nudi ſint, res eſt enim hæc in mundo frequentiſſima. Sed illud mirandum, quòd famelici, & nudi velint habere principem, qui in eadem calamitate ſit, vt cogatur dicere: *In domo mea non eſt panis, neque veſtimentum.* quod ad ſummam populi calamitatem conducit. Ait D. Cyril. Alexand lib. 1. (Cyril. Alex.) orat. 5. in Iſaiam: *Iudæorum miſeria, & ſumma calamitatis magnitudinem prophetica nobis ſignificat oratio*, &c. *Quiſque*, inquit, *ſibi quæret ducem, eumque eliget, vix etiam propinquitate generis commouens, & trahens ad miſericordiam; & eliget*, inquit, *non veluti diuitiis florentem ſed quodammodo nudum, amabitque ſub eo ali, & mendico ſeruire, & qui vix veſtem habeat.* Non eſt dubium, quin ſummæ calamitatis magnitudo in eo ſit, quòd cùm miſer ſis, tam miſeri ſint Domini tui.

§. XX.

Vt iniqui timere ſibi debent à Sanctorum conſortio.

SIbi fugienti allatam Dei arcam à Sacerdotibus iubet Dauid ad ſua reduci, dicens: *Reporta arcam Domini in vrbem.* Et cur non magis apud ſe amat manere arcæ refugium? Agnoſcebat bonus peccata ſua, & ſimul ſciebat præſentiam arcæ ſanctæ ominoſam fuiſſe iniquis, quando 1. Reg. 4. Heli filij illam ſecum tulerunt in prælium, & ipſi occiſi ſunt, & exercitus fugatus, & arca capta ab inimicis. Quò ſpectans Theodoret. quæſt. 30. in rem præſentem ait: (Theodor.) *Cum eſſet & pius, & Propheta Dauid, ſciebat, quid occidiſſet arca accepta ad opem ferendam iniquis. Nam illi quidem fuerunt interfecti, ipſa autem bello capta data eſt alienigenis.* Ne mireris, quòd Dauid homo pius conſcius culpæ ſuæ, à ſe arcam ſeparari iubeat, & ad vrbem reduci, nouerat enim illius præſentiã lethalem fuiſſe iniquis. Horrendum enim eſt iuſtorum conſortium, & maximè pauendum ſceleratis animis, conſcientiis impiis. Deut. 11. dicebat Dominus iuſtis Iſraelitis: (Deut. 11.) *Terrorem veſtrum, & formidinem dabit Dominus veſter ſuper omnem terram, quam calcaturi eſtis, ſicut locutus eſt vobis.* Ecce tibi Iſraelitæ dantur gentibus, terrori, circa quæ pulchrè ait Procop. in Gloſſa: (Procop.) *Quid enim hominibus, & dæmonibus iuſto terribilius? Cùm quo feræ agreſtes quoque diuinæ imaginis notam agnoſcentes, paciſcuntur.* Horribilis eſt, & metuẽdus homo iuſtus, & dæmonibus, & iniquis hominibus à iuſti enim conſortio iniquus grauiſſimum ſuum ſuſpicatur ſupplicium. Luc. 23. latro dicebat ad Ieſum: (Luc. 23.) *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum.* Quod notans Diu. Athanaſ. orat. in Paraſceuem apud Grethſerum tom. 2. ait: (Athanaſ.) *O latro vehemens Iudæ accuſator! O latro proditori, ſuo ipſius laqueo viuus grauior.* Nec dubium eſt, quin proditorem illum Ieſu, euſdem confeſſor latro maximè damnabat. Nec ſic miſero laqueus lethalis erat, vt latronis de vicino confeſſio illi erat grauis. Huc trahenda ſunt multa dicta tom. 1. in Euang. lib. 12. cap. 6. §. 57.

CAPVT VII.

Chuſai cum Abſalone.

TEXTVS HISTORIA.

GRANDÈ locum ſcandebat Dauid, cùm illi occurrit Chuſai Arachites, inter eius familiares non ſecundus, habitu, & vultu non mediocrem exhibens luctum. Huic Dauid mandat, vt in vrbem regrediatur, morémque tyranno gerat, & eius ſe inſinuet conſilijs, atque lethali Achitophelis ſe opponat malitię. Acquieuit homo fideliſſimus & pro Rege amico, & verè iuſto non detrectat aulicorum laruam pauliſper ſubire, dum potẽtiori adgaudere ſimulat. Hieroſolymam iam occupauerat Abſalon cum toto ſuo exercitu; & ecce adeſt Chuſai, totus lætus, totus recenti principi arridens; à quo inſimulatus, quòd ab amico Dauide diuertiſſet, fatetur ſe non perſonas ſectari, ſed electiones diuinas. Vt autem Dauidem à Deo relictum vidi, ad te confugi, & filium Regis, & quem Deus in regnum manifeſtè ſuſtulit. His delinitus Abſalon Chuſai accipit inter familiariſſimos amicos.

MORALIA CIRCA textus litteram.

A Filio petitus Dauid primum accipit ſalutis auſpicium a Chuſai amico O quoties plus fœlicitatis ad nos venit per amicos, quàm per conſanguineos.

2.*Reg.*15. Cùm aſcenderet Dauid ſummitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce accurrit ei Chuſai Arachites, ſciſſa veſte, & terra pleno capite. Et dixit ei: Si veneris mecum, eris mihi oneri, ſi autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Abſalon: Seruus tuus ſum Rex, patere me viuere, ſicut fui ſeruus patris tui; ſic ero ſeruus tuus, diſſipabis conſilium Achitophel.

§. I.

Oratione mala conſilia hoſtium diſſipantur, bona conſilia trahuntur.

NOn otioſè dicitur Chuſai occurriſſe Dauidi, aſcendenti in montem, Dominum adoraturo. Dicit namque: *Cùm aſcenderet Dauid ſummitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce accurrit ei Chuſai*, &c. Et quid habet commune aſcenſus ad orationem cum Chuſai occurſu? In Chuſai habebat Dauid, quo diſſiparet Achitophelis cõſilia, iuxta illud, *& diſſipabis conſilium Achitophel*, & ſimul habebat, quo traheret ſibi acceptiſſima conſilia. Et idem meritò Chuſai occurrit Dauidi oraturo ad Dominum, de oratione enim accipiunt homines, quo mala diſſipent conſilia, & trahant vtilia, dicebat D. Nyſſ. orat. 1. de orat. Dom: Nyſſ. *Quòd ſi oratio negotium præceſſit, peccatum aduersùs animam aditum non inueniet. Dei enim memoria in corde fixa, atque fundata, irrita conſilia aduerſarij manent.* Vbi per orationem Deum meminimus, cumque animo figimus, non habet hoſtis, vnde nos petat, eius nequiſſima conſilia irrita manent & euanida. Quidquid boni conſilij optamus, id dicto citiùs trahitur. Memini, vt Iacob fugatus fuerat à paterna domo, per metum fratris; vt etiam veniens à ſoceri domo correptus fuerit eiuſdem fratris timore, ſub quo dum iter faceret, ait Geneſ. 32. Geneſ. 32. *Iacob autem abiit itinere, quod cœperat, fueruntque ei obuiam Angeli Dei.* Et vnde Iacob venit in conſortium Angelorum: Dicebat immediatè ante in fine c. 31. Geneſ. 31. *Immolatiſque victimis in monte vocauit fratres ſuos*, &c. Immolauerat equidem Iacob victimas in monte cum ſocero ſuo Labano, Deumque ibi inuocauerat, & inde digreſſus ſtatim deuenit in Angelos, à quibus conſilia ſalutis caperet. Sic ſalutaria conſilia adſunt orantibus. Vt dicat Egeſipp. Egeſipp. lib. 5. c. 16. *Iacob ſanctus, Eſau fratre parricidium minitante patriam reliquit, parentes deſeruit, ſolius ſecum orationis ferens viaticum, meritoque in peregrinis locis, cùm fratris metueret inſidias, & hominum comitatu, atque auxilio egeret; inuenit Angelorum conſilium perductus ad caſtra Dei.* Etſi expulſus à patria, metu fratris, etſi à ſuis deſtitutus, tamen quia ferebat ſecum orationis viaticum, inuenit Angelorum conſilium. Nunquam enim conſilia ſalutaria deſtituunt orantem. Nota eſt hiſtoria Ezechiæ Regis Iuda, quando cinctus validiſſimo Aſſyriorum exercitu orauit ad Dominũ 4. Reg. 4. Reg. 19. 19. *Factum eſt igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum*, &c. Vbi orauit Ezechias, præſtò fuit Angelus qui hoſtium conſilia diſſiparet, & ſalutem traheret. Ait Egeſip. lib. 5. c. 16. Ezechias Rex inſuſo Aſſyriorum populo genti Iudææ, votis Rapſacis, imperio Sennacherib Regis, quæ in Deũ iacerentur conuitia, quæ populo quam ſuprema exitia denuntiarẽtur, ſatis comperiſſet inſinuantibus; Egeſipp. *non verba verbis, nec arma armis reſpondenda credidit; ſed exurgens cilicio ſe vt ſcuta induit: pro galea cinere caput texit, pro iaculis orationem intorſit. Aſcendit oratio, deſcendit Angelus, cæſa per noctem centum octuaginta quinque millia Aſſyriorum cadauera numerauimus.* Expende illa, *Aſcendit oratio, deſcendit Angelus*: nunquã enim orãtes non comitatur Angelus optimus conſiliarius, qui aduerſariorum conſilia diſſipare valeat.

§. II.

Vanè de Ieſu amicitia gloriatur, qui eum in paſſione videns, nil in ſe paſſionis aſſumit.

AD Dauidem ab aula electum, & peditem per montes errantem peruenit Chuſai Arachites; ſed quo peruenit habitu? Ait text. *Ecce occurrit ei Chuſai Arachites, ſciſſa veſte, & terra pleno capite.* Et cur ſingulariter notatur de Chuſai, quòd ſic luctuoſus ad Dauidem venerit? Erat Chuſai notiſſimus Dauidis familiaris, adeò vt pleno ore dicatur ab Abſalone infrà Dauidis amicus. Vanè ergo amici Dauidis nomine gloriaretur, ſi videns illum in clade tanta, non partem in ſe illius cladis repræſentaret. Vt videant Chriſtiani, quàm vanè amicitiam Ieſu affectent, ſi videntes illum in calamitate paſſionis, nullam in ſe velint accipere paſſionis partem. Ad Iob ſedentem in ſterquilinio, multiſque affectum malis, venerunt tres amici eius, de quibus dicit text. c. 2. Iob 2. *Sciſſis veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cœlum. Et ſederunt cum eo in terra*, &c. Quanta hi homines faciunt in ſe & triſtia, & aſpera, vbi viderunt Iobum tot affectum malis? Et cur hæc faciunt? Amici erant, & inde amicitiæ veritati ſatisfacere conantur, in ſe ſumẽtes, quod & ſciebant, & videbant in amico factum. Ait Origen. lib. 3. Origen: in Iob: *Admirantes viri illi atque ſtupentes lamentabilem Iobi immutationem, veſtimenta ſua conſciderunt, & terram ſuper capita ſua ſparſerunt. Quæ feciſti inquiunt, facimus, veſtimenta noſtra ſcidimus, & terram ſuper capita noſtra ſpargimus, ſic namque & tu feciſti ô Iob, & vtinam cæteros dolores tuos tecum diuidere poſſimus.* O veræ amicitiæ demonſtrationem claram! Meritò hi viri amici Iob à ſacro textu vocantur, quando videntes eius calamitatem, nihil magis ſatagunt, quàm eandem in ſe repræſentare, curantes ſibi aſſumere vel totam, vel partem. Crede mihi, vanè amicitiam iactat, qui videns amicum in calamitate, non illam in ſe curat repræſentare. Vanè de Ieſu amicitia gloriatur, qui eius paſſiones videns, in delitiis exiſtens nihil ſuper eius contritiones patitur. Poſt crucifixum Dominum Matth. 27. dicit: Matth. 27. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Et cur mundus tenebris ſeſe obuoluit tribus horis? Videbat mundus dilectiſſimum Dominum ſuum currere ad ſepulchri tenebras, quibus per tres dies latuit; & ideo obtenebratus ſe ad eius formam compoſuit. Ait Sedul. lib. 5. Paſchal. 16. Sedul: *Talem ſiquidem vultum patris orbata ſolatiis maruerunt elementa ſortiri, vt cuius in ortu lætata ſunt, triſtarentur in occaſu*, &c. *Nam ſicut tribus horis mundi facies tenebris oppreſſa*

ſubiacuit; ita Dominum tumuli clauſum triduo ſepultura contexuit. Sepulti Ieſu tenebras præmonſtrabat in ſe creatura vni-uerſa; ne quis glorietur ſe addictum eſſe Ieſu, niſi eius in
Matth. 27. ſe dolores repræſentet. Similiter Matth. 27. *Ieſus autem ite-rum clamans voce magna emiſit ſpiritum, & ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes.* Nec miror, vbi enim humanitas Ieſu apparuit in duas partes ſciſſa, templum illud magni-ficum, quod totum Ieſu ſeruiebat, in duas partes etiam ſcidit velum ſuum: non habens quomodo tanto Domino par referat, niſi ſe ad formam paſſionis eius transfiguret.
Sedul. Vt dicat Sedul. lib. 5. Paſchal. 17. *Tunc illud quoque templum miſerabile, plenum religionis antiquæ, maioris templi culmina* (nem-pe Ieſu) *cecidiſſe conſpiciens, velut alumnus triſtis, & gemens pro-prium defletor authorem. Deſciſſo protinus velo*, &c. Ne quis audeat manere in delicijs Ieſu contritionem videns.

§. III.

In Ieſu pœnis timeat homo ſuas, quas dabit Deo.

Mirabar in clade Dauidis ſic affectum fuiſſe Chuſai, vt dicat textus de illo: *Ecce occurrit ei Chuſai Arachi-tes, veſte ſciſſo, & terra pleno capite.* Non enim amici ſolent in amicorũ cladibus ſe tam externis macerationibus con-ficere. Cur ergo Chuſai in clade Dauidis, non ſolùm ve-ſtem ſcidit, ſed inſuper quaſi ſub terra ſepeliuit? Credi-derim Chuſai intellexiſſe illius cladis myſteriũ, & in Daui-dis pœnis cognouiſſe etiam quas ſibi imminebant; & ideò non ſolùm pro Dauide, ſed pro ſe etiam doluiſſe. Quam mentem vtinam ebiberent vniuerſi, qui Ieſu pœnas, & tormenta reſpiciunt, vt in illis meminerint etiam, quæ ſibi imminent, & pro ſe etiam dolere incipiant. Percuſſo
Iob 2. Iobo, venerunt amici, de quibus ait cap. 2. *Exclamantes plorauerunt, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cœlum. Et ſederunt cum eo in terra*, &c. Et cur ex viſa amici contritione tam inſuetus dolor inuaſit hos amicos? Non ſolùm videbant contritionem Iob, ſed & in illa odo-rabantur & ſuam, inde tam inſuetè conterentur. Ait Ori-
Orig. gen. lib. 3. in Iob. *Certum eſt, quòd non ſolùm pro Iob, ſed etiam pro ſe vnuſquiſque eorum ſolicitus erat; metuens quid etiam de ſe gereretur, vel quid expectaretur.* Prudentes viri in amici ruina cogitabant de ſuis, & inde maximè dolores ſuos acue-bant. Quam prudentiam felicius haberent Chriſtiani, ſi reſpicientes Ieſum contritum in cruce, meminiſſent, vt debent, illas pœnas, & tormenta ſibi maximè imminere. Cùm enim Chriſtiaoe vides Regem illum cœlorum in tormenta, & mortem ire; ſi ſapis, time tibi, cui vel ſimilia,
Matth. 27. vel maiora tormẽta debẽtur. Matth. 27. poſt Ieſum ſpiran-tem ait: *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Et cur terra tre-
Sedul. miſcit? Pulchrè ait in rem præſentem Sedul. lib. 5. Paſcal. cap. 16. *Neque tellus ſine clade tunc obſtitit, omnibus contremens fundamentis*, &c. *dubia pependit natura ſub termino, ne ſummus ſcilicet apex ad inferno deſcendens, omnem protinus molem ſecum iugiter inclinaret.* Tremebat terra, & timebat ſibi, videns Ieſum in mortem ire, & in inferna deſcendere, ne ſimul neceſſe eſſet ire in ſimilia. Quod ſanè maiori fundamento debet homo timere; quando enim Ieſus in tam atroces pœnas venit; quis homo non tremiſcat ſub dubio, an neceſſum ſit, quòd ipſe maioribus ſe ſubmittat.

§. IV.

Dolor non minuitur, ſed augetur amicorum, dilectorumve doloribus.

Sapienter Dauid à ſe dimittit Chuſai, dicens: *Si veneris mecum, eris mihi oneri.* Et cur Dauid à tanti amici aſſiſten-tia timet maius ſibi onus obuenturum? Quando Chuſai dolens, & afflictus verſaretur ob oculos Dauidis, non mi-rer, ſi illius dolorem augeret, & ferè faceret importabi-lem. Non enim minuitur, ſed creſcit doloris onus, de
Ioan. 19. amicis, & dilectis dolentibus viſis. Ioan. 19. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius*, &c. Et mirum erat, quòd in tanta deſolatione procurata, & admiſſa à Ieſu prouideret ſibi tunc matrem aſſiſtere. Cur hoc facis, ô bone Ieſu? Cur prouides, vt in deſolatione crucis tibi mater aſſiſtat?
Arnol. Car. An vt inde aliquod leuamen habeas? Imò vt inde maius dolorum onus exiſtat. Ait Arnold. Carnot. tract. de laud. Mar. *Chriſtus quidem in eum expenſit contumelijs & tormentis, iam hora propinquante in matre amplius, quàm in ſe pati videba-tur.* Sic creſcebat onus dolorum Ieſu ex dilecta afflicta, & lugubri viſa matre. Vnde qui ſapiunt, in dilectorum ſuorum calamitatibus vel ſe abſcondunt, vel alacrem, & magnanimum vultum præ ſe ferunt. Hinc de matre Ieſu ſtante iuxta crucem, illud notandum, quòd non ibi deiecta dolorum onere eſſet, ſed ſtans. Et quomodo po-
Idem. terat ſtare? Ait Arnold. Carn. tract. de ſeptem verbis Ieſu: *Clauſo tanti doloris tormento intrinſecus alium vultum palàm exhi-bebat; nec poterat ex facie colligi crux illa animæ.* Sic ſapientiſ-ſima fœmina immenſè intrinſecus patiens alium vultum extrinſecus exhibebat, ne amplius, quantum in ſe erat, oculos patientis filij cruciaret.

§. V.

Vnum Deum ſpectanti oneroſa ſunt temporalia leuamina.

Adhuc notandum, quod ait Dauid Chuſai, nimirum: *Si veneris mecum, eris mihi oneri.* Et vnde oneri eſſe po-terat amicus amico, & non magis leuamini. Vt enim Da-uid totus erat in Deo poſitus, ſic temporale amicorum leuamen à ſe abiecit. Vnum enim Deum ſpectanti, oneri ſunt temporalia leuamina. De Magdalena locutus Ioan.
Ioan. 20. cap. 20. ait: *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum: & vi-dit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, vnum ad pe-des, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi. Mu-lier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum? Hæc cum dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum*, &c. Ecce tibi Magdalena Ieſum dolens quære-bat, & Angelos inuenit, & vbi Angelos adeſſe vidit, ſta-tim eis terga vertit. Cur non magis frueris Angelorum præſentia? Cur lachrymantes oculos non magis in Ange-los figis, qui tuas poſſent lachrymas abſtergere? Vt vnum ſuſpirabat Ieſum, in quo ſolo tota erat, vt valde onero-
Origen. ſa caueret leuamina, quæ illi creaturæ poſſent afferre. Ait Origen. homil. vlt. in diuerſos: *Maria nimio dolore confecta tota in exceſſu mentis poſita nullam recipit conſolationem, & ad nullum tendit conſolatorem; ſed intra ſe cogitat, dicens: Proh do-lor, qualis eſt iſta conſolatio? Qualis eſt iſta Angelorum viſitatio? Oneroſi ſunt mihi omnes conſolatores, grauant me, & non conſolan-tur. Ego autem quæro creatorem, & ideo grauis eſt mihi ad viden-dum omnis creatura.* Equidem vnum Deum quærenti, vnum Deum ſpectanti oneroſa erant omnia temporalia leua-
Ioan. 16. menta. Vnde dicebat Dominus diſcipulis ſuis quærenti-bus regnum Dei Ioan. 16. *Expedit vobis, vt ego vadam, niſi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Et eſto, quòd para-cletus non veniret, præſente Chriſto, quantum hoc in-conueniens erat? Nonne & Chriſtus Dei filius, & ipſe Deus eſt? Nonne in Chriſto totum Deum habebamus? Ad quid ergo nobis conducebat eius abſentia? Equidem forma illa mortalis, & temporalis Ieſu, quæ ante Spiritus ſancti ad-uentum, diſcipulorum oculos, & animum demulcebat, ſolas temporales conſolationes illis propinabat, quæ ſi
Bernard. penſarentur, non parum detinebant; & impediebant ten-dentes ad Deum. Vt meritò dicat D. Bernard. ſer. 4. in vigil. Nat. *Mundialem quidem conſolationem vobis offerre nec libet, nec licet. Vilis enim eſt, & ad nihilum vtilis huiuſmodi conſolatio, & (quod magis eſt metuendum) etiam veræ, ac ſalubris conſolationis eſt impedimentum.* Planè in mundialibus, & temporalibus conſolationibus grauiſſima patiuntur impedimen-ta, qui ad ſolidas, & veras Dei conſola-tiones contendunt. Ne miremur, quòd illas ſicut onera grauia à ſe excutiant illi, qui ſpectant Deum.

§. VI.

§. VI.

Blandimenta verborum validiſſima ad perdendos homines.

VIde quibus committat Dauid ſpem victoriæ de rebellibus ſuis, nimirum dixit Chuſai: *Si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Abſalon: Seruus tuus ſum Rex, paterne ſiue vinere, ſicut fui ſeruus patris tui, ſic ero ſeruus tuus, diſſipabis conſilium Achitophel.* Ecce tibi non dubitat Dauid Achitophelis, & omnium rebellium conſilia diſſipanda, vbi Chuſai blandimenta verborum Abſaloni præmittat. Et meritò, quia hæc validiſſima ſunt ad perdendas mundiales altitudines. *Ierem.11.* Aiebat Hierem. c. 11. *Oliuam vberem, pulchram fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum. Ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt frutecta eius.* Magnam, & ſpecioſam oliuam & fructibus plenam vna vox grandis loquelæ in cinerem conuertit. Et quæ vox? Et quæ loquela adeò grandis, vt ſic tantam arboris altitudinem, & pulchritudinem perdat? ait D. Greg. homil. 11. in Ezech. *Gregor.* *Vox grandis loquelæ eſt ſonus adulantis.* Equidem blandiſſima illa verba, quibus humani animi permulcentur, ea tantam excitant pyram in audientium cordibus, quanta poſſit humanas omnes altitudines in cineres redigere. Crede mihi nō ſolùm quādo adulantiū vitio, ſed quando ſapientiæ conſilio proferuntur blandimenta verborum, ad diſſipandum, perdendumve ſunt validiſſima. Matth. 26. dicebat Ieſus ipſe proditori ſuo: *Amice ad quid veniſti?* *Matth.26.* Circa quæ Theophyl. *Theophyl.* *Iudam amicum vocat, inceſſans eum, & blandiens.* Ecce blandimenta verborum in ore Ieſu aduersùs proditorem proferuntur, nec miror, ſæpe enim ſapientiſſimus Dominus ad has verborum blanditias confugit, tanquam ad ſpicula contra nequiſſimos homines. Ad hæc Origen. hom. 34. in Matth. ait: *Origen.* *Omnes hæretici quemadmodum Iudas, ſic Ieſu dicunt, Rabbi: qui & oſculantur eum, ſicut & Iudas. Ad quos omnes placabilia dicit Ieſus, cùm ſint omnes Iudas proditor. Dicit autem ei improperans amicitiæ ſimulationem: Amice ad quid veniſti? Hoc enim nomine inimicum bonorum in Scripturis cognoſcimus appellatum. Ad malum enim & non indutum nuptialibus veſtimentis dicit: Amice, quid huc veniſti? Malus autem eſt, qui & in parabola denary audit: Amice, non facio tibi iniuriam.* Sic vbi iam ab ſpiculis transverberandi erant, confugiebat Dominus ad verborum blanditias, & lenocinia tanquam ad notiſſima ſpicula potentia perdere iniquos.

2. *Reg.* 15. Habes autem tecum Sadoc, & Abiathar Sacerdotes, & omne verbum, quodcumque audieris de domo Regis, indicabis Sadoc. & Abiathar Sacerdotibus. Sunt enim cum eis duo filij eorum. Achimaas filius Sadoc, & Ionathan filius Abiathar; & mittetis per eos ad me, omne verbum quod audieritis. Veniente ergo Chuſai amico Dauid in ciuitatem, Abſalon quoque ingreſſus eſt Ieruſalem.

§. VII.

Etiam hoſtis honorificis vocabulis tractandi.

SÆpe in Dauidis linguam Abſalon rebellis nominandus deuenit, quem nunquam Dauid nominat ſine vocabulo illuſtri, & regio. Sic modò ait: *Omne verbum, quodcumque audieris de domo Regis,* &c. Regem vocat eum, qui rebellis, & parricida, & tyrannus erat, nec tam immani hoſti titulum honorificum, etiam indebitum negat. De quo ait Theodor. quæſt. 29. *Theodor.* *Iure eſt admiranda Dauidis lenitas, & manſuetudo. Quem cùm perſequeretur, & bello inuaderet execrandus filius, non eum nominauit parricidam, nec fratricidam, ſed Regem.* Conueniant huc, qui iniurias patiuntur, & diſcant, quam nobilibus vocabulis ſint etiam hoſtes, etiam iniuriatores ſuos honoraturi. Tyrannum patiebatur Dauid, & Regem vocabat; vt tu qui pateris hoſtem, eum ſimili honore afficias. Stephanus dum inter infenſiſſimos ſibi hoſtes verba facit, ſic inquit Actor. 7. *Actor. 7.* *Viri fratres, & patres audite: Deus gloriæ,* &c. Hoſtes erant crudeliſſimi, & notiſſimi, quos nihilominus fratres, & patres vocat; vt plus fulgeant ſub adeo honoratis titulis. De quo D. Nyſſeo hom. de Sancto Stephan. ait: *Nyſſen.* *Illi quidem ad cædem ſpectabant, & iam manus lapidibus armabant, obtutu, anhelatione, dentium colliſione ſæuitiam præſeferentes, hic verò tanquam fratres aſpiciebat, & tanquam patres ſalutabat. Viri enim fratres, inquit, & patres audite.* Proh ingenuitatem viri ſancti! Hoſtes videbat, & fratres vocabat, furentes in ſe illorum rabies notabat, & illos nihilominus parentum honorabat vocabulis. Quod maximè eniruit in Ieſu meo, vbi enim traditorem ſuum ſibi præſentem vidit Matth. 26. ait illi: *Matth.26.* *Amice, ad quid veniſti.* Dixiſſem ego: O latro, ô nequam homo, ô ſceleſtiſſime! Ieſus autem dicit, *Amice,* vſque tunc proditoris ſui conſulens honori, eum amici vocabulo inſigniens. Quocirca Euthym. ait: *Euthym.* *Vide miſericordiam inenarrabilem. Siquidem donec traditus eſt, fuit illi cura de proditore. Ideo etiam nunc amicum nominauit eum.* Non denegat honoris titulum ei, qui ſibi hoſtis, & proditor erat notiſſimus. Lot Sodomitis in domum eius irruentibus dicebat Geneſ. 19. *Geneſ. 19.* *Nolite, quæſo, fratres mei, nolite malum hoc facere.* Circa quæ D. Chryſoſtom. *Hæc vera virtus eſt, ita manſuetè alloqui illos. Et animaduerte, quòd eos, qui tam abſurda patrare volebant, fratres vocat & eorum conſcientias tangere, & à nefario flagitio volens abducere.* Sic ibi.

§. VIII.

Magnarum rerum certitudo tunc omnibus innoteſcit, quando tranſmittitur per eos, qui Deo ſunt adiuncti.

PLures erant Ieroſolymis, quorum opera vti poterat Dauid, vt ad ſe referrentur tyranni ſui conſulta; Sacerdotes tamen elegit ſolos ad hoc munus. Ait enim: *Indicabis Sadoc, & Abiathar ſacerdotibus. Sunt enim cum eis duo filij eorum.* Et cur Dauid ad nuntiorum munus vti magis voluit Sacerdotibus? Nonne & præſtò eſſent alij, vel laici homines, aut Chuſai famuli, & affines? Cur non per hos ſed per ſacerdotes voluit ſecreta tyrāni renuntiari ſibi? Vt ea magni momenti res erat, ſic maluit ſibi per Sacerdotes indicari in maiorem rei certitudinem. Certitudo namque magnarum rerum tunc clariùs innoteſcit, cùm per eos tranſmittitur, qui maximè Deo approximantur. Noſti hiſtoriam trium puerorum, qui à Nabuchodonoſore miſſi ſunt in ardentem fornacem. Hos cùm minimè flammæ læderent, venit ad impium Regem fama, quæ miraculum renuntiaret. Vt flammæ ſtuperent puerorum ſanctitatem: vt pueri illæſi, & hilares eſſent inter flammas. Currit impius Rex, vt rem videret, & accedens ad os fornacis ait Dan. 3. *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* *Dan.3.* Duo ibi acciderunt mirabilia, quæ puerorum virtutem demonſtrarent. Alterum quòd flammæ non vrerent pueros, alterum, quòd ſimilis Dei filio eos comitaretur. Quòd flammæ non vrerent, omni populo patuit; quòd ſimilis filio Dei cum eis eſſet, vni viſum fuit Regi. Et cur præter flammarum inefficaciam omnibus conſpicuam, impio, & ſacrilego Regi ſimilis filio Dei oſtenditur? Ne impius Rex dubitaret de re, ſimilis Dei filio oſtenditur illi, nulli enim certitudinem non facit, quòd per eum, qui Deo proximus eſt, prædicatur. Quo reſpiciens D. Chryſoſtom. hom. de tribus pueris ait, *Chryſoſt.* *Patitur ſe Deus cum pueris in ſupplicio numerari, & pateſ Dominum videre ſacrilegus, ſed non permittitur noſſe, vt creſcat gloria puerorum: inſano enim menti in ſuis flammis parum crederet fortaſſe, ſi talem non diſceret defenſorem.* Equidem inefficacia ſua loquentibus flammis puerorum ſanctitatem, & virtutem fortè non crederet Rex inſanus; quid ergo? Neceſſum fuit ibi addi illum ſimilem filio Dei, in eo enim, qui adeò proximus Deo eſt, tanta certitudo fundatur, quæ vel nequiſſimo Regi fidem faceret. Hinc dicebat Dominus diſcipulis ſuis Actor. 1. *Actor.1.* *Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti, in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* OEconomiæ ſuæ teſtimonium committit Dominus diſcipulis ſuis, vt teſtentur populis diuina conſilia in Chriſto. Sed non permittuntur talia præſtare teſtimonia, niſi poſtquam in ſe receperint Spiritum ſanctum, eiuſque virtuti-

bus fuerint inducti. Et cur priùs debeant Spiritu ſancto indui, qui teſtaturi erant mundo diuina conſilia? Vt in teſtimoniis illis tanta erat neceſſaria certitudo, quæ fidem faceret mundialibus Principibus, ſic debebant proferri ab illis hominibus, qui eſſent Deo coniunctiſſimi.

§. VIII.

Vbi alicubi oritur virtus, ferè nunquam non oritur & vitium iuxtà.

SImul excipit Ieroſolyma & fidelem Chuſai, & perduellem Abſalon, dicente textu: *Veniente ergo Chuſai amico Dauid in ciuitatem, Abſalon quoque ingreſſus eſt Ieruſalem.* Raró enim inuenitur vena virtutis, quin iuxtà inueniatur oriens vitium. Vbi Ieſus erat in horto Gethſemani orans ad Patrem, ſimul illuc peruenit Iudas, de quo ait Matth.
Matth. 16. cap. 26. *Confeſtim accedens ad Ieſum dixit! Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum. Dixitque illi Ieſus: Amice,* &c. Quantum hoc, quòd idem hortus & Ieſum exhibeat, & proditorem? In Ieſu omnium virtutum vena offendebatur, in Iuda origo omnium vitiorum, & tamen ſimul inueniuntur in eodem
Caſſian. loco. Vt dicat Simon de Caſſ. in Matth. cap. 47. *Nullus eſt ſceleſtior, quàm qui ſub velamine virtutis prodit. Iunguntur verò Ieſus, & Iuda, origo bonorum, & ſentina malorum.* Planè vbi bonorum origo eſt, & iuxta offenditur ſentina malorum. Nequit enim in hac mundiali ciuitate inueniri vena virtutum, quin ſimul oſtendatur iuxtà profluuium malorum.
Rom. 9. Quò reſpiciens Paul. ad Rom. 9. aiebat: *Non enim omnes, qui ex Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen,* &c. *Promiſſionis verbum hoc eſt; ſecundùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Non ſolùm autem illa; ſed & Rebecca ex vno concubitu habens, Iſaac patris noſtri. Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Ecce tibi in Abrahami ſemine poſita eſt vena omnium benedictionum, omnium promiſſionum diuinarum. Quid tunc? In illo ipſo ſemine non inuenitur, niſi qui ad benedictiones, & promiſſiones diuinas? Vtinà ſic accideret; ſed non eſt huius temporis, quòd naſcatur vena benedictionis, quin iuxtà vena maledictionis proſiliat. Et ſic vix cœpit illud benedictum ſemen profluere, & ecce tibi ſecundo gradu Iacob ſanctus, & Eſau profanus proſiliuit. Ille qui benedictiones portet, hic qui ſeruiat maledictis. De quo locutus Rupert. lib. 1. de dono conſilij cap. 5. ait: Rebecca ex vno concubitu habens Iſaac patris noſtri, cùm nondum nati fuiſſent, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum
Rupert. eſt: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Tam citò poſt Abraham ex vnico Abrahæ primogenito Saræ, tam recenti tamque nouitio ſemine eiuſdem Abrahæ natus eſt is, qui non pertineret ad illam, quam præſciuit Deus, plebem ſuam, & cùm non niſi duos generaret, tantus vir nequaquam ambos electos, aut dilectos generare potuit.* Equidem in ſemine benedictiſſimo, cùm adhuc recens eſſet, & nouitio ſplendore præfulgens, vbi vnus benedictus filius apparuit, ſtatim iuxta illum & alius viſus eſt, qui maledictionibus ſeruiret.

§. IX.

Paruum, quod ex Deo habeas, ad magnum peruenies.

DIcitur Abſalon ingreſſus Ieruſalem, & Chuſai non dicitur in Ieruſalem ingreſſus, ſed in ciuitatem, dicente textu: *Veniente ergo Chuſai amico Dauid in ciuitatem, Abſalon quoque ingreſſus eſt in Ieruſalem.* Abſalon vt qui & Regiam occuparat tyrannicè, ingreſſus ſpecialiter oſtenditur Ieruſalem; Chuſai, qui vix vnius ciuis locum habebat, ſolùm meritò dicitur ciuitatem intraſſe. Et quidem ſufficiebat ad triumphi Dauidis per Chuſai obtinendi auſpicium quod vel in Regia ciuitate vnius parui ciuis locum teneret; quæ enim per Deum fiunt parua, magnorum etiam conſecutionem futuram teſtantur. Oſeas cap. 2. ait Do-
Oſeæ 2. minus: *Ego dedi ei frumentum, & vinum,* &c. Quod notans D. Gaudent. ſerm. 2. de Exodo afferit inde iam non poſſe dubitari, quòd & nobis dederit corpus ſuum, & ſanguinem. Sed quid habet largitio panis, & vini cum largitione diuiniſſimi corporis, & ſanguinis? In largitione panis, & vini parua eſt, & communis Dei operatio, quæ forſan poſſet & ab Angelo præſtari. In largitione autem diuiniſſimi corporis, & ſanguinis operatio eſt ineffabilis; & ſupernaturalis. Cur ergo ex tam parua largitione colligit D. Gaudentius futuram largitionem adeò magnam? Equidem in re Dei, & virtutis valet argumentum à minori ad maius, quando enim vel paruum ex Deo habes, habebis &
magnū. Ait ille ibi: *Ipſe igitur naturarum Creator, & Dominus, qui* Gaudent.
producit de terra panem, de pane rurſus efficit proprium corpus. Et qui de aqua vinum fecit, & de vino ſanguinem ſuum. Sic bonus præmittit minus a Deo factum, vt adſtruat maius. Qui enim à Deo vel parum habet, niſi per ſe obſit, & capiet magnum. Huc trahe dicta tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 15. §. 23. & cap. 6. §. 13. & tom. 3. in Euang. lib. 14. c. 10. §. 31.

§. X.

Ambitioſi nunquam non inueniunt ſectatores.

NOn ſolus Abſalon intrauit Ieroſolymam, ſed & Achitophel cum eo; ſic enim plures textus referunt: *Abſalon quoque ingreſſus eſt Ieruſalem, & Achitophel cum eo.* Nec miror, ſemper enim ambitioſi habent ſectatores. De primo
illo ambitioſo, qui ambiuit Dei ſedem, locutus Iſaias c. 13. *Iſai. 13.*
Dicebas in corde tuo, in cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo, &c. *Qui te viderint, ad te inclinabuntur.* Simul cœpit ambitionis vento inflari, & ad ſe inclinatos ſectatores trahere. Vt me-
ritò de illo dicat D. Laurent. Iuſtin. lib. de inſt. & regim. Laur. Iuſt.
Prælatorum c. 1. *Concepit iniquitatem, principatum ambiuit, cæterorumque requiſiuit conſortium.* Vbi ambire cœpit, & cœpit etiam conſortes requirere; nunquam enim ſolus ambitioſus manet. Ambierunt quondam Core, Dathan, & Abiron ſummum ſacerdotium, non ferentes, quod illud haberent ſoli filij Aaron, de quorum ambitione locutus textus
ſacer ait Numer. 16. *Ecce autem Core filius Iſaar, filij Caath, filij* *Num. 16.*
Leui, & Dathan, atque Abiron filij Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben ſurrexerunt contra Moyſem, aliiſque filiorum Iſrael ducenti quinquaginta viri proceres, &c. Ecce tibi pro ſummo ſacerdotio occupando Core, Dathan, & Abiron rebellant in Moyſem. An illi ſoli? Minimè, ſed ſibi rapiunt quinquaginta alios viros proceres. Nunquam enim ambitioſus non facit ſibi ſectatores. Quod notans Oleaſter ibi dicebat: *Mirandum valde eſt, quam facilè illi ducentos quinquaginta viros inuenerint, qui tam facilè irent in illorum ſententiam.* Hæc miracula faciunt maximè ambitores, quòd nunquam ſint ſoli, ſed eodem veneno inficiant plures ſocios. Vnde non immeritò ambitio vocatur peſtis, quæ non ſiſtit in
vno, ſed latè ad plures ſe extendit. Dicebat Pſalm. 1. *Bea-* *Pſalm. 1.*
tus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Circa quæ ait D. Auguſt. In cathedra peſtilentiæ non ſedit. Noluit regnum
terrenum cum ſuperbia. *Quæ ideo cathedra peſtilentiæ rectè* Auguſt.
intelligitur, quia non ferè quiſquam eſt, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Peſtilentia eſt enim morbus latè peruagatus, & omnes, aut penè omnes inuoluens. Sic ibi.

2. *Reg.* 16. Abſalon autem, & omnis populus eius ingreſſi ſunt Ieruſalem, ſed & Achitophel cum eo. Cùm autem veniſſet Chuſai Arachites amicus Dauid ad Abſalon, locutus eſt ad eum: Salue Rex. Ad quem Abſalon: Hæc eſt, inquit, gratia tua ad amicum tuum: Quare non iuiſti cum amico tuo? Reſpondit Chuſai ad Abſalon? Nequaquam, quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, *&c.*

§. XI.

Terrenis bonis minimè fidendum, vt quæ neſciant diu ſuos retinere.

NVllo obſiſtente, imò tota plaudente ciuitate Abſalon Regiam occupat, dicit enim: *Abſalon autem & omnis populus eius ingreſſus eſt Ieruſalem.* Ingreſſus itaque eſt Ieruſalem Abſalon, ait Salianus lætus, & ouans, lætiſſimis omnium acclamationibus exceptos. Sed quandiu in iſtis durabit? Crede mihi, ne fidas terrenorum bonorum lenocinijs, ne fidas terrenorum cordibus, hodie te excipiunt affectu ſummo, & cras eijcient calcibus.

Math. 12. Dicebat Dominus Matth. 12. *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ,* &c. Expende illud, *in corde terræ*; Ionas dicitur fuiſſe in ventre ceti, Ieſus autem dicebatur futurus non in ventre, ſed in corde terræ. Et cur maluit dicere ſe futurum in corde terræ? Volebat Dominus explicare breuiſſimam, & penè momentaneam moram, qua futurus erat in ſepulchro, & ideò dicit ſe in corde terræ extiturum; terrenum enim cor inconſtantiſſimum eſt, neſciens aliquid in ſe diu retinere, ſed quod modò auidè accipit, cùm primum à ſe abijcit.

Chryſoſt. Vt dicat Diuus Chryſoſtomus homil. 5. de Paſſ. *In corde dixit; non dixit in poteſtate, ſcilicet terræ, vt terra ſuum ſentiret, agnoſceret, tremeret, ſed non teneret authorem.* Heu terreni cordis inconſtantiam! Quem excipit Dominum, quem enixè amat, ad cuius nutum tremuit, non retinet, ſed ſtatim abijcit. Caue tibi homo à terrenorum cordibus, etſi plaudant, etſi arrideant, etſi te in intimis habeant, horæ momento vel calcibus te abire facient.

Matth. 21. Intrabat quondam Ieſus meus Ieruſalem inter clariſſimas populi acclamationes, de quo ait Matth. 21. *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid. Benedictus, qui venit in nomine Domini, hoſanna in altiſſimis.* Fallar, ſi quis tantà populi acclamatione, & tanto affectu vrbem intrauit.

Ioan. 19. Verùm vix tres præterierunt dies, & ille ipſe populus Ioan. 19. aduersùs Ieſum clamat: *Tolle, tolle, crucifige eum,* &c. *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Quæ hæc mutatio? Heri clamantes benedicunt, hymnis celebrant, veſtibus ſternunt viam, qua venit in ciuitatem; hodie eum à ſe eijciunt, & conſpectum eius ſuſtinere non valent. Vnde hoc? Hæc eſt terrenorum omnium inconſtantia, calcibus eijciunt hodie, quem heri intimis excipiebant animis.

Cyril. Alex. Ait Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioann. cap. 26. *Iſrael cadit regnum Dei percuſſit, & ad principatum Cæſaris transfugit,* &c. *Ipſi autem, quamquam aſinæ pullo inſidentem Ieſum publicè in Hieroſolyma diuinis honorarunt laudibus; Benedictus, clamantes, qui venit in nomine Domini; reſiliunt tamen nunc principatum Romanorum amplexi, & iugum regni Dei reijcientes.* Ecce, quàm facilè terrenorum acclamationes mutantur in opprobria; palmæ in flagella, plauſus in contumelias.

Guerr. Rem adhuc pulchriùs expendit Guerricus ſermon. 3. in Ramis inquiens: *Ibi clamatur ei Hoſanna, filio Dauid: hic inclamatur ei reus mortis. Ibi cum ramis palmarum ei occurritur; hic alapis palmarum in faciem cæditur, & arundine percutitur caput. Ibi ſublimatur præconiis; hic ſaturatur opprobriis. Ibi tanquam Rex inclitus ſuſcipitur in Hieruſalem, hic tanquam reus, & ſeductor damnatus eijcitur de Hieruſalem,* &c. Et pergit vir Sanctus per alia, vt oſtendat quàm varia ſint terrenorum corda, etiam circa eos, quos videbantur complecti toto animo ſuo.

§. XII.

Placentia inconſultiſſimè creduntur ab hominibus.

NOuit Abſalon Chuſai amicum valde, & familiarem Dauidis, & nihilominus non detrectat cum illo miſcere ſermones, imò illum inter ſuos recipit. Et vnde potuit Chuſai ſic à ſe omnem malam ſuſpicionem depellere, & Abſalonis familiaritatem aucupari? Sola præmiſit verba Abſalon placentia, nimirum: *Salue Rex, ſalue Rex,* &c. *Illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuerſus Iſraël, & cum eo manebo,* &c. Hæc à Chuſai dicta, vt placentia erant Abſaloni, ſic ab illo inconſultiſſimè credita fuerunt. Aiebat ad hæc Diuus Chryſoſtomus homilia de liberorum educat. Chryſoſt. habita tom. 6. *Chuſi verò nihil turbatus, aut commotus, quid inquit? Quando Deus erat cum Dauide, ego quoque cum eo ſtabam; cum verò iam tecum ſit, conſentaneum eſt, vt & ego iam tuas res curem. Extulit hæc res tyrannum, & inflauit, nec quicquam circumſpectè ſcrutatus. Homo enim leuis credit omni verbo; & confeſtim illum in familiares ſuos adſciuit.* Vbi in ore Chuſi adeò ſibi placentia verba Abſalon vidit, nihil circumſpectè ſcrutatur, ſed omnia credens illum inter ſuos numerauit familiares. Sic incircumſpectè, & inconſultè credunt homines verbis, quæ ſibi placent. Rex ille Achab 3. Regum 22. inter duos Prophetarum choros erat, ſciſcitans ab eis futurum belli euentum contra Ramoth Galaad. Hinc Sedecias Baalis Propheta dicebat Regi: *Aſcende, & dabit eam Dominus in manu Regis.* Illinc Micheas obſiſtebat mortem Achabo præ- 3. Reg. 22. nuntians, dicens: *Dominus locutus eſt contra te malum.* Rex autem noluit credere Michææ mortem prædicenti, & credens Sedeciæ abiit in bellum, quo periit. Et cur Rex in re adeò periculoſa & ancipite, in qua de eius vita agebatur, maluit credere Sedeciæ, quàm Michææ? Ait Abulenſis quæſtione 18. inter alia: *Iſta con-* Abul. *ditio eſt naturæ humanæ, ſcilicet, quòd homines faciliter inclinentur ad credendum vera eſſe illa, quæ pertinent ad eorum fauorem, quanquam rationabiliora ſint ea, quæ contra ipſos ſunt. Achab autem deſiderabat ire in Ramoth Galaad, ideo faciliter crederet illis qui dicerent proſperum eſſe iter.* Planè hoc maximè inſitum eſt hominum naturæ, quod magis credant illis, quæ magis ſibi placent

§. XIII.

Nullo magis inflantur impij, quàm vbi ſe Deo propinquos audiunt.

AStutus planè aulicus Chuſai ea proponit Abſaloni, quibus maximè impij capiuntur, nimirum ait: *Illius ero, quem elegit Dominus.* Dixiſſet alius, illius ero, cuius forma digna eſt imperio, cuius ætas florida, cuius clementia, & affabilitas nota. Sed Chuſai hæc prætermittens, ad illam confugit partem, qua Abſalon Deum fautorem, & electorem habere videatur. Nunquam enim impij magis extolluntur, nec capiuntur magis, quàm vbi ſe Deo audiunt appropinquare. Ad hæc dicebat Diuus Chryſoſtomus homil. de liberorum educat. habita tom. 6. Chryſoſt. *Chuſi verò nihil conturbatus, quid inquit? Quando Deus erat cum Dauid, ego quoque ab ipſo ſtabam; cùm verò iam tecum ſit, conſentaneum eſt, vt & ego res tuas curem. Extulit hæc res tyrannum, & inflauit,* &c. Equidem vbi ſecum Deum audit, maximè inde extollitur, & inflatur Abſalon; nunquam enim impij non inde in magnam extollentiam, & inflationem abeunt. Actorum 12. de Herode ait: Actor. 12. *Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus,* &c. Populus adulabatur Herodi, de aſſiſtentia Dei in eius lingua, Herodes autem ab Angelo caſtigatur. Et quando illa adulatio nequiſſima à populo veniebat, cur non magis populus, quàm Herodes caſtigatur? Equidem non ibi caſtigabatur adulatio, ſed extollentia, ſed inflatio, vbi enim Herodes ſe Deo plenum audiebat, vt impius erat, in eam extollentiam, & in eam inflationem abiit, quæ vermes faceret; ait enim textus: *Conſumptus à vermibus expirauit*; ſic ſolent in vermes deſinere inflationes carnis: vt hi vermes teſtentur, quanta fuerit Herodis inflatio ab illa populi adulatione generata.

§. XIV.

Temporalia decora potius ad ludibrium hominum, quàm ad eorum gloriam faciunt.

CLamabat Chuſai ad Abſalonem: *Salue Rex, ſalue Rex*, non equidem verè, ſed ſimulatoriè, & illuſoriè illi regnum approprians. Et crede mihi, non ſolùm impius Abſalon in regni acclamatione illuditur, ſed vniuerſi mortales Reges. Temporalia enim hæc decora, vt vaniſſima, ſic attributa homini potius illi faciunt illuſionem, quàm gloriam veram. De militibus Pilati Ieſu meo illuden-
Matth. 27. tibus ait Matth. 27. *Chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: Aue Rex*, &c. Ecce tibi; & purpuram ei circumdant, & regnum attribuunt, vt illudant ei. Et cur Dominus per purpuræ indumentum, & regni acclamationem voluit illudi? Oſtendebat in eo, ad quid aptiora ſint temporalia omnia decora, nimirum ad hoc vt illudant homini, non vt veram illi gloriam præſtent. Ait ad hæc
Drogo Car. Drogo Cardinalis lib. de Sacram. Paſſ. Chriſti: *Quid veſte nitido gloriaris? Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum vermis eſt. Hæc tua veſtis eſt: illuſerunt tibi, qui chlamyde coccinea circumdederunt. Sic Antiochus, & Herodes duo, alienis veſtibus depoſitis, in ſuis veſtibus expirarunt.* Multa præclara in paucis his verbis continentur; cùm enim verum ſit, quòd hominis operimentum vermis ſit, qui homini purpuram, regiumque apponit ornamentum, non ornat hominem, nec glorioſum facit, ſed magis illudit ei. Illudit equidem nobis, qui attribuit hæc externa, & temporalia ornamenta. Quamuis enim illa nobis adſint, tandem in propriis noſtris moriemur. Antiochus, & Herodes poſt purpuram exutam, & vermibus conſumpti expirarunt, vt in ſuis veſtibus morerentur. Vt enim vermes ſunt operimenta propria hominis, ſic in veſtibus propriis mortui ſunt, vt vel tunc ſaltem agnoſcerentur, poſt illuſionem purpuræ reiectam. Quò referrem illud Abacuc cap. 1, vbi de illuſore
Habacuc 1. hominum diabolo locutus ait: *Ipſe de Regibus triumphabit,*
Cyril. Alex. *& tyranni ridiculi eius.* Quæ ſic ſonant apud D. Cyril. Alex. ibi: *Et ipſe in Regibus delitiabitur, & tyranni ludibria eius.* Vt enim homines delitientur illudendo ſtultis, in ornatu illorum, vel aliis. Sic diabolus maximè delitiatur, & ridet, cùm regna, & temporalia decora videt obuenire homini. Nonne ſi iumento, aut aliæ viliſſimæ belluæ apponeres regias veſtes, id crederitis facere in belluæ illuſionem? Sic homini, cuius vermes ſunt veſtes adhibita temporalia dedecora tantam illuſionem faciunt, vt vel à diabolo riſum extorqueant.

CAPVT VIII.

Achitophelis conſilia.

TEXTVS HISTORIA.

DVo conſulit Achitophel Abſalamo, æquè in Dauidem nefaria; vt videlicet, filius patris concubinas in Regia inuentas comprimeret, & permitteret ſibi cum duodecim millibus ſelectis viris illa nocte Dauidem perſequi, antequam poſſit firmiori aliquo loco confirmari. Primi executio, vt voluptuoſo adoleſcenti grata, ſic minimè fuit dilata; quin imò ſtrato lecto in Regiæ ſolario, videntibus populis, patris ſui decem vxores conſtuprauit, ne vllus reconciliationi pateret aditus. Vbi autem ad ſecundum ventum eſt, hæſit tantiſper, dum Chuſai vocatus, cui de perſequendo Dauide, illa ipſa nocte, oſtendit Achitophelis placitum. Multis autem Chuſai hominem euehens laudibus, præſens tamen conſilium plenum aſſerit periculis, plenum alea. Nunquam enim ſecurum eſt pugnare cum Dauide exercitatiſſimo duce, quando deſperatè pugnans eam poterit inferre plagam, quæ turbet vſque tunc currentem proſperitatem. Satius futurum, ſi expectentur totius regni properantes copiæ, inter quas medius Abſalon bellum aggrediatur, ſecuriſſimè vel multitudine oppreſſurus patrem. Annuit iuuenis Chuſai orationi, conſilium Achitophelis reiiciens, qui odoratus finem certaminis, laqueo ſe ſuſpendit præueniens pœnas Dauidi dandas. Interea Chuſai Dauidem monet, vt ſibi quantociùs caueat.

MORALIA IN textus litteram.

POENAS Dauidi dedit Achitophel, ſeſe ſuis interimens manibus; quod à Deo permiſſum eſt, ne quid liceret clementiæ Dauidis in tam iniquam hoſte liberando.

2. Reg. 16. Dixit autem Abſalon ad Achitophel: Inite conſilium, quid agere debeamus. Et ait Achitophel ad Abſalon: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendā domum; vt cùm audierit omnis Iſraël, quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. Tetenderunt ergo Abſalon tabernaculum in ſolario, ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſraël. Conſilium autem Achitophel, &c.

§. I.

Cauendum ſemper ab illo, cui aliquando fuiſti iniurius.

COnſiliarius ille fideliſſimus Dauidis Achitophel, hodie inuenitur primus in conſiliis Abſalonis aduersùs patrem ſuum. Dicit enim text. *Dixit autem Abſalom Achitophel: Inite conſilium*, &c. Multi erant à parte Abſalonis, ſed ille vni Achitophelt mandat inire conſilium contra Dauid; quia vnus, & primus erat Dauidis aduerſarius in illa rebellione. Et vnde factum eſt, quòd tātus Dauidis conſiliarius, ſic primus Dauidis ruinam tracter, Abſalone reuelante? Dicitur Bethſabeth à Dauide ſtuprata fuiſſe neptis Achitophelis, cuius iniuriæ rabies ſopita aliquando fauoribus Dauidis, tandem recruduit; & reuixit, cùm primùm in rebellione Abſalonis locus vindictæ patuit. Vt diſcant homines nunquam non ſibi cauere ab iis, quos aliquando iniuriarunt. Nam dolor iniuriæ licèt aliquando ſopiatur, at maximè ſolet reuireſcere, vbi fuerit vindictæ occaſio.
Rem ſic narrat Abul. quæſt. 18. in cap. 15. lib. 2. Reg. *Dicendum igitur, quòd Achitophel fuit Princeps iſtius totius coniurationis, & ipſe dedit audaciam Abſaloni aggrediendi iſta magna, confiſus de magnitudine conſilij ſui. Cauſa autem fuit, quia Dauid cognouit Bethſabeth vxorem Vriæ, & fecit occidi Vriam. Erat autem Berſabeth filia Heliam, qui erat filius Achitophelo. Ergo ipſa erat neptis Achitophel: propterea ergo concepit Achitophel odium inexorabile contra Dauid, nunc autem putauit ſe conſecuturum vindictam.* Ecce tibi, qui iniuriam accepit à Dauide, in tantum tacuit delinitus Regis fauoribus, in quantum occaſionem vindictæ non habuit. Vbi autem putauit ſe vindicare poſſe, ſtatim aduersùs Dauidem armatur, eiuſque exitium ardenter procurat. Quod metuere debes ab omnibus, quibus iniuriam irrogaſti. Scimus ex 34. cap. Geneſ. vt Sichem rapuit Dinam filiam Iacob, quam & compreſſit, & nilominus poſt tantam iniuriam illatam audet imprudens princeps illam à patre eius, & fratribus poſtulare. Ingreditur Iacobi tentorium, & corā omnibus nihil non offert, vt ſibi in ſponſam detur Dina. Quid tunc? Ait text. *Reſponderunt filij Iacob Sichem, & patri eius in dolo ſæuientes ob ſtuprum ſororis*, &c. Circa quæ prudenter monet Oleaſter fatus: *Non fidere illis, cui fuiſtis iniurius, admonet locus iſte, quoniam dolos vt plurimum meditabatur.* Et etiam multis ſopita iniuria reuiuiſcere ſolet, vbi occaſionem vindictæ fuerit nacta.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Vbi fœmina adeſt, facili negotio vniuerſa & naturæ, & religionis leges contemnuntur

SVperfluus fuit ſciolus iſte, in proponenda ratione adoleſcenti principi, vt ingrederetur ad concubinas patris, fatus: *Ingredere ad concubinas patris tui, vt cùm audierit omnis Iſraël, quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* Quantulum hoc adoleſcenti, quòd roborentur manus Iſrael eum illo? equidem efficacius, quòd puellas viderit, harum enim ſolo conſpectu & naturam ipſam, & paternam reuerentiam, & religionem ipſam peſſum dabit. Olim Iudith formoſa alloquebatur Holoferni, promittebatque illi à Deo ſuo, ſine ſanguine ciuitatem Bethuliæ dandam. Iudith. 11. Cui Holofernes ait cap. 11. *Quoniam bona eſt promiſſio tua, ſi fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus.* Et quidem mandauerat Holoferni Nabuchodonoſor, vt omnes Deos terræ deſtrueret, quod ſapienter notat noſter Sancius in præſenti. Holophernes autem non ſolùm non vult deſtruere Deum Iudith, quin imò eius cultum, & adorationem pollicetur. An tanti erat Holopherni expugnare Bethuliam, vt pro eo & Nabuchodonoſoris gloriam, & auitam religionem tam facilè contemneret? Abſit, non hoc faciebat Bethuliæ expugnatio, quam nihili ille ducebat; ſed pulchræ fœminæ præſentia, cuius conſpectu ſic afficiebatur dux tantus, vt pro nihilo duceret omnes obſequij debiti, & naturæ, & religionis leges contemnere. Carthuſ. Ait ibi Carthuſ. eùm dicit: *Erit & Deus meus. Hoc videtur dixiſſe ex quadam emollitione circa mulierem, cuius amore extitit victus ad complacendum eidem. Aliàs magnum non reputabat filios Iſraël ſuperare.* Non magni erat Holoferni Bethuliæ ſpoliatio, ſed magni illi erat conſpectus fœminæ, cuius ſolius gratia & Regem, & patriam, & Deos paternos abnueret. Non aliter Sichem ille Geneſ. 34. vbi audiuit non dandam ſibi Dinam Iacobi filiam, niſi circumciſionem admitteret, & Deum Iſraelis coleret, ſtatim omnia promiſit, Geneſ. 34. docente textu: *Placuit oblatio eorum Hemor & Sichem filio eius. Nec diſtulit adoleſcens, quin ſtatim quod petebatur, expleret.* Circa quæ Oleaſter ait: *Non ſolum ſua bona, ſed & religionem facilè relinquit quis, vt quod auidè deſiderat, habeat.* Caue, ne in te conſpectum fœminæ, cupiditas cœperit excitari: pro nihilo habebis, prodere & religionem, & patrem, & patriam.

§. III.

Peccatum aptius ad perdendum, quàm ad roborandum hominis ſtatum.

QVàm ſtulta eſt ratio hominis temporalis, qui peccatum conſulit, vt acquiratur firmitas in ſtatu. Ait enim: *Ingredere ad concubinas patris tui, &c. vt cùm audierit omnis Iſrael, quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* Et quando peccatum roborauit, & non magis perdidit ſtatum? Similem aſſum video in Rubeno primogenito Iacobi, qui quidem compreſſit concubinam Geneſ. 49. patris ſui Balam. Et quid inde? Ait Iacob Geneſ. 49. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis maior in imperio. Effuſus es, ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Expende illud, *non creſcas*; is eſt enim effectus peccati, quod diminutionem, non augmentum, perditionem, non confirmationem importat. Quò ſpectat D. Hieron. in Hieronym. quæſtion. Hebraicis fatus: *Tu Ruben es primogenitus meus, maior in liberis, & ſedebas iuxta ordinem natiuitatis tuæ, & dignitatem, quæ primogenitis debebatur; ſacerdotium ſcilicet, & regnum accipere debebas: hoc quippe in portando onere, & prævalido robore demonſtratur. Verùm quia peccaſti, & quaſi aqua, quæ vaſculo non tenetur, voluptatis effuſus es impetu: idcirco præcipio tibi, vt vltrà non pecces, ſiſque fratrum in numero pœnam ex peccato luens, quòd primogeniti ordinem perdidiſti.* Ecce tibi & regnum, & ſacerdotium, & totum ius primogenituræ ereptum fuit Ruben ob inceſtum cum patris concubina commiſſum. Et roborabitur in regno, & ſtatu Abſalon per idem delictum? Inſcitia eſt, cœcitas eſt id ſibi promittere. Peccatum enim nunquam non ruinam potiùs affert & Regibus, & Principibus. Poſt raptum Dinæ filiæ Iacob dicebat Rex Sichem popularibus ſuis de Iacob, & filiis eius Geneſ. 34. *Et ſubſtantia eorum, &* Gen. 34. *pecora, & cuncta, quæ poſſident, noſtra erunt, tantùm in hoc acquieſcamus, & habitantes ſimul vnum efficiamus populum.* Sic Rex putabat ditandum ſuum regnum, maximéque dilatandum, & ampliandùm nuptiis raptæ Dinæ. Et quis neſciat inde potiùs totum illud regnum periiſſe? Ait enim text. *Arreptis, duo filij Iacob, Simeon, & Leui fratres Dinæ, gladiis ingreſſi ſunt vrbem confidenter, interfectiſque omnibus maſculis, Hemor, & Sichem pariter necauerunt.* Et fines acquirit ſtatus, qui in intemperantiæ fundatur malitia. Vt dicat D. Chryſoſtom. homil. 59. in Geneſ. *Conſidero hic, quo-* Chryſoſt. *modo propter vnius intemperantiam, vnam ciuitatem habitantes pœnarum ſocij fiunt. Sicut enim accenſa pyra, & qui propè habitant periculi ſunt participes, igne omnia depaſcente, eodem modo & nunc adoleſcentis intemperantia, non ſolùm patrem, ſed & omnes ciues ſimul omnes perdidit.* Non roborantur, ſed perduntur omnes cum ſceleſto coniuncti. Nunquam enim peccatum non perditionem gignit. Ezech. cap. 2. dicebat: *Et vidi, & ecce manus miſſa ad me, in qua erat inuolutus liber,* Ezech. 2. *& expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intus, & foris, & ſcriptæ erant in eo lamentationes, carmen & væ.* Carmen ad lætitiam, & proſperitatem pertinet, væ pertinet ad perditionem & excidium. Sed quos petit carmen, & quos væ illud impetit? Ait Rupert. lib. 10. in Apoc. circa cap. 18. Rupert. *Carmen quippe ſempiternum ſancti, & electi in ſæculo futuro Scripturæ repromittunt. Væ autem omnibus impiis, quales denotantur Reges terræ qui cum meretrice fornicati ſunt, & in delitiis vixerunt,* In vanum enim Principes, & vniuerſi homines de ſceleribus, & iniquitatibus ſuis aliud ſperant, quàm extremum iudicium.

§. IV.

Poſt peccati pœnam in aliis viſam, qui peccat, maiori, & certiori tenetur ſupplicio.

HOc fuit primum Achitophelis conſilium datum Abſaloni, nimirum: *Ingredere ad concubinas patris tui.*, cuius conſilij nequitia omnibus patet, vtilitas nulli; ſaltem textus ſacer nihil de eius vtilitate dicit. Infrà c. 17. de perdendo, & perſequendo Dauide dederat conſilium, de quo ait textus ibi: *Conſilium Achitophel vtile.* Et quandò de perſequendo Dauide, & occidendo conſilium aſſeritur vtile, cur ſimiliter non dicitur vtile conſilium de comprimendis patris concubinis? De filio patrem perſequente, & occidente, nondum oſtenſum fuerat in Scripturis ſacris diſcrimen. Et ideo non improbabiliter aliquam inde temporalem vtilitatem credebant obuenturam filio, qui hæreditatem ambiebat. At de filio fœdante cubile patris ſui iam præceſſerat exemplum, & ſupplicium in Rubeno primogenito Iacob, qui compreſſerat Balam patris concubinam Geneſ. 34. & ideo, & regnum, & ſacerdotium, & augmentum omne primogenij perdiderat Geneſ. 49. Poſt tantam autem inceſtuoſi filij pœnam viſam in Rubeno, non poterat iam ex ſimili delicto aliqua præſumi vtilitas Abſaloni obuentura; quin imò inde iam non vtilitas, ſed extrema ei imminebat perditio. Qui enim poſt pœnam ſceleris viſam, adhuc ruit, maiori, & certiori tenetur iudicio. Paul. 1. ad Corinth. 9. *Neque mur-* 1. Cor. 9. *muraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Non ſolùm murmurationem cauendam dicit, ſed & ſimul proponit murmuratores, nimirum Core, & ſocios, qui Num. 19. murmurauerunt de Moyſe, & abſorpti ſunt à terra. Et cur cum prohibitione murmurationis, neceſſum fuit recenſere pœnam iam de facto illatam murmuratoribus? Vt reliqui, qui murmurauerint, non inde ſperent vtilitatem, ſed credant pœnam ſibi obuenturam maiorem. Ex quo monet D. Anſelm. ibi: *Videte ergo ne vos ſimiliter contra me murmurantes, vel contra* Anſelm. *quoſlibet vobis ſuperiores, aut Prælatos, ſimiliter, imò deteriùs pereatis. Non enim eſt ambiguum illos peccantes plus ſubiiciendos tormentis, quibus peccantium pœnæ ad hoc relatæ ſunt, ne peccent.* Equidem nunquam ſine maiori diſcrimine ad ea ſcelera tendis; quæ in aliis iam vides dediſſe Deo pœnas.

Dan. 5. Baltaſſari ſacrilego dicitur Daniel 5. *Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.* Sed & Nabuchodonoſor fuerat ſacrilegus io Dei templum, illud ſpolians oon tameo amiſit regnum, licèt enim ab illo eiectus eſt, taodem io illud rediit. Quando ergo Nabuchodonoſori ſacrilego non eripitur regnum, cur Baltaſſari eripitur? Rem pulchrè definit Theodor. ibi ſatus: *Quia Nabuchodonoſor alterum impietatis pœnas luiſſe non conſpexerat, idcirco dignus venia iuſto Dei iudicio exiſtimatur; ſed iſte Baltaſſar ſummum patris ſupplicium ſuſpicatus nihil inde percepit vtilitatis; iure itaque illi iuſtus iudex ſupplicium præſcripſit, nullaque venia dignum cenſuit.* Sic peccant, neceſſum eſt, qui io aliorum ſupplicijs viſis, neſciunt ſibi cauere. Oſeas cap. 6. dicebat: *In domo Iſrael vidi horrendum; ibi fornicationes Ephraim: contaminatus eſt Iſrael. Sed & Iuda pone meſſem tibi.* Dixerat, vt falce ſupplicij demeſſæ fuerant decem tribus, quæ vocantur Iſrael. Et demeſſæ fuerant, quia io eis horrenda videbantur. Tunc Iudæ mandat, vt ſe ſimili paret meſſi, aiens: *Sed & Iuda pone meſſem tibi.* Et cur Iuda etiam ad meſſem ire Dei paratur? Quia Iudæ tribus vidit ſcelera Iſraelis multo caſtigata ſupplicio, & tamen non diſceſſit ab illis. Ruffinus ibi: *In Iuda, quem comitaris in flagitiis, etiam calamitatibus conſequere; hoc tamen deterior æſtimandus, quia nihil tibi profuit, quod prior eſt ille damnatus.* Sic ibi.

Theodor.

Oſ. 6.

Ruffin.

§. V.

Quod ab alio ebibiſti malum, raro in te non augetur.

VIx Achitophel inceſtum conſuluit Abſaloni, & Abſalon maiori impudentia illum peregit. Ait enim textus: *Tetenderunt ergo Abſalon in ſolario tabernaculum, ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſrael.* Quanta hæc iuuenis impudentia? Crediderim ab Achitophele non fuiſſe dictum, quòd coram populo ad coocubinas ingrederetur; ſolum enim dicebat: *Ingredere ad concubinas patris tui, &c. vt cum audierit omnis Iſrael.* Non ait, cùm viderit Iſrael, ſed cùm audierit, nec voluit, vt tantum nefas populus oculis perciperet, ſed relatione. Vnde ergo in tantam impudentiam venit Abſalon, vt non contentus eſſet ingredi ad patris concubinas, iuxta coofilium Achitophelis, ſed vltrà addiderit, quòd ad eas vniuerſo populo vidente ingrederetur? Equidem vt inceſti illius nefarij voluntatem ex conſilio Achitophelis acceperat, ſic inde ad tantam impudentiam cucurrit: malum enim quod ab alijs accipitur, nunquam non in augmentum ſolet ire. De Ierobam tribus Iſraelis ſcindente, & à patria religione ſeparante loquens textus ſacer 3. Reg. 12. ait: *Fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltrà aſcendere in Ieruſalem: Ecce dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Non abſimile quid inuenio in Exodo cap. 32. vbi Iſraelitæ noo ſuſtinentes moram Moyſi idola ſibi fieri poſtulárunt. Et ait text. *Feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei dixerunt: Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Vtrobique Iſraelitæ à religione patria deſciſcunt, ſed illic aui, hic nepotes, illic vnum vitulum, hic duos conſecrant vitulos. Et quando priſtini illi Iſraelitæ vno vitulo adorando contenti ſunt, cur neoterici iſti, non vnum eleuant, ſed duos? Non miror, quando enim vituli adoratio à maioribus accipiebatur, mirum eſſet, ſi in his non creſceret ad duplum. Vt dicit Rupert. lib. 3. in Oſeæ cap. 7. *Duos enim vitulos fecerunt eadem, imò & maiori dementia, quàm olim in deſerto fecerant, & adorauerant vnum.* Vnius vituli adoratio in deſerto facta vbi addiſcitur à poſterioribus Iſraelitis, iam non manſit io anguſtiis vnius, ſed augens in populo dementiam, auxit & vitulos. Creſcere ſemper ſolet malum, quod ab alijs bibitur. Pilatus quondam de ſuo conſilio flagellauit Ieſum, militibuſque permiſit illudendum Ioan. 19. quo oſtendit principibus Sacerdotum, qui clamabant: *Crucifige, crucifige eum.* Et quando crudelitas Pilati non morte, ſed flagellis, & illuſionibus illum afficiendum conſulebat, cur Phariſæi inde magis accendebantur in mortem eius? Quod malum videbatur factum in Ieſum à Pilato, ſanè in Phariſæis creſcebat, neſcit enim malitia ab alijs orta, in alijs non creſcere. Aiebat aliàs D. Leo ſerm. 10. de Paſſ. *Dominum Ieſum diuerſis contumelijs affici aut permiſit Pilatus, aut iuſſit, vt ſatiata iniquitas de innocentis iniurijs, vlterius non ſæuiret. Sed pertinax malitia proprijs creſcebat augmentis, & in quem obtinuerat ius illuſionis, exigebat & mortis.* Neſciuit non creſcere malitia à Pilato in Phariſæos deueniens, qui vt permiſſionem, aut iuſſionem habuere illudendi Ieſum, eò ſe extenderunt, vt illum morti dederent. Leo.

3. Reg. 12.

Exod. 32.

Rupert.

Ioan. 19.

§. VI.

Iniuria à filiis, ſeu fratribus illata non omnino intolerabilis eſt.

COnſilium acceptum de fœdando patris lecto ſtatim perfecit Abſalon nemine reſiſtente. Ait enim: *Ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui, &c.* Et cur non inuentus eſt, qui tam nefario conſilio obſiſteret? Cùm agitur de perſequendo Dauide, ibi præſens Chuſai multis obſiſtit ſententiæ illi, clamans cap. 17. *Non eſt bonum conſilium, quod dedit Achitophel hac vice.* Cur ſimiliter non dicit ad cõſilium de comprimendis concubinis Dauid à filio eius? Nonne hoc erat ſummum Dauidis dedecus? Nonne inde ingens dolor oritur, & intolerabilis iniuria, quæ nobilem animum perdat? Scio ex vxorum fœdatione maximum dolorem, & iniuriam oriri io maritos. Sed aliquando video huius doloris & iniuriæ aculeos maximè hebetari, cùm per filium tale facinus peractum eſt. Quod forſan notans Chuſai, non obſtitit incelloti Abſaloni, credens illam iniuriam non adeò intolerabilem fore parenti. Qui naturali filij amore illam ſuperare poſſet. Geneſ. 35. dicit: *Abiit Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris ſui, quod illum minimè latuit.* Ecce tibi nobiliſſimus Iacob ſciuit concubinam ſuam compreſſam fuiſſe à filio Rubeno, & tacuit, nec verbum illi dixit amarum. Et vnde potuit in tanto dolore, & iniuria ſic tacere? Vt à filio illata veniebat illa iniuria, ſic non adeò intolerabilis erat, quæ naturali amore vinci non poſſet. Circa quæ ait D. Chryſoſt. *Hoc autem ſciuit Iacob, attamen etiam nunc manſuetus eſt ſuillus naturali amore victus.* Is eſt naturalis amor, qui debeat etiam vorare maximas iniurias illatas à filiis. Maximum hoc in Iacob, ſed illud maius in eius filiis, qui noſcentes etiam Rubeni facinus, vt lectum patris fœdauerat, nihil etiam mali fecerunt illi. Sed Geneſ. 34. vbi iidem filij Iacob audiunt Dinam ſororem ſuam conſtupratam à Sichen, ſic ſæuiere in vindictam, vt totam Sichimorum vrbem gladio transfigerent. Ait ibi textus: *Depopulati ſunt vrbem in vltionem ſtupri.* Tam ſeueri vindices in ſtupratorem Dinæ ſororis ſuæ, protinus tacent, vbi non ſoror, ſed mater Bala conſtupratur, & patris fœdatur thalamus. Vt meritò dicat Lyppoman. io cat. *Seueriores fuerunt in vindicando peccatum Dinæ fratres communi conſenſu.* Et cur qui in Dinæ vindicta adeò ſeueri fuerunt, in patris, matriſve vindicta nec mutiuut quidem? Illic iniuria illata fuerat ab extraneo, & ideo nullum inuenit apud illos patrocinium, hîc iniuria illata eſt à fratre omnium, & eorundem parentum filio, quæ potuit amore naturali retundi.

2. Reg. 17.

Geneſ. 35.

Chryſoſt.

Geneſ. 34.

§. VII.

Adulter alienarum coniugum, propriæ coniugis adulteriis publicis ſolet puniri.

IN ſolario Regis Dauidis, io omnium conſpectu Abſalon ingreſſus eſt ad patris ſui concubinas, quippe ait: *Tetenderunt ergo Abſalon tabernaculum in ſolario, ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſrael.* Nec miror, ita eodem enim ſolario conceperat animo ſuo Dauid adulterium cum Berſabeth vxore Vriæ, vt habes ſupra cap. 11. Reg. 2. Qui autem adulter eſt alienarum coniugum, ſic ſolet puniri, vt vxorem ſuam etiam habeat publicè adulteram. Dicebat Amos cap. 2. Amaſiæ Pſeudo Prophetæ cap. 7. *Propter hæc dicit Dominus: Vxor tua in ciuitate fornicabitur, &c.* Et cur culpæ correſpondet tam contumelioſa pœna io maritum? Ait Rupert. ibi: *Idcirco mirandis ratibu-* Amos 2. Rupert.

tio ſeueritatis, vel iuſtitiæ Dei, dum fornicario Sacerdoti cum vitulis aureis fornicanti, & in eadem fornicatione populum detinenti dicitur, vxor tua in ciuitate fornicabitur. Hæc ſolet eſſe diuinæ ſeueritatis retributio, vt fornicariis maritis deorur coniuges, quarum adulteria publica fiant. Ex vxorum enim impudentia non immeritò colligitur meritum mariti. Quò adduco dicta tom. 1. de Chriſto figurat. lib. 5. cap. 31. §. 13.

2. *Reg.* 17. Dixit ergo Achitophel ad Abſalon: Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar Dauid hac nocte. Et irruens ſuper eum, (quippe qui laſſus eſt, & ſolutis manibus) percutiam eum: cúmque fugerit omnis populus, qui cum eo eſt, percutiam Regem deſolatum. Et reducam vniuerſum populum, quomodo vnus homo reuerti ſolet; vnum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace. Placuerunt, *&c.*

§. VIII.

Optimus conſiliarius, qui difficilia dati conſilij ſibi exequenda aſſumit.

IN hoc Achitophel optimum conſiliarium agebat, qui difficilia ſui conſilij ſibi aſſumebat exequenda. Dicit enim: *Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar Dauid, hac nocte.* Vt dabat vtile Abſaloni conſilium, ſic non detrectat primus eius difficultates ſubire; etiam ſi non quieſcendum ſit; etiamſi vigilandum nocte; etiam ſi à latere Regis diſcedendum, quod eſt familiari Regis grauiſſimum. Nihil horum veretur optimus conſiliarius, ſed conſilij dati difficilia omnia ſibi exequenda aſſumit.

Iſai. 9. De filio Dei dicebat Iſaias cap. 9. *Vocabitur nomen eius, admirabilis, conſiliarius.* Septuag legunt: *Vocabitur nomen eius, magni conſilij Angelus, admirabilis, conſiliarius.* Et creditur totum hoc nomen magni conſiliarij inde ſibi aſſumpſiſſe, quòd conſilium dedit de reparatione generis humani. Et cur de ſolo hoc conſilio dato magni conſiliarij nomen ſibi comparauit? Difficile erat, quòd genus humanum repararetur per opera iuſtitiæ, & per opera pœnalia. Dei autem filius vt conſilium tale dabat, ſic ipſe primus in mundum diſponebat venire, & per omnia illa euangelicæ hiſtoriæ opera, & documenta humanæ reparationi inſtare. Quo magni conſiliarij nomen ſibi acquiſiuit. Ad hæc

Greg. Nyſſ. D. Gregor Nyſſen. in fragmentis habitis tom. 3. Biblioth. Patrum ait: *Magni conſilij Angelus vocatur ab Iſaia; & Magnus Conſiliarius & Deus fortis, & potens. Quis porrò conſiliarius Dei, niſi qui eiuſdem eſt eſſentiæ, eiuſdemque poteſtatis, & dignitatis æqualis, nempe filius? Conſilium, voluntaſque patris eſt hominum ſalus per euangelica mandata.* Ecce tibi quando conſilium Dei erat ſalus hominum per euangelica mandata; meritò Dei filius habetur magnus conſiliarius, vt qui omnia illius conſilij difficilia per ſe executioni mandauit.

§. IX.

Diligentia feſtinata in re virtutis etiam, nunquam caſſa.

NOuerat Achitophel quantum momenti in diligenti feſtinatione conſiſtit, & inde ait: *Conſurgens perſequar Dauid in hac nocte. Et irruens ſuper eum, percutiam eum.* Expende duo illa, primum & poſtremum, nimirum: *Conſurgens perſequar,* & ſtatim addit: *percutiam eum.* Vnde ſcis ô bone, quòd percuties? Cur tam indubitanter aſſeris à te Dauidem percutiendum? In illis oſtendit euentus certitudinem, nimirum: *Conſurgens perſequar Dauid hac nocte.* Si non dormiret, ſi non moretur, ſi omnes abrumpens moras feſtinet illum perſequi. Quando enim diligentia feſtinata caſſa inuenta eſt? Hoc tibi perſuade etiam in re virtutis, quòd ſi diligentiam acceleres, non eris ſine effectu. Dicebat Paul. ad Philip. 3. *Sequor autem, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum.* *Philip.* 3. Græcè autem dicit: *Sector, ſi etiam apprehendam, in quo apprehenſus ſum.* Et planè dum ſe neſcit apprehenſum, iam & ipſe apprehendit. Et vnde tam citò ad id peruenit, quod optabat? Explicat illis verbis? nimirum ſequor, aut ſector, in quibus exprimebat vim quamdam, qua omni mora abrupta, & feſtinata, adhibita diligentia properabat ad deſtinatum finem. Vbi autem ſic properatur, & ſic vincitur. D. Hilar. in Pſ. 51. *Non lentu gradu* Hilar. *properat, nec otioſo ſequitur procurſu. Apprehenſurus enim ſequitur, & ſatis quidem dixiſſe videretur, ſi conſequuturus ſequeretur. Sed vim ipſe afferre optat, & apprehendere properat, & modo exẽpli corporalis inuadere, Scit autem ſe, eo ipſo quòd apprehendere properat, apprehenſum.* Non properat tanta, & tam diligens properatio eſſe ſine effectu, & cùm primum properare incipit, iam non dubitat de apprehenſione, quin imò & iam apprehendere intelligitur, & eſſe apprehenſus. Ex quo addebat Hilar. ibi: *Noſtrum eſt ad apprehendendum nunc id quod eſt* Idem. *Deus, contendere, vt in eã gloriam, inquam, naturam corporea huius corruptionis exemit, feſtinatio noſtra ſe miſceat.* Expende illud, *feſtinatio noſtra ſe miſceat.* nihil enim eſt tam arduum, tam ſublime, & diuinum, quod feſtinatio noſtra diligens non pertingat.

§. X.

Ibi triumphus virtutis, vbi inuaſio, vel violentia reperitur.

PVlchrè diligens dux ait: *irruens ſuper eum, percutiam eum.* Dum ait *irruens*, & vim ſuam & conatum, & inuaſionem ſignificat, qua adhibita ſibi triumphum promittit. Quod certius dici poterat in duello virtutis; in quo certò triumphas, cùm in difficultates irruis, cùm inuadis, cùm vim infers. Pſ. 51. ait: *Apprehendite diſciplinam.* *Pſalm.* 51. Verbum autem *apprehendo* ſignificat non quamcumque virtutis, diſciplinæve tentionem, ſed illam, quæ vi aliqua, & conatu, & inuaſione fit. Vt ita manus tendamus ad virtutem, quaſi qui inuadit, & vim infert, ne poſſit è manibus elabi. Quò aſpiciens D. Hilar. ibi ait: *Apprehendenda itaque diſciplina, & inua-* Hilar. *denda eſt quodam amplexu, & vinculo corporali, ne elabatur, aut decidat.* Itaque qui vult triumphare in virtute, inuadat eam, vim inferat. Ille ille magis Deo placet in re virtutis, qui acriùs inuadit, qui alacriùs vim infert. Dicebat Dominus Matth. 11. *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc regnum cælorum* *Matth.* 11. *vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et cur Domine in re virtutis, in negotio regni cœlorum rapinas, & violentias meminiſti? Nonne hæc ad terrenum regnum ſpectant? Nonne de terrenis his principatibus dicitur, quòd ex rapto viuitur? Cur ergo quæ pugnæ, & rapinæ propriæ ſunt terrenorum, tu eas meminiſti in regno tuo? Equidem vis illa, & conatus, & inuaſiones, quæ pro caducis rebus inducuntur, ſi ad rem virtutis transferantur, maximè delectant Imperatorem diuinum. Vt dicat D. Hilar. in Pſ. 51. *In rapiendo re-* Hilar. *gno cælorum raptore Dominus delectatus ait: A diebus autem Ioannis regnum cælorum vim patitur, & vim facientes diripiunt illud.* Expende illud, *Raptore Dominus delectatus*; maximam namque delectationem Deo facis, cùm raptoris more rem virtutis inuadis, illique vim infers. Crede mihi non ſine triumpho abibis. Matth. 25. dicit: *Simile eſt regnum cælorum decem vir-* *Matth.* 25. *ginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo.* Puellis virginibus comparat regnum cœlorum, & non viris. Cur non magis viris? Vt ibant illæ obuiam ſponſo cum lampadibus, quarum media pars extinguenda erat, ſic animum oſtendebant muliebrem. Qui enim ardua virtutum triumphaturi inuadunt viriliter, non lampadibus armantur, ſed laternis. Sic Iudic. c. 7. Gedeon triumphaturus mi- *Iudic.* 7. litibus ſuis dedit ferendas *lagenas vacuas, atque lampades in medio lagenarum.* Ecce tibi decem puellis dantur ſolæ lampades; trecentis viris dantur lampades, non ſolæ, ſed in medio lagenarum, tanquam in laternis. Cur illis lampades ſolæ, his autem lampades quaſi in laternis? Illæ nõ ordinabantur ad rapinas, ſed ad quietẽ, in qua media pars peritura erat; hi ordinabantur ad rapinas, inuaſiones, ad vim inferendam, qua nullus ad triumphum, & coronam non accederet. Vt dicat de milite Chriſtiano D. Ambroſ. lib. de Iacob 1. cap. 8. Ambroſ.

Qui

Qui cum grauiſſimo dolore luctetur, nec ſe miſerabilem præbeat, ſed oſtendat tanquam in laterna lumen, etiam inter aſperas procellas, & grauiſſimos flatus ſuam lucere, nec extingui poſſe virtutem. Lux in lampade domi ſe continet, amat ſerenum, & ibi ſæpe extinguitur. Lux in laterna & procellas, & ventorum rabies inuadit, & triumphat, & viuit inter ea. Proh virilem animum triumphantium militum Chriſti, qui vt lumen in laternis, ſic difficilia inuadunt, & triumphos metunt.

§. XI.

Sub Chriſti vexillis non ſolùm in proſperis, ſed & in difficillimis ſeruiendum.

ILlud ſtrenui hominis oſtendit Achitophel, quod ait: *Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar Dauid hac nocte.* Triumpharat cum Abſalon Hieroſolymis, vbi ſtans à latere Regis, eius quietè poſſet vti fauoribus, & delicijs Regiæ, ſi alijs mandaſſet pericula belli. At bonus, vt proſperis fruebatur, ſic & ſibi aſſumit belli pericula, poſtponens quietē palatij periculis arciæ, vt ſuo Principi ſeruiat. Et pro Regiæ præclaris diebus difficilem, & periculoſam noctem ſibi præripit. Tales amat famulos Ieſus meus, maximus Imperator cœli, & terræ, qui non ſola quieta, & proſpera, & honorabilia ſibi velint, ſed vt illa tenent, etiam difficilia, & aſpera, & dura amplexantur. Matth. 27. Poſt eleuatum in cruce Ieſum, ait Matth. 27. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*, &c. O bone Deus, quando latroni paradiſum donas, & ipſis crucifixoribus poſtulas veniam, terram tenebris offundis? Et cur terra tunc debuit ire in tenebras? Cùm naſceretur diuiniſſimus Sol, tota terra gaudijs, & exultationibus repleta eſt, Luc. 2. imò accedente Angelo ad paſtores, Luc. 2. *claritas Dei circumfulſit illos*, terra cœleſti lumine veſtita reſplenduit, vt quæ militare cœperat ſub ſignis Ieſu. Decuit ergo ne in ſolis gaudijs Ieſu, & luminibus terra inueniretur, ſed etiam vt cum occumbente eodem Sole, & ipſa tenebras ſuſtineret. Sedul. Ad hæc ait Sedulius lib. 5. Paſchal. cap. 16. *Sol radiis remotis abſconditus, terra velatus palla delituit, orbemque luctibus alienis noctis infecit. Talem ſiquidem vultum patris orbata ſolatio mereruerant elementa ſortiri, vt cuius ortu lætata ſunt, triſtarentur occaſu.* Hoc in ſuis aſſeclis amat filius Dei, ne in ſolis honorabilibus, & quietis, & lætis eſſe velint, ſed vt lentos honores habent, ſic & triſtia, & dura, & difficilia aſſumant. Vt in luce ſunt, pro domini obſequio non refugiant tenebras. Notum eſt certamen duarum meretricum pro filio 3. Reg. 3. qui vt iuſſus fuit medius ſecari, vt duæ fœminæ ſingulas partes haberent. 3. Reg. 3. Quæ vera mater erat, ceſſit parti ſuæ, ne filius feriretur. Altera autem clamabat: *Nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur.* Quam contentionem in Chriſti aſſeclis multi Patres nouerunt, multi enim Chriſtum quærunt habere. Et quomodo habere illum quærunt? An integrum? Abſit, vt enim in Ieſu eſt pars honoris, & pars laboris, qui verè ad Ieſum pertinent integrum illum amant manere, vt qui honores, & labores ferant. Et contrà alieni à Ieſu clamant, *Nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur.* Diuidatur, clamant, Ieſus, vt illis ſola pars honoris detur, pars autem laboris cæteris. Guerric. Guerricus ſerm. 3. de Aduentu ait: *Illa, nec mihi, inquit, nec tibi, ſed diuidatur, quia nimirum ſanctitatis cupit ſibi retinere honorem, & alijs relinquere laborem.* Hoc eligit meretrix vera, & falſa mater Ieſu, hoc ſibi cupiunt illi, qui fornicantur à Deo.

§. XII.

Iuſtus in ſumma etiam deſolatione regium ſeruat ſplendorem.

PAulo antè dicebat Achitophel: *Perſequar Dauid nocte hac*; Dauid vocat, non meminit Regem; vbi autem in hoſtili irruptione à ſuis deſertum, & deſolatum imaginatur, dicit: *Percutiam Regem deſolatū.* Deſolatum ſpectat, & Regem nominat. Cur non potiùs Dauid ſicut antea? Cur in deſolatione meminit Regem? Ponebat Deus verba, etiam in nequiſſimi ore, vt omnibus oſtenderet virum iuſtum, qualis tunc erat Dauid, & in ſumma dereliƈtione, & deſolatione conſeruare totum regium ſplendorem. Quò ſpectant D. Laurent. Iuſtinian. lib. de Triumph. Agone cap. 12. ait: *Solus eſſe non valet qui in virtutum magiſterio animum collocauit. Principatum namque ſuum coram Deo, regali dignitate præfulget.* Laur. Iuſt. Qui virtutibus pollet, nunquam numeretur inter deiectos à culmine & deſolatos, quantumcunque ſolus videatur manere, non ſolus eſt, ſed ſecum habet totam clariſſimi regni poteſtatem. Mirabar ego aliquando Danielem, vt erat captiuus Babylone, à patria, & à ſuis deſolatus, vnus inter barbariſſimos homines. Is tamen licèt ſolus, & captiuus audet latrocinantium Sacerdotum Belis veſtigia quærere, & reuelare. Dicit enim c. 14. *Animaduertite, cuius veſtigia ſunt hæc.* Dan. 14. Quid captiuo homini cum veſtigijs latronum? Ad Principes, ſeu iudices ſpectat latrones inquirere, caſtigare. Cur qui captiuus eſt, & à ſuis deſolatus, & conſtitutus inter dominos barbaros ſibi præripit, aut Principis aut iudicis dignitatem? Erat iuſtus Daniel, multâque virtute pollebat, & vel in captiuitate nō poterat nō oſtendere ſuū integrū principatū. D. Amb. lib. 1. de Iacob. c. 8. ait de viro perfecto: *Non in captiuitate eiuſce plebis abiectior eſt, ſed ſicut iudex ſeuerus infidelium perfidiam erroreſque condemnans, vt Daniel, qui Sacerdotum furta prodebat, & ſuperſtitiones redarguebat.* Ambroſ. Equidem ſancti, & perfecti viri in quauis deſolatione, & ipſis captiuitatis compedibus principatum ſuum integrum oſtendunt, & Principum perſonas agūt aduersùs iniquitatem. Tres illi pueri Hebræi captiui Babylone, & adducti in conſpectu Nabuchodonoſor, ab illo cogebantur, vt adorarent imaginem ſuam. Cui illi Dan. 3. *Non oportet nos de hac re reſpondere tibi.* Dan. 3. Adeo ſe Regi ſuperiores gerebant, vt nec illum putarent reſponſione dignum. De quo ait Theophyl. Alex. epiſt. 3. Paſcal. *In terra captiuitatis ſeruant generis nobilitatem.* Theophyl. Sic iuſti in quouis periculo ſuam ingenuitatem conſeruant. Ieſus meus crucifixus aiebat latroni Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Circa quæ ait Sedulius lib. 3. Paſch. cap. 15. *In illo tamen Dominus patibulo conſtitutus poteſtatis ſuæ modo non perdidit, qui de ſublimis crucis examine, velut de regali throno iudex æquus vtrumque proſpiciens & amborum merita diuinis cordis lance perpendens, hunc elegit, illum reliquit.* Sedul. Sic in ſumma illa clade regium ſeruat Dominus ſpiritum.

§. XIII.

Qui vulnere ſuo ſalutem inferat populis, non ſeruilis natura, ſed regia eſt, nempe Ieſus.

TOtum excogitatum ab Achitophele bellum aduersùs Dauidem, inuenio peractum in Dauidis filio Ieſu meo. Dicebat enim ille: *Cumque fugerit omnis populus, qui cum eo eſt, percutiam Regem deſolatum. Et reducam vniuerſum populum*, &c. Vt vniuerſus populus & ſaluaretur, & traheretur, tota hoſtilitas Achitophelis eò ſpectabat, vt non alius quàm Rex percuteretur. Vnus ſolus Rex petebatur ad mortem, vt populus ſaluti eſſet. Quod verè factum eſt in filio Dauid, quando omnes diſcipuli relicto eo fugerunt, non enim ad ſalutem populi quærebantur ſerui; ſed vnus Rex Regum deſolatus, & ab omnibus dereliƈtus percutiendus erat. Hinc Ioan. 18. cauebat ipſe Dominus iam iam comprehendendus: *Dixi vobis, quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Ioan. 18. Et cur non tecum & tui patiantur? Et cur ſatagis vt ſolùm fugentur tui, & liberi euadant ab omni diſcrimine mortis? Equidem nullius ſerui vulnus, ſed ſolius Regis deſolati, ac dereliƈti plaga ſaluti dare populos valebat. Vt ſapienter dicat D. Cyril. Alexand lib. 11. in Ioan. cap. 34. *Semouit igitur à periculo illo diſcipulos, non ignorans ad ſe ſolum certamen illud & opus ſalutis noſtræ pertinere: regnantis enim, & non ſeruientis opus eſt.* Cyril. Alex. Hoſtilia ſpicula diuinæ iuſtitiæ homines petentia, vt ab hominibus diuerterent, non ſeruum aliquem, ſed vnum Regem ſæculorum percutere debebant. Tantum enim bonum, quantum erat populorum libertas non à ſeruuli vulnere, ſed oriturum erat à vulnere Regis. Quod odorati Magi clamabant Matth. 2. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum.* Matth. 2. Niſi enim qui regiam natiuitatem haberet, non poterat eſſe ſaluti gentibus. Eò ſpectans D. Leo ſerm. 5 de paſſ. ait: *Vt ad auferendum peccatum mundi ille agnus ſe hoſtiam offerret, quem & omnibus corporalibus ſubſtantia iungeret, & ab omnibus ſpiritualibus origo diſcerneret.* Leo. Ab omnibus, qui Deo ſeruiunt, diſcreta debebat eſſe, vtpote non ſeruilis,

lis, ſed regia natiuitas eius, qui vulnere ſuo vniuerſis afferebat medelam.

§. XIV.

Qui Deum habet, etſi ſolus ſit de mundo triumphat, & inferno.

VT rem facilè ſuperaodam dicebat Achitophel Abſaloni: *vnum enim virum tu quæris.* Quippe totus ille Abſalonis exercitus, tot illæ machinæ militares eò ſpectabant, vt vnum Dauidem perdereot. Sed vafer ille neſciebat, qualis erat ille vnus; quippe vous erat Dauid, qui ſolus totas hoſtiles phalanges confringeret. Vt enim Deum ſecum habebat, ſic non indigebat alio, vt triumpharet ſolus de cunctis. Filius Dauid erat ille qui dicebat Iſaiæ cap. 63.

Iſai. 63. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Planè ſolus fuit in arena hic filius Dauid, ſolus, & deſolatus relictus eſt diſcipulis ſuis fugientibus. Quid inde? An quia ſolus, ideo oppreſſus eſt? Imò ſolus ſic ómnes hoſtes ſuos calcat, vt calcari vuæ ſolent in torcuları. At D. Chryſoſt. in Pſ.

Chryſoſt. 44. *Dicit: Torcular calcaui ſolus, & oſtendens victoriæ facilitatem, & quòd nullum habuerit, qui ei opem ferret, ſed ipſe ſibi ipſi ſuffecerit.* Solus licèt, & ſine auxiliatore creato filius Dauid mundiales poteſtates conculcat. Et tu huius filij Dauidis ſanguine plenus, etſi ſolus, & deſolatus ſis, timebis hoſtes? Imò ſolus conculcabis mundum, & infernum. Dicebat quondam

1. Reg. 17. Dauid Sauli Regi, 1. Reg. 17. *Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat Leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam,* &c. Non dicitur vocaſſe in auxilium canes, quos feris illis immitteret, vt cæteri paſtorea ſolent facere; ſed ipſe ſolus currebat, & omni alio auxilio deſtitutus leonem, & vrſum percutiebat, & inter ipſa brachia ſuffocabat. Vnde tanta audacia Dauidi, quòd ſolus in deſerto non fugeret feras, ſed illas aggrederetur? Filium illum Ieſum in ſe vt pater continebat, & inde non miror, quòd ſolus non faceret, quod poſtea Ieſus facturus

Proſper. erat. Ait D. Proſper part. 2. de Promiſſ. c. 25. *Leonem, ait Dauid, occidit ſeruus tuus. Ex ſemine ſuo, vt promiſſum fuerat, ſignans venturum, qui conculcauit leonem & draconem.* Vt ex promiſſione habebat in ſe filium illum conculcatorem leonum, & draconum, iam ipſe licèt ſolus & derelictus non timet ferarum incurſus, ſed in illas triumphaturus inſilit. Sic qui habet in ſe Ieſum, potentiam omnem habet cum illo, Paul.

Rom. 9. 8. ad Roman. *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam, & cum illo omnia nobis*

Auguſt. *donauit?* Circa quæ D. Auguſtin. ſerm. de Natal Martyr. ait: *Quando ipſum nobis donauit, cum illo nobis omnia donauit. Terret te fremitus mundi, cui donatus eſt artifex mundi?* Chriſtum nobis donatum eſſe gaudeamus, & nullos in hoc ſæculo inimicos timeamus.

§. XV.

Vbi Princeps populi à Deo tenetur, facili negotio vniuerſos populares ad ſe trahit.

VIde prudentem perſuaſionem Achitophelis aientis: *Perſequar Regem deſolatum. Et reducam vniuerſum populum, quomodo vnus homo reuerti ſolet; vnum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace.* Sapienter equidem in vna Regis captione, totius populi facilem reductionem ponit. Comprehendatur Rex vnus, vinciatus, feriatur, de illo triumphemus, & cæteros omnes populares iam habes. Nouit hoc ſapientia mundialis, ſed & eodem ſpectat ſapientia Chriſtiana. Vtinam Rex, aut Princeps populi adeò capiatur, teneatur, proculdubio & conſequenter totum Reipublicæ corpus habet. Arca Dei ab Allophylis capta fuit, & poſita iuxta Idolum Dagon 1 Reg. 5. Quid tunc? *Manè die altera con-*

1. Reg 5. *ſurgentes inuenerant Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini. caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erãt ſuper limen.* Mirabar totum corpus Dagonis proſtratum coram arca Domini; & vnde ſic potuit arca ſibi proſternere corpus tantum idoli? Expende illud: *Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen.*

Tota virtus arcæ eò tendit, vt caput Dagoni auferret, vt ſibi caput Reipublicæ caperet, nempe Regem, hoc enim capto, facili negotio totum corpus trahitur. Ait Rupert. lib. 11. in lib. Reg. cap. 13. *Cecidit coram arca illo Dagon, cecidit, inquam, coram illa omnis maſſa Dæmonum, quæ intelligitur per illud idolum,* Rupert.
&c. *Cecidit hic talis Dagon coram arca Domini tandem truncatus capite, & abſciſſis manibus, id eſt ſublatis à cultu eius Regibus terræ,* &c. Vbi Rex terræ aufertur idololatriæ, aufertur nequitiæ, & Deo trahitur, ne dubites, quòd tota vi dæmonum cadente, totum terræ corpus Deo ſubſternatur, & vniuerſi ſubditi facilè trahantur. Quando enim à parte Dei Rex eſt, nullus popularis non trahitur ad Deum. Dicitur Dauid fuiſſe primus, qui apertiſſimè de regno Chriſti, de bonis æternis, de malis inferni diſſereret. Et cur Dauidi datũ eſt, quòd priùs iſta populo cãtaret? Rem tractat Rupert. in lib. Pſ. c. 2. & tandem ait: *Non aliter attentos, aut beneuolos habiturum diuites ſæculi niſi orationem ſuam inciperet per os Regis diuitis,* Idem.
magni Regis, manu fortis, & victorioſi, qualis erat iſte Dauid. Prouidit equidem Deus, vt cantatiſſimus Rex primus ſpiritualia omnia bona prædicaret, vt facilè ad illa vniuerſi populares venirent.

2. *Reg.* 17. Ait autem Abſalon: Vocate Chuſai Arachitem, audiamus, quid etiam ipſe dicat. Cúmque veniſſet Chuſai ad Abſalonem, ait Abſalon ad eum: Huiuſcemodi ſermonem locutus eſt Achitophel, facere debemus, an non? Quod das conſilium? Et dixit Chuſai ad Abſalonem: Non eſt bonum conſilium, quod dedit Achitophel hac vice. Et rurſus intulit Chuſai: Tu noſti patrem tuum, & viros, qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos, & amaro animo, veluti ſi vrſa, *&c.*

§. XVI.

Nouitatis ſpecies maximè humana corda rapit.

AVdierat Achitophelis conſilium Abſalon, quod probatum viderat omnibus ſenioribus aulæ, & nihilominus ait: *Vocate Chuſai Arachitem, audiamus, quid etiam ipſe dicat,*
&c. Quod miratus D. Chryſoſtom. in Pſalm. 7. ait: *Non erat* Chryſoſt.
humanæ rationi conſentaneum, vt eum, qui recenter venerat, tanto honore afficeret, & fide dignum exiſtimaret, vt etiam de rebus eiuſmodi eum eſſe vellet conſiliarium. Paucis ab hinc horis venerat Chuſai ad Abſalonem, nouiter, recenterque aderat illi, & tamen vocatur ad ſecretiſſimum conſilium, & poſt auditam ſententiam prudentiſſimi, & antiqui amici Achitophelis, adhuc ſententia noui, & recenter venientis ſpectatur. Quid abſurdius? Quid magis à ratione alienum? Sed quid rapuit Abſalonem, vt noui, & recentis amici ſententiam in re adeò arduam expectaret, & non magis crederet amico probato? Eo ipſo, quòd Chuſai recentior erat, & magis nouiter aderat, Abſalonem abſtulit. Habẽt hoc corda humana, vt maximè ad noua rapiantur. Ornata Iudith de ciuitate ſua ad caſtra Aſſyriorum proficiſcebatur, quam cùm vidiſſent barbari milites tenuerunt, ſed nullam illi moleſtiam intulerunt. Imò ait c. 10. *Conſiderabant faciem eius, & erat in oculis eorum ſtupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis,* &c. *Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernis,* &c. Sic milites pulchram Iudith mirantes, non verentur eam, & ſi ab hoſtibus veniret, in ſui Principis adducere penetralia, ſed & illi credunt omnia militaria arcana. Et cur tantum valuit vnius fœminæ pulchritudo apud armatos milites? Non & illis erant puellæ etiam pulcherrimæ? Quis credat apud maximum Principem Holofernem & præſtantiſſimos duces Aſſyriorum non eſſe pulcherrimas fœminas? Cur ergo adeò ſtupuerunt omnes ad pulchritudinem Iudithæ? Nouitia illis hæc pulchritudo erat, & nouiter ad eorum oculos peruenerat, ne miremur, quòd ſic rapiantur ſpecie pulchritudinis eius. Rapiuntur enim vehementiſſimè humana corda nouitatis ſpecie. Ad hæc ait D. Auguſtin. ſerm. 218. de temp. *Intra muros ſoſpita fuit Iu-* Auguſt.
dith,

ditib, ſecuro fuit, dum ad timendo peruenit. In qua fœmina inſidioſæ pulchritudinis nouitatem hoſtilis exercitus vehementer expauit, vt in eius obſequium vires omitterent, arma proiicerent, collo curuarent. Ducitur ad prætorium ſubie. his ordinibus ſtaus Holofernis, &c. Expende illa: *Inſidioſæ pulchritudinis nouitatem hoſtilis exercitus expauit*, &c. quippe non tam pulchritudo, quam nouitas tantū exercitum rapuit, & ſe in eorum ſecreta inſinuauit. Sic ad noua, recentiaque afficitur humanus animus. Nouerant id dæmones, qui Luc.4. clamabant: *Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene?* Tunc enim primum auditur Ieſus Nazarenus, & cùm à nemine antea dictus Ieſus eſt Nazarenus, cur in primis ſic eum diabolus voluit nominare? Amabat diabolus ſeſe humanis cordibus inſinuare, & ideo nouum quid prætendere voluit in Ieſu nominando, vt de nouitate commendabiliorem, & admirabiliorem faceret hominibus ſuam poteſtatem. Ait D. Ambroſ. lib. 4 in Lucam: *Nec quemquam mouere debet, quòd Ieſu Nazareni nomen in hoc libro diabolus dixiſſe primus inducitur. Non enim ob eo Chriſtus nomen accepit, quod de cælo Angelus ad Virginem detulit. Eſt enim huius impudentia, vt inter homines aliquid primus vſurpet, & ad homines quaſi nouum deferat, quo terrorem ſuæ poteſtatis incutiat.* Vt poteſtatis ſuæ miraculum hominibus perſuadeat, illoſque in ſui contineat reuerentia, aliquid nouum profert, ſciens quàm ſoleant affici homines ad nouitatis ſpeciem.

Luc. 4.

Ambroſ.

§. XVII.

Vnus Deus nouit ſuis in opportunitatibus adeſſe.

POſt conſilium Achitophelis auditum, & probatum, meminit Abſalon Chuſai Arachitem, qui conſilio illi non interfuerat, & iubet eum vocari. Ait enim: *Vocate Chuſai Arachitem, audiamus, quid etiam ipſe dicat.* Non equidem aderat Chuſai conſilio illi, & ideo neceſſum fuit, vt requireretur, & vocaretur poſt conſilium peractum. Et hoc eſt maximè ponderandum, quòd ille ipſe maximus Dauidis amicus, & eò ſolum miſſus à Dauide, vt ſe Abſaloni ingereret, & Achitophelis conſilia rimaretur, & infatuaret. Ille ipſe tandem abeſt, vbi Achitophel conſilium de Dauide perdendo dat, & omnibus probatur. Planè non creatura aliqua, ſed Deus vnus eſt, qui nouit non abeſſe, ſed adeſſe ſuis in opportunitatibus. Nouerat id Dauid Pſ. 9. clamans: *Et factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus.* Et quādo Dauid multorum auxilijs vſus ſit, & vſus fuit auxilio Chuſai in explorandis conſilijs Achitophel, cuius Chuſai opere euaſit; cur eius non meminit, nec alterius, ſed ſolius Dei adiutoris mentionem facit? Nouerat bonus quàm alia ſint creaturarum auxilia, à Dei auxiliis. Illis proprium eſt in opportunitatibus abeſſe; vnus Deus eſt, qui non abeſt, ſed cùm opportunum eſt, tunc maximè adeſt, ex quo tota pendet felicis euentus ſubſtantia. Ait D. Chryſ. ibi. Conſidera mihi Dauidis gratum, & ſapientiæ ſtudioſum animum. Cùm enim haberet & equos, & caſtra, & alia innumerabilia, illis omnibus miſſis, ſupernum accerſit auxiliū, & ſuam ei ſalutem ferri acceptam. Non enim dixit, fuerunt mihi caſtra refugium, nec pecunia, nec muri, ſed fuit Dominus refugium pauperi. Ipſe me, inquit, in tuto collocauit; *nihil conferri poteſt cum hoc refugio. Alijs enim refugijs poſſunt afferri inſidiæ; nec poſſunt in promptu inueniri. Sed & tempore, & loco innumerabilibus arcentur circumſtantijs. Hoc autem, vtpote, quod propè ſit, inuenis: te enim adhuc loquente, dicit: Ecce adſum. Et Deus appropinquans ego ſum, non Deus procul.* Quid pulchrius? Equidem in opportunitatibus neſcit Deus procul eſſe, ſed præſens, quòd enim tunc abſint, hoc proprium eſt creaturarum. Ioſue cap. 10 debellaturus Amorrhæos, cùm iam iam penè in manibus habebat victoriam, dies illi deficiebat fugiebat enim ocyſſimè Sol; cùm magis eius eſſet opportuna præſentia. Tunc ille clamans ait: *Sol contra Gabaon ne mouearis & luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna*, &c. Hoc magnum, & inuſitatum accidit, quòd creaturæ illæ Sol, & luna non ſeruarent curſum ſuum, & relinquerent hominem in opportunitate illa victoriæ, & magis ab illo fugerent. Et cur non magis abiſti iuxta tuum curſum Sol? Quis fecit, vt in opportunitate illa nolles abſcedere, ſed magis adeſſes, & præſens eſſes? Hoc non à ſe habuerunt creaturæ, ſed coactæ ad id ſunt, veri Ieſu æmulatione, cuius virtus in nomine Ioſue prælucebat. Pro quo ait Sedul. lib. 1. Paſchal. cap. 12. *Cæleſtis auxilij conjuratione, virtuti famulantia videbant ipſa iam ſydera, per ſimilis vocabuli ſacramentum, Ieſum Dominum nomine præcedente venturum.* Vt creaturæ odorabantur Ieſum tempore opportuno venturum, ſic iam illæ cæleſtis auxilij partes cogebantur tenere, vt in opportunitatibus non abeſſent, ſed adeſſent.

Pſalm. 9.

Chryſoſt.

Sedul.

§. XVIII.

Virtutis, Deive cauſa facit homines & fortes, & audentes ad magna.

VOcatus Chuſai, ſtatim ait: *Non eſt bonum conſilium, quod dedit Achitophel hac vice.* Sic nouitius, & recens homo in aula Abſalonis audet ſeſe opponere Achitophelis conſilijs, quæ ab omnibus habebantur, ac ſi à Deo proficiſcerentur. Et vnde tanta animi fortitudo, & audacia in Chuſai? Cur non magis in eo timuit ſuam reuelari ſimulationem, & proditionis dare pœnas? Sapienter Abulenſis fortitudinem illam, & audaciam Chuſai tribuit cauſæ Dei, quam propugnabat in Dauide defendendo. Vbi enim Deus, virtuſve præ oculis eſt, homines fortes, & infractos facit, & ad magna, & difficilia audentes. Poſt Ieſum crucifixum ait D. Marc. cap. 15. *Venit Ioſeph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu.* Illo ipſo tempore, quo vniuerſi Hieroſolymorum potentes armati erant in Ieſum, imò quaſi victores iam præda capta inſultabant in eum; audet Ioſeph ſeſe à parte Ieſu oſtendere, eiuſque procurare honorem poſtremum. Et vnde tanta audacia, & fortitudo homini? Indicant illa verba: *Qui & ipſe erat expectans regnum Dei*, vbi præ oculis habebat Deum, eiuſque & virtutis regnum non mirer, quòd ad magna auderet. Ait ibi Theophylact. *Beatus Ioſeph adhuc legi ſeruiens, Chriſtum & Deum agnouit, ideo & laudatum ondet factum. Neque cogitabat, diues ſum, & diuitias amittere poſſum*, &c. Habebat Ioſeph in conſpectu ſuo Deum, ſub eiuſque gratia viuebat, vnde tantam fortitudinem, & confidentiam, & audaciam capiebat, quia nihil vereretur. Crede mihi, vel ſtilla Dei gratiæ facit homines validiſſimos, & ad maxima audentes. Ioan. cap. 17. clamabat Ieſus: *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.* Ad ſanctitatem patris confugit, vbi ſuos amat reddi nulli difficultati cedentes, ſed per omnia difficilia & infractos, & victorioſos procedere. Cur ad hæc patrem ſanctum vocat? Cur non magis recurrit ad patrem omnipotentem? Crede homo, quòd ſi vel ſanctitatis gutta à patre in nos veniat, & fortiſſimi, & audaciſſimi ad omnia magna ſuperanda reddimur. Ait D. Cyril. Alex. lib. 11. in Ioan. cap. 29. *Per Spiritum ſanctum nos inuicto robore Dominus firmans, ad curſum virtutis omni labore contempto, inuitat. Per quem diaboli artes & voluptatem mundanam ſuperare nos facit. Qui enim ſignati ſemel Spiritu ſunt, qui arrhabonem gratiæ in animo acceperunt, virtutem ex alto induti fortiſſimi ſunt. Vt igitur hæc bona acquirere, adipiſcique poſſemus, ſanctificationem à patre nobis petebat.* Vt ad omnia ardua & difficilia audeamus, vt nihil non ſuperare ſperemus, vt fortiſſimi, & muniti ſſimi reddamur, illud ex patre Dominus petit, non quòd ſuæ omnipotentiæ, ſed quòd ſuæ ſanctitatis aliqualem nobis communicet effectum. In virtutis enim, & ſanctitatis cauſa connixi, nihil magnum ſuperare non audebimus.

Marc. 15.

Theophyl.

Ioan. 17.

Cyril. Alex.

§. XIX.

Luctus pœnitentiæ præualet hoſtium incredibili multitudini.

QVàm non eſſet Dauid vincendus ab Achitophelis exercitu, illis verbis oſtendit Chuſai: *Tu noſti patrem tuum, & viros, qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos, & amaro animo, veluti ſi vrſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat.* Vt catulorum raptor viſam in eum luctum, & amarorem conijcit, quibus horribilis, & metuenda fiat etiam multis venatoribus. Sic Dauid, & eius ſocij in eo luctu, & amarore animi ſunt, quæ debeant meritò metuere Achitophelis copiæ. Et quando amarus animi luctus metuendus non fiat? Vtinam,

nam, peccara illa, quæ ſpoliauerunt animam meam, ſimul occaſio fiant amaritudinis pœnitentiæ, ſallar, oiſi metuendus ſim hoſtibus meis, & illis præualeam in hoc pœnitentiæ luctu. Minabatur Dominus aduentum Aſſyriorum contra Hieroſolymam, quorum rabiem, vt effugiat, hunc illi proponit pœnitentiæ amarorem, inquiens
Hierem. 6. Hierem. cap. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi, planctum amaram: quia repenti veniet vaſtator ſuper vos.* Ecce tibi, hinc proponit aduenientem hoſtium exercitum, illinc petit à Hieroſolymitanis, quòd aſſumant eam animi amaritudinem, quam ſolent aſſumere, quæ orbantur filiis. Et quid amaritudo luctus ad hoſtes? Cur non potiùs faciant ſibi Hieroſolymitani ſcuta, ſpicula, æneaque miſſilia? Nonne hæc aptiora ſunt, vt hoſtes depellant, quàm planctus amariſſimus? Abſit planctus enim amarus pœnitentiæ, eas vires dat vel effœminatis hominibus, quibus poſſint præualere copioſis hoſtium exercitibus. Noui Bethulienſes ingenti Holophernis exercitu cinctos; qui inter arctiſſimæ obſidionis anguſtias, ad pœnitentiæ deueniunt amaritudinem. Ait enim Iudith cap. 7. *Factus eſt fletus, & vlulatus magnus in Eccleſia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum, dicentes, peccauimus cum patribus noſtris*; &c. Quid tunc? Vna fœmina Iudith egreditur à ciuitate, intrat Holophernis caſtra vbi aliquot diebus manens, tandem Imperatorem percutit, exercitum fugat, & victoriam glorioſam ſuis infert. Nec mirum, quòd tanto hoſtium exercitui præualeat mulier, quæ de luctu pœnitentiæ ciuitatis in ſtadium proſiluit. Ait enim de illa
Iudith 7.
Auguſt. D. Auguſt. ſerm. 218. de tempore: *Deducitur ad prætorium Iudith ſubiectis ordinibus, fraus Holophernis, & ingentis victoria ciuitatis*, &c. *Lugentem ciuitatem vna fœmina voluit vindicare, & tantus exercitus Regem non potuit cuſtodire.* Quis iam non ſe credat pœnitentiæ amaro luctui? Ingens exercitus non potuit defendere Imperatorem ſuum, quin periret manu fœminæ egreſſæ ab vrbe, quæ erat in luctus amaritudine pro peccatis ſuis.

§. XX.

Vigilantiæ animus difficilia quæque ſuperat.

INde etiam commendat Dauidis partem Choſai, dicens *Sed & pater tuus vir bellator eſt, nec morabitur cum populo.* Ex Hebræo legitur: *& non faciet dormire populum*; circa
Caiet. quæ Caiet. ait: *Sonant verba, quòd foraneit populum cum excubiis, quaſi vigilem noctè*, &c. Non adeò deſes credendus erat Dauid, vt nocte ſe ſomno dederet, ſed, quod exercitatiſſimi duces facere ſolent, excubias aget, vigileſque ponet, qui accedentium conatus præueniant. Et quid non ſuperet homo, qui in excubiis eſt? Planè in virtutum duello: in excubiis, & vigiliis penè tota res eſt. Qui enim vigilat, & in excubiis eſt, & penè inſuperabilis redditur. Memini certamen ſeptem fratrum He-
2. Mach. 7. bræorum, aduerſùs quos Antiochus Rex deſæuit 2. Machab. 7. Horum vnus dicebat Regi horrendas tormentorum machinas opponenti: *Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? Parati ſumus mori, magis, quàm patrias leges Dei prævaricari.* Et vnde tantus ardor in iuuenibus aduerſùs mortem? Cur non magis pauent ad tormentorum inſtrumenta? Flammas vident, ſartagines ardentes, & perſtrepentes audiunt, ſpicula acutiſſima notant, & omnia hæc horrenda contemnunt. Quo poculo, quo medicamine præparantur, ne inter hæc excedant? Planè dum vigilant animis in hac mundiali nocte, nihil verentur, vt qui poſ-
Ambr. ſent ſuperare difficillima quæque. Ait D. Ambroſ. lib. 6. de Iacob cap. 11. pro vno illorum dicente: *Quid contemnis nos vel circumſcribis vt pueros? Experire centa, ſubiice, quibus placet, pœnis puerilia membra, non inuenies corda puerilia: non potentiores erunt tormentorum machinæ, quàm legitima obſeruantiæ excubiæ.* Erant equidem tormentorum machinæ ob oculos poſitæ potentiſſimæ ad infrigendos animos videntium. Nihilominus tota illa machinarum potentia euanuit apud pueros, qui in excubiis pro religione erant. Non æ rea pectora, non adamantina corda opponunt tormentorum machinis, ad ſolas excubias pro religione confugiunt, & excubantibus adoleſcentibus totæ illæ machinæ cedunt. Et quando vigiles neſcierunt triumphare? Hinc traducit Romanorum Deos D. Auguſt. quando inuadentes hoſtes ſenſit anſer, qui in Capitolio erat vigilans, & ſua vigilantia victoriam eripuit ab hoſtium manibus. Ait itaque Auguſt. lib. 2. de ciuit. Auguſt.
cap. 22. *Sed tamen hæc numinum turba vbi erat, cum longè antequam mores corrumperentur antiqui, à Gallis Roma capta, & incenſa eſt? An præſentes fortè dormiebant? Tunc enim tota vrbe in hoſtium poteſtate redacta, ſolus collis Capitolinus remanſerat; qui etiam ipſe caperetur, niſi ſaltem anſeres, diis dormientibus, vigilarent.* Etſi dii crederentur, quia dormiebant, ab hoſtibus conculcabantur, vbi autem vel anſer vigilauit, tota hoſtium poteſtas cedere fuit coacta.

§. XXI.

Oratio valentior armis.

ADdit aliud Chuſai pro parte Dauidis, aiens: *Forſitan nunc latitat in foueis, aut in vno, quo voluerit, loco*, &c. Et quid, quòd Dauid lateret illa nocte, ad hoc, quòd non debeat illum perſequi Achitophel? Hic ſolùm intendebat exercitum Dauidis fugare, & Dauidem relinquere ſolitarium, & deſolatum, vt facilè poſſet capi. Id quod etiam accideret, ſiue lateret in foueis, ſiue non lateret, fugato enim exercitu eius, etiam latens manet Dauid ſolitarius, & deſolatus, & perditioni proximus; quam vel in latibulis inueniret, vel prodiens à latibulis ſolitarius. Quid ergo voluit Chuſai explicare virtutis pro parte Dauidis, in eo quod in latibulis eſſet? Cùm latibula ſpectat Chuſai latibula meminit, quæ noctes nocturnis temporibus à Dauide quæſita orationis cauſa, quibus ille munitior erat quàm omnibus aliis armis. Ait ibi
Carthuſ. *Quod, vt creditur, ideo dixit Chuſai, quoniam* Carthuſ.
Dauid, quando fuit cum aliis, temporibus nocturnis, in deſerta, aut rure conſueuit cauſa orationis, & compunctionis ſe abſentare ad tempus, atque in ſuis latibulis Deo vacare. Conſueuerat Dauid nocturnis temporibus à ſociis abſcedere, vt orationi vacaret, quod tunc ab illo factum indubitatum erat. Et quis non magis caueat Dauidem orantem,
quàm pugnantem? De illo ſapienter dicebat D. Chry- Chryſoſt.
ſoſt. orat. 1. de oratione habita tom. 6. *Admirabilis Dauid Goliadem illum, vt metuendum quemdam dæmonem irruentem, non armis, non gladiis, ſed precatione deiecit. Ita telum eſt acerrimum Regibus, in præliis deprecatio, & nobis ad dæmonum impetum propulſandum* Nota erat Dauidi oratio pro armis, pro gladiis, pro miſſilibus, ea deiecit gigantem, & de multis aliis triumphauit. Vtinam ad illam recurrerent Reges, nullum telum acrius inuenirent ad ho-
ſtes detriumphandos. De nobiliſſima illa fœmina Iudith Iudith 10.
ait text. cap. 10. *Cùm ceſſaſſet clamare ad Dominum, ſurrexit de loco, in quo iacuerat proſtrata ad Dominum. Vocauit Abram*, &c. Primò orationi vacat, deinde famulam vocat, tunc ad Holophernis caſtra procedit, tandem ei caput aufert, & victrix remeat in propria. Vnde tanta vis in fœmina ad perdendos hoſtes? Ait text. *iacuerat proſtrata ad Dominum*, ne miremur, quod de oratione ad tantam exurgat
victoriam. Ad hæc D. Auguſt. ſerm. 218. de tempore ait: Auguſt.
Cum palmifera caſtitate Iudith ad ciues feliciter ſoſtinet. Iam recipit attonita ciuitas tantæ victricis redditum triumphalis, iam luctus conuertuntur in gaudium. Omnis erat in ciuitate victoria, in hoſtibus caſtris tremor erat, & fuga. Vbi enim aſſiduis pulſatur orationibus cælum, potentia ſemper calcatur armorum. Ecce glorioſæ fœminæ caſtitatem ſeruauit oratio, & hoſtem ſeruare non potuit multitudo. Sic oratio ſuperior armis, ſuperior exiſtit exercitibus.

§. XXII.

Siniſtrum initium vel fortiſſimorum corda infirmat.

TAndem illud metuendum proponitur à Chuſai Abſalonii, nimirum: *Cùm ceciderit vnus quilibet in principio, audiet, quicumque audierit, & dicet: Facta, eſt pla-*

ga in populo, qui ſequebatur Abſalon. Et fortiſſimus quiſque, cuius cor eſt, quaſi leonis pauore ſoluetur. Prudenter aſſerit ſoluendos pauore fortiſſimos quoſque, vbi audiant ruinam in principio factam. Siniſtrum enim initium nunquam non maximè afficit etiam validiſſimos. Cùm Iſraelitæ aggreſſi eſſent expugnationem Hai, dicit textus Iosue

Ioſ. 8. cap. 8. *Aſcenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui ſtatim terga vertentes percuſſi ſunt à viris vrbis Hai, & corruerunt ex eis triginta, & ſex homines*, &c. *Pertimuitque cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt. Ioſue verò ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram*, &c. Ecce tibi, vbi in prima aggreſſione aduersùs Hai, triginta & ſex Iſraelitæ ceciderunt, ſtatim omnium bellatorum cor elanguet, ipſe autem fortiſſimus Ioſue abiectis armis in lachrymas effunditur coram Deo. Vnde ex tam paucis perditis tantus languor venit in fortiſſimum Iſraelitarum exercitum? Non equidem adeò parua ruina tantos viros premeret, niſi quia erat in primis illorum congreſſibus. Siniſtra enim initia nunquam non ominoſa ſunt, & potentia fortiſſimos quoſque premere. Iſraelitarum glorias aduersùs gen-

Numer. 24. tes præſignans Balaam Numer. cap. 24. ait: *Orietur ſtella ex Iacob & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa poſſeſſio eius, hæreditas Seir cedet inimicis ſuis; Iſrael verò fortiter aget. De Iacob erit, qui dominetur, & perdet reliquias ciuitatis. Cumque vidiſſet Amalech, aſſumens parabolam ait: Principium Gentium Amalech, cuius extrema perdentur.* Explicans, vt omnes Palæſtinorum gentes percutiendæ erant, & ſubiiciendæ Iſraelitis, ſtatim oculos vertit ad Amalech, & ait: *Principium Gentium Amalech.* Et cur inter gentium ruinas meminit Amalech principium gentium? Quid, quòd Amalech ſit principium gentium, ad hoc quòd illæ gentium nationes debeant Iſraelitis ſubiici? Rem inſinuat Chaldæus, legens ibi: *Principium bellorum gentium Iſraelis*

Exod. 17. *Amelech*, vt habes Exód. cap. 17. Amalech primus fuit, qui arma ſumpſit aduersùs Iſrael; in quo duello victus manſit ab Iſraëlitis. Nullo ergo meliùs confirmaret Balaam gentes aduerſo Marte pugnaturas contra Iſraelem, quàm proponens bellum illud primum, quod inceperunt, & in quo periere Amalecitæ. De tā ſiniſtro enim principio, quam non timeant gentes ruinam? Nunquam enim ſiniſtrum principium non ominoſum eſt. Quiſquis rem ſalutis aggreditur, caueat caſum in principio, rarò enim vbi principium bonum non eſt, erit & bonus finis. Dice-

Leo. bat D. Leo epiſt. Decret. 87. cap. 1. *Principatus autem, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit, etiamſi moribus, atque actibus non offendit, ipſius tamen initij ſui eſt perniciosus exemplo. Et difficile eſt, vt bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.* Pueris Hebræis in flammas for-

Dan. 3. nacis proiectis pepercit ignis, dicente Daniele cap. 3. *Ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.* Et cur cautum eſt, ne hi pueri in flammis perirent, in quas coniecti fuerant propter Deum, & virtutem? Malum erat vſque tunc pœnarum mortiſve principium, nimirum peccatum; nondum apparuerat bonus Ieſus, qui initiaret fœlicem ad mortem viam. Et ideo cauit Deus in pueris ſuis, ne in mortem violentam irent, cuius nondum bonum erat

Prudent. principium. Id quod canebat olim Prudentius in Hymno S. Fructuoſi, & ſociorum Martyrum, dicens:

Priſcorum ſpecimen trium puerorum,
Quos olim Babylonium per ignem
Cantantes ſtupuit tremens tyrannus.
Illis ſed pia flamma tunc pepercit,
Nondum tempore paſſionis apto,
Nec mortis decus inchoante Chriſto.

Si paſſionum principium primum quæras, vnum inuenies peccatum Adami; ab illo enim & ſpinæ, & tribuli, & ſudores, & labores, & morbi, & mortes fluxerunt. Et tunc quidem ineptum, imò ominoſum erat tempus patiendi, vtpote quod habebat tam nefarium principium. Pòſt venit Chriſtus, qui patiendi aliam viam oſtendit, quam ipſe inchoauit, vt de tanto principio vniuerſi in paſſionibus haberent ſpem ſalutis.

2. *Regum* 17. Sed hoc mihi videtur rectum eſſe conſilium. Congregetur ad te vniuerſus Iſraël à Dan vſque Berſabeth, quaſi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum. Et irruemus in eum in quocumque loco inuentus fuerit, & operiemus eum ſicut cadere ſolet ros ſuper terram: & non relinquemus de viris qui ſunt cum illo, ne vnum quidem, &c.

§. XXIII.

Quò maior creaturarum multitudo te occupauerit, clarior appparebit perditio tua.

VT faceret Chuſai Dauidis perditionem euidentiorem, petit in illum congregari multitudinem innumerabilem, ait enim: *Congregetur ad te vniuerſus Iſrael, quaſi arena maris innumerabilis.* Et quid tunc? *Operiemus eum, ſicut cadere ſolet ros*, &c. *& non relinquemus, ne vnum quidem.* Et quis non opprimatur, & pereat ſub tanta multitudine? Hoc tibi homo perſuade, quòd multitudo creaturarū non congregatur in bonum, ſed in malum tuum. Quo enim te maior creaturarum numerus occupat, eo clarior apparet perditio tua. Cùm Ieſus transfiguratus eſſet coram tribus diſcipulis ſuis in ſummitate montis Thabor, & Petrus de ibi manendo tractaret, ait Matth. cap. 17. *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de medio nubis*, &c. Vt inſcienter loquentem Petrum corripiat Dominus, & ſuam oſtendat gloriam, vnam opponit nubem lucidam, quæ diſcipulos obumbret. Verùm de vltimo Ieſu aduentu in ſæculi conſummatione locutus ipſe Matth. cap. 25. ait: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maieſtate.* Ecce modò non vna nubes, ſed multæ congregantur nubes, vt in illis ſe Dominus oſtendat. Et quando in Thabor vna nubes ſuffecit lucida, quæ & Ieſum oſtenderet, & vocem patris in medio ſui ſuſtineret; cur in vltima Ieſu oſtenſione non vna, ſed plures congregantur nubes? In Thabor ſigna promebantur ſalutis; in illo vltimo aduentu, conſummatio totius orbis, & huius temporis perditio oſtenditur; & ideo plures congregantur nubes, quo enim maior creaturarum numerus nos inuadit, & mentem noſtram occupat, certior perditio noſtra oſtenditur. Dicebat Origen. homil. 39. in Matth. *Et tunc quidem deſcendens lucida nubes adumbrauit eos, poſtea autem multæ nubes portabant filium hominis venientem cum vehiculo digno gloria ſua. Et ſicut in fictione hominis accepit Deus limum de terra, & finxit hominem; ſic vt appareat gloria Chriſti, accepit Deus de cœlo, & de cœleſti corpore, & corporauit primum quidem in nubem lucidam, in conſummatione autem in nubes lucidas.* Expende illud, *in conſummatione autem in nubes lucidas.* Vbi enim conſummatio, & perditio orbis oſtendenda erat, multæ lucidæ nubes, conglomerantur, de multitudine enim creaturarum humanos rapientium oculos, clarior humana perditio oſtenditur.

Matth. 17.

Matth. 25.

Orig.

§. XXIV.

Tyrannos animos magis permulcet, quò maior fuerit profuſio ſanguinis.

ASturè illud proponebat Chuſai, vt Abſalonem traheret, nimirum: *Et non relinquemus de viris, qui cum eo ſunt, ne vnum quidem.* Mitius in Dauidis ſocios locutus fuerat Achitophel ſuprà, aiens: *Cùmque fugerit omnis populus, qui cum eo eſt, percutiam Regem deſolatum.*

eum. Et reducam vniuerſum populum, &c. *vnum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace.* Sic prudens homo conſulebat, vt vnus Dauid quæreretur ad mortem, cæteri autem, qui cum eo erant, ſolùm ab eius latere fugarentur, vt poſt eius occiſionem ad Abſalonem poſſint reuocari. Verùm Chuſai in ſpecie videbatur conſulere, vt non ſolus Dauid, ſed & omnes, qui cum eo erant, percuterentur, vt nec vnus eorum euaderet. Et quando Achitophel adeò mitis, & humanus erat in Dauidis ſocios; cur Chuſai ſic in omnes deſæuit, vt omnes perimendos proponat? Aſtutus Chuſai illud proponit, quo magis credebat alliciendum eſſe tyrannum. Cuius animus vt ignoſcendi neſcius, ſic maiori ſanguinis profuſione rapitur.
Egeſipp. Dicebat Egeſipp. lib. 1. cap. 23. de Philippionis affectu in Antigonum: *Vſu, & conſuetudine amoris igniculus obrepſit adoleſcenti ignoſcenda profectò, ſi ſcirent ignoſcere tyranni.* Cauit ergo Chuſai à verbis miſerendi, & ignoſcendi; & illa verba vſurpauit, quæ nullam miſerationem continerent, ſed ignem, mortemque in omnes ſpirarent. Quibus magis permulcebatur tyranni animus. Quis enim tyrannus in vnius nece conſiſtit, & non magis omnium internecione delectatur? Vnus pro mille exemplum affert Aman ille, de
Eſther 3. quo irato in Mardochæum ait textus Eſther cap. 3. *Quod cùm audiſſet Aman, & experimento probaſſet, quòd Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valde, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas. Audierat enim, quòd erat gentis Iudææ; magiſque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Aſſueri, perdere nationem.* Sic tyranni pro nihilo ducunt vnum perdere, magis amant perdere vniuerſos, vt de omnium perditione ipſi ſoli regnent.
Apoc. 17. Ioan. cap. 17. Apocal. aiebat: *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro*, &c. Quid purpura, & coccum protendebant in hac muliere niſi ſanguinarios animos tyrannorum terræ?
Rupert. Ait ibi Rupert. lib. 10. in Apocal. *Purpura regius eſt amictus, cunctamque regnorum, ſiue Regum huius mundi aulicam poteſtatem, ſiue ſuperbiam deſignat. Quis porrò neſciat, quòd regiam poteſtatem penè ſemper comitata ſit homicidalis crudelitas? Pleni ſunt libri, imò ſatiati iam ſunt theatra orbis terrarum Regum tragœdijs, qui ob cupiditatem regnandi non ſolùm in exteros arma tulerunt, verùm etiam in cognatos, vel fratres, aut etiam parentes, ne participes, aut æmulos regni paterentur, ferrum crudele tranſegerunt. Rectè ergo cum purpura ſociatur coccinum, dicendo: Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, quia profectò purpuram regnorum ſemper comitata eſt ſanguinea crudelitas homicidiorum.* Sic ibi mundiales tyrannos deſcribit, vt ſitiant humanum cruorem, vt regnent ipſi de omnium perditione.

§. XXIV.

Mundiali principi maximè cordi eſt, quòd ſolus in honoribus ſit.

ET illud propoſuit Chuſai, quòd eſſet Abſaloni gratiſſimum, nempe: *Congregetur ad te vniuerſus Iſrael à Dan vſque ad Berſabee, quaſi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum.* Non Achitophel, non alius quiſpiam, ſed tu ipſe eris in medio, quaſi vnicus, & ſingularis dux, qui nullius alterius ope indigeat.
Abul. Ait Abul. ibi quæſt. 8. *Et tu eris in medio eorum, ſcilicet in medio exercitus, & iſtud erat contra Achitophel, qui dixerat: Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar Dauid. Chuſai autem dicebat, quod eſſet dux belli Abſalon, & non Achitophel.* Itaque Chuſai hoc proponebat, vt vnus Abſalon ſibi & exercitus principatū præriperet, ſoluſque eſſet in honore illo; quod non poterat non eſſe Abſaloni gratiſſimum. Maximè enim cordi eſt mundiali principi, quòd ſolus in honoribus ſit. Nota eſt hiſtoria Ioiadæ vt occiſa Athalia puerulum Ioas in regno poſuerit, cuius nutu omnia regni gubernantur.
2. Paral. 24 Quid tunc? Ait textus 2. Paral. 24. *Poſtquam autem obijt Ioiada, ingreſſi ſunt principes Iuda, & adorauerunt Regem, qui delinitus obſequijs eorum, acquieuit eis.* Et quæ hæc adoratio tam noua, & tam grata Regi, quæ illum ſic ad acquieſcendum ſuis traxit? Nonne & ante hoc principes Iuda Regem adorabant? Cur ergo Rex antea non deliniebatur adoratione obſequioſa, & nunc totus delinitur obſequiis? Equidem antea principes Iuda Regem adorabant, ſed non adorabant vt ſolum, vt qui haberet Ioiadam, cuius vtebatur opera in regno adminiſtrando. Nunc autem mortuo Ioiada ſic adorant Regem, quaſi ipſe ſit ſolus, & vnicus, nullius indigens ope in regni adminiſtratione. Hæc autem adoratio illi adeo fuit grata, vt propter illam nihil ſuis adoratoribus denegaret. Ait Caietan. ibi: *Adorauerunt Regem non quòd prius non adoraſſent eum, ſed quia prius adorabant eum non ſolum, ſed cum Ioiada Pontifice tanquam patre Regis. Mortuo autem Ioiada adorauerant Regem ſolum, quod non audebant facere viuente Ioiada. Erat enim Rex viuente Ioiada, tanquam ſub tutore, & illo mortuo venerari ceperunt Regem tanquam liberum à tutore. Qui delinitus obſequijs eorum acquieuit eis: vt videlicet ſola Regis authoritas agnoſceretur.* Sic Rex deliniebatur obſequiis illis, quibus iam ſolus in honore, & regimine regni publicabatur. Hoc enim maximè cordi eſt mundialibus principibus. Caiet.
Hinc Iacob Geneſ. 49. regnum filij ſui Iudæ odoratus ait: *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti.* Cur leonem vocat Regem futurum? De leone ait D. Baſil. homil. 9. in Exaemer. *Leo eſt expers ſocietatis. Nam veluti tyrannus quidam beſtiarum, vitio ſuperbiæ naturalis elatus plurimorum pares honores, congreſſioneſque non admittit.* Non aliter principes mundiales fugiunt in honoribus ſocietates. Geneſ. 49.

2. *Regum*. 17. Dixit Abſalon, & omnes viri Iſraël: Melius eſt conſilium Chuſai Arachitæ conſilio Achitophel: Domini autem nutu diſſipatum eſt conſilum Achitophel vtile, vt induceret Dominus ſuper Abſalon malum. Et ait Chuſai Sadoch, & Abiathar Sacerdotibus: Hoc, & hoc modo conſilium dedit Achitophel Abſalon, & ſenioribus Iſraël, & ego tale dedi conſilium. Nunc ergo mittite citò, *&c.*

§. XXV.

Validiſſima quæque diſparent ad Dei nutum.

ACHitophel ille cantatiſſimus in Iſraële cōſiliarius dederat vtile conſilium Abſaloni, ſed & Chuſai in Abſalonis aula nouitius contrarium conſilium dedit. Et hoc probatum omnibus eſt, illud ab omnibus reiectum. Et cur non magis præualuit Achitophel? Ait textus. *Domini autem nutu diſſipatum eſt conſilium Achitophel vtile*, &c. Nulli fide ſapientiæ, nulli fide prudentiæ, nulli potentiæ, nulli virtuti, vbi enim Deus iuſſerit, validiſſima quæque diſparent, & vertuntur in fumum. Dum Ieroboam Rex decem tribuum Iſrael ſacrificaret idolis, reprehenſus eſt à viro Dei, contra quem iratus Rex voluit illum apprehendere. Ait enim 3. Reg. 13. *Extendit manum ſuam de altari Rex, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius*, &c. 3. Reg. 13.
Ecce manus Regis extenditur contra virum Dei, & cum manu Regis tota regia poteſtas, vir autem Dei immunis manet, areſcentibus, & euaneſcentibus illis. Vnde hoc? Deus iuſſit, vbi autem Dei iuſſio inſtat, ſic diſparent etiam validiſſima. Ait D. Chryſoſt. homil. in Pſalm. 141. habita tom. 6. *Extendit manum ſuam, & è veſtigio exaruit. Vbi diadema? Vbi veſtes purpureæ? Vbi loricæ? Vbi clypei? Vbi exercitus? Vbi lanceæ? Iuſſit Deus, & omnia illa perierunt.* Nihili æſtimes validiſſima omnia, vbi Dei iuſſio contrariatur illis, funditus enim diſperibunt. Mirabar totam illā radiorum aciem in Sole poſitam; quot ibi radij, tot ſpicula, tot tela ignea. Verùm de illis ait Eccleſiaſticus cap. 17. *Quid lucidius ſole? Et hic deficiet.* Et quis poteſt facere, quòd tot radiorum ſpicula caſſa ſint? Quòd Chryſoſt. Eccli 17.

Chryſoſt. tot lumina euaneſcant? Quòd tot ignes vertantur in fumum? Vnus Dei nutus. Ait D. Chryſoſt. homil. 6. Geneſ. *Ne te decipiat Solis ſpectaculum. Nam ſi voluerit conditor imperare, quaſi nuſquam fuerit, ita diſparebit.* Vnus eſt Dei nutus, qui omnia in proſperum ducit; hic ſi obſiſtat, ſi renitantur, nihil eſt, quod præualere poſſit, ſed omnia euaneſcunt, & abeunt in nihilum.

§. XXVI.

In dignitatibus, quæ à Deo non veniunt, nihil vtile præualet.

AVdio in aula Abſalonis reiectum eſſe conſilium Achitophel, dicente textu: *Dixit Abſalon, & omnes viri Iſrael: Melius eſt conſilium Choſai conſilio Achitophel: Domini autem nutu diſſipatum eſt conſilium Achitophel vtile.* Quod vtile aſſeritur conſilium, reiectum eſt, & diſſipatum in aula Abſalonis; nec miror, nunquam enim in dignitatibus, quæ à Deo non veniunt, præualent vtilia. Traducebat quondam mundialia regna Dominus in Chriſto ſuo,
Matth. 27. de quo ait Matth. 27. *Exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius.* Sic in ſpinis, & arundine traducebat Dominus & coronas, & ſceptra mundi, quæ non dat Dominus, ſed mercatur ambitio. Et
Laur. Iuſt. quid in arundine? Rem explicat D. Laurent. Iuſtinian. de triumphali Chriſti agone cap. 14. *Meritò terrena dignitas arundini comparatur, quæ exterius viret, & tamen infructuoſa, intuſque inanis, & vacua. Quis in aſpectu primo potentum ſæculi non appeteret faſtum? Quidquid in ipſo eſt, arridere, atque vireſcere creditur. Accede autem propiùs, diligenter conſidera, quantis intus agitetur curis, quale etiam foris proferat germen; vtique inutile, & citò periturum.* Nihil vtile, nihil fructuoſum in mundialibus poteſtatibus inuenies vnquam. Solum ibi præualent infructuoſa, euanida, &
Pſalm. 35. inutilia. Pſalm. 36. dicebat: *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani.* Tota exaltatio impij cedrorum exaltationi comparatur. Et cur cedris comparatur
Laur. Iuſt. exaltatio impij? Ait ſuprà D. Laurent. Iuſtinian. *Infœcundi prorſus ſunt, qui dominantur, & vacui tanquam arundines, infœcundi alijs, ſibi ipſis autem vacui.* Vt cedri infructuoſæ ſunt, vt vacua eſt arundo; ſic qui ambitione ad poteſtates, & dignitates feruntur, nihil fructus, nihil vtilitatis habent, ſed planè in ſe vacui, & euanidi ſunt in-
Ioan. 15. trinſecus. Ideo dicebat Dominus ad Apoſtolos ſuos Ioan. 15. *Ego elegi vos de mundo, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis.* Sapienter enim vt fructiferos oſtenderet, præmiſit illud: *Ego elegi vos, & poſui vos*; non ambitio, non reſpectus temporalis, ſed Deus in dignitate cõſtituit illos,
Laur. Iuſt. qui debent eſſe fructiferi Ait Diuus Laurent. Iuſtinian. lib. de inſtit. Prælatorum cap. 2. *Sic patres cæteri, qui Deo placuerunt, non ex ambitione, ſed ex vocatione diuina ad ecclesiaſticas dignitates, & ad animarum aſſumpti ſunt regimen, prout Apoſtolis Dominus dicit: Ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis. Hinc eſt quòd tantam animarum meſſem ad aream congregauerunt Eccleſiæ, tantum populum adduxerunt ad fidem.* Vbi ambitio, aut reſpectus temporalis non interuenit in adipiſcenda dignitate, ibi fructus eſt, & vtilitas plurima. Quæ prorſus abſunt ab ambientium dignitatibus.

§. XXVII.

Religio bonum regni auſpicium.

CVm Sacerdotibus loquitur Chuſai de monendo Dauide, dicente textu: *Et ait Chuſai Sadoc, & Abiathar Sacerdotibus*, &c. Sapienter non per alios, ſed per Sacerdotes monet Dauidem, de conſilio Achitophelis, vt ſibi conſulat. Numquam enim religio non auſpicata Regibus
1. Reg. 10. eſſe ſolet. Samuel vbi vnxit Saulem 1. Regum 10 illi dixit: *Hoc tibi ſignum, quia vnxit te Deus in principem, &c. Cùm abieris hodie à me, & vltrà tranſieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel*, &c. Quæ verba ſic elucidat Ioſephus lib. 6. Ant. cap. 5. *Hæc ita fore hoc argumento cognoſcere poteris, In hoc itinere offendes tres homines religionis ergò tendentes ad Bethel.* In ſignum venientis regni à Deo tres offeruntur Sauli homines religionis ergò tendentes ad domum Domini, ex nullo enim melius regni auſpicium ſumi debebat, quàm ex conſpectu hominum religioſorum. Vtinam huc vniuerſi principes oculos conijciant, vt norint non aliunde, ſed ex religione principatus ſui ſumendum auſpicium. Dabantur quondam Dauidi arma Saulis, quibus aduersùs Philiſthæum exiret; verùm Dauid 1. Regum cap. 17. ait: 1. Reg. 17.
Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo. Et depoſuit ea. Cur pugnaturus deponis arma? Cur non magis amas armis muniri, vt armatum interficias? Ait apud Diu. Chry- Chryſoſt.
ſoſt. homil. de Imperio, & poteſtate habita tom. 6. *Dauid verò ait; non eſt iſta ſuperbia, ſed fides. Non lorica, ſed religione me armo.* Abiecit arma Dauid, & aſſumpſit religionem, quo regnum Iſrael exemit à periculis. Eſt enim religio auſpicata Principibus. Huc trahenda ſunt dicta tom. 3. de Chriſto figurat. lib. 6. cap. 10. §. 10. & lib. 7. cap. 2. §. 18. & cap. 5. §. 3. & cap. 8. §. 1. & ſæpe alias in alijs tomis.

2. *Regum* 17. Ionatha autem, & Achimaas ſtabant iuxta fontem Rogel: abiit ancilla, & nuntiauit eis; & illi profecti ſunt, vt referrent ad Regem Dauid nuntium, non enim poterant videri, aut introire ciuitatem. Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Abſalon; illi verò concito gradu ingreſſi ſunt domum cuiuſdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in veſtibulo ſuo, & deſcenderunt in eum: tulit autem mulier, & expandit velamen, *&c.*

§. XXVIII.

Vnius diuina potentia eſt, maxima quæque per fœminam perficere.

PErditionis Abſalonis, & ſalutis Dauidis negotium totum ancillæ committitor, dicente textu: *Abijt ancilla, & nuntiauit eis*, &c. Et cur tantum negotium committitur ancillæ? Quando in fœmina ſecretum? Quando non in fœmina proditio? Et quidem ait textus: *Vidit eos quidam puer, & indicauit Abſalon*, &c. Vir indicat rem Abſaloni, & ancilla abſcondet? Vnde hoc ſapientes homines poterant præſumere? Planè in eo non hominum prudentia, ſed Dei poteſtas innuitur, quæ ſola per infirmum mulieris vaſculum maxima quæque ſolet perficere. Poſt deſcriptam immaniſſimam Behemothi beluam Iobi cap. 4. dicit Iob. 4.
Dominus: *Numquid illudes ei tanquam aui, aut ligabis eum ancillis tuis?* Crede mihi, nullus virorum poteſt facere, vt tantum monſtrum in manibus ancillulæ appareat ligatum, id enim ſolius eſt diuinæ poteſtatis. Circa ea ait D. Bruno ſermon. 2. in Natiu. Mariæ: *Numquid illudes ei quaſi* Brun.
aui, & ligabis eum ancillis tuis? Non tu, quaſi dicat, ancillis tuis eum ligabis, quem nec ipſi viri fortes ligare potuerunt. Ego tamen per vnam ancillam meam eum ligabo, & fortitudine priuabo. Hæc eſt illa nobilis ancilla beatiſſima virgo Maria, quæ ait de ſe: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Vbi in fœminæ manibus, in mariæ ancillæ Dei manibus apparuit tantum monſtrum ligatum, non id opus creaturæ fuit, ſed diuinum. Ipſe potentiſſimus Deus tale potuit opus per mulierem perficere. Hinc Geneſ. 3. aiebat Dominus mulierem Geneſ. 3.
deſignans: *Ipſa conteret caput tuum*; apud D. Hieronym. legitur ex Hebræo: *Ipſe conteret caput tuum.* apud D. Leonem autem: *Ipſum conteret caput tuum.* Et quando mulieri dicebatur, quòd ipſa ſerpentis caput erat contractura, quid ſibi vult, quòd in eiſdem verbis legatur, non *ipſa*, ſed *ipſe*? Vbi tantum opus à muliere cernitur perfici, apertè demonſtratur, non eius opus eſſe, ſed omnipotentis Dei operantis ſupra omnem naturam. Id quod fatetur Draco ipſe contritus apud Chryſippum Hieroſ. homil. de Chryſipp.

Deipara,

Deipara, dicens: *Mulier mecum effecit, vt in genus humanum tyrannidem occuparem, & mulier me à tyrannide deturbauit. Antiqua Eua me erexit in altum, & noua deiecit,* &c. *Quamobrem meritò immutata ſunt res meæ ob eo, qui immutat naturam; & per quam captiuitati ſubiiciebam, in captiuitatem redactus ſum; per quam vincebam, ſuccubui.* Expende illa, *ob eo qui immutat naturam*; non potuit non agnoſcere manum Dei operantis ſupra naturam, eo ipſo quòd ad tantum hominis bonum, & dæmonis perditionem vidit eligi fœminam.

§. XXIX.

Ab vndis Baptiſmi fœlix auſpicium humanæ vitæ.

AVſpicatum locum quærentes Ionatha, & Achimaas. *Stabant iuxta fontem Rogel*, nec mirum, in fonte enim Baptiſmi Chriſtiani eſt totum humanæ vitæ auſpicium, Tertull. Quò ſpectans Tertullian. lib. de Baptiſm. ſic incipit: *Fælix ſacramentum aquæ noſtræ.* Quotquot enim fœlicitates naſcentis hominis quæruntur ex cæleſtibus ſignis, ſapientiùs quæres ex aquis ſacri Baptiſmatis. Hunc attende fontem, & nihil non fœlix præſagies homini inde renaturo. Ibi tota fœlicis ortus geneſis inuenitur. De quo non negabo Zeno. pulchra à D. Zenone dicta lib. 3. ſerm. 32. ad Neophitos poſt ſuſceptum Baptiſmum. Ait enim: *Fortaſſis requiratis à nobis, quæ geniturà quoue ſigno tam diuerſos, tam plures tã diſpares vnu vno partu veſtra vos peperit mater fons Baptiſmi. Sicut paruulis morẽ gerã, ſacraque horoſcopi pandam eorum breuiore ſecreta. Igitur fratres, Geneſis ſolis eſt veſtra. Primus, vos, qui in ſe credentem reprobat nullum, non Aries, ſed Agnus excepit, qui veſtram nuditatem velleris ſui niueo candore veſtiuit. Idem non tumidus ceruice, non minax cornu Taurus, ſed optimus, dulcis, blandus vos admonet vitulus, vt nulla vllo in opere captantes auguria, eius ſine moleſtia ſuccedentes iugo, terramque veſtræ carnis domando, lætam diuinorum ſeminum meſſem cæleſtibus horreis inferatis. Et admonet proſequentibus Geminis, id eſt, duobus teſtamentis, vt principaliter idololatriam, impudicitiam, auaritiamque fugiatis, quæ eſt incurabilis cancer. Leo autem noſter ſicut Geneſis proteſtatur, leonis eſt catulus, cuius iſta pia ſacramenta celebramus, qui ad hoc recubans obdormiuit, vt vinceret mortem; ad hoc euigilauit, vt beatæ reſurrectionis ſuæ in nos munus immortalitatis conferret. Quem ſequitur Virgo prænuntians libram, vt noſceremus Dei per filium, qui proceſſit ex virgine, æquitatem iuſtitiamque terris illatam, quam qui conſtanter tenuerit, non dicam Scorpionem, ſed omnes omnino ſerpentes illæſa planta calcabit. Sed neque ipſum diabolum, qui verus eſt ſagittarius, formidabit vnquam. Is enim infœlicibus nonnunquam immittit Capricornum vultu deformem, qui alios amentes, alios furioſos, alios homicidas, alios adulteros, alios auaritia efficit cæcos. Sed has omnes noxas ſalutari profluens amne noſter Aquarius delere conſueuit. Quem neceſſariò, vnà duo ſequuntur piſces in ſigno, id eſt, duo ex Iudæis, & gentibus populi, baptiſmatis aqua viuentes, in vnum populum Chriſti vno ſigno ſignati.* Sic ibi tota hominum Geneſis, quæ de ſtellis, cœleſtibuſque ſignis quæritur ab hominibus, a Diuo Zenone ponitur in baptiſmi aquis.

§. XXX.

Quæ vni aliquando Deus dedit, eadem alijs ſimilibus ſolet præſtare.

PRofecti à fonte Rogel Dauidis nuncij vbi perſecutores timuerunt, in puteo ſeſe abdunt. Dicit enim: *Illi verò concito gradu ingreſſi ſunt domum cuiuſdam viri in Bathurim, qui habebat puteum in veſtibulo ſuo, & deſcenderunt in eum.* A fonte profecti in puteum deſcendunt, vt ibi abſconditi perſecutores euadant. Et cur magis eligunt & fontes, & puteum vt ibi abſconditi à perſecutoribus liberentur? Nouerant quondam Iſraelitas à perſequentibus Ægyptiis deſcendentes in mare liberatos. Et ſic ipſi Iſraelitæ veri ad aquas deſcẽdere amant, inibi à Deo eamdẽ liberationem ſpectantes, vt qui ſoleat, quæ alicui dedit, Habacuc 3. eadem ſimilibus præſtare. Quò ſpectans Abacuc cap. 3. dum liberationem per Ieſum factam vltimis temporibus memorat, ait: *Viam feciſti in mari equis tuis.* quæ verba tam videntur notare liberationem in Moyſe, & liberationem in Ieſu factam, in vtroque enim facta eſt liberatio per aquam, illic per aquam maris, hic per Baptiſmi aquas. Et cur in liberatione per Ieſum neceſſum fuit meminiſſe eam, quæ fuerat per Moyſem facta? Ex quo Iſraelitæ deſcendentes in mare à perſequentibus Ægyptiis liberati ſunt, iam Deus meditabatur, vt veri Iſraelitæ, nimirum populi Chriſtiani, ſimiliter in aquas deſcendentes erant a ſuis perſecutoribus liberandi. Quæ namque Deus vni dedit, neſcit aliis ſimilibus negare. Matthæi cap. 26. ait: Matth. 26. *Cœnantibus autem eis accepit Ieſus panem; & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis*, &c. Cœnauerunt diſcipuli; ſed ſummus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech Ieſus meus protulit panem, & vinum, & illis porrexit propriis ſuis manibus. Et cur viuificum panem, & vinum maluit illis porrigere? Vbi illos vidit in ſacrificando agno ſimillimos Abrahæ, non diſtulit illis offerre, quòd olim in Melchiſedecho, Abrahæ obtulerat. Ait D. Cy- Cyprian. prian. orat. de cœna Dom. *Cœna itaque diſpoſita inter ſacramentales epulas obuiarunt ſibi inſtituta antiqua, & noua, & conſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum magiſter apponit diſcipulis. Significata olim à tempore Melchiſedech prodeunt ſacramenta, & filijs Abrahæ facientibus opera eius ſummus Sacerdos panem profert, & vinum.* Vt illi Abrahæ opera faciebant, ſic eis, quod factum cum Abrahamo fuerat, præſtatur à Sacerdote ſummo Ieſu: quaſi neſciat Deus negare ſimilibus, quod dedit alicui. Dicebat Ieſus ad perſecutores ſuos. Ioan. cap. 18. *Sinite hos abire, vt impleretur ſermo, quem dixit: quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Sic tunc iubebat Ioan. 18. perſecutoribus, ne viam Apoſtolorum impedirent. Quæ cura ſolùm pro tunc data fuit Apoſtolis? Auſit, imò & modò etiam datur ſimilibus. Vt dicat D. Cyrill. Alex. Cyril. Alex. lib. 11. in Ioan. cap. 34. *Iuſſit autem diſcipulos abire, vt impleretur, inquit, ſermo, quem dixit: quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam, quod etiam de poſterioribus intelligitur. Nam quod in paucis factum eſt, quomodo in pluribus negligetur? Et qui tam paucorum in tali tempore curam habuit, quomodo innumerabiles fideles non proteget? Putandum igitur eſt imaginem omnium illos tenuiſſe.* Sic Deus ſolet præſtare pluribus ſimilibus quod aliquando dedit vnius virtuti. Vt meritò in re ſimili ab eo ſpectare poſſis, quod noueris datum alicui.

§. XXXI.

Maria cibum protulit, quo nos à morte protegeret.

DEſcenderunt illi in puteum, ibi abſcondendi, & os putei opertum eſt; dicit enim: *Tulit autem mulier, & expandit velamen ſuper os putei, quaſi ſiccans ptiſanas.* In Gloſſæ margine explicatiùs legitur, *expandit ſuper illud frumentum conſuſa.* Vt abſconditi viuerent, vt ab eis mortis arceret periculum mulier ſapiens operuit latibulum velamine, in quo erant frumenti grana confuſa. Ne quis iam dubitet quantum debeat ſapientiſſimæ illi mulieri Mariæ; hæc enim frumentum illud nobis protulit, ſub cuius paſtu ſæpe ab inſequente morte euadimus liberi. Vbi Paradiſi frugiferas arbores commemorat textus Geneſ. 2. ait: *Lignum* Geneſ. 2. *etiam vitæ in medio paradiſi.* Multæ ibi arbores fructiferæ, ſed inter omnes medium erat lignum, media arbor erat, cuius fructus mortem arcebat, ne humanum genus contingeret. Rem transfert D. Amedæus ad myſticum Eccleſiæ paradiſum, in quo quot iuſti, tot arbores & floribus decoræ, & fructibus diuites. Sed inter omnes Maria lignum vitæ, arbor adeò fœcũda, quæ ſola proferat fructum illum, qui à nobis mortem arcet. Ait enim homil. 1. de fructibus, & floribus Mariæ. *Inter hos, & horum medio conſurgit arbor* Amedæus. *Maria, quam diximus, ſalutifero generans cibum vitæ, & manna cæleſte. Manna habens omne delectamentum, & omnem ſuauitatem, ad quod, ſi primus Adam attingeret, mortem non guſtaret in æternum. Hunc panem ſe eſſe perhibet filius hominis in Euangelio, dicens: Ego ſum panis viuus,* &c. Proh humani generis fœlicitatem! Habes homo arborem, habes mulierẽ, habes Mariã, quæ tibi generat, & apponit cibum vitæ,

manna cœleſte, panem illum ſuauiſſimum, qui inſequenti morti nos eripit. Quam miſer eris, ſi ab hoc te alienas cibo. *Iſai. 33.* Iſaias cap. 33. *Angeli pacis amarè flebant.* Flentes Angelos nobis proponit, quibus ſcio innatam eſſe lætitiam. Et quando gaudiorum, lætitiarumve cauſis Angeli immerſi ſunt, quis eos poteſt trahere in lachrymas, trahere in luctum? Homo ille, qui ſe viuifico cibo alienat, quem dedit nobis Maria, adeò miſer eſt, vt vel Angelos ad fletum adducat. *Machae.* Ait D. Machar. homil. 2. *Quemadmodum in infirmis, ſi corpus vltrà cibum ſumere nequeat, deſperant de ipſis, ac deflent omnes amici veri, cognati, atque dilecti: ita luget Deus, & Angeli ſancti animas illas, quæ non veſcuntur cœleſti, ſpiritualique cibo.* Magna miſeria eſt, & digna Angelorum lachrymis, quòd homo ſe arceat a pane illo, ſine quo deplorata eſt humana vita.

§. XXXII.

Virentia carnis in nobis deſiccanda ſunt priùs, vt inde pergamus in vitam.

ABſconditos in puteo mulier operit velamine, in quo erant ptiſanæ ſiccandæ, dicente textu: *Expandit velamen ſuper os putei, quaſi ſiccans ptiſanas.* Sunt ptiſanæ frumenti grana contuſa, quæ radiis Solis ſiccantur, vt ex illis cibi fiant. Itaque abſconditis illis apponitur velamen habens ptiſanas ſiccandas, vt noſcant, quàm debeant ipſi in primis in ſe deſiccare carnis virentia, ſi ament progredi in veram ſalutem. *Luc. 24.* Luc. 24. apparens Ieſus diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem petit ab eis cibum: *At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Et cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis.* Ecce tibi in dominica menſa poſt reſurrectionem apponitur aſſus piſcis, & fauum mellis. Sed in primis ponitur aſſus piſcis. Et cur in primis aſſus piſcis? Vt piſcis aſſus totus igne deſiccatus eſt, ſic monet comedentes, vt in ſe virentia quæque carnis deſiccent in primis, ſi amant in reſurrectionem vitæ tranſire. *Rupert.* Ait Rupert. lib. 4. in Cant. *Comedit coram eis non priùs fauum mellis & deinde partem piſcis aſſi, ſed priùs partem piſcis aſſi, & deinde fauum mellis, & ſumens reliquias dedit eis. Hoc ſigno edocens, quòd & ipſe exemplo Ieſu priùs paſſionibus, atque preſſuris deſiccandi, et deinde fauo conſurgendi cum Ieſu forent ſatiandi.* Priùs ſiccitas luxuriantium paſſionum introducenda, vt poſtmodum ad vitam eatur. Huc ſpectabat *Pſalm. 44.* illud Pſalm. 44. *Myrrha, & guttæ, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis.* Myrrha in primis ponitur, vt quæ ad exſiccandas, & mortificandas carnis viriditates maximè conducat, ex quo procedet homo ad conſequendas cæteras virtutes, quæ illi afferant vitam. *Guerric.* Ait Guerricus ſerm. 1. in Annuntiatione Mar. *Myrrha, inquit, & gutta, & caſſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis. Inhabitamus quidem domos luteas, ſed quæ materia qualitate ſunt luteæ, continentiæ virtute fiunt eburneæ, ex quibus ſi myrrha prima ſpirare cœperit per mortificationem voluptatum, conſequenter, & aliæ ſpecies aromaticæ, quæ multiformem virtutum gratiam ſpirabunt.* Huc attende homo, etſi amas in vitales virtutes proficere, age in primis, vt exſiccentur in te, & mortificentur carnales appetitus.

§. XXXIII.

Sub Maria fames nulla.

ABſconditi ergo, à fœmina proteguntur velamine frumenti pleno, vt innuit illa litera, dicens: *Expandit ſuper illud frumenta contuſa.* Vt inde pateat, quàm nequeant fameſcere, qui ſub vmbris Mariæ proteguntur, apud quam nulla fames eſt, ſed maxima cœleſtium ciborum abundantia. *Iſai. 65.* Iſaiæ cap. 65. dicebat Dominus: *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis.* Sed Domine mi, vnde ſerui tui comedent? Vnde habebunt tot ſerui tui panes? Memini te ſolicitum de quærendis panibus pro tuorum ſatietate Ioan. 6. vbi dicebas: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Vnde ergo habebunt tot ſerui tui panes? Abrahamus volens tres peregrinos cibare *Geneſ. 18.* Geneſ. 18. dicebat Saræ ſponſæ ſuæ, *Commiſce tria ſata farinæ,* &c. An tu Domine habes ſponſam cui committas, vt paret panes ſeruis tuis? Equidem & Deus habet Mariam, cuius eſt fameſcentibus occurrere, eoſque cœleſtibus implere cibis. Vt de illa dicat Richard. à ſancto Laurentio lib. 2. particula 2. *Richard.* *Sicut arbor fœcunda neſciens ſterilis permanere, vniuerſis & ſingulis ramis ſuis, & frondibus, poſſidentibus ſe reddit fructum; ſic Maria toti mundo, & maximè ſeruis, & ſpecialibus ſuis, vniuerſis, & ſingulis membris ſuis tulit, & reddidit fructum vitæ. Et per gratiarum fluenta, quæ iugiter haurit de fontibus Saluatoris, & amicis ſuis refundere nunquam ceſſet; referunt & ipſi fructum, cuius fructu deſiderium ipſorum ſatiabitur in æternum. Et propter hoc videtur ipſa quaſi comminari cum filio Iſaiæ c. 65. his, qui ſibi ſeruire negligunt in præſenti: Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis,* &c. Habent hoc Mariæ ſerui, quòd abundent cibis vitæ, quòd famem neſciant, ſed ſemper cœleſtibus epulis aſſideant. Adeòque diligens eſt Maria in ſatiandis ſeruis ſuis, vt pro dando pane ſuperſubſtantiali, qui nos à fame æterna liberet, nec parcat proprio filio. Nota eſt contentio duarum fœminarum apud Regem Iſrael, de qua ait 4. Reg. 6. *4. Reg. 6.* *Quæ exclamauit: Mulier iſta dixit mihi: Da filium tuum, vt comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus.* Conuenerat inter duas fœminas, quòd comederent filios, ne ipſæ fame perirent. Quarum altera diligentiſſimè ſtatim obtulit comedendum ſuum filium. Quis hoc de matre crederet? Id tamen factum ſanctiſſimè à Maria perfectum video, quæ vt famem expelleret, comedendum obtulit proprium filium. De quo ait Richard. à ſancto Laurent. lib. 4. de laud. Mariæ: *Ipſum natum noluit ſibi quaſi proprium retinere, ſed quem ſciebat natum pro ſalute mundi communiter pannis inuolutum, velut panem in mappa, reclinauit in præſepio, quaſi diceret boui, & aſino: Ecce pabulum veſtrum; fœnum ſcilicet carnis filii mei. Vade & deſignatur per illam mulierem, quæ dedit filium ad comedendum,* 4. Regum 6. Ecce habemus in Maria matrem familias adeò piam in ſeruos, vt pro illis ſatiandis non parcat filio.

§. XXXIV.

Fœlix, qui extra Deum in nullo immoratur ſiue bono, ſiue malo.

NVllum verbum magis auſpicatum hominibus inuenit fœmina pro liberandis abſconditis viris, quàm illud quod dixit. Ait enim textus: *Cumque veniſſent ſerui Abſalon in domum ad mulierem, dixerunt: Vbi eſt Achimaas, & Ionathas? Et reſpondit eis mulier: Tranſierunt feſtinanter, guſtata paululum aqua.* Non ſedentes, aut decumbentes biberunt, ſed feſtinanter, & tranſeunter dicuntur guſtaſſe, ſeu prælibaſſe aquam. Et quid homini ſalutarius? Crede mihi homo, ille ſaluti eſt, ille illudit aduerſarios, & in vità abit, qui extra Deū nullibi ſcit immorari, ſed in omnibus ſe tranſitoriè gerit ſe. Fortunatiſſimas proponens naues Pſalm. 103. aiebat: *Illic naues pertranſibunt.* *Pſalm. 103.* Proh fœlices naues, quæ dum huius mundi mare tranant, in nullo morantur, nihil non tranſeunter, feſtinanterque ſumunt. Vt dicat D. Baſil. in cap. 2. Iſaiæ: *Baſil.* *Quæ mare permeant naues, nec item moram trahunt in eo, neque immerguntur vndarum æſtu, vtique commendabiles ſunt; & qui in carne quidem degunt, non etiam militantes ſecundum carnem, calcantes æſtuoſos huius vitæ fluctus, & vndis ipſis ſuperiores effecti.* Naues ſunt commendabiles, quæ non immerguntur vndis, nec moram in mari trahunt; & ſimiliter commendabiles ſunt homines, & ad fœlicitatem pertinent, qui non ſe immergunt mundialibus vndis, ſed vix extremis digitis fluctus humanæ vitæ calcant, illis ſuperiores effecti. In vno Deo felices norunt immorari, ad alia omnia tranſeunter, feſtinanterve accedunt, ſiue bona ſint, ſiue mala. Ioan. 13. *Ioan. 13.* *Sciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad patrem,* &c. *Surgit à cœna, ponit veſtimenta ſua, cœpit lauare pedes diſcipulorum ſuorum.* Expende illud, *vt tranſeat ex hoc mundo;* quippe de morte iam imminente loquens ad eam dicit Ieſum acceſſurum, tanquam ad tranſitum; ſumet igitur Ieſus concupitum illum calicem paſſionis non decumbens, ſed tranſitoriè. Infelices, & deplorati peccatores, nihil mundiale tranſitoriè ſumunt, ſed vel voluptuoſis bonis ſe penitus immergunt, vt inde exire nollent;

lenta vel malis, & morti ita ſe totos pet impatieotiam, & ſceleratam coníciencientiam tradunt, vt illa ſibi ætetoa faciant. Ieſus autem, eiuſque æmuli ſiue mundi bona, ſiue mala tranſeunter ſuſpiciunt, in bonis, dum illis non immorantur, in malis, dum illa pto Deo & virtute ſuſcipiunt, tranſitoriè agunt. Vtinam hanc omnes doctrinam à Ieſu acciperent, & virtutum operibus diſcerent mala tranſitotia facere.
Ioan. 19. Ioan. 19. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius*, &c. Et cur mater magis non abſuit à
Rich. Laur. tam ſuneſto filij cooſpectu? Ait Richard. à ſancto Laurent. lib. 4. de laud. Mariæ: *Ad hoc fortè venit ad crucem, vt filium videret mortem tranſitoriè guſtatorum, qui de torrente in via bibit, ſed in æternum victurum.* Equidem bona Ieſu diſcipula diſcere cupiebat videns Ieſum moricotem, vt mors tranſitoriè guſtabatur, vt de rottente paſſionum oonifi in via, & tranſeunter bibebatur. Ieſus eſt, qui docuit, vt vel bona, vel ala huius mundi in ſolo tranſitu, & feſtinanter guſtanda ſicut ab iis, qui amant in vitam æternari.

§. XXXV.

Vel de abyſſi profundo per Mariam exibimus

NOtanda maximè ſuot verba illa, nimirum: *Cùm veniſſent ſerui Abſalon in domum ad mulierem, dixerunt: Vbi eſt Achimaas, & Ionatha? Et reſpondit ei mulier: Tranſierunt feſtinanter guſtato paululum aquâ. At hi, qui quærebant, cùm non repeiiſſent, reuerſi ſunt in Hieruſalem. Cùmque abyſſent, aſcenderunt illi de puteo, & pergentes nuntiauerunt Regi Dauid*, &c. Itaque mulier abſcondit viros, mulier deluſit perſecutores eorum, quibus per mulierem deluſis, datur locus Dauidis nuntiis, vt exirent de puteo, & pergereot ad Dauidem. Et ſic de mulieris beneficio à profundo putei illi ſecuri egrediuntur; in quo noſtram fœlicitatem admiror, qui habemus mulierem, nempe Mariam, per quam valeamus vel à profundo abyſſi exire. De hac forti
Prou. 31. muliere dicebatur Prouerbior. 31. *Confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit.* Quaſi per Mariam factum ſit, quòd ſponſus eius Ieſus non indigeat ſpoliis, ſed potiùs ſpoliis abundet. Nec mitor, per Mariam enim ſpoliauit Ieſus in-
Rich. Laur. fimum lacum abyſſi. Vt dicat Richard. à ſanct. Laurentio lib. 4. de laud. Mariæ: *In Maria conſtantia confidentiam potuit habere Chriſtus, qui tunc ad detentos in limbo deſcendens non ſine ſpolijs rediit, eos educens de lacu.* Planè à Maria ſibi adſtante; iuxta crucem deſcendit Ieſus vſque ad inferni profunda, vbi ditatus eſt ſpoliis Sanctorum, quos eduxit è lacu. Et quis non educatur à profundiſſima abyſſo, vbi
Cant. 5. aſpirauerit Mariæ fauor? Similiter dicebat ipſe Cant. 5. *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus.* Eo quòd in hortum deſcenderit, habuit & hoc, quòd meſſuerit myrrham, hoc eſt, eo quòd ad Mariam venerit, habuit quòd Sanctos in limbo longa ex-
Rupert. pectatione macetatos eduxerit. Vt dicat Rupert. lib. 4. in Cant. *Deſcendendo quippe in vterum tuum, ô mater, & aſſumendo carnem, vt verus homo naſcerer, qui eram verus Deus, veni in hortum meum: moriẽdo, atque in infernum deſcendendo reuerſurus cum omnibus Sanctis, & electis meis, meſſoi myrrham meam*, &c. Itaque virgineus Mariæ hortus dedit Ieſu, quo Sancti ab inferni profundo educerentur, & in vitam irent. De nullo enim profundo non eripitor homo,
3. *Reg.* 10. vbi pro eo apparent Mariæ manus. Dicit 3. Regum 10. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem*, &c. *Et duæ*
Rich. Laur. *manus hinc, inde.* Quod miratus Richard. à ſancto Laurent. lib. 10. de laud. Mar. ait: *In throno iſto, id eſt, in Maria, ſunt, quaſi duæ manus, vna qua iuſtos continet, ne corruant in profundum, alia, qua peccatores erigit ad gratiam.* Ne deſperes peccator, in quolibet vitiorum profuodo iaceas, ex quo eoim manus apparuerunt Mariæ, iam peccatores habent, vnde in ſpem vitæ erigantur. Quondam dicitur de
Geneſ. 19. Deo Geneſ. 19. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cælo.* Erant Sodomitæ maximi peccatores, qui ſceleribus ſuis tantum excidium ſolicitarunt. Sed & nunc longè maiores peccatores inueniuntur, & ciuitates, & prouinciæ, & regna hæreticis ſcatent, Sodomitis plena ſunt, & Atheis. Cur ſimiliter ignem è cœlo non trahunt, quo in cineres euaneant? Noto cauſam in verbis illis textus, nimirum: *Pluit Dominus à Domino*; audio Dominum & Dominum illi ſupplicio interfuiſſe, ſed non audio tunc adfuiſſe dominam. Vbi autem non apparebat domina mea Maria, non mirer, quòd peccatores pereant ſub Deo irato. Nunc autem, quia Maria adeſt, etſi ſceleratiores ſunt homines, tamen per Mariam euadunt. Ait Richard. à S. Laur. lib. 6. de laud. Mar. Rich. Laur.
Maria in tantum emolliuit Dominum, & adhuc emollit meritis, & precibus ſuis, vt nunc maiora peccata patienter toleret, qui quondam minora duriſſimè vindicauit. Conſtat enim, quòd multò grauiùs peccant moderni Sodomitæ, vel luxurioſi, quàm peccarunt antiqui, qui atrociter ſunt puniti: necdum enim nata erat beata Virgo, necdum Verbum caro factum eſt. Vbi Maria non aderat, etiam minora peccata atrociter caſtigabantur, vbi autem Mariæ fauor applaudit, etiam ſi in profuodiores vitiorum ſoueas cadant homines, tameo per Mariam habent, qui temporaliter liberentur, & poſſint in æternum liberari.

§. XXXVI.

Maria nobis liberum ad Deum facit acceſſum.

ADhuc ait textus de abſconditis illis, qui mulieris beneficio protecti ſunt, & à puteo eruti. *Et pergentes nuntiauerunt Regi Dauid*, &c. Eò vſque durauit mulieris beneficium, nimirum vt expeditè, & ſecurè poſſint ad Dauidem venire. In quo non poſſum non meminiſſe, quod oos habemus beneficium ex Maria, cuius fauoris eſt, quòd ad Deum habeamus acceſſum & liberum, & expeditum. Dicebat Ioan. 19. de Ieſu: *Et baiulans ſibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum. Hebraicè Golgotha, vbi crucifixerunt eum.* Ioan. 19
Cruciſixus eſt itaque Ieſus in Caluariæ monte, & ea forma crucifixus, iuxta communem Patrum ſententiam, nimirum, quòd facies Occidẽtem reſpiceret, à dextris autem Aquilonem haberet, à ſiniſtris autem Meridiem. Inter Aquilonem ergo, & dexteram Ieſu erat Maria, dicente textu Ioan. 19. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius*, &c. Ibidem.
Et cur Maria inter Aquilonem, & Ieſu dexteram media ſtabat? Vt enim ab Aquilone iuxta Prophetam omne malum panditur, ſic Maria Aquiloni ſeſe oppoſuit, vt per illam malis omnibus fugatis liber, & expeditus acceſſus ad Ieſu dexteram permaneret. Pulchrè ait Richard. à ſancto Laurent. lib. 4. de laud. Mar. *Ad hoc autem ſe interpoſuit cruci, & Aquiloni, ne diabolus ſignatus per Aquilonem poſſet eos impedire, qui venire vellent per fidem ad brachia Saluatoris extenſa. Sicut fecit latro dexter, & ſicut feciſſe videtur Centurio ille, & qui cum eo erant, qui videntes ea, quæ fiebant, dixerunt: Verè filius Dei erat iſte.* Matth. 27. Rich. Laur.
Adeſt Maria à Ieſu dextris, vt malos incurſus abigat, ſecurum oſtendat acceſſum, quò peruenire ad Ieſu brachia valemus: vt latro, & Centurio peruenerunt.

2. *Regum* 17. Surrexit ergo Dauid, & omnis populus, qui cum eo erat, & tranſierunt Iordanem, donec diluceſceret, & ne vnus quidem reſiduus fuit, qui non tranſiret fluuium. Porrò Achitophel videns, quòd non fuerit factum conſilium ſuum, ſtrauit aſinum ſuum, ſurrexitque, & abiit in domum ſuam, & in ciuitatem ſuam, & diſpoſita domo ſua, ſuſpendio interiit, *&c.*

§. XXXVII.

Ab inimicis maximè protegimur per Baptiſmum.

AVdito Achitophelis conſilio, de perſequẽdo Dauide, nocte illa; hoc vnum facit Dauid, in defenſiooem ſuam, nimirum tranſire Iordanem. *Surrexit*, inquit, *ergo Dauid, & omnis populus, qui cum eo erat, & tranſierunt Iordanem*, &c. Quantula hæc protectio, & munitio aduerſùs inſequentes validiſſimos hoſtes? Nonne & ipſi æquè facilè Iordanem tranſirent? Cur ooo munitiora alia man-

Digitized by Google

ſtat Dauid, vt nimirum excubiæ fierent, acies in ordine conſiſterent, vt ordo ipſe militaris, & turmarum figura victoriam promitteret? Cur nihil de his militaribus munimentis curans totus in eo eſt, quòd omnes ſui Iordanem traiiciant? Ibi iam ſpectabatur chriſtianus Baptiſmus, cuius aquæ tantæ virtutis ſunt, vt à nobis arceant inſequentium hoſtium validiſſimas turbas. Scio Iſraelitarum hiſtoriam, vt eos inſequebatur exercitus Ægyptiorum, ipſi autem ingreſſi mare rubrum pergebant tutiſſimi. Ait
Exod. 14. Exod. 14. *Filij autem Iſraël perrexerant per medium ſicci maris, aquæ eis erant quaſi pro muro, à dextris, & à ſiniſtris. Liberauitque Dominus in die illa Iſraël de manu Ægyptiorum; & viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus.* Itaque aquæ erant Iſraeli pro muro aduersùs hoſtes. Et cur in ſolis aquis voluit Deus murum ponere, qui protegeret ſuos, & hoſtes abigeret? Repræſentabatur ibi virtus chriſtiani Baptiſmi, quo maximè protegimur aduersùs inimicorum inſultus.
Cyril. Alex. Ait D. Cyril. Alex. lib. 6. in Ioan. cap. 15. *Populus Iſraël duce Moyſe mare rubrum ſicco pede pertranſijt, ſubmerſis ibidem Ægyptijs: quod per baptiſmi ſuſceptionem, totam diabolicæ prauitatis cohortem à nobis dimoueri, & expelli inſinuat.* Qui ſacris fontis vndis abluuntur, eos ſibi acquirunt muros, qui diabolicas cohortes repellant, & appropinquare ſibi ferè non ſinant. Nec miror, ex tunc enim validiſſimus noſter dux Ieſus ſuis adeſt vt amet ſemper eſſe cum illis. Cùm pergerent ad mare Iſraelitæ, videbant poſt ſe exer-
Exod. 14. citum Ægyptiorum. Quid tunc? Ait Exod. 14. *Tollenſque ſe Angelus Domini, qui præcedebat caſtra Iſraël, abijt poſt eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens poſt tergum ſtetit.* Ecce tibi, vbi per mare procedebant Iſraelitæ, & Angelus Domini, & columna nubis poſt tergum illorum ibat protegens eos ab hoſtibus. Et qui Angelus, aut quæ columna, niſi Dominus Ieſus, qui poſt baptiſmum pro columna eſt, & pro muro baptizatis, vt fortiter reſiſtant
Rupert. inimicis? Ex quo ait Rupert. lib. 2. in Exod. cap. 35. *Vbi ad baptiſmum acceſſimus, ipſe Ieſus per paſſionis eiuſdem ſacramentum poſt nos ſtare cœpit, noſque intra gratiæ ſuæ muros includens, peccata noſtra à nobis excluſit, vt tota nocte, id eſt, tota vita præſenti nos conſequi, vel ad nos accedere non poſſint.* Sunt in aquis Baptiſmi muri prorſus inexpugnabiles hoſtibus, & inacceſſibiles, niſi nos eos admittere velimus.

§. XXXVIII.

Exundantibus triſtitiæ fluctibus, maximus quiſque poteſt penitus abſorberi.

ILlud mirandum, quod ait: *Achitophel videns, quòd non fuerit factum conſilium ſuum, &c. ſuſpendio interijt.* Et qui affectus hominem prudentiſſimum in tam immane faci-
Carthuſ. nus impulit, vt ſe ſuſpenderet? Ait Carthuſ. ibi: *Ex triſtitia, quia conſiderauit certiſſimè Regem Dauid eſſe ſuperuenturum, in tantum attædiatus eſt, quòd occidit ſe ipſum.* Ex repulſa conſilij ſui, & præcognito Dauidis triumpho exundare cœperunt in eius corde fluctus triſtitiæ, quibus deductus eſt ad extremam ruinam. Caue tibi homo, ne ſuperabundet in te affectus triſtitiæ, adeò enim vehemens
Ezech. 23. eſt, vt vel maximum quemquam perdat funditus. Ezech. cap. 23. dicebat populo ſuo: *Ebrietate, & dolore repleberis, calice mœroris, & triſtitiæ.* Septuag. aiunt ibi: *Calice mœroris, & perditionis.* In Hebræo autem ponitur: *Calice ſolitudinis, & vaſtationis.* Nec miror, quòd eodem vocabulo intelligatur & triſtitia, & vaſtatio, & perditio, vbi enim triſtitiæ fluctus exundant, quaſi aſſuta eſt extrema, & vltima per-
1. Machab. 6. ditio. De ſceleſtiſſimo illo Antiocho locutus 1. Machab. 6. ait. *Vt audiuit Rex ſermones iſtos, expauit, & commotus eſt valde, & incidit in languorem præ triſtitia, quia non ſactum eſt ei, ſicut cogitauit. Et erat illic per dies multos, quia renouata eſt in eo triſtitia magna, &c. Et vocauit omnes amicos ſuos, & dixit illis, &c. Ecce pereo triſtitia magna in terra aliena, &c. Et mortuus eſt.* Sic potentiſſimus tyrannus nulli alij hoſti, aut carnifici traditus eſt, niſi vni triſtitiæ, & ab hac in vltimum excidium redactus eſt. Quod prænoſcens Paulus videns voluptuoſum hominem de ſuis pec-
2. Corinth. 2. catis contriſtatum, metuens, illi à triſtitia ait 2. Corinth. 2. *Sufficit illi qui eiuſmodi eſt obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus, ita vt è contrario magis donetis, & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt.* Non dubitabat Paulus poſſe hominem abſorberi, & funditus perdi, ſi in eo triſtitia creſceret, & ſuperabundaret, quod videbat à diabolo procurari. Vt dicat Orig. hom. 35. in Matth. Origen.
Poſtquam ſuſcepit huiuſmodi triſtitiam, appoſuit iterum ſe ei diabolus, volens ipſam triſtitiam eius ſupra modum exaggerare, vt iam non eſſet ſecundùm Deum, ſed abundantior facta abſorberet triſtantem ſupra menſuram, & vltra quàm triſtari deberet, & ſic eum abſorberet Satanas in abundantiori triſtitia. Quod præcognoſcens Apoſtolus conſilium Corinthijs dat, vt confirment charitatem in eum: Vt ne inquit, abundantiori triſtitia abſorbeatur. Sapienter cauit Paulus ne in contriſtato homine propter peccatum ſuperabundaret triſtitia; huius enim ſuperabundantes fluctus maxima quæque vaſa abſorbere valent. Dicebat Matth. cap. 27. de proditore Ieſu: Matth. 27.
Videns autem Iudas, qui tradidit eum, quòd damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus, & ſacerdotibus, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum, &c. Et abiens laqueo ſe ſuſpendit. Doluit miſer de facinore ſuo, & triſtatus eſt; & cur ab hac triſtitia de peccatis non magis perductus fuit ad vitam, quàm ad laqueum? Ait Orig. Origen.
ſuprà: *Neque ſapienter triſtatus eſt, ſed ſuſcepit abundantiorem triſtitiam à diabolo ſibi ſummiſſam, qui voluit eum abſorbere in abundantiori triſtitia, ideo abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Sic triſtitia ſuperabundans homines in perditionem rapit.

§. XXXIX.

Mundialis ſapientia honoris imminutionem credit eſſe intolerabilem calamitatem; non ſic cæleſtis.

EXpende, à quo malo in extremum exitium coniectus eſt Achitophel, nimirum ait: *Videns, quòd non fuerit factum conſilium ſuum, &c. ſuſpendio interijt.* Tolerabilius duxit ſuſpendium, quàm conſilium ſuum in vltimis videre. Sic ſapientia mundialis intolerabilem rem putat, decidere à primis in quibus ambulauerat. De Iſraelitarum magiſtro Nicodemo dixit Ioan. cap. 3. *Hic venit nocte ad Ie-* Ioan. 3.
ſum. Et cur nocte venit? In Ieſu ſequendo putabat honoris principatus ſui non eſſe minimam minutionem, quam maximè refugiebat vt non paruam calamitatem. Vt meritò dicat D. Cyrill. Alexand. lib. 2. in Ioannem cap. 38. Cyril. Alex.
Propenſus ad fidem Nicodemus fuiſſe videtur, ſed pudore improbo victus, & gloria hominis ſuperatus palàm accedere nō audet. Conſcientia quidem ſtimulis ſuis miraculorum magnitudine ad fidem eum pellebat; principatus autem gentis ſuæ, (princeps enim Iudæorum erat) ne palàm Chriſto adhæreret, facilè illi perſuadebat; qui principatus detrimentum, calamitatem non paruam exiſtimabat. Tota huius doctoris ſapientia abſorbebatur, ſuperabatur à metu gloriæ, honoriſve diminuendi, tanquam à non parua, ſed maxima calamitate. Intolerabile enim putant ſapientes mundiales principatus, ſeu honoris aliquod detrimentum pati. Non ſic cœleſtis ſapientia, quæ ſiue abundantiam, ſiue penuriam pati nouit æquali animo. Aiebat Pſalm. 18. *Dies diei eructat ver-* Pſalm. 18.
bum, & nox nocti indicat ſcientiam. Ecce tibi & dies, & noctes dicuntur docere homines veram ſapientiam, & cœleſtem ſcientiam. Et in quo docent nos dies, ac noctes veram ſapientiam? In eo, quòd vel accretionem honoris, aut dominij, vel diminutionem æquè ferant. Incipiunt enim dies creſcere, & adeò dominij ſui terminos dilatant, vt in maximas anguſtias coarctentur noctes. Et quando in tota plenitudine ſua exultant dies; ecce tibi vt noctes illos mordere incipiunt, donec reducant eos ad tantam diminutionem, vt penè totum tempus nox videatur. Interea tamen nec noctes, nec dies gemitum edunt, aut vices ſuas lamentantur. De quibus meritò ait Theodoret. Theodor.
ſer. 1. de Prouid. *Et ſanè diem, & noctem veluti ſorores quaſdam videre eſt, quæ temporis ſpatia ad hominum vſus inuicem mutauntur ſimul, & beneuolè reddunt.* Beneuolè ferunt dies à noctibus minui, & curtari, & etiam noctes ſimiliter beneuolè patiuntur à diebus circinari, quod maximè ad ſapientiam docendam facit. Quæ enim à Deo venit, & à cœlo eſt ſapientia, vnum ſpectat, vt ſeruiant veritati, nec æſtimat, quòd hoc fiat per penuriam, ſiue per abundantiam. Dixerat Ieſus Naue cap. 10. *Sol ne mo-*

ueruis contra Gobaon, & Luna contro vallem Aialon, &c. *Stetit itaque Sol in media cæli, & nō feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei. Nō fuit antea, & poſtro tam longa dies.* Sic Sol ſuæ lu-
Machar. cis terminos tunc extendit. Quod miraculum notans Machar. Philadelphienſis orat. in Exaltat. Crucis habita apud Grethſerum noſtrum tom. 2. ait: *Ioſue aduersùs Gabaon, quando ſolem ſtare fecit, victoriam Saluatoris de morte reportatam prædelineauit: quo tempore Sol ſuos radios penitus cohibuit, & ipſi meridiei tenebras induxit.* Compone victoriam, & victoriā, victoriā Ieſu Naue de Gabaonitis, & victoriam Ieſu Nazareni de peccato, in illa Sol ſuos radios maximè dilatauit, in hac Sol maximè cohibuit ſuos radios. Et nihilominus Macharius aſſerit victoriam illā huius victoriæ fuiſſe imaginem. Et quomodo Sol augens ſuos radios non magis contrariatur Soli tenebris obnubilato? Vnum idemque fuit in vtraque Solis officium, nimirum Ieſu obtemperare; quod autem iſtud fuerit aut per lucis augmentum, aut per eiuſdem diminutionem, id minime reputatur apud ſapientes cælitus inſpiratos. Qui enim a cœlis venit ſapientia nihil æſtimat aut accretionem honoris aut minutionem; vnum maximè nouit æſtimare, quod ſeruiant veritati.

§. XL.

Mundialis ſapientia nihil nouit æſtimare præter hæc præſentia temporalia.

ECce totum ſapientiſſimi conſiliarij negotium, nimirum: *Diſpoſita domo ſua ſuſpendio interijt.* Currens ad laqueum maximè curauit de diſponenda domo ſua, de vltricibus flammis imminentibus, de animæ ſuæ carnificibus non cogitauit, hoc vnum attendit, ne res domeſticæ indiſpoſitæ manerent. Heu ſtultitiam ſapientiæ mundialis, nihil æſtimat niſi hæc præſentia, & temporalia! Non abſimilis erat ille diues, cuius anima iam iam tradenda erat
Luc. 12. tortoribus, & inter ea dicebat ille Luc. 12. *Multa bona habes repoſita in annos plurimos, requieſce, comede, epulare.* Cuius
Baſil. ſtultam ſapientiam ſic traducit D. Baſil. orat. 14. *Circumſteterant iam eum illi, qui animam ab eo repetituri erant, ille tamen de edulijs cum anima diſſerebat.* Nec memoriam habebat de futuris animæ pœnis iam inſtantibus; ſed totus occupabatur in diſpoſitione ſubſtantiæ temporalis. Sic
4. Reg. 13. Pſeudo ille Propheta 4. Reg. 13. audita morte hominis Dei, & credens venturum terræ excidium ab illo prophetatum, dicebat filiis ſuis: *Cùm mortuus fuero, ſepelite me in ſepulchro in quo vir Dei poſitus eſt.* Hoc diſpoſuit circa corpus ſuum in morte; at circa animam? Nec verbum de
Eucher. illa fecit. Pulchrè in eum Eucher. lib. 4. in lib. Regum: *Prouidebat cadaueri ſuo, qui occiderat mendacio animam ſuam.* Mortuam habebat animam, & nihil de anima cogitabat, totus occupatus in diſpoſitione ſui cadaueris. Adeò enim affecta eſt præſentaneis iis ſapientia mundialis, vt nihil cogitet de futura vita, imò ſtultos & inſanos habeat eos, qui de illa nouerunt cogitare. Filius quidam Prophetarum
4. Reg. 9. 4. Regum 9. vocauit Iehu in ſecretum cubiculi, ibique eum in Regem vnxit. Socij autem Iehu, qui viderant Prophetam accedentem, quærunt ex ipſo Iehu. *Cur venit inſanus iſte ad te?* Et cur inſanum vocant hominem, nihil in
Caietan. ſe inſaniæ demonſtrantem? Ait ibi Caietanus: *Verificatur ſcriptum in Sapientia: Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam. Nam inſanum appellant diſcipulum Prophetarum, eo quòd profiterētur Prophetarum filij futuræ vitæ ſtudium vacando diuinis laudibus.* Sic à mundi ſapientibus æſtimantur inſani, ſtulti, qui futuræ vitæ ſtudium profitentur.

§. XLI.

Summum dedecus eſt, quod in proprijs accidit.

VT ſe ſuſpendio traderet Achitophel, ab vrbe Ieroſolyma receſſit, & in propriam abiit. Dicit enim text. *Surrexit, & abijt in domum ſuam, & in ciuitatem ſuam, & diſpoſita domo ſuſpendio interijt.* Cur id non egit Ieroſolymis? Cur maluit ire in ciuitatem ſuam, vt ſe ſuſpenderet? Crediderim id diſpoſitum fuiſſe à prouidentia Dei in maius ſupplicium, & dedecus hominis nefarij. Quando enim non creſcit dedecus hominis, quod ei in proprijs accidit? Gabaonitæ maximè irati in ſtirpem Saül adeunt Dauidem
Regem, & aiunt 2. Regum 21. *Dentur nobis ſeptem viri de filijs Saul, vt crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul,* &c. Non 2. Reg. 21.
ſolum amabant crucifigere eos, ſed id fieri cupiebant in Gabaa patria Saül, vt inde maius dedecus Saüli obueniret.
Sic ibi Carthuſian. *Dixerunt Gabaonitæ: Crucifigemus eos in* Carthuſ.
Gabaa, quod fuit in maiorem Saulis confuſionem, quod in vrbe ſua, ſeu prope eam in loco tam eminenti, poſteri ſui ſunt ligno appenſi. Multum faciebat hoc ad Saulis dedecus, quod in
vrbe ſua filij eius perirent ſuſpendio. Darius 1. Eſdr. 6. ſic 1. Eſdr. 6.
augebat ſupplicij dedecus: *A me ergo poſitum eſt decretum, vt omnis homo, qui hanc mutauerit iuſſionem, tollatur lignum de domo eius, & erigatur, & configatur in eo.* Sic non niſi in domus propriæ ligno configi mandatur illius confractor legis, vt inde magis eius dedecus creſcat. Ex quo maximè
dehoneſtat D. Cyprianus Nabuchodonoſoris poteſtatē, vt Cypryan.
quæ in proprio regno deuicta fuerit à tribus Hebræis pueris Dan. 3. Ait enim epiſt. 56. *Imitemur tres pueros Ananiam, Azariam, & Miſaëlem, qui nec ætate territi, nec captiuitate fracti, Iudæa deuicta, & Ieroſolymis captis, in ipſo regno ſuo Regem Nabuchodonoſar fidei virtute vicerunt.* Quanta hæc gloria puerorum? Quantum dedecus Regis, quod in regno ſuo victus appareat?

2. *Regum* 17. Dauid autem venit in caſtra: & Abſalon tranſiuit Iordanem, ipſe & omnes viri Iſraël, cum eo. Amaſam quoque conſtituit Abſalon pro Ioab ſuper exercitum: Amaſa autem erat filius viri, qui vocabatur Ietra de Iſraël, qui ingreſſus eſt ad Abigail filiam Naas, ſororem Saruiæ, quæ fuit mater Ioab. Et caſtrametatus eſt Iſraël cum Abſalon in terra Galaad, *&c.*

§. XLII.

Idem corpus, & ſanguis fiunt cum Ieſu, qui cum illo tribulationes patiuntur.

NOn poſſum non notare verba textus, quæ dicunt: *Dauid autem venit in caſtra, & Abſalon tranſiuit Iordanem, ipſe, & omnes viri Iſraël cum eo.* Abſalon cum omnibus viris Iſrael dicitur tranſiiſſe Iordanem; Dauid autem non exprimitur cum aliis intraſſe vrbem caſtrorum. Sed vt Abſalon non ſolus, ſed cum exercitu Iſrael tranſiuit Iordanem, ſic & Dauid non ſolus, ſed cum ſociis ſuis, cum exercitu ſuo intrauit vrbem munitam. Cur ergo vt exprimuntur, qui cum Abſalone tranſierunt, non exprimuntur, qui cum Dauide venerunt in caſtra, ſed quaſi ſolus veniſſet Dauid, ſic dicitur: *Dauid autem venit in caſtra?* Vt ſocij Dauidis perſecutionem & tribulationem cum illo patiebantur, ſic illi concorporales, & propinqui viderentur, quaſi ab illo minimè diſtincti eſſent, ſed ex omnibus vnus conſtaret Dauid, vt vnum eius corpus, & vnus ſanguis. Nec miror quòd qui cum Dauide patiuntur, vnum corpus cum illo cenſeantur, ſic enim qui cum Dauidis filio Ieſu patiuntur, idem corpus fiunt cum illo, &
idem ſanguis. Ioan. 19. dum crucifixus Ieſus videret ma- Ioan. 19.
trem, oſtendens illi Ioannem, qui ſimul iuxta crucem erat, ait matri: *Mulier ecce filius tuus; deinde diſcipulo: Ecce mater tua.* Quibus Ioannes oſtenditur filius Mariæ, quaſi ipſe Ieſus eſſet, vel eius vterinus frater. Et vnde Ioannes ſic pro Ieſu datur, vel quaſi frater eius, vel quaſi Ieſus
ipſe eſſet? Simul erat cum Ieſu in paſſione. Aiebat Theo- Theophyl.
phylactus ibi: *Iam vide quomodo obſeruant diſcipulum, fratrem ſuum illum faciens? Vſque adeò bonum eſt manere apud patientem Chriſtum; nam in fraternitatem eum ducit.* Itaque vbi pateris cum Ieſu, eiuſque laboris ſis particeps, etiam eius ſis conſanguineus, eiuſdem generis, eiuſdemque ſanguinis cum illo. Quin & idem corpus efficeris cum
Chriſto. Quò ſpectans Paul. ad Epheſ. cap. 1. ait: *Omnia* Epheſ. 1.
ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnia

Eccleſia.

Eccleſia, quæ eſt corpus ipſius. Eſt, inquam, tota fidelium congregatio vnum corpus cum Ieſu, cui quaſi membra adhærent vnum integrum corpus eius conſtituentia. Et quomodo quis adhærere poteſt Ieſu, quaſi membrum corporis eius? Eo ipſo, quòd Ieſu doloribus, & preſſuris aſſimiletur, minimè aliud eſſe intelligitur à Ieſu, ſed vnius
Chryſoſt. corporis cum illo membrum eſſe. Ex quo mouebat D. Chryſ. homil. 3. ibi inquiens: *Revereamur, obſecro, germanam hanc, atque cognatam affinitatem noſtræ carnis cum Chriſto capite contractam*, &c. *De illa etiam dignum meminiſſe eſt, quod crucifixum, quod confeſſum clauis, quod immolatum eſt patri. Si corpus Chriſti es, fer crucem, ille enim tulit, fer putentes, ac famoſas executiones, fer alapas, fer denique clauos. Tale erat ille Domini corpus.* Quando Ieſus in preſſuris, in laboribus totus fuit: patiatur, & laboret, neceſſum eſt, qui ad eius affinitatem tranſit, imò qui idem corpus fieri cum illo amat. Solet enim ſimilitudo virtutis in ſuſtinendis laboribus ſic homines adunare, & identificare, vt multi vnum ſint. Quis neſciat melotem Eliæ, voluntariæ paupertatis, aſperæque vitæ ſymbolum? Cùm raptus eſſet Elias, melotem illum reliquit diſcipulo ſuo Eliſæo, vt
4. Reg. 2. earumdem virtutum imitatori. Dicit enim 4. Regum 2. de Eliſæo. *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei*; quo leuato, & eiſdem virtutibus cultis ſic tranſit Eliſæus in Eliam, vt
Chryſoſt. nullus inter eos diſtingueret: vt dicat D. Chryſoſtom. hom. 2. ad Popul. *In cælum aſcendens nihil aliud, quàm melotem diſcipulo reliquit. Cum hac, inquit, cum diabolo pugnaui, & tu contra illum armatus hanc capias. Validum enim telum inopia, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcuſſa. Tanquam maximam hæreditatem Eliſæus melotem ſuſcepit. Et erat duplex Elias ille, & erat ſurſum Elias, & deorſum Elias.* Vbi cum melote totam vitæ aſperitatem aſſumpſit Eliſæus, ſic tranſmutatus eſt in Eliam, vt nullus ſurſum deorſúmve appareret, niſi Elias. Ne mireris, quòd qui Chriſti paſſiones ſuſtinet, ſic identificetur cum illo, vt vnus appareat Chriſtus, idemque corpus illius.

§. XLIII.

Vnanimitas in virtute inuicibilis triumphatrix eſt.

ADhuc pondero, quòd non dicatur Dauid veniſſe ad caſtra cum exercitu ſuo, quandoquidem textus ait: *Dauid autem venit in caſtra, & Abſalon tranſiuit Iordanem, ipſe, & omnis Iſrael cum eo.* Abſalon cum exercitu ſuo tranſit Iordanem, & Dauid non dicitur veniſſe cum ſuis in caſtra. An quia ſine exercitu, ſine ſociis venit. Abſit; venit equidem Dauid etiam cum ſociis, & exercitu, ſed hi omnes adeò erant illi adiuncti, & adunati, vt quaſi eſſet vnus ſolus Dauid videretur intraſſe caſtra. Quod non paruum auſpicium eius victoriæ dabat, vnanimitas enim in virtutibus inuincibiles vires oſtendit, & victorias parit. Hinc D. Cyprian. epiſt. 57. ſanctorum Chriſti
Cypryan. Confeſſorum notans in ſua confeſſione vnanimitatem, ait: *Virtus illic præcedentis Epiſcopi publicè comprobata eſt, adunatio ſequentis fraternitatis oſtenſa eſt. Dum apud vos vnus animus, vna vox eſt, Eccleſia omnis Romana confeſſa eſt*, &c. *Dum ſic vnanimes, dum fortes eſtis, magna cæteris fratribus vnanimitatis, & fortitudinis exempla tribuiſtis. Docuiſtis granditer Deum timere, in perſecutione fratres à fratribus non ſeparari, concordiam ſimul iunctam vinci omnino non poſſe.* Sic Cyprianus inuincibilem putat concordiam, & vnanimitatem. Nec miror, vbi enim vnanimitas eſt, ibi & victo-
1. Corinth. 9. ria iam præintelligitur. Dicebat Paul. 1. ad Corinth. 9. *Neſcitis, quòd hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis.* Quomodo ſic currite? Nimirum vt vnus, quando enim vnus accipit brauium, quando vnus vincit, neceſſe eſt, vt multi ad triumphum obtinendum, ad victoriam reportandam vnus fiant. Dummodò enim vnanimitate gaudeas, ad vi-
Paulin. ctoriam feſtinabis. Ait D. Paulinus epiſt. 2. *Quod in agone terreno tenere eſt; vbi non poteſt lucta niſi diſpari luctantium ſorte finiri; vt vnius gloria, alterius ignominia ſit: in Chriſto autem, quia multi vnum ſumus, omnes, vt vnum currimus, & omnium conſors ad vnum bonum curſus eſt, ideo dicitur nobis: Sic currite, vt apprehendatis omnes.* Ideo ad idem brauium obtinendum monemur omnes à Paulo, quia vt omnes in Chriſto poſſumus vnum fieri, ſic adunati, & vnanimes facti minimè à palma decidemus, ſed certiùs obtinebimus illam.

§. XLIV.

Peccantium multitudo magis ad ſupplicij accelerationem facit.

NOn ſolus Abſalon, ſed & penè totus Iſraël Dauidem perſequitur. Dicit namque: *Abſalon tranſiuit Iordanem ipſe, & omnis Iſrael cum eo.* Vt quando videas tantam rebellium multitudinem aduersùs innocentem Regem ſtare, non inde credas, facinoris imminui turpitudinem, ſed magis accelerari debere ſupplicium. Vt meritò dicat D. Cyprian. epiſt. 25. de ſceleſtium homi- Cyprian.
num multitudine: *Nec hoc animentur, quàm multi ſunt, ſed hoc ipſo magis reprimantur, quia non pauci ſunt. Nihil ad extenuationem delicti numerus impudens valere conſueuit.* Equidem peccantium ingens numerus non extenuat delictum, ſed magis vindictam accelerare debet. Sic Geneſ. 6. Geneſ. 6.
ait: *Cumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram,) dixit ad Noë: Finis vniuerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate*, &c. Non ſolùm Caini poſteri voluptatibus ſe dederant, ſed & qui filij Dei vocabantur, poſt carnales concupiſcentias abierant. Quippe vix inueniebatur, qui in delictis non eſſet, omnis enim caro, id eſt, omnis homo corruperat viam ſuam. Quid tunc? An multitudo peccantium, facinora extenuabat, ne iudex diuinus in tot ſæuiret? Abſit, imò vt peccatorum, ſceleſtorumque hominum vidit tantam multitudinem, magis accelerauit ſupplicium, dicens: *Finis vniuerſæ carnis venit coram me*; vbi enim peccantium creſcit numerus, magis oportet adhibere ſupplicium, ne vlterius malum proſiliat. Adhæc D.
Chryſoſt. ibi: *Magnam, inquit Deus, oſtendi longanimitatem, volens hanc inferre pœnam, quam illaturus ſum, ſed quia immedica peccatorum illorum multitudo in hoc tempus eos adduxit; & finem ijs imponere oportet, ſcindique illorum malitiam, ne vlterius progrediatur.* Cum pauci erant, qui ſeruirent vitiis, oſtendebat Deus ſuam longanimitatem, & pœnas debitas differebat; vbi autem tanta creuit peccantium multitudo, ſtatim accurrit Deus imponere finem malitiæ, & ſcindere illã. Magis enim debet ſeruire multitudo peccantium, vt accelerentur ſupplicia, quàm vt culpam minuat. De Sodomitis illis, qui in domum Loth irruerunt, vt hoſpitibus eius vim inferrent, locutus textus Geneſ. 19. Geneſ. 19.
ait: *Viri ciuitatis vallauerunt domum illius, à puero vſque ad ſenem, omnis populus ſimul.* An quia omnis populus, & pueri, & ſenes id facinus aggrediuntur, ideo veniabilior apparuit eorum culpa? Abſit, imò inde oſtendebatur omni venia indigna. Ait ibi Chryſoſt. *Summa malitia conſpiratio, vehemens malè agendi ſtudium, conatus nulla venia dignus. A puero, inquit, vſque ad ſenem. Non ſolùm iuuentus hæc malis exquirebat, ſed & pueri, & prouectæ ætatis homines, & omnis populus ſimul.* Quo maior multitudo in ſcelus cucurrit, eo apparuit omni venia indignior. Chryſoſt.

§. XLV.

Amicitia temporalis rarò non detrimentoſa homini.

CVm poſt Iordanem eſſet Abſalon, vt diſponeret exercitum ſuum: *Amaſam quoque conſtituit Abſalon pro Ioab ſuper exercitum.* Erat Amaſa frater Ioab conſobrinus Dauidis, & nilominus aduersùs Dauidem & patruelem, & Regem naturalem dux conſtituitur. Vnde tantus vir ad tantum facinus rapitur? An ex odio in Dauidem? Minimè, ſed amicitia, qua antiquitus erat Abſaloni iunctus, ſic hominem raptauit, vt ne ab amico diſcederet, non detrectauit committere tale facinus. Ait Abul. in præſenti quæſt. 24. *Amaſa adhæſerat Abſaloni ante hoc, quia erat* Abul.

inter filios honorabilior, & poterat ei benefacere. Nunc autem in coniuratione contra Dauid, non auſus eſt tranſire ad Dauid, cùm ante hoc ſemper fuiſſet familiaris Abſaloni; & ſic non fuit rebellio ſua ex iniquitate, ita vt deſideraret malum Dauid, ſed ne deſereret Abſalonem. Itaque cum Abſalone amicitia, & familiaritas hominem traxit in tantum facinus, vt arma ſumeret contra propinquum Regem, & naturalem. Vt iam ſuſpectas has amicitias temporales habeamus, quæ homines nobiles, & cordatos ad eas turpitudines adducunt, ad quas vel iniquitas ſumma latrones ipſos vix trahit. Ioſaphat Rex Iuda amicitia iunctus erat Achabo, quem in bello auxiliatus eſt, & reuertenti in propria dicit illi

2. *Paral.* 19. Propheta 2. Pal. 19. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris.* Nihil mali admiſſum fuerat à Ioſaphat, hoc ſolum habebat, quòd amicitia erat iunctus Achabo, eiuſque arma adiuuabat. Et propter ſolam hanc amicitiam illi Dominus iraſcitur. Sciebat enim Deus, quantam vim habeat temporalis hæc amicitia, vt vel bonos in malum tra-

Gregor. hat. Ait D. Greg. 3. Paſt. cap. 23. *Malorum cum incautè amicitiæ iungimur, culpis illigamur. Vnde Ioſaphat, qui tot de anteacta vita præconijs attollitur, de Achab Regis amicitijs penè periturus increpatur. Ab eo enim qui ſummè rectus eſt, ea ipſo iam diſcrepat, quo peruerſorum amicitijs vita noſtra concordat.* Ad quamlibet rapitur impietatem, qui impio amicitia iungitur. Habet enim hoc amicitia, vt faciat à quolibet ebibi mores amici. De amicitiæ temporalis damnis habes plura tom. 1. de Chriſto figur. lib. 1. cap. 2. par. 2. § 8.

§. XLVI.

Inæqualitas fauorum erga ſubditos excuſabilem facit eorum malitiam.

TRes, aut quatuor erant fratres Dauidis conſobrini ex ſororibus, nimirum Ioab, Abiſai, Aſael, Amaſa; tres primi à parte Dauidis ſtabant, vnus Amaſa rebellium partes tuebatur, quorum & caput erat. Dicit enim textus: *Amaſam quoque conſtituit Aſalon pro Ioab ſuper exercitum.* Et quis non miretur vnum Amaſam fieri rebellium caput aduersùs Dauidem? Imò & illud magis mirandum, quòd credatur Amaſa in tanto facinore, in ſeditione tanta, aliquo modo excuſabilis. Vnde excuſari poterit ſcelus tan-

Abul. tum? Ait Abulenſ. ibi quæſt. 24. *Erat tamen peccatum Amaſæ aliqualiter excuſabile, eo quòd Amaſa erat cognatus Dauidis in eodem gradu, in quo Ioab, Abiſai, & Aſaël, & tamen Dauid honorabat nimis iſtos tres fratres, & non legitur, quòd aliquo modo honoraſſet Amaſam ante hac, licèt eſſet ſtrenuus vir.* Magna erat Dauidis inæqualitas circa hos quatuor fratres, & conſobrinos ſuos, Ioab, Abiſai, Aſael multis ſæpe honorabat, Amaſæ penitus obliuiſcebatur, quo eius malitiam, imò & proditionem fecit aliquo modo excuſabilem. Inæqualitas fauorum erga ſubditos, ſępè excuſabilem eorum malitiam facit. Hinc Ieſus in cœna vltima non exclusit Iudam à myſterijs, non eum excluſit à fauoribus,

Ioan. 13. imò, vt ait Ioan. 13. *Cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ.* Cur Iudæ ſic faues? Cur non magis illum à tua menſa absterres? Rex ille Matth. 22. hominem veſte nuptiali carentem à côuiuio arcet, & ligatû pedibus, ac manibus mittit in tenebroſum carcerem. Cur ô bone Ieſu, tu non ſimiliter facis arcens è menſa tua Iudam? Cur mauis illum peculiari buccellæ fauore cibare? Cauebat bonus Princeps ne denegatione fauoris Iudæ proditionem excuſabilem faceret.

Leo. Vt dicat D. Leo ſerm. 5. de Paſſ. *Huic ne criminis cauſam aliqua præberet offenſio, nulla eſt negata dignatio.* Non alienabatur Iudas à fauoribus Chriſti, ne vlla illi offenſionis cauſa eſſet, qua aliquo modo crimen eius excuſaretur.

Nunquam enim inæqualitas nimia in fauoribus principis, non creat in ſubditis eam offenſionem, qua illorum malignitas excuſetur.

.

CAPVT. IX.

Exercitus aduersùs Abſalonem.

TEXTVS HISTORIA.

DAVID autem in vrbe Manahim firmatus vt conſiderauit rerum ſuarum ſtatum, & populum, qui ſecum erat, non duxit operæ pretium muris ſe ſuoſque continere, & obſidionem aduerſariorum expectare. Fortè non ſuppetebant res, quæ ad tolerandam obſidionem neceſſariæ ſunt; vel magnum erat ad victoriam momentum in illa animi præparatione, qua miles vltrò prouocat, & inuadit aduerſarios ſuos; tueri enim ſe infirmioris eſt, inuadere fortioris. Diuiſit itaque trifariam copias ſuas, & tertiam partem populi adſcripſit Ioabo, tertiam Abiſai, & tertiam aliam Ethai, qui erat è Geth, & Regem ſibi amicum etiam in aduerſis ſequebatur. Propter hanc exercitus diuiſionem, & partes ſingulis ducibus aſſignatas non imminutus fuit Ioabi principatus, quem ipſe iam dudum ſuper omnem exercitum habebat. Imò præter partis tertiæ ducatum, omnibus alijs etiam erat præpoſitus, & omnia belli negotia eius nutu gerebantur. Voluit etiam Dauid grandæuæ ſuæ ætatis immemor, & priſtinæ virtutis conſcius deſcendere in certamê, obſiſtût Regi duces, ne tota regni res in vnius pugnę conſtitueretur alea. Superſtite enim, & confirmato in vrbe Rege, etiam victi ſui poſſent inſtaurari ad certamen, & in congreſſum redire maioribus viribus, maiori etiam animo. Quò perſuaſus Dauid deſtitit à conatu, vnumque maximè imperat procedentibus ducibus, coram omni exercitu, vt ſcilicet vel in ipſo conflictu, vel in victoria, Abſalonis ſaluti conſulatur. Semper enim bonus ſe patrem memorat, etiam cùm filius proditorem agit.

MORALIA CIRCA textum.

VIx ad bellum proceditur, & Dauid cum ſuis agit de aduerſarij ſalute ſeruanda; ſic neſciunt ſibi timere, qui tali in hoſtes affecti ſunt animo.

2. *Regum* 18. Igitur conſiderato Dauid populo ſuo conſtituit ſuper eos tribunos, & centuriones, & dedit populi tertiam partem ſub manu Ioab, & tertiam partem ſub manu Abiſai filij Saruiæ fratris Ioab, & tertiam partem ſub manu Ethai, qui erat de Geth, dixitque Rex ad populum: Egrediar & ego vobiſcum.

§. I.

Multa vtendum eſt conſideratione in ſpirituali militia ſuſcipienda.

ET ſi longa bellorum experientia erat Dauid, tamen vbi ad certamen inferendum accedit, nil in illo prius cernitur, quàm attenta conſideratio omnium, quæ in exercitu erant neceſſaria, dicit enim text. *Igitur conſiderato Dauid populo ſuo, &c.* Vtinam hanc optimi ducis ebibant mentem, qui in militia ſpirituali ad bellum procedunt, nec

gradum

gradum facere velint niſi præmiſſa multa conſideratione, & præparatione neceſſariarum rerum. Nicolaus I. Pont. Max. in Reſponſ. ad Conſulta Bulgarorum cap. 40. ſic ait: *Conſuetudinem patriæ veſtræ perhibetis fuiſſe, vt priuſquam ad pugnam progrediamini, mittatur à dominatione veſtra fideliſſimus, & prudentiſſimus vir, qui cuncta arma, & caballos, & quæ neceſſaria pugnæ exiſtunt, conſideret; & apud quem inutiliter præparata inuenta fuerint, capite puniatur. Sed hæc iam cuncta vobis ad ſpiritualis apparatus armaturam conuertere ſtudemus, & tantæ ſeueritatis rigorem ad pietatis exercitium inclinare monemus; itavt ſicut hactenus illa præparatio armorum, & equorum diligenter inquirebatur, vtrùm bene apta eſſet contra viſibiles hoſtes, ita nunc ſtudiosè inueſtigetur, vt arma ſpiritualia, id eſt, bona opera ſinguli præparata poſſideant aduersùs Principes, & Poteſtates, aduersùs mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ.* Ne inconſideratiores ſimus circa ſpiritualia, quàm ſunt filij ſæculi circa carnalia. Vt terrena regna acquirantur, nunquam non præcedit multa conſideratio, multa examinatio armorum, equorum, & omnium neceſſariorum, & pro æternis, nihil conſiderabimus, nihil examinabimus?

Pſalm. 45. Monebat Pſalm. 45. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* Ecce tibi antequam ad congreſſum fidei, ad congreſſum virtutis veniatur, vt monemur vacare, & videre, nimirum conſiderare, præmeditari, & præordinare omnia, ne inconſideratè accedentes damnum incurramus.

Bernard. Adhæc ait Diuus Bern. lib. 1. de conſider. *Quid tam pertinens ad cultum Dei, quàm quod ipſe hortatur in Pſalmo: Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus? Quod ſanè in partibus conſiderationis præcipuum eſt. Quid denique tam ad omnia valens, quàm quæ ipſius quoque actionis partes benigna quadam præſumptione ſuas facit, præagendo quodammodo, & præordinando quæ agenda ſunt? Neceſſariò ſanè, ne fortè, quæ præuiſa, & præmeditata, poterant eſſe proficuo, præcipitata magis periculo fiant.* Expende illa, *neceſſariò ſanè;* quippe neceſſaria eſt conſideratio, & præmeditatio rerum conducentium ad finem, ne quæ præmeditata proficiunt, præcipitata noceant. Quando enim non nocent, quæ inconſideratè, & temerè agis? Aiebat D. Lucas cap.

Luc. 14. 14. *Quis Rex iturus committere bellum aduersùs alium Regem, non ſedens priùs cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe?* Regium eſt, & maximè ſalutare, quòd conflictus omnes præcedat conſideratio. Vt hinc dicat D. Laurent. Iuſtinian. lib. de Diſ-

Iuſtinian. cipl. & Perfect. cap. 3. *Sic nimirum, ſic matura conſideratione cuncta præſentia, & futura præuidere debent; quicumque renuntiare ſæcula, & Deo militare deſiderant. Studeant namque diligenti examinatione priuſquam in ſpirituale ineant ſtadium, animi ſui conſtantiam, ſpei fiduciam, corporis valitudinem, ſtatus congruentiam, internam vocationem, & operis diſcutere finem, ne ſi hæc conſiderare neglexerint, eos contingat cum rubore, ab incepto propoſito reſilire. Rarò namque contingit quempiam eſſe victorem, qui ſine armis congruentibus, & abſque prudenti circumſpectione, ſed ſola mentis temeritate decertare præſumit.* Expende ab illis, *rarò namque contingit;* quippe rara, aut nulla contingit victoria illis, qui ſine conſideratione, temerè in certamina ſpiritualia ruunt.

§. II.

Non omnia prudenti conſideranda, ſed multa Deo permittenda.

BEllum illaturus Dauid aduersùs multitudinem nimiam, conſiderauit in primis ſuorum virtutem. Et quid in ſuis conſiderauit? Ait textus: *Igitur conſiderato populo ſuo Dauid,* &c. Dicitur in communi populum ſuum conſideraſſe, non ſingula ſingulorum, non omnia in particulari, & minutatim. Prudẽtis enim hominis eſt, nõ omnia minutatim conſiderare, ſed multa Deo permittere. Apud Herodotum lib. 7. ſemel prudenter dixit Xerxes Rex duci

Herod. ſuo: *Non omnia reformides, neque ſingula pariter conſideres. Nam ſi velis in rerum conſultatione omnia perinde conſiderare, nunquam aliquid efficies.* Crede mihi, nimium conſiderantes; & ad ſingula metuentes nihil vnquam magnum peregerunt. Hos notabat Eccleſiaſt. cap. 11. aiens:

Eccl. 11. *Qui obſeruat ventum, non ſeminat: & qui conſiderat nubes, nunquam metet.* Hic eſt, qui in ſingulorum conſideratione immoratur, omniaque adamuſſim correſpondere expectat, is & tempus, & operam perdit. Multa enim ſunt à prudenti viro committenda Deo. Vt dicat ibi Olympiod. Ol

Non oportet ergo ventos obſeruare, ſed ipſe bona ſationem facere, Deo confidentes auctori bonorum omnium. Nam ſi præ obſeruatione nubium, ac ventorum differamus ſationis tempus, irritam deinde meſſem experimur. Non ſic conſideranda ſunt omnia, & ſingula ingruentia, vt omnium conducibilium concurſum expectemus, ſed Deo multa ſunt committẽda, de cuius auxilio boni ſperandi ſunt euentus. Luc. 14. *Quis* Lu

Rex iturus committere bellum aduersùs alium Regem, non priùs ſedens cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe? Et mirabar, quòd poſt notas duplo maiores vires in hoſte, adhuc haberet Rex, quid de ſuo cogitaret, aut conſideraret exercitu, vt occurreret ei. Quæ conſideratio non hæreret in conſcientia duplo minorum virium? Perſpicuè notis adeò inferioribus viribus, quid cogitabat, quid conſiderabat Rex ille ad occurrendum ſufficiens? Crediderim ab illo Rege ſolam cogitatam fuiſſe militum virtutem, & conuenientiam belli, in numero autem militum non multam conſiderationem fuiſſe, ſed id Deo auxiliatori reſeruatum. Ex quo meritò ait Euſeb. Emiſſen. ibi: *Rex autem eſt vnuſquiſque fidelis, qui ſe ipſum & virtutum exercitum, qui in eo eſt, bene regere nouit. Hic autem aduersùs Regem alium bellum committit, per quem diabolum intelligimus, quem quidem, etſi maiorem exercitum habet, facilè tamen ſuperamus, ſi non in noſtra, ſed in Dei virtute confidamus.* Equidem non conſideratis viribus, & induſtriis victoriam tribuit, ſed fiduciæ in Deum, vt ſciamus in omni conſideratione prudenti multa eſſe Deo committenda, in quo conſiſtit victoriarum ſubſtantia. Eu

§. III.

Ordinata, prudentiſue poteſtatis non eſt, omnia à ſuo nutu velle immediatè pendere.

PRudentiſſimus Dauid in eo maximè, quòd in re tanti diſcriminis fecit & infimas, & mediocres, & maiores poteſtates, quibus ſingulis in ordine ſuo rem exercitus tradidit. Ait enim text. *Conſtituit ſuper eos tribunos, centuriones, & dedit tertiam partem populi ſub manu Ioab,* &c. Et tribuni creati ſunt, qui immediatè militibus eſſent, & ſuper tribunos centuriones poſuit, & ſuper hos tres militiæ magiſtros, & tandem vnum Imperatorem maximum, quibus ſingulis permiſit in ordine ſuo poteſtatem, non mutilam, ſed plenam, vt moris erat. Faciunt id prudentiſſimi Gubernatores, quo enim prudentiores, eo magis alieni ſiue ab ſtultitia, ſiue à faſtu eorum, qui cùm primùm thronum aſcendunt, nullam poteſtatem non adimunt inferioribus miniſtris, vt omnia etiam infima videantur eorum nutu immediatè gubernari. Fecerat aliquid huiuſmodi Eugenius Pontif. Max. qui Abbates ſubtraxit Epiſcopis, & Epiſcopos Archiepiſcopis, & omnes à ſe ſolo immediatè fecit dependere. pro quo ait D. Bernard, Be

lib. 3. de Conſiderat. *Subtrahuntur Abbates Epiſcopis: Epiſcopi Archiepiſcopis: Archiepiſcopi Patriarchis, ſiue Primatibus. Bonane ſpecies hæc? Mirum ſi excuſari queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis; ſed iuſtitiæ fortè non ita. Facitis hoc, quia poteſtis, ſed vtrum debeatis, quæſtio eſt. Honorum ac dignitatum gradus, & ordines quibuſque ſuos ſeruare poſiti eſtis; non inuidere, vt quidam veſtrorum ait; Cui honorem, honorem. Spiritualis homo ille, qui omnia iudicat, vt ipſe à nemine iudicetur: omne opus ſuum trina quadam conſideratione præueniet. Primum quidem an liceat; deinde an deceat; poſtremò, an expediat. Non enim contiauo amue quod licet, decere, aut expedire conſequens eſt.* Sic prudentiſſimus vir Pontificem maximum arguit, quòd inferiores poteſtates ſolito exercitio priuauerit, & à ſe vno omnia immediatè fecit dependere. Quod non abnuit licitum fuiſſe illi, vt qui ſuprema poteſtas erat, à qua omnes aliæ dimanabant. Quod etſi licitum, tamen & indecens, & minimè expediens ſic probat:

Quid tam indignum tibi, quàm vt totum tenens non ſis contentus toto, niſi minutias quaſdam Id

atque

atque exiguas portiones ipſius tibi creditæ vniuerſitatis; tanquam non ſint tuæ,ſatagas,neſcio,quomodo adhuc facere tuas? Vbi etiam
2.Reg.12. *meminiſſe te volo parabolæ Nathan.* 2.Reg. 12. *De homine, qui multas oues habens,vnam,quæ erat pauperis, concupiuit. Huc quo-*
3.Reg.21. *que veniat factum imò facinus Achab, qui* 3.Reg.21. *Verum ſummam tenebat,& vnam vineam affectauit.* Sunt ſunt equidem, qui adeò ad ſuam dignitatem,& poteſtatem afficiuntur,vt nec minimum illius à ſe patiantur alienare. Et minutiſſimas quaſque facultates, diſpoſitiones à prudentibus aliis permiſſas inferioribus miniſtris,ne ipſi ſtulto labore conſumerentur, & illi aliqualem honorem habeant, ſibi ſubtrahunt, & arrogant, ne quid poteſtatis in aliis eſſe videatur,ſed omnia à ſe pendere immediatè.Quod vt indignum eſt prudentem virorum,ſic illos non abſimiles facit Achabo,qui regni dominus, vnius vinulæ dominium Nabotho
Bernard. inuidebat.Et addit Bernard. *Monſtrum facis,ſi manu ſubmouens digitum facis pendere de capite,ſuperiorem manui, brachio collateralem.* Quæ ſimilitudo pulchrior in rem præſentem? Vt optima corporis eſt diſpoſitio, quòd à capite pendeant brachia, à brachiis manus, à manibus digiti, ſic myſtici corporis ordo poſtulat,quòd ſit in familia caput. Et poſt hoc alias inferiores poteſtates, quæ immediatè infimos tractent. Nonne monſtrum eſt, quòd digiti immediatè pendeant à capite?Sic & monſtrum fit,cùm infimi in omnibus immediatè pendeant à ſupremo capite, cuius eſt permittere honorem inferioribus poteſtatibus, vt infima tractent.Multa alia dicit ibi Bernard de abſurdis inde ortis,mihi ſufficiat hæc pauca explicaſſe.

§. IV.

Vt Sacerdos ſecularis militiæ negotiis turpiter præficitur.

ERant cum Dauide Achimaas, & Ionatha filij Sacerdotum, & ipſi Sacerdotes, & de Dauide benemeriti, vt qui non paruo vitæ diſcrimine Chuſai monita retulerant. Nihilominus vbi ad exercitus munera diſtribuenda ventum eſt: *Dedit populi tertiam partem ſub manu Ioab; & tertiam partem ſub manu Abiſai,* &c. *Et tertiam partem ſub manu Ethai, qui erat de Geth.* Nulla exercitus pars data eſt Achimaa, nec Ionathæ, nec vlli è Sacerdotibus; imò maluit Dauid præficere exercitui Ethai alienigenam, quàm vllum ſacerdotem è propriis.Curauit Dauid nec ſacerdotio abuti in rem alienam,nec ſæcularem maieſtatem fuſcare miniſtris imbellibus. Ait enim in hanc rem D Bernard.
Idem. epiſt.78. *Par ſatis vtrobique abuſio, ſiue quòd diaconus menſæ regiæ deputetur miniſterio, ſiue quòd Regis dapifer myſteriis altaris inſeruiat. Quis ſanè non miretur,imò & deteſtetur vnius eſſe perſonæ & armatum armatam ducere militiam,& alba, ſtolàque indutum in medio Eccleſiæ pronuntiare Euangelium; tuba inducere bellum militibus,& iuſſa Epiſcopi populis intimare?* Planè non bene conueniunt hæc munera,ſacerdotium,& militia: nec valent in vno coniungi,niſi fortè ob magnum aliquod Catholicæ fidei commodum.Quippe Regia maieſtas vel exercitus robur non petendum ab imbellibus hominibus, ſed
Cant. 3. à fortiſſimis,& exercitatiſſimis ducibus.Cant.3.*En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi; vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum.* Nullus ibi ſtola indutus,nullus ephod veſtitus, ſed qui de medio gladiorum, & armorum, de multis bellorum periculis ſeligebantur, qui Salomoni quieſcenti aſſiſterent. Et cur tam pacificus Rex nullum inter illos Sacerdotem patitur eſſe? Ait Diuus Bernardus epiſtola
Bern. 78. *Quis facilè non aduertat, quantùm ſit dedecoris non minùs vtique regno, quàm ſacerdotio? Vt enim clericalis conſtat non eſſe dignitatis, Regum ſtipendiis militare: ſic nec regiæ maieſtatis rem fortium adminiſtrare per clericos. Denique, quiſnam Regum ſuæ vnquam militiæ clericum præfecit imbellem, & non magis quempiam fortiſſimum ex militibus?* Sic credidit Diuus Bernardus à nullo Regum tale monſtrum faciendum, quod non de ordine militari, ſed de choro canentium educat ſuæ militiæ præfectos.

§. V.

Peccatorum præteritorum occaſiones qui fugit, ſe à peccatis exiſſe oſtendit.

NOn ſuos in bellum mittit Dauid, & ipſe domi deſidioſus ſedet, ſed quantum ex ſe eſt magis curat ire cum ſuis in bellum,dum ait illis: *Egrediar & ego vobiſcum.* Et cur ſic amat Dauid modò ire in bellum? Planè tota occaſio peccati, cuius modò, hac filij rebellione, pœnas luebat, ea oſtenditur illis verbis 2. Reg. 11. nimirum: *En tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, miſit Dauid Ioab,* 2.Reg.11.
& ſeruos ſuos cum eo, & vniuerſum Iſrael, & vaſtauerunt filios Ammon, & obſederunt Rabba: Dauid autem remanſit in Ieruſalem. Dum hæc agerentur, accidit, vt ſurgeret Dauid de ſtrata ſua poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus regiæ: viditque mulierem, &c. Itaque eo tempore exercitu ſuo miſſo in bellum, manſit Dauid domi deſidioſus, & vidit mulierem, & raptus eſt in adulterium, propter quod nunc aſfligebatur; ideo in præſenti prudens Rex cauebat domi ſedere, cùm exercitum in campum mitteret, ſic fugiens, & deſerens omnes notas occaſiones antiqui, & lethaliſſimi peccati. Quo maximè oſtendebat, quàm certius ab illo iam ſurrexerat in gratiam, & vitæ ſanctitatem. Nequit enim non videri ſurrexiſſe à malo, qui eius vel remotas occaſiones abiicit. Ioannes & Petrus docti à fœminis, quod diuiniſſimum Ieſu cadauer non erat in ſepulchro, abierunt, vt rem ipſi ſpectarent. De quibus
ait Ioan. cap. 20. *Ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum,& cùm ſe inclinaret, vidit* Ioan. 20.
poſita linteamina: non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit ille alius diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit, nondum enim ſciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere. Ecce tibi vbi ſepulchrum vacuatum viderunt, funereaſque veſtes, & linteamina omnia ibi à Ieſu relicta, ſtatim crediderunt illum ſurrexiſſe à mortuis. Certiſſimè enim oſtendebatur ſurrexiſſe in vitam, qui non ſolùm ſepulchrum, ſed & veſtes & linteamina ibi reliquerat. Vt dicat Diuus
Iuſtinus quæſt. 117. *Quòd in monumento viſa ſunt veſtes* Iuſtin.
eius ſepulturæ, ipſe non item indicium fuit euidentiſſimum reſurrectionis. Equidem euidentiſſimè oſtendebatur à morte ſurrexiſſe, qui vel veſtes reliquerat, quæ eum deduxerant in ſepulchrum. Vt videas, quàm euidens ſit, quòd quis à peccato ſurrexerit, cùm vel eius remotam occaſionem videatur relinquere, & fugere. Quam ſint occaſiones peccati fugiendæ habes tom. 2. de Chriſto figurato lib. 5. cap. 11. §. 4. & tom. 4. in Euangel. lib. 16. cap. 1. §. 9. & tom. 1. in Euangel. lib. 2. cap. 19. §. 12. & lib. 4. cap. 2. §. 25. & alibi.

2. *Reg.* 18. Et reſpondit populus: Non exibis; ſiue enim fugerimus, non magnopere ad eos & de nobis pertinebit: ſiue media pars ceciderit è nobis, non ſatis curabunt; quia tu vnus pro decem millibus computaris: melius eſt igitur, vt ſis nobis in vrbe præſidio. Ad quos Rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam.

§. VI.

Vna Maria ſufficit loco totius Sanctorum collectionis aduerſùs diabolum.

VNus Dauid rogatur manere in vrbe ad ſuorum præſidium, eò quòd vnus ille pro decem millibus computetur.

putetur. Sic enim ait: *Quia tu vnus pro decem millibus computaris; melius eſt igitur vt ſis nobis in vrbe præſidio.* Quod ſanè in Dauidis filia Maria certiùs poſſit ſignificari; vna enim illa eſt pro decem millibus, imò pro omni Sanctorum collectione, vt ſuos tueatur aduersùs diabolum. Illa eſt, quæ [Cant. 6.] dicitur Cant. 6. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Sunt in triumphanti Eccleſia Sanctorum caſtra; ſunt & iuſtorum caſtra in Eccleſia militanti, quibus par eſt, & maior vna Maria, vt patrocinium ſuis poſſit præſtare. Ait Richard. [Rich. Laur.] à ſancto Laurent. lib. 4. de Mariæ laudibus: *Ipſa dicitur terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Ipſa enim tantum dæmonibus eſt terribilis, quantum Angelis, & Sanctis eſt venerabilis, id eſt, ſicut tota acies Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, Angelorum, Confeſſorum, & Virginum, & omnium qui ordinatè contra diabolum pugnauerunt. Ita terribilis eſt dæmonibus ſicut vniuerſa collectio omnium Sanctorum aliorum.* Quidquid virium, quidquid præſidij inuenitur in omni Sanctorum collectione, in vna inuenitur Maria. Vna enim illa ſtat pro vniuerſitate om[4. Eſdræ 8.]nium. Hinc 4. Eſdr. 8. dicitur: *Coram illo aſtat omnis Angelo*[Pſalm. 44.]*rum exercitus.* Quod cùm ita ſit, Pſalm. 44. ſolùm dicit: *Aſtitit Regina à dextris tuis*, &c. Illic omnis Angelorum exercitus dicitur aſtare Deo pro hominum ſalute pugnaturus, hic autem vna Regina, nimirum Maria aſtare dicitur. Si omnis Angelorum exercitus aſtat, cur vna dicitur à Pſalmo aſtare Maria? Vna Maria ſtat pro omni Angelorum, Sanctorumque exercitu, in ipſa enim eſt omnium poteſtatum vniuerſitas, vt ſuos defendat. Ait Richard. à ſancto [Rich. Laur.] Laurent. lib. 6. de laud. Mariæ: *Impugnatis, & maximè ſeruis ſuis adſtat, & conſiſtit adiutrix fideliſſima Maria, quibus mundus, caro, dæmonia diuerſa mouent prælia. Ipſa enim amatoribus ſuis murus eſt inexpugnabilis, & turris fortitudinis. Terribilis malignis ſpiritibus, vt caſtrorum acies ordinata, id eſt, ſicut vniuerſitas Sanctorum.* Quod eſt omnis exercitus Angelorum, Sanctorumve pro tuendis hominibus, totum id collectum inuenitur in vna Maria. De qua meritò dicatur [Iudith. 14.] illud Iudith 14. *Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor.* De qua aiebat D. Fulgent. epiſt. 2. [Fulgent.] c. 14. *Igitur, quòd omnis Iſraelitarum populus facere non potuit, vna vidua caſtitatis virtute perfecit. Obtruncauit vna mulier tanti agminis ducem & ſperatam Dei populo reddit libertatem.* Planè, quòd totus exercitus Angelorum, & Sanctorum omnium facere non poteſt, in conſequenda hominum ſalute, id vna perficit Maria, vt cuius valentia apud Deum maior illis omnibus ſit.

§. VII.

Non regium, ſed pecuinum eſt pro libito, & appetitu proprio omnia moderari.

SI quando Dauid meritò vocatur Rex, is maximè in præſenti vocatur, cùm dicat ceat. *Ad quos Rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam.* Quid magis regium? Volebat Dauid ire in certamen, ſed audita ſuorum ratione, non ait, quod volo, quod cupio, faciam, ſed quod vobis rectum videtur, hoc faciam. Meritò Rex vocatur, qui hæc facit, pro libito enim, & appetitu proprio velle omnia gubernare, [Pſalm. 48.] non Regum eſt, ſed pecudum. Pſalm. 48. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Non de omni homine aſſerit, quòd iumentis aſſimilatus fuerit, ſed de homine, qui in honore, qui in ſede eſt maieſtatis. Et cur magis homo in ſede honoris, & dignitatis conſtitutus dicitur iumentis aſſimilari? Facit hoc ſedes honoris, & dignitatis, vt homo multa operetur pro ſolo libito, & appetitu voluntatis ſuæ, in quo maximè redditur ſimilis pecudibus. Quò ſpectans monebat Eugenium ſuum Pontif. Max. D. Bernard. lib. 3. de conſider. in[Bernard.]quiens: *Quomodo non indecens tibi voluntate, pro lege vti; & quia non eſt, ad quem appelleris poteſtatem exercere, negligere rationem? Tu ne maior Domino tuo, qui ait* Ioan. 6. *Non veni facere voluntatem meam? Quanquam non minus dete&ti, quàm elati animi eſt, velut rationis expertem, non pro ratione, ſed pro libito agere; non iudicio agi, ſed appetitu. Quid tam beſtiale? Etſi indignum cuique vtenti ratione viuere vt pecus; quis in te rectore omnium tanto contumeliam naturæ, honoris iniuria ferat? Sic degenerando commune opprobrium feciſti proprium tibi: Homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Piaculum duxi aliquid decerpere à tanto Doctore, qui vt prudentiſſimus, & ſanctiſſimus in eo maximè credit principes, & præſules aſſimilari pecudibus, ſi pro ſolo libito, & voluntatis ſuæ appetitu ad opera ferantur, quæ non niſi de multa ratione, & conſilio debent in lucem prodire.

2. *Regum* 18. Stetit ergo Rex iuxta portam, egrediebatúrque populus per turmas ſuas: centeni, & milleni. Et præcepit Rex Ioab, & Abiſai, & Ethai dicens: Seruate mihi puerum Abſalon. Et omnis populus audiebat præcipientem Regem cunctis principibus pro Abſalon.

§. VIII.

Vbi iuſtitia, & virtus, mala non perſeuerant.

LOngè minorem numero exercitum aduersùs Abſalonem remittens Dauid, tamen quaſi certus de victoria præcipiebat ſuis ducibus: *Seruate mihi puerum Abſalonem.* Et vnde tam certus erat de victoria, vt ageret de aduerſarij ſeruanda ſalute? Ait Abul. quæſt. 7. [Abul.] *Dauid erat certus de victoria ſuorum, quia Deus promiſerat ei, quòd ſeruaret eum in omnibus; nunc autem intulerat ei mala ad tempus, quia peccauerat. Iam autem non eſſet eum afflicturus, cùm doluiſſet de peccato.* Vbi & lachrymæ, & pœnitentia, & dolor credebantur deleuiſſe Dauidis peccatum, meritò creduntur non perſeueratura iam mala, quæ in viris iuſtis neſciunt durare. Dan. 1. expugnata fuit Ieruſalem à Nabuchodonoſor, totuſque eius populus captiuus delatus eſt Babylonem. Dum autem captiui memorantur, ait ibi textus: *Fuerunt ergo inter eos de filijs Iuda, Daniel, Ananias, Miſael, & Azarias.* Et ſanè hi ſanctiſſimi erant, omnique virtutum genere maximè ornati, & nihilominus permittuntur à Deo in captiuitate, & Babylonica ſeruitute eſſe. Et cur, qui adeò iuſti & ſancti erant, eſſe permittuntur in captiuitate? Volebat Deus oſtēdere illam captiuitatem eſſe temporalem, & breui abſoluendam, ideo in illa poſuit viros iuſtos, & ſanctos, qui teſtificarentur eitam euaſionem, quia in Sanctis, & iuſtis nequeunt mala durare. Quò ſpectans D. Ambroſ. lib. 1. de Iacob cap. 8. ait de [Ambroſ.] illis. *Ideo in captiuitatem ducti ſunt, vt populo & præſentia in captiuitate ſolatia, & ſpem euadendæ captiuitatis offerrent.* Quippe adeò Sancti captiui certam ſpem euadendæ captiuitatis prætendebant, quia mala neſciunt durare in Sanctis. Vbi enim iuſtitia eſt, & virtus elarere incipit, iam plaudit proſperitas, & fœlicitas. Numer. 31. ait Moyſes ad populum: *Armate ex vobis viros ad pugnam, qui poſſint vltionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de ſingulis tribubus eligantur,* &c. [Num. 31.] Mille de ſingulis tribubus numerum complent duodecim millium. Et quomodo audeant duodecim millia hominum pugnare aduersùs Madian? Nonne antea ingens Iſraelitarum exercitus victus, & fugatus fuit à Madianitis, quomodo nunc tam pauci aduersùs illos ſtabunt? Antea in peccato erant Iſraelitæ, & ideo cadebant; nunc peccato expurgati, & iuſtitiam induti non timent caſum, ſed victoriam certò ſperant, quia neſcit caſus durare in eis, in quibus iuſtitia eſt, & virtus claret. Pro quo Orig. [Origen.] homil. 25. in Numer. ait: *Filij Iſrael dudum ſexcenta millia fuerunt armatorum, qui proceſſerant aduersùs Madian, & hi omnes victi ſunt, quoniam peccatum erat in ipſis. Nunc ergo victores Madianitæ, qui ſexcenta millia fugauerant, vincuntur à duodecim millibus, vt ſcias, quia non in multitudine, nec in numero militum vincit Iſrael, ſed iuſtitia, & pietas eſt in eis, quæ vincit.* Non equidem, aut multitudo militum, aut eorum robur pellebat hoſtes ab Iſraelitis, ſed iuſtitia, & pietas, quibus ornabantur. Dum peccatum in eis erat, eò confluebant mala omnia; vbi autem non iam peccatum, ſed iuſtitia, ſed pietas apparebat, nullum malum poterat ibi conſiſtere, ſed proſperitas, & fœlicitas. Huc adducenda dicta tom. 4. de Chriſto figurato lib. 8. cap. 9. §. 14.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

Qui primi venenum peccati experti ſunt, ſolent primi præſentire remedium.

CVm ait Dauid: *Seruate mihi puerum Abſalon*; meritò creditur ab Abulenſi iam præſenſiſſe victoriam ſuam, & totius calamitatis remedium. Inter tot duces exercitus, primus, & ſolus Dauid præſenſit victoriam, & de hoſtis ſui ſalute ſeruanda agebat. Nec mirot, vt enim ipſe guſtauerat adulterij, homicidijve venenum, quod eorum illam rebellionem adduxerat, ſic ipſe primus præſentit remedium. Matth. 28. mulieres ſepulchrum Ieſu vacuum viderunt, & primam reſurrectionis vocem ab Angelo audierunt, imò dum pergunt hoc dicere diſci-
Matth. 28. pulis, *Ecce Ieſus occurrit illis, dicens: Auete.* Cur tantum reſurrectionis gaudium primæ mulieres prægustant? Ait
Nyſſen. D. Nyſſenus orat. 2. de Reſur. *Etenim oportebat primum muliebrem ſexum & ab Angelo bonum reſurrectionis accipere nuntium, & Dominum videre, & primam ab eo vocem audire, Saluete. Quoniam mulier quoque prima audierat fraudem ſerpentis, & contra præceptum viderat ligni interdicti fructum, & pœno triſtitiæ, ac doloris condemnata fuerat. Quapropter etiam adorare ſeruatorem, & pedes apprehendere, & contrectare permittebat, vt iis quæ prima deſciuerant, & alienatæ erant ab eo.* Vt primæ peccati veneno fuerant mulieres infectæ, ſic primæ permittuntur guſtare remedium, quòd per reſurrectionem Ieſu illi allatum erat. Luc. 21. locutus Dominus de extrema mundi conſummatione, & vniuerſali omnium reſur-
Luc. 21. rectione, ait: *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* hoc eſt, conſummatio vtriuſque libertatis, animæ & corporis. Et quando certum eſt, quòd animæ cùm primum à corpore exuuntur, guſtum percipiunt fœlicitatis æternæ, cur corpora priùs ſinuntur in terram ire, & poſt longiſſima tempora tandem ad eam fœlicitatem venire? Cur non ſimul cum anima percipiunt ſalutem? Ait Theophylactus ibi:
Theophyl. *Sicut prior aduentus Domini in reſtaurationem & regenerationem animarum noſtrarum fuit, ita & ſecundus erit in regenerationem corporum. Quoniam enim animæ priùs mortuæ fuerant propter inobedientiam, corpora autem poſt nongentos annos inobedientiæ mortis vim experta ſunt, ideo poſteriùs regenerantur, & melius habent; ideirco & Dominus dicit: Quando hæc fiunt, ſuſpicite, qui grauati eſtis corruptione, quaſi libertate donandi. Nam redemptio veſtra, adeſt, hoc eſt, conſummatio vtriuſque libertatis, animæ, inquam & corporis.* Quippe in primis hominibus animæ primæ exceperunt mortem peccati; corpora autem poſt multa ſæcula experta fuerunt mortis ſententiam à peccato ortam. Ideo etiam animæ prius abeunt in vitam æternam, quàm corpora quorum eſt priùs multis ſæculis in terra quieſcere.

§. X.

Adoleſcentum culpæ veniabiles.

IN rebelli filio id conſiderat Dauid, quod magis ad veniam facit nimirum ætatis immaturitatem, dicens: *Seruate mihi puerum Abſalon*, puerum nominat, vt vel inde oſtendat veniâ dignum. Veniabiles enim ſunt culpæ, quæ ab adoleſcentibus committuntur. De Ioſeph in Ægypto re-
Geneſ. 43. gnante locutus textus Gen. 43. ait: *Attollens autem Ioſeph oculos vidit Beniamin fratrem ſuum vterinum, & ait: Iſte eſt frater veſter paruulus, de quo dixeratis mihi?* Vt autem ſacri Myſtæ in Ioſeph Chriſtum, in Beniamin Paulum intelligunt; ſic hæc verba mediatorum à Chriſto prolata pro Paulo, quibus ait: *Iſte eſt frater veſter paruulus?* Siue, vt in Græco: *Iſte eſt frater veſter minor?* Et quidem Pauli iuuentus, & adoleſcentia, non parum hoſtilis fuit aduersùs Chriſtum. Cùm enim lapida-
Actor. 13. retur Stephanus Actor. 13. ait: *Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis qui vocabatur Saulus*, &c. Paulus ergo adoleſcens ſeruabat veſtimenta lapidantium, vt ipſe omnium manibus chriſtianum hominem lapidaret. Cur ergo Chriſtus in Paulo adeò ſibi hoſtilem adoleſcentiam meminit, fatus: *Iſte eſt frater veſter minor?* In hoſte ſuo mediabatur Ieſus adoleſcentiam ætatis, ne tanti eius culpam æſtimaret, ſed magis inde illam oſtenderet venia-
Ambroſ. bilem. Ait D. Ambr. lib. de Ioſeph c. 10. *Ideo adoleſcentior di-*

cebatur à Chriſto, vt qui vocabatur ad gratiam, excuſaretur à culpa, quòd ea lubricæ fuiſſet ætatis. Adoleſcentem meminit, vt magis in eo culpam excuſaret; quis enim non parcat lubricæ ætati? Vt nouũ, & inuſitatum obijciebat Deo Iob c. 13. *Scri-* *Iob.* 13.
bis contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Circa quæ ait Olympiod. in cat. Græca *Vides quemadmodum culpæ ſe affinem cognoſcat, atotique veniam cupiat impetrare, nec non ætatis culpa ſeſe ſontem oſtendere.* Itaque vbi veniam exoptat, adoleſcentiæ prætendit ætatem, quæ non paruam peccatis excuſationem affert. Quò reſpiciens etiam D. Ambr. lib. 1. de Interpel. c. 7. ait. *Pulchrè id ætatis ar-* Ambroſ.
ripuit ad querelam, quæ magis ad vitium lubrica eſſe conſueuit. Adoleſcentia ſola eſt inualida viribus, infirma conſiliis, vitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa delicijs. In tanto igitur confragoſo, & procelloſo mundi huius turbine, cur tam crebra naufragia improuida adſcribuntur ætati? Vnde præclarè Dauid totius temporis eius veniam ſibi à Domino poſtulauit, dicens: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantiæ ne memineris Domine. Vt citiùs veniam ſuis acquirat delictis, ea oſtendit peracta in adoleſcentiæ lubrico.

§. XI.

Certum eſt excidium filiis, qui in parentes peſſimi ſunt.

ET minorem numero exercitum mittit Dauid, & quaſi certus de hoſtis excidio agit de ſeruanda Abſalonis ſalute, dicens: *Seruate mihi puerum Abſalon.* Et meritò poteſt agere de eo ſeruando, qui certò periturus erat. Venit enim certiſſimum excidium eis, qui parentibus, & cognatis peſſimi ſunt. Sic monebat Caium Tiberius Imperator apud Ioſephum lib. 18. Iudaicar. Antiq. c. 18. *Qui in conſanguinitatis iura peccant, nunquam diuinam vltionem effugiunt.* Hoc ſanctum, & obſeruatum erat ipſis Gentilibus, vt diuina vindicta, & ira proxima erat his, qui in parentes erant iniqui. Ille prodigus filius Luc. 15. ſubſtantiæ ſuæ partem à patre petiit, vt patri valediceret. Quid tũc? *Cõgregatis omnibus adoleſcentior filius peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam*, &c. Ecce tibi vt ſimul ſunt diſceſſus à patre, & diſſipatio ſubſtantiæ, & lethalis famis ſupplicium: nunquam enim non venit ſupplicium in eos, qui ſic iniqui ſunt in parentes ſuos. Vt dicat Chryſol. ſerm. 1. Chryſol.
Qui congregauit bona patris, & abiit longè plus mente, quàm loco, vt dato, non accepto pretio miſerè ſe venderet ſeruitati. Sic mercator ad talem contractum peruenit, qui parentum debitum neſcit ſoluere, qui vicem neſcit redhibere generanti. Nunquam parentum oſoribus alium expectes finem, quàm miſeram ſeruitutem, quàm extremam ruinam. Ariſtobulus Iudæorum Rex poſt peractum parricidium in morbum incidit, quo expergefactus iam iam moriturus clamabat apud Egeſipp. lib. 1. c. 8.
Haud rependitur meritis meis congrua viciſſitudo. Nec enim Dei Egeſipp.
oculum tam impij machinator ſceleris præterire poteram. Matura flagitij vltio ſubeſt, & iam digno conuenior parricidij mei pretio. Mactetur hoſtia parricidalis, atque immoletur violatæ neceſſitudini, totum ſimul cato noxia ſanguinem euomat. Non viſcerum meorum cruciatibus, & lenta tabe dæmoniam exſatietur, quòd me in tam nefarios auſus ſaui facinoris impegit. His dictis finem imperij, ac vitæ dedit. Sic certum venit ſupplicium his, qui conſanguinitatis ius violant, & in cognatos ſunt iniqui.

§. XII.

Parenti optimo vna filij vita ſufficit.

NOn ciuitatum reſtaurationem, non regni recuperationem, non rebellium ſpolia ſibi petit Dauid à militibus, ſed vnam filij petit ſibi ſalutem. Ait enim: *Seruate mihi puerum Abſalonem.* Expende illud, *ſeruate mihi*; aliis enim alia ſeruentur, Dauidi autem parenti optimo hoc ſufficit, ſi ei ſeruetur filius. Et quando parenti optimo non ſufficit vna filij vita? Pater ille Euangelicus Luc. 15. prodigum filium, ſubſtantiæ diſſipatorem, reuertentem nudum excipit & gaudio, & conuiuio; dicens: *Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater* *Luc.* 15.
tuus hic mortuus erat, & reuixit. Reuixit equidem filius, ſed non reuixit ſubſtantia, non reuixerunt bona dilapidata;

in tantorum ergo bonorum perditione cur gaudeat pater de vno ſolo filio, & nudo recuperato? Equidem bono patri vna ſufficiebat vita filij, in quo ſolo omnia ſibi puChryſol. tabat manere integra. Vt meritò dicat D. Chryſol. ſerm. 4. *In filio eſt ſubſtantia patris tota: & ideo nil pater perdidit, filium cùm recepit.* Quidquid ſubſtantiæ, quidquid bonorum requiri ſolet ab hominibus, hoc totum bonus pater ſibi habet in ſola filij vita. Hæc ſi adſit, nihil ſibi perdi, nihil ſibi deficere putat, ſed omnia eſſe ſibi integra. Dicebat Iacob Gen. 45. Geneſ. 45. post auditam Ioſephi vitam: *Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit.* Circa quæ Lyppom. in Cat. ait: *Dicat* Lippom. *igitur ſenex Iacob: Abundè ſufficit mihi pro longi mei mœroris conſolatione, ex omnibus, quæ in hac vita deinceps deſidera; gaudium maius non cupio, quàm vt filius meus Ioſeph adhuc viuat, etſi alia omnia deſint, etſi in aliis omnibus ſubeſſet fraus, & impoſtura.* Non regnum Ioſephi narratum, non immenſæ diuitiæ, non fœlicitates eius bonum patrem implebant, ſed vna filij vita. Si nudus ille, & omnibus vacuatus inuentus eſſet, dum tamen viueret, parenti pro omnibus aliis ſufficeret.

§. XIII.

In patris iudicio nihil eſt ad ſalutem non conducens.

Vide vocem patris erga rebellem filium: *Seruate mihi puerum Abſalonem.* Neſcit enim pater aliter pronuntiare, neſcit pater dicere, niſi quæ filio ſint ad ſalutem. Illi nequam, & luxurioſo filio occurrit pater aliquando Luc. 15. Ait enim text. *Vidit illum pater ipſius, & miſericor-* Luc. 15. *dia motus eſt motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum,* &c. *Dixit autem pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolam primam, & induite,* &c. Non reiecit pater filium, ſed admiſit, non nudauit eius crimina coram aliis, ſed operuit, non malum intulit, ſed oſculum dedit. Et cur pater non magis abiicit talem filium? Cur vel crimina confitentem illis verbis: *Peccaui in cœlum, & coram te,* non percuiit aliquo verbere? Non iudicem, ſed patrem agit, cuius eſt illa ſola præſtare, quæ ad ſalutem conducunt. Ait D. Chryſol. Chryſol. ſerm. 2. *Pater viſo filio cooperit mox reatum, diſſimulat iudicem, qui magis vult implere genitorem, & ſententiam citò vertit in veniam, qui rediro cupit filium, non perire.* Expende illa: *Diſſimulat iudicem, qui magis vult implere genitorem;* non diſſimulat iudicem, vt impleat tyrannum, non iudicis cognitionem excutit, vt inauditum, & ſine legitimis teſtibus damnet, quod tyrannicum eſſet, ſed vt patrem agat vel conuicto, & inexcuſabili parcens. A iudicis ſententia abſtinet, vt veniam præſtet velut pater, non vt damnum inferat, quòd minimè iudex poſſet præſtare. Tyranniſſimus ille Herodes in reorum filiorum cauſis, ſe patrem proteſtabatur, non vt eis parceret, ſed vt eos certiùs, & celeriùs inexpectatis forenſibus circunſtantiis damnaret. De quo multa, & pulchra Egeſippus lib. 1. cap. 41. & tan-Egeſipp. dem ait: *Scena etenim ſpecies erat, non iudicij diſciplina condemnare abſentes, condemnare ſine teſte, ſine indice, ſola naturæ priuilegio, quod ad ſalutem magis, quàm ad periculum deriuari ſoleret.* Sic errarent, qui priuilegio paterni fori abutentes ea incommoda filio inferrent, quæ nullo modo etiam ſeueriſſimus iudex inferre valeat.

Capvt X. & vlt.

Abſalonis ruina.

TEXTVS HISTORIA.

Egreſſvs itaque Dauidis exercitus in campum, ad locum peruenit Ephraimitarum antiquis geſtis maximè nominatum, ibique dato ſigno, in hoſtem paratum ruit, omnem nocendi occaſionem requirens. Erat Abſalonis exercitus ſuperior numero, ſed cauſa infirmior, vnde congreſſione habita ceciderunt eorum viginti millia. Cùm enim Iſraelitæ Dauidicorum impetum ferre non poſſent, in fugam auerſi, quò quemque ſpes euadendi vocabat, eo temerè ibat. Ergo & in ſaltum auium conciti ferebantur, & in terræ voragines abiiciebant ſe, ne perſequentis hoſtis gladio ferirentur, & ex caſu diſrumpebantur, & alij ab aliis oppreſſi ſuffocabantur, ſicque factum eſt, vt multo plures ſaltus conſumpſerit, quàm gladius euicerit. Interea à plurimis vnus Abſalon petebatur. Is veritus ne caperetur, conſcenſa mula regia, effuſo curſu fugiebat. Cumque per agitationem ventilaretur capillitium, aſperæ arboris prominenti ramo inopinatè implicitum iuuenem ſuſpendit. Implicitum vidit & ſuſpenſum miles gregarius, nec auſus eſt filium Regis, hoſtilis exercitus principem ex arbore depoſitum comprehendere, veritus ne elaberetur, vel tantum ſpolium malens principi militiæ reſeruare. Ergo aduolat ad Ioab, infelicis iuuenis ſuſpendium narrat, accepturus ab illo maiorem mercedem, ſi à ſe interfectum narraret. Sed qua mercede rueret miles in interitum eius, cuius ſalutem ſciebat tanto Regis præcepto poſtulatam? Audacior Ioab acceptis tribus ſpiculis infelicis iuuenis pectora ſemel, & ter transfigit, accedenteſque decem alij iuuenes corpus ab arbore in terram deiiciunt, multis factum ictibus cadauer. Tandem in profundam voraginem præcipitant, multoque opprimunt lapide, vt videatur parricidæ pœna à Dei lege dilapſa. Heu iuuenis miser, imperij ſolum fœlix breuitate!

PARS MORALIS
circa textum.

Mersto, ait Theodoretus rebellis Abſalon ſuſpenſus hæſit, iucundiſſimum viris piis ſpectaculum & omnia adminiſtrantis prouidentiæ iuſtam oſtendens ſententiam.

2. *Regum* 18. Itaque egreſſus eſt populus in campum contra Iſraël, & factum eſt prælium in ſaltu Ephraim. Et cæſus eſt ibi populus Iſraël ab exercitu Dauid, factaque eſt plaga magna in die illa viginti millium. Fuit autem ibi prælium diſperſum ſuper faciem omnis terræ, & multò plures erant, quos ſaltus conſumpſerat de populo, quàm hi, quos vorauerat gladius in die illa,

§. I.

Victoria non penes eum, qui valentiorem, & numeroſiorem exercitum habet, ſed penes eum, qui habet ſibi Deum.

Conſertis manibus vincitur Abſalonis exercitus numeroſiſſimus, dicente textu: *Cæſus eſt ibi populus Iſrael,* &c. *ab exercitu Dauid, factáque eſt plaga magna in die illa viginti millium.* Longè minor numero exercitus & validiorem, & numeroſiorem percuſſit, nec miror; licèt enim Dauid haberet pauciores milites, habebat ſecum Deum ſibi propitium. Victoriæ autem non eis accidunt, qui validiores, numeroſioreſve exercitus habent, ſed illis qui pro ſe habent Deum. Abia Salomonis nepos 2. Paralip. 13. ingenti Ieroboami exercitu vallatus vndique, vt facile poſſit diſcerpi, imò vorari ab illo; auſus eſt nihilominus cum iam ſuperiore hoſte confligere, ſciens ſibi quidquid Dei erat, adeſſe. Quid tunc? Ait text. *Percuſſit ergo eos* 2. Paral. 13. *Abias, & populus eius plaga magna, & corruerunt vulnerati ex Iſrael quinquaginta millia virorum fortium. Humiliatique ſunt filij Iſrael tempore illo; & vehementiſſimè*

confortati

confortati filij Iuda, eo quòd ſperaſſent in Domino. Multi, & validi Iſraclitæ corruerunt, pauci autem de Iuda præualuerunt, & quinquaginta millia fortiſſimorum peremerunt? Habebant pro ſe Deum, cuius nitebantur auxilio. Theodor. Ait Theodoret. ibi: *Iudam quidem circundederunt decem tribus, ipſi verò iubilarunt, & diuinum auxilium implorarunt. Deus autem ad belli auxilium vocatus hoſtium audaciam conuertit in timorem, & conuerſi aufugerunt omnes, & cæſa ſunt quinquaginta millia ex fugientibus. Dicit etiam fugæ cauſam. Et inualuerunt filij Iuda, quòd ſperauerant in Dominum*, &c. Non quòd plures, non quòd validiores eſſent, erant enim numero longè infirmiores, ſed habebant pro ſe Deum, in quem ſperabant, & hæc fuit tota cauſa victoriæ. Non aliter Aſa 2. Paral. 14. trecenta millia militum produxit in certamen aduersùs Arabes; qui cum decies centenis millibus veniebant. Quid tunc Aſa? Decidit ne animo tantam videns 2. Paral. 14. multitudinem hoſtium? Imò ait textus: *Inuocauit Aſa Dominum Deum, & ait: Domine non eſt apud te vlla diſtantia, vtrùm in paucis auxilieris*, &c. *Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Aſa*, &c. Ecce tibi decies centena millia virorum fugientium, & trementium coram Aſa, qui cum trecentis millibus perſequebatur, & percutiebat eos. De quo Egeſipp. pulchrè ait Egeſippus lib. 5. cap. 16. *Vicit & Aſa prælio: ſed poſtea quàm deſperantibus ſuis, quòd numero eſſent inferiores, dixit: Nihil intereſſe, pauci, an plures ſint, cùm Deus paucos timentes, ſe pluribus faciat validiores.* Sic ſemper Deus, non numerus, nec valentia militum dat victorias. Quod vtinam aduerterent mundi principes, & vt curant habere militum copias, potentiam armorum, curarent pro ſe habere Dominum. Mentiar, niſi in hoc non haberent plures victorias.

§. II.

Diſcordiam, diuiſionemvè qui cauſant, diuiſione, diſcordiavè peribunt.

NOtanter dictum eſt illud in Abſalonis exercitus ruina, nimirum: *Fuit autem ibi prælium diſperſum ſuper faciem omnis terræ.* Quippe Dauidis exercitus adunatus, & bene ordinatus primo impetu diuiſit, & diſperſit Abſalonis exercitum penè innumerabilem, quo miserè percuſſus eſt. Nec immeritò, qui enim diuiſionem, & diſcordiam à Dauide faciebant, regnum in factiones diuidentes, ſic debuerunt diuiſione perimi. Nunquam enim diuiſionum fautores diuiſionibus etiam non pereunt. Fuit illa Matth. 26. Ieſu Domini ſententia Matth. 26. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quæ verba transfert Diuus Auguſtinus ad gladium linguæ, quæ diuiſiones, & diſcordias ſeminat, cuius eſt in diuiſionibus, & diſperſionibus extremam ſui ruinam metere. Sic mordit Donatum diſſeminatorem diuiſionum in Eccleſia lib. de Agone Chriſtiano August. cap. 29. *Sicut enim Donatus Chriſtum diuidere conatus eſt, ſic ipſe à ſuis quotidiana conciſione diuiditur. Ad hoc etiam pertinet illud, quod Dominus dicit: Qui gladio percuſſerit, gladio morietur. Gladius enim illo loco diſcordioſam linguam ſignificat, qua tunc ille infelix Eccleſiam percuſſit*, &c. *Ergo ille percuſſit Eccleſiam lingua litigioſa, qua nunc ipſe conciditur, vt minutim diſpereat, atque moriatur.* Ecce qui diſcordias, & diuiſiones in Eccleſiam immittit, diuiſionibus, & diſcordiis perit. Semper enim diſcordiæ, & diuiſiones ſequuntur ad mortem vſque illum, qui ſe vel à capite, vel à membris Eccle-Oſ. 10. ſiæ diuidit. Vt meritò dicat Oſeas cap. 10. *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Et quomodo interibunt? Interibunt equidem diuiſionibus, & ſeditionibus. Poſtquam enim Ieroboam à domo Dauid fecit diuiſionem, diuiſionibus & ſeditionibus totus Iſrael conſumebatur. Vide lib. 3. Reg. à cap. 16. vt Zambri ſeditionem facit aduersùs Ela, ab eoque regnum capit. Aduersùs autem Zambri rebellat Ambri: poſt quem in filios Achab exurgit Iehu, vniuerſoſque perimit, nihilque in Iſraelitico regno frequentius videtur, quàm rebelliones, ſeditiones, diſcordiæ. Sic diſcordiis periit, qui nititur diſcordias & diui-Rupert. ſiones ſeminare. Adhæc Rupert. ibi ait: *Palàm ex hiſtoria Regum ferè cognoſcitur, quàm verè, quàm multipliciter cor eorum diuiſum fuerit, ex quo diuiſerunt ſe à domo Dauid. Quippe qui ferè decies contra ſemetipſos diuiſi, Reges alios, percuſſis aliis, ſibi conſtituerunt, & tandem iuxta vocem hanc, nunc interibunt, in captiuitatem irreuocabilem ducti ſunt.* Sic poſt diuiſiunem factam a domo Dauid diuiſionibus, & diſſenſionibus Iſraelitæ perierunt. Et quid Iudæi poſtquam ſe a vero Dauide Ieſu diuiſerunt? Pergit ibi Rupet. *Porrò tempore illo, quo ſemetipſos à vero Dauid, id eſt, filio Dei diuiſerunt, mirum dictu eſt, quàm crudeli diſcordia contra ſemetipſos diuiſa fuerit multitudo Iudæorum. Multò quidem crudeliores ſibimet per implacabiles ſeditiones intus extiterunt, quam eſſe potuerit foris obſidens exercitus Romanorum.* Nunquam non pereunt diuiſionibus, & ſeditionibus, qui diuiſiones faciunt in populo à vero domino. Ibid.

§. III.

Terra maximè aduerſatur factionariis, & ſeditioſis.

ILlud etiam maximè ponderandum eſt, quod ait textus; nimirum: *Multo plures erant, quos ſaltus conſumpſerat, de populo, quàm hi, quos vorauerat gladius.* Quippe erant in ſaltu illo frequentes terræ voragines, in quas fugientes Iſraelitæ præcipites ſe dabant, & alij ab aliis oppreſſi ſuffocabantur. Adeo vt hæ terræ voragines pluribus lethum inferrent, quàm Dauidis exercitus gladius: ne viderentur ſeditioſi homines tam à gladio, quam à terra vorari. Antiquum enim eſt, quòd terra maximè videatur ſeditioſis aduerſari. Nota eſt ſeditio Core contra Moyſem excitata; de his autem ſeditioſis locutus Moyſes Num. 16. ait: *Sin autem nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viuentes in infernum, ſcietis, quòd blaſphemauerint Dominum. Confeſtim igitur, vt ceſſauit loqui, diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos*, &c. Sic factionarios illos, & ſeditioſos terræ tradidit Moyſes deuorandos. Num. 16. Aliter Exod. 32. vbi caſtigare voluit vituli adoratores, illos gladiis tradidit Leuitarum; dicit enim ad Leuitas: *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite, & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & proximum ſuum.* Exod. 32. Ecce tibi idololatræ gladiis traduntur caſtigandi, factionarij autem & ſeditioſi non gladiis ſed terræ hiatibus ſunt traditi. Et cur ij non gladiis, ſed terræ traduntur? Fortè vir diuinus magis auerſabatur factionarios, & ſeditioſos, quàm idololatras, & ideo illos terræ tradidit, quæ maximè illis erat aduerſaria. Ait D. Auguſt. lib. 1. de Baptiſm. contra Donatiſtas cap. 8. *Itaque Donatiſtæ illos, quos baptizant, ſanant vulnere idololatriæ, ſeu infidelitatis, ſed grauius feriunt vulnere ſchiſmatis. Idololatras enim in populo Dei gladius interemit, ſchiſmaticos autem terræ hiatus abſorbuit.* August. Sic non dubitat Auguſtinus credere grauius infirmari homines vulnere ſchiſmatis, & ſeditionis, quàm vulnere infidelitatis, & ideo non leuiùs à gladio feriri, ſed vehementiùs à terra vorari. Cuius eſt ſuas aperire fauces, vt glutiat ſeditioſos, & factionarios. Exod. 14. *Filij Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris.* Exod. 14. Et mirabar, quòd Deus tanto in aquis maris miraculo facto deduceret ad portum populum illum, à quo nouerat tot ſeditiones in Moyſem excitandas: Cur, quod poſtea facere voluit, in mari eos non percuſſit, manebat ſeditioſos pœna è terra exitura, quæ præcipuè aduerſatur illis. Quo ſpectat D. Zeno ſerm. 2. de Exod. inquiens: *Per mare pedibus ambulaſti, vt patereris in terra naufragium.* Zenó. Seditioſos expectat à terra vindicta.

2. *Regum* 18. Accidit autem, vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid ſedens mulo: cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput eius quercui; & illo ſuſpenſo inter cœlum, & terram, mulus, cui inſederat, pertranſiuit. Vidit autem hoc quiſpiam, & nunciauit Ioab, dicens: Vidi Abſalonem pendentem de quercu, *&c.*

§. I V.

Pulchritudo temporalis brutorum cibus.

TOta illa capillorum ambitio in Abſalone, & faciei decor quercui arbori adhæſit, dicente textu: *Adhæſit caput eius quercui.* Nec id caſu accidit, ſed vt diuina prouidentia oſtenderet, quàm parallela eſſent, & quercus, & corporalis pulchritudo, vtraque enim non aliis, quam porcis cibos præbet. Adhæret equidem pulcherrima Abſalonis facies quercui, vt enim non adhærent arbores niſi ſimilibus arboribus in fructu, ſic pulcherrima illa facies non adhæſiſſet quercui, niſi ſimilis illi in fructu eſſet, parãs ſolis animantibus immundis eſcas. Vnde monebat Diuus

Chryſoſt. Chryſoſtomus homil. 1. in Pſalm. 50. *Si ergo videris virum, aut mulierem ſpecioſam, ne admireris; nam & roborũ arbores, cùm denſæ ſint folijs, & altitudine excelſæ, attamen non habent fructum hominibus aptum, ſed porcis offerunt cibum.* Sic ſanctus Pater monet, vt cùm viderimus virum, aut mulierem ſpecioſam, ſimul recordemur quercum virentibus ſoliis præcelſam, cuius tamen fructus ſolis porcis offertur: ne alius fructus à pulchritudine corporali ſperetur. Sunt equidem pulchritudo corporalis, & quercus parallela in porcis paſcendis.

Luc. 15. Adoleſcens ille Luc. 15. *Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè. Et poſtquam omnia conſummaſſet, &c. adhæſit vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant,* &c. Ecce tibi ſolos porcorum cibos videbat, ſolos porcorum cibos ſibi adhiberi optabat. Et cur de ſolis porcorum cibis habendis ſollicitus erat? Cauſam indicant illa verba: *Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè*, vt luxurioſam vitam habebat, ſic totus erat in puellarum pulchritudine conquirenda, totus à pulchritudine oculorum, ab oris venuſtate, à linguæ ſermoniſve dulcedine pendens, de quibus nil aliud hauriri poteſt, niſi id ipſum quod porci manducant, & belluæ. Ait ad

Titus. hæc Titus Boſtrorum Epiſcop. *Vt primùm quis à Deo deſciuerit, perque carnis illecebras, & voluptates dæmonibus adhærere cœperit, ſtatim quaſi in porci naturam verſus, terram tantum ſpectat. In turpitudinis porrò cœno, vitro, citroque, aliquantiſper volutatus, meritò inter porcos cenſetur.* Nihil in ſe circa vitam aut cibum à porcis oſtendit diuerſum; vt enim porci circa quercetum verſantur, ſic laſciui circa pulchritudinem corporalem ſunt, quæ in cibandis porcis, quercui eſt parallelum.

§. V.

Ad maiorem patientis pœnam facit nouum, & inuſitatum genus mortis.

CAdentibus ſub ore gladij Iſraëlitis, eorum dux Abſalon à communi omnium excidio euadens nouum & inuſitatum malum incurrit. Dicit enim: *Accidit autem vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid ſedens mulo: cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput eius quercui*, &c. Cùm ſui trucidabantur à ſeruis Dauid, venit Abſalon, & in eorum manus incurrit. Omnes tamen illi pepercerunt, nullus auſus eſt ei malum incutere, ſed abire in condenſam quercum permittunt. Et cur non magis eum perſequuntur? Cur non magis fugientem vel percutiunt, vel capiunt? Hæc eſſet illi pœna communis cum pluribus, cui ad maiorem dolorem reſeruatum erat nouum, & inuſitatum exitium, vt ramis arborum irretitus periret.

Chryſoſt. Ait D. Chryſoſt. hom. de Abſalone: *Quamuis contra te dimicet cælum, moueatur terra, exercitus pugnet: tamen aliud te ignotum, & inopinatum ſuſtinet bellum, aliud tibi iam paratum prælium eſt. Non enim illi exercitus, quos cernis, &c. qui quamuis contra te exerant gladios, lanceas torqueant, tamen te fugientem arbor excipiet, rami interiment, ligna ſuſpendent.* Expende illa, *aliud te ignotum, & inopinatum ſuſtinet bellum*, quippe non communi, & nota clade peribat, quod ad aliquod eius leuamen pertineret, ſed in ignotum & ſingulare deuenit excidium, vt magis inde doleret. Sic enim ad exacerbandam populi Iudaici cladem aiebat Pſalm. 79.

Pſalm. 79. *ſingularis ferus depaſtus eſt eam*; quo enim nobis ſingularior accidit clades, eo vehementior eſt; & quò magis communis, eo lenior. Ex quo dicebat Sedul. in ſalutatorio ad virum illuſtrem, conſolans eum de morte filiæ: *An certè*

Sedul. *conquereris quaſi ſolus iſta perpeſſus ſis? Cum caſus hic vincat & Reges. An felicior Auguſto? An fortior Alexandro, fauorabilior Traiano, ſanctior es Theodoſio, cùm hoc habet obitu æquale tam miles, quàm princeps? Patienter dolendum eſt, quod habes commune cum mundo.* Planè quæ communis eſt clades, hebetiorem habet doloris aculeum; intolerabilior eſt, quæ incognita, & ſingularis venit. Quò etiam ſpectans D. Am-

Ambroſ. broſius lib. 1. de Iacob cap. 6. inde leuat hominis malum, aiens: *Quid illud quòd labor tibi communis eſt cum omni creatura? Quia propter te mundus ipſe tolerat corruptionem? Quia cum Sanctis tibi laboris huius, & expectationis commune conſortium eſt? Sol occaſum ſuum recognoſcit, Luna defectum, errorem ſtellarum ſumma, dum totius corporis noſtri expectatur redemptio.* Leuiùs equidem, & patientiùs nobis dolendum eſt in caſibus, qui toti ſunt mundo communes; quæ ſingularia ſunt mala, maiorem morſum doloris infigunt.

§. V I.

Vel inſenſibilia armantur in impius.

MIlitum manus euadens Abſalon arboris brachiis tenetur ad ſupplicium, quippe: *Cum ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput eius quercui*, &c. Contrahebant milites manus a filio Regis, ſed arbor inſenſibilis non paſſa eſt euadere impium, imò brachiis ſuis interitum tenuit, vt pœnas lueret. Ad hæc pul-

Chryſoſt. chrè D. Chryſoſtom. homil. de Abſalone ſaiut: *Reſpice iam ſceleſtiſſime hoſtis, ac nefande, iam reſpice parricida: reſpice, inquam, vſquequoque in te cuncta conuerti: reſpice contra te ab ipſa natura pugnari*, &c. *O nefandum meritum parricidæ! Iniuriam patris non pugnantis gladius, non hoſtilis manus, non iaculantis telum defendit; ſed vindicant ligna, arbor vleiſcitur, rami defendunt.* Sic diſſimulantibus hominibus, armantur ligna, & ipſa elementa inſenſibilia, vt prendant, & perimant impios.

Ionæ 1. Ionas à Deo fugiens cap. 1. ingreſſus eſt nauim, vt nauigaret in Tharſis: *Et facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.* nec tempeſtas, nec ventus ceſſat, donec Ionas tradatur vndis. Cur hæc? Ait Claudian. Mamereus in carm. contra poetas vanos:

Claudian.

Omnipotentis enim Domini natura rebellem
Cognoſcent, timuit, per ſe quaſi conſcia, tutum
Ferre reum, & ventis fugitiuum vinxit, & vndis.

Inſenſibilia quidem Deo ſenſerunt iniurium, illumque vinciunt, & detinent traditura ſupplicio. Quando enim non armantur inſenſibilia in Deo iniurios? Vbi Iudæi cru-

Matth. 27. cifixerunt Ieſum Matth. 27. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque ad deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt*, &c. Et quò ſpectabat iſta inſenſibilium commo-

Zeno. tio. Ait D. Zeno ſerm. 2. de Abraham: *Ad cuius immanis auſi ſæuitiam metuenda elementorum forma mutatur, & Dei iniuriam prius prodit natura, quàm intelligat populus Iudæorum.* Quippe promptiſſima ſunt vel elementa inſenſibilia vt Deo ſentiant illatas iniurias, quas vindicare feſtinant. Caue tibi homo impie, licèt enim tua crimina aut ignorent homines, aut diſſimulent, natura inſenſibilis illa ſentit, nec te patietur impunitum, quin vel ligna vel lapides in te exurgent. Ne tutum ſit tibi per terram mareve tranſire.

§. V I I.

Crimina in animo veteraſcentia hominem in pœnam præcipitant.

A Patris ſui ſeruis fugiens Abſalon quercui ſe tradidit; dicit enim: *Accidit, vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid ſedens mulo: cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum*, &c. Abſalon à ſuis deſtitutus, & iam perditionẽ præſentiens ſuam, offendit hinc ſeruos Dauid patris ſui, illinc condenſam quercum. Et vtram illarum partium eligeret? Nonne ſatius erat ad ſeruos patris ſui, quàm ad quercetum? Ille alter prodigus filius Luc. 15. iuxta quercus erat, cupiens ſaturari de ſiliquis; at in ſe reuerſus dicebat:

Luc. 15. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego hic*

fame

fame pereo. Surgam, & ibo, &c. Quercus cum ſiliquis decreuit dimittere, & ſortem ſeruorum patris ſui ambire. Cur tu ô miſer Abſalon non magis a quercubus fugis, & te ſeruis patris tui committis? Cur miſer fugis paternos ſeruos, & te quercui tradis? Inueterata in illo malitia miſerum agebat, imò præcipitabat in ſupplicium. Pulchrè ait *Chryſoſt.* D. Chryſoſtomus hom. de Abſalone; *Parricida nec ratione frangitur, nec imminenti interitu deterretur. Obduratur in pœnam, in ſupplicium cogitur.* Poterat vel pœnæ experientia patrem meminiſſe, & de eius ſeruis miſericordiam expectare, ſed obdurata tempore malitia vt illum in ſupplicium cogebat, & præcipitabat, ſic fecit vt à paternis ſeruis declinaret, & ad quercum confugeret, cuius brachiis illigatus periret. Diuiſo quondam in duas partes mari, iter datum eſt Iſraelitis, vt ad terram promiſſionis tranſirent ab hoſtibus immunes. Ingrediuntur ergo illi *Exod. 14.* ſicca maris iter, &, quod miteris magis, ait Exod. 14. *Perſequenteſque Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris.* Quid inconſideratius? Cur magis ô miſeri Ægyptij ad tantum miraculum non expaueſcitis? Cur non fugitis magis à mari, quod adeò ſe oſtendit fauorabile Iſraelitis? Equidem antiqua illa peccata in infantes Hebræorum patrata, & inueterata in Ægyptiorum animis miſeros agebant, vt inconſideratè currerent in ruinam ſuam. Ait Euſeb. Emiſſ. *Euſeb. Emiſ.* in cat. Lippom. *Virga eleuabatur, mare ſcindebatur. Stabat aqua eleuata quidem, ſed quaſi fræno coercita. At populus quidem ducem ſequebatur, Pharao verò obdureſcit, ac ſimul aduerſus Deum, & terram pugnam gerit poſt decem plagas, poſt Iſraelis emiſſionem. Nimirum ſanguis, atque inuiſta infantium cædes illum agitabat,* & vt Pharao mare ingrederetur, quò periret, calcar erat vetus illud eius infanticidium, quo in illo magis vetuſtum erat infanticidium, eo hominem magis agitabat, vt curreret ad extremam ruinam. Vt quiſque caueat ab inueteratis peccatis ſuis, à quibus ſane præcipitabitur, ne pœnam effugiat.

§. VIII.

Quæ iuſtis fauent creaturæ, exitiales ſunt impiis.

IN ardore inuenit Abſalon ruinam ſuam, ait enim: *Adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo,* &c. Quam rem *Chryſoſt.* ſic ponderat D. Chryſoſtom. hom. d. de Abſalone: *Paratam properè feſtinat ad arborem, cui eſt traditus; inſeritur ramis, obligatur lignis, transfixo gutture colligatus.* Equidem ab arbore capit Abſalon excidium, quando totus mundus ab arbore hauſit vitam. Arbor fuit mortis Abſaloni, & felicibus Chriſtianis arbor eſt ſalutis. Sic creaturæ fauentes piis, exitiabiles ſunt impiis. Et Ægyptij, & Iſraelitæ ingreſſi fuerant *Exod. 14.* mare Exod. 14. ſed: *Reuerſæ ſunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare, ne vnus quidem ſuperfuit ex eis. Filij autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris,* &c. Ecce tibi aquæ maris vt fauent Iſraelitis, ſic perdunt Ægyptios. Pulchre ad hæc *Hilar.* D. Hilar. in Pſalm. 144. *Vbi fuerat ſalus Religioſorum, ibi pœna conſtitit impiorum. Circumſtant alios firmitate muri ſolidatæ vndæ, alios refuſæ ipſæ illæ, quæ conſtiterant, abſorbeat. Ad iſtos pelagus naturam ſuam veſcit, hos per naturam ſuam punit. Ad iſtos ex mari terra eſt, iſtis, quod erat, mare eſt. Horum ſalus ſanctitas eſt, horum mors terror eſt.* Quid pulchrius? Sic ſeſe ſæpiùs efformant creaturæ erga iuſtos, & aduerſùs iniuſtos. Babylonica fornax incenſa a miniſtris Regis habebat totus tres caſtiſſimos pueros Hebræos. Tunc ait Dan. 3. *Daniel. 3.* *Erupit, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius in fornacem,* &c. *& fecit medium fornacis, quaſi ventum roris.* Ignis qui ambureba circunſtantes Chaldæos, ros erat pueris Hebræis. Vt dicat D. Hilar. ſuprà: *Circunſtantes flammæ, quas pueri non ſentiunt, aduruntur. Illis roris in modum ignis temperatur, hos exæſtuans ignis amburit. Ipſæ intus, extraque flammæ ſunt, quarum pro diuerſitate meritorum, & deficit à ſe natura, nec deficit. Nam quod iſt, manet erga eos, ignis eſſe, quod vrit, & quod neceſſe eſt in his eſſe, quibus ros eſt.* Credant hoc impij homines, quòd mortem metent ipſi ex eiſdem creaturis, ex quibus iuſtis paritur ſalus.

§. IX.

Impij eò deuenire ſolent, vt vel facilè, & promptum remedium accipere nolint, ſed attoniti hæreant.

EA calamitas tenuit Abſalonem, à qua facilè ſe poſſet expedire, dicente text. *Adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cælum, & terram, mulus, cui inſederat, pertranſiuit.* Mulus pertranſiuit, & Abſalon ſuſpenſus manſit; manus tamen liberas, & ſolutas habebat, quibus facilè poſſet liberari, nil tamen egiſſe dicitur pro ſalute obtinenda. Cur miſer non magis clamas, vt inde tollaris, & feraris ad patrem? Cur ſaltem manibus tuis non te expedis, vel capillorum nodos exſoluens, vel capillos ſcindens, vel arborem frangens? Multa equidem erant miſero in promptu effugia, ſed ſic Deus illum exoſum habuit, vt nec de facili remedio ſumendo in tantis anguſtiis conſtitutus cogitaret. Ait ibi Abul. quæſt. 12. *Abul.* *Abſaloni multa acciderant, à quibus videbatur poſſe liberari, niſi Deus voluiſſet illum perdere. Nam potuiſſet tenere equum, ne introiſſet ſubter quercum damnoſam; & etiam poſtquam introiuit, & alligati ſunt capilli eius, poterat ipſe tenens mulum ſoluere illos, & fugere. Etiam dato, quòd manſiſſet pendens poterat capillos amputare, vel ſi non habebat gladium, poterat manibus tenens arborem illos ſoluere, vel rumpere: ſed nihil horum fecit, eo quòd Deus habebat exoſum Abſalonem, & volebat eum tradere in manus hoſtium.* Ecce tibi quot effugia erant miſero, & quàm facilia, & quàm prompta; at in eam Dei offenſam incurrerat, vt habens tot prompta remedia, ad nullum manus adhibuit. Heu quàm crebrò hæc accidunt impiis, qui in vltimo conſtituti diſcrimine, habentes & tempus, & remedia multa ſalutis, nullo adhibito remedio ad perditionem currunt. Hos depingit Spiritus ſanctus Prouerb. 19. inquiens: *Piger abſcondit manum ſuam ſub aſcella, neque ad os illam applicat.* *Prouerb. 19.* Erat aſcella, ſiue olla plena dapibus, & proxima adeò pigro homini, vt in illa haberet ipſe manus; ille autem ne ad os quicquam applicet, perit fame. Vt dicat ibi Caietan. *Caiet.* *Poſuerat intra ollam manum, vt eſcam inde acciperet, & tamen tædet eum inducere manum cum cibo ad os.* Quis hoc crederet? Et veriſſimum eſt, quòd peccata hanc deſidiam ſolcant in anima cauſare, qua habens impius mille remedia in manu, & longum temporis ſpatium, tamen nullis ſibi applicatis in perditionem abit. Sapienter de hoc etiam dixiſſet Eccleſiaſtes cap. 6. *Eccl. 6.* *Eſt & aliud malum, quod vidi ſub ſole, & quidem frequens inter homines. Vir cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat; nec tribuit ei poteſtatem Deus, vt comedat ex eo.* Heu quoties impiis tempus abundat, & diuitiæ gratiarum diuinarum in promptu ſunt, & ſalutaria remedia penè in manu; nec tamen facultatem accipiunt ex Deo efficaciter vtendi illis, Sed attoniti, & ſuſpenſi inter remedia mille pergunt ad ſupplicia. Quos etiam traducit Eccleſiaſticus cap. 3. *Eccl. 3.* *Quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro? quid proderit libatio Idolo? Nec enim manducabit, neque odorabitur: ſic qui effugatur à Domino.* Vt epulæ ſepultis, & libationes apponebantur idolis, ſine vlla vtilitate illorum; ſic multa ſolent remedia ſalutis affluere impiis ſine vtilitate vlla. Nequis audeat ſperare aliquid à diligentiis ſuis, nec minimam fortè faciet, etiamſi liceat, & facile illi ſit.

§. X.

Ea habetur reuerentia miſeris Principibus, quæ certiùs pereant.

IMplicatum arbori vidit Abſalonem Dauidis ſeruus, nec tamen accurrit ipſe, vt ſeruet. Dicit enim, *Vidit autem hoc quiſpiam, & nuntiauit Ioab, dicens: vidi Abſalonem pendentem de quercu,* &c. Vidit, inquam, miſerum principem & implicatum, & pendentem de quercu, & illum ſic pendentem dimiſit, & abiit nuntiaturus Ioab. Cur non magis ipſe liberare à tanta pœna iuuenem feſtinat? Nonne audierat illud ex Dauide: *Seruate mihi puerum Abſalonem?* Cur ergo cùm facilè poſſet, non ipſe accurrit pendenti,

Abul. vt ſeruet illum? Abul. quæſt. 13. ibi: *Quia Ioab poterat honorificentiùs comprehendere Abſalonem, qui erat filius Regis, & non decebat, quòd caperetur ab alijs viris, minoris ſtatus, ne videretur eſſe vilipenſus, vocauit Ioab.* Ecce tibi ob miſeri principis reuerentiam, ne militi gregario deberet liberationem ſuam, non audet miles eum a tam lethali ſuſpendio liberare, ſed magis illum pendere relinquit: dum vocat Ioabum. Proh ſtultiſſimam hominis reuerentiam erga Abſalonem! Sunt verè in hoc principes infeliciſſimi, quorum ſalus & vita à nemine ob eorum reuerentiam procurantur. Videntur ſæpiſſimè ire in ruinam, & imò in extremam perditionem præcipitari, & ſinuntur à ſuis perdi, ne credantur eorum reuerentiæ, & honori aliquid derogare. Huc ſpectans Spiritus diuinus Eccleſiaſtici 41. ait: *Non eſt bonum omnem reuerentiam obſeruare.* Et quidem iniquiſſimum eſt, quòd reuerentiæ obſeruantia præualeat, vbi ea ſaluti eſt contraria. Et ſtultiſſimum principum mundialium vitium eſt, velle magis reuerentiam ſuam coli, quam ſalutem, quàm vitam, imò æternam vitam. Ibi agitur ſapienter, vbi non tam reuerentia, quàm ſalus attenditur. Princeps ille Naaman leproſus, vbi deſiderauit in Propheta Eliſæo ſuæ reuerentiæ cultum ibat iratus, & valedicens propriæ ſaluti, Quid tunc? Ait 4. Regum 5.

4. Reg. 5. *Acceſſerunt ad eum ſerui ſui, & locuti ſunt ei: Pater, ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras, quanto magis, quia nunc dixit tibi, Lauare, & mundaberis? Deſcendit & lauit in Iordane ſepties iuxta ſermonem viri Dei; & reſtituta eſt caro eius,* &c. Iratum Principem contra Prophetam, audent conuenire ſerui eius, & irrationali eius iræ ſe opponere, & illum cogere, vt ſibi & Prophetæ obtemperet. Et vnde hoc audent boni ſerui? Cur non magis reuerentiæ debitæ meminerunt? Rex erat ſalutis, quæ magis reuerentiæ debitæ meminerunt! Rex erat ſalutis, quæ magis attendenda erat à ſapiente Principe, quàm euanidæ

Cyril. Alex. illæ mundialium reuerentiæ. Ait D. Cyril. Alexandrin. lib. 16. in Ioan. cap. 5. *Abeuntem autem cum indignatione ſerui admonuerunt, vt Prophetæ verbis obtemperaret, quorum dicta non aſpernatus ſoſpitati redditus eſt, & ſepties in Iordane lotus iuxta Prophetæ verbum curatus eſt.* Etiam iratum, & indignantem & diſputantem de ſibi negata reuerentia conueniunt ſerui, & faciunt, vt obtemperet Prophetæ, in quo ſtetit ſalus eius. Proh quoties ſalus Principis conſiſtit in eo, quòd ſerui, & miniſtri eius non tam reuerentiam, quàm ſalutem attendant.

§. XI.

Vera hominis fortitudo in repellendis bonis temporalibus.

NOn gregarium militem, ſed ſtrenuum, & maximè fortem crediderim fuiſſe eum, qui nuntiabat Abſalonem pendentem à quercu. Simul enim dicebat Ioabo: *Si appenderes manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis.* Fortis equidem miles erat, qui Principem aduerſarij exercitus adeò inſecutus eſt, vt eius ruinam, & cladem videret. Sed fortior, qui, ne illum offenderet, tam ingentem cumulum contemneret diuitiarum. Et crede mihi tunc fortem te oſtendis, tunc maximè reputaris triumphalis, cùm ſcis contemnere bona hæc temporalia. Vt filiorum Dei fortitudinem, & valentiam oſtentaret Dominus de ſerpente Leuiathan locutus

Matth. 26. ait Iob cap. 40. *Nunquid illudet ei quaſi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?* Non quilibet eam fortitudinem habebit, qua illudat belluæ adeò immani, qua vel ancillulas ei ſuperiores faciat. Et tamen ſunt, qui hoc faciant, qui fortitudine ſua vincant, & illudant Leuiathan. Sed quibus armis?

Athanaſ. Vno contemptu bonorum temporalium. Ait D. Athanaſ. ſerm. de Paſſ. & cruce, circa finem: *Dominus illuſit ſerpenti, & infernus deuaſtatus eſt, profligatoque mortis imperio omnes reſurgent, neque iam deinde diabolus aduerſùs nos inſurgit. Cecidit enim & planè iam ſuper pectore, & ventre prouoluitur: reſurrexit enim Dominus, & homines didicerunt aſpernari diuitias corporales.* Planè ex quo Dominus docuit homines, diuitias corporales aſpernari, ſic eos fortes effecit, vt coram illis antiquus ille ſerpens, & immanis hoſtis, & illuſus appareat, & conſtrictus. Tanta equidem de bonorum temporalium contemptu accreſcit homini fortitudo, vt infirmitas eo cernitur maior, quo quis his bonis temporalibus afficitur. Matth. 26. Dominus paſſionis ſuæ calicis

Matth. 26. tranſlationem deprecans addidit illa verba: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma;* quibus aliqualem infirmitatem in carne ſua præmonſtrabat, & in quo poterat oſtendi illa caro Chriſti infirma? Nonne in ſuſtinendis tormentis ænea fuit? Erat equidem validiſſima ad tormenta ſuſtinenda, nulliſque oppreſſa fuit, niſi voluiſſet ipſe. In eo ſe oſtendebat infirmam, quod aliquali etſi ſanctiſſimo, & debitiſſimo amore tenebatur præſentis ſuæ

Chryſoſt. vitæ. Ait D. Chryſoſtom. apud Theodor. Dialog. 3. Impatibilis, versùs finem: *Quomodo ergo dicit: Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte? Oſtendit humanæ naturæ imbecillitatem, quæ à præſenti vita abrumpi nolebat, ſed recuſabat, & tergiuerſabatur propter præſentis vitæ amorem illi à Deo ab initio inditum.* In eo carnis infirmitatem & imbecillitatem Dominus oſtendebat, quòd hæc licèt ſanctiſſimè, tamen circa hanc temporalem vitam affecta erat. Vt pateat, quam veniat de humana infirmitate, quòd iſtis bonis infimis, & caducis hæreas.

2. *Regum* 18. Ait Ioab: Non ſicut tu vis, ſed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalon: cúmque adhuc palpitaret hærens in quercu: cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum. Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit populum, ne perſequerentur fugientem Iſraël. Et tulerunt Abſalon, & proiecerunt eum in ſaltu, *&c.*

§. XII.

Vnus Dei radius cordi affulgens hominis, eum excitat in ſalutem.

NOn parum temporis ſpatio pendentem Abſalonem tranſfixit Ioab tribus telis; ait textus: *Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalonis.* Miſer adoleſcens tamdiu quercui hærens nec verbum fecit ſalutis, ſiue patrem memorans, ſiue patris ſeruos miſeratione flectens, ſiue Ioabo proponens amicitiam, ſiue Deum obteſtans, ſed mutus, & attonitus expectabat lanceis tranſfigi. Et cur miſer ſic te lanceis peti ſinis? Cur non magis obteſtaris, & Deum, & patrem? Cur non vociferaris pro venia apud ſeruos patris tui? Fuit etiam Luc. 15. Filius perditiſſimus, qui & quercubus adhærebat, cupiens ſaturari de illarum ſiliquis. Hic tamen in eo ſtatu reuerſus in ſe cœpit cogitare de patre ſuo, & orationes componere dicendas illi. Et cur prodigus iſte a quercubus ad patrem adſpirat, & tractat de ſalute acquirenda ex patre: Abſalon autem à quercu pendet, nec de ſalute agit, ſed expectat hoſtilibus transfigi lanceis? De Abſalone dicebat textus ſuprà: *Vidit autem hoc quiſpiam, & nuntiauit Ioab, dicens: Vidi Abſalonem pendere de quercu,* &c. Non Deus, non pater dicitur vidiſſe miſerum, ſed quiſpiam alius; de prodigo autem ait Luc. 15. *Cum adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius,* &c. Vidit, inquam, illum pater cœleſtis, cuius radius vbi cor eius affulſit, eum in ſpem ſalutis traxit. Non creatura aliqua, ſiue bona, ſiue mala, ſed vnus eſt Deus, qui valet hominem in ſalutem excitare. Pulchrè ad hæc D. Chryſolog. ſerm. 3. ait: *Vidit illum pater ſuus. Pater vidit illum, vt & ille patrem poſſet attendere: patris viſus illuſtrauit filij venientis aſpectum, vt tota fugaretur obſcuritas, quæ circumfuſa fuerat de reatu. Non ſunt tales tenebræ noctis, quales illæ ſunt, quæ de confuſione veniunt peccatorum. Audi Prophetam dicentem, Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre.* Pſal. 39. *Nox ſepelit heſternum lumen, peccata ſenſum confundunt. Niſi ergo cœleſtis Pater venientis filij radiaſſet in vultu, & totam confuſionis caliginem reſpectus ſui lumine ſuſtuliſſet, nunquam diuini vultus vidiſſet iſte filius claritatem.* Quid pulchrius? Piaculum duxi vel verbulum præterire. Eſt Abſalon,

Luc. 13.

Chryſolog.

lon, & prodigus iſte penè in eadem miſeria erant conſtituti: Abſalon quercui adhæreſcebat, prodigus iuxta quercum iacebat. Et quercus acerbitas, & aſperitas Abſalonem tenebat prorſus ſalutis immemorem, ſeruatum lancearum ſpiculis. Prodigum autem miſeria quercus excitauit, vt ad ſalutem curreret. Sed hæc differentia non venit de quercus beneficio, ſed de aſpectu patris, qui non in Abſalonis, ſed prodigi filij radiauit in vultu. Semel & ter ſummo peccati Petrus ſe dederat Luc. 22. *Et continuò adhuc eo loquente cantauit gallus. Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus Petrus verbi*, &c. Non galli cantus, ſed Domini aſpectus Petrum excitauit. Vt dicat D. Chryſoſtom. ibi in cat. Græca: *Breui ſpatio Petrus ter Chriſtum negat, neque illud in domo, ſed foris in atrio, & quamuis gallus cantaſſet, caſum ſuum à ſe ipſo non ſenſit, ſed magiſtri admonitione indiguit; cuius reſpectu vox illi facta eſt.* Nec galli cantus, nec vinculorum fragor, nec omnia mundi diſcrimina peccatorem excitarent in vitam, niſi aſpicientis Dei radius eius cordi affulgeret. Crede mihi de ſolo Dei aſpicientis beneficio poteſt accidere, quod mortis confractis vinculis reſpiremus in vitam. Vt meritò dicat Habacuc cap. 3. *Aſpexit Deus, & diſſoluit gentes.* Vbi D. Auguſt. lib. 18. de ciuit. cap. 32. *Miſertus eſt Deus, & fecit populos pœnitentes.*

Luc. 22. — Chryſoſt. — Habacuc 3. — Auguſt.

§. XIII.

Viri miſericordis eſt non omnibus parcere.

Itaque Ioab minimè acquieſcens militi de ſalute Abſalonis agente iuxta verbum Dauidis, tres aſſumpſit lanceas, quibus miſerum iuuenem tranſuerberauit. Dicit enim text. *Ait Ioab: Non ſicut tu vis, ſed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalon*, &c. Quò ſpectans Theodor. quæſt. 24. ait: *Dux autem exercitus ſinens patrem miſereri, in cor execrandiſſimum tria infixit tela.* Expende illa, *ſinens patrem miſereri*; meliùs enim dixiſſet, non ſinens patrem miſereri, quando eius rebellem filium occidit. An ſinit miſereri patrem, qui nô parcit parricidæ? An creditur dare miſericordiæ locum, qui exactiſſimam ſumit de iniuriatore victam? Quomodo ergo Ioab potuit dici ſiuiſſe patrem Dauidem miſereri filij ſui, quæ tam atrociter occidit? Equidem in vindicta ſumpta de Abſalone ſiuit Ioab patrem miſereri, quando ad perfectam miſericordiam ſpectat, non ſemper, & omnibus parcere, ſed locum permittere iuſtitiæ. Ioan. 15. dicitur: *Nec enim pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio.* Cùm audis paterna viſcera, totam audis miſericordiæ latitudinem, & ideo non miraris, quòd pater alienum ſe oſtendat à ſeueritate iudicij. Sed illud mirandum magis, quòd pater cùm ſit, miſericordiæ in ſe oſtendens plenitudinem, à ſe remouens ſeueritatem iudicij: nihilominus iudicem conſtituat filium, qui ſeuerè reos mulctet, ait enim: *Omne iudicium dedit filio.* Si pater, ſi ſummè & perfectè miſericors es, cur filio iubes, vt iudicet? Cur permittis filio, vt ſeuerè puniat? Cur non magis ſatagis vt nullum iudicium fiat? Nonne hoc magis ad perfectam miſericordiam ſpectaret? Abſit; imo crediderim non eam eſſe miſericordiam, bona enim & perfecta miſericordia ea eſt, quæ nequit ſemper, & omnibus parcere, ſed dat etiam locum ſeueritati iuſtitiæ. Cùm maximus tyranous captus eſſet à militibus, & adductus ad Imperatorem Theodoſiũ, ait Latinus Pacatus in Paneg. Theodoſij: *Iam cœperas de eius morte dubitare; & deieceras oculos, & vultum rubore ſuffuderas; & cum miſericordia loquebaris. Sed bene eſt, quòd non omnia potes. Tui te vindicant & inuitum. Rapitur ergo ex oculis tyrannus, & ne quid licere poſſet clementiæ, inter innumeras manus fertur ad mortem.* Expende illud potentiſſimo Imperatori dictum, nimirum: *Bene eſt, quòd non omnia potes.* quaſi illud debeat Imperator æqui, bonique ducere, quòd non poſſit omnia. Et quomodo poterat eſſe illi bonum, quòd non omnia poſſet? Nonne Deo bonum eſt poſſe omnia? Nonne omnipotentia abſolutè bona eſt? Omnipotentia bona eſt in rebus, quæ exceſſum aliquem non poſſunt inducere; in rebus autem quæ exceſſum inferunt, non eſt bona omnipotentia, imò nec eſt potentia. Sic in re miſericordiæ bonitas, & perfectio in eo eſt, quòd non poſſit ſemper, & omnibus parcere, debet enim eo medio procedere, vt relinquat locum iuſtitiæ. Vnde ad maximam miſerentis perfectionem ſpectat, quòd non poſſit omnia ſine punitione permittere. Oſeas cap. 2. ait filiis Iſrael: *Iudicate matrem veſtram, iudicate, quoniam ipſa non vxor mea.* Et mirabar, quòd filij conſtituerentur iudices aduersùs matrem ſuam. Nonne filiorum perfectio eſt, quòd miſericordiam ſummam erga parentes exerceant? Quando ergo à filiis exigit Deus perfectam in parentes miſericordiam; cur & ab eis exigitur etiam in parentes iuſtitia? Equidem ad perfectam miſericordiam filiorum etiam in parentes ſpectat, quòd non poſſint omnia dimittere. Iuxta quod ait ibi Ruffinu, quaſi Dei ore: *Ideò fœdæ parentis veſtræ merita detegantur, quibus à meo depulſa eſt conſortio, ſed adeò fœde, vt nec vobis iudicantibus poſſit abſolui.* Danda quidem eſt tota miſericordiæ perfectio, quin omnia condonare poſſit.

Theodor. — Ioan. 15. — Lat. Pacat. — Oſe. 2. — Ruffin.

§. XIV.

Potentia virtus maximè ex longanimitate claret.

Dicit Iacob in textu noſtro: *Non ſicut tu vis, ſed aggrediar eum coram te*, &c. In Hebræo autem leguntur hæc: *Non ſic expectabo coram te*; quæ verba non ſunt potentis virtutis, ſed impotentis iræ & impatientiæ, quæ nec in momentum valet differre vindictam. Ne miremur, quòd vel inde Ioab non ſcribatur in numero fortium Dauid, fortitudinis enim potentiæve laudandæ virtus maximè à longanimitate in expectando ſumitur. De quo agens D. Hilar. in Pſal. 144. ait de Deo: *Qui contra morem humanæ impatientiæ non feſtinat punire*, &c. *Sed diſſimulat, & differt, & patientiæ ſolatium dilatione vltionis expectat*, &c. *Hoc in Deo præcipuum, hoc in potente laudandum; non cœlum feciſſe, quia potens eſt, non terram fundaſſe, quia virtus eſt, non annum aſtris temperaſſe, quia ſapiens eſt, non hominem animaſſe, quia vita eſt, non mare in acceſſus, ac deceſſus mouiſſe, quia ſpiritus eſt, ſed miſericordem eſſe, qui iuſtus eſt, ſed miſerantem eſſe, qui Rex eſt, ſed diſſimulantem eſſe, qui Deus eſt.* Hæc Hilarius, quaſi vellet ſanctiſſimus vir non ſic eſſe laudandum Deum ex creatione orbis, vt ex longanimitate, qua expectat puniendos, nec illis ſtatim infert vltionem. Inde, inde poteſtatis diuinæ virtus maximè floret, quòd non feſtinat punire, ſed diſſimulat, ſed expectat in tempora longa. Ait Paulus ad Roman. cap. 9. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam.* Et quomodo virtus Dei; & fortitudo, & potentia Dei oſtenditur in Pharaone? Nonne clarè oſtenditur in tot magnis operibus à Deo factis in illum? Nonne oſtenditur in plagis illis Pharaoni illatis, quibus commouit Deus orbem? Crediderim patentiùs oſtenſam fuiſſe virtutem, & potentiam Dei in Pharaone, cùm Deus non feſtinauit illum opprimere, & funditus perdere, ſed magis longanimiter expectauit, & in longa tempora diſtulit eius punitionem. Ait ibi OEcumen. *Dei virtus longanimitas eſt, & virtus maxima. Quis enim non obſtupeſcebat, vbi adeò longanimem Deus ſeſe præbuerit! Dicit enim, in hunc finem permiſi te regnare, vt appaream longanimis.* Quippe ſceleratum, & blaſphemum Pharaonem permittebat Deus in regno, & deliciis permanere, vt ſic virtus & potentia Dei maxima oſtenderetur, nempe longanimitas eius. Inde enim ſeſe Deus oſtendit maximè potentem, quòd cohibeat iram inferendam, ne ſtatim in effectum procedat.

Hilar. — Rom. 9. — OEcum.

§. XV.

Impiorum perditio riſum facit, & bonis, & dyſcolis.

Ille regni ambitor Abſalon ab arbore ſuſpenſus tenetur, & à Ioabo tranſuerberatur tribus lanceis. Dicit textus: *Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalon, cumque adhuc palpitaret hærens in quercu*, &c. Ecce tibi quò deueniat & parricida, & ambitioſus iuuenis, quercui hæret, à qua dependet, tribus lanceis transfixus. De quo meritò ait Theodor. quæſt. 24. *Abſalon autem manſit ſuſpenſus, iucundiſſimum ſpectacul viris piis.* Taota iuuenis perditio non dolorem, ſed piis viris incutiebat lætitiam. Nec miror, perditio enim impiorum riſum facit Sanctis, & Deo

Theodor.

Prou. 1. Deo, & diabolis ipſis. Deus ait Prouerb. 1. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo; & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.* Non ea erit impiorum perditio, quæ triſtitiam extorqueat, ſed quæ riſum faciat ſpectatori Deo.
Habacuc 1. Similiter de diabolo dicebat Habacuc cap. 1. *De Regibus ipſe triumphabit, & tyranni ridiculi eius. Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit.* Quæ referri ſolent ad vltimam Iudæorum perditionem, qua funditus deleti à Romanis fuerunt. Qui enim tot impia egerunt, vt ſibi æternare ot regnum; tandem à Romanis obſeſſi, fame enecti, & miſerè trucidati ſunt. Quorum in interitu ambabus buccis ridebat dæmon. Ait enim ibi Rupert. *Quanto putas riſu*
Rupert. *diabolus riſit in talibus? & ſi in cæteris quoque gentibus habuit vnde rideret, hoc vnicum fuit ludibrium nulli ſimile.* Multa ſunt, quæ rideat diabolus in impiorum interitu; quando mundiales purpurati apparent induti putredine. Quando luxurioſus luctatur cum ardoribus ſempiternis, quando auarus cogitur ſua relinquere alienis. Quando ambitioſus exterioribus traditur tenebris, tunc & Deus, & iuſti, & dæmones rident ſuper eos.

§. XVI.

Qui conſanguinitatis iura confringit, nunquam non dat pœnas Deo.

INterfectum Abſalonem conijciunt in profundam ſaltus foueam, ibique lapidibus operiunt cadauer, dicente textu: *Et tulerunt Abſalonem, & proiecerunt eum in ſaltu, in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum aceruum*
Lyra. *lapidum magnum nimis.* Quod notans Lyra ait: *Hoc fecerunt ſecundùm legem.* Deut. 21. *vbi præcipitur filius contumax in parentes à populo lapidari.* Itaque iuxta Lyram in lapidibus mittendis ſupra Abſalonis cadauer, ad legem Deuteronomij reſpiciebatur, quæ docebat filium nequam, & contumacem à populo lapidandum. Et cur neceſſum fuit ad prædictam legem recurrere, vt patricidam tanto operirent lapide? Prouiſum eſt à Deo iuxta legem fieri lapidum aceruum ſupra patricidam, vt oſtenderetur, nunquam non Deo pœnas dare, qui conſanguinitatis iura frangunt. Aiebat enim Tiberius Imperator apud Ioſephum lib. 18. cap. 8. *Qui in conſanguinitatis iura peccant, nunquam diuinam vltionem effugiunt.* Adeſt Deus, qui minimè impunè abire patitur eos, qui iniqui ſunt in parentes, in fratres, & cognatos. Notiſſima fuit Abimelech ambitio, & crudelitas, qua ſeptuaginta occidit fratres, vt ipſe regnaret. Is tandem cum turri inſtaret cremandæ, qua
Iudic. 9. plaga fuit raptus? Ait textus ſacer Iudicum cap. 9. *Ecce vna mulier fragmen molæ deſuper iaciens illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius,* &c. *Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem ſuum, interfectis ſeptuaginta fratribus ſuis.* Expende illa, *& reddidit Deus*; quippe qui iniurius eſt conſanguineis, à Deo impunè minimè diſcedit. Dicebat Alexander Herodis filius, cum parrici-
Egeſipp. dij accuſaretur apud Egeſipp. lib. 1. cap. 44. *Quomodo circumſpectus, atque aſtutus eſſem, quem commentatorem arguis parricidij? Cùm extremæ inſipientiæ ſit cogitaſſe, quòd & apud homines exectabile ſit, & apud Deum inultum eſſe non poſſit. Vel fratrum exemplo doceri potui, nullum tanti ſceleris, effugium fore, quòd ſcelus eiuſmodi nec latebram inueniat, nec pœnam euadat.* Expende illa, *& apud Deum inultum eſſe non poſſit.* nunquam Deus ſolet inultum relinquere eum, qui conſanguineis eſt lethaliter iniurioſus. Nec grauabor pulchram in rem præſentem, Ariſtobuli Regis Ieroſolymorum tragœdiam meminiſſe. Is inuidia motus fratrem Antigonum fecit occidi. Quid tunc? Ait Egeſipp. lib. 1. cap. 7. Quo facinore patrato Ariſtobulus ſecum ipſe reputans, quid ſceleris admiſerit, in morbum ipſe incidit. Erat in oculis parricidium, perturbatio in animo, nec alibi vllum interuallum diſſimulationi dabat. Defigebatur in imis viſceribus dolor, inuidia in miſerationem verſa eſt, quod innocentem peremiſſet contra ius germanitatis, tanti ſceleris immanitas mentem exulcerabat; non ſomnus oculis, non quies animo dabatur. Serpebat cæco vulnus dolore, coquebantur ægra præcordia, ac duræ ſollicitudines fauciabant inualidos artus, & gemitu crebro pulſabant alta nimis ſuſpiria.

Itaque immoderata mœſtitudine eò prorupit morbi vis, vt euulſis viſceribus ſanguinem vomitu oris reijceret. Quem puer aulicus regiis vſibus præbens miniſterium, foras extulit, atque imprudens facti, quòd caſu potius, quàm induſtria gerebatur, ad eum locum peruenit, in quo Antigonus fuerat extinctus, illic ſupra rorantes adhuc fraterni ſanguinis maculas, percuſſoris ſanguinem effudit. Clamor ſubitò factus, & gemitus inruentium, eo quod profunda quadam diſpoſitione Domini, libatus perempto ſceleſtiſſimæ patricidæ ſanguinis videretur. Sono excitus Ariſtobulus cauſam quæſiuit, cum ſiletur, elicuit ſtudio quærendi, & metu indignationis. Cuius accepto iudicio, ſuffuſos oculos lachrymis & quantum in eo erat virtutis ingemiſcens: Haud, inquit, rependitur meritis meis digna viciſſitudo. Nec enim Dei oculum tam impij machinator ſceleris præterire poteram. Matura flagitij vltio ſubeſt, & iam digno conuenior patricidij mei pretio. Quid per partes libo meum ſanguinem? In me omnis contorqueat manus ſpiculum, ac me omnes filij germanique vltores pietatis gladio transfigant. Mactetur hoſtia patricidialis, atque immoletur violatæ neceſſitudini, totum ſimul caro noxia ſanguinem euomat. Non viſcerum meorum cruciatibus, & lenta tabe dæmoniorum exſaturetur; quod me in tam nefarios auſus fæui facinoris impegit. His dictis finem imperij ac vitæ edidit. Hæc ibi, vt videas quàm à Deo veniat vindicta in parricidas.

§. XVII.

Mundiales plauſus auidè ſibi venantes, nunquam non in ruinis confunduntur.

DIxerat vltimam Abſalonis cladem his verbis: *Comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis.* Et ſtatim ſubdit textus ſacer: *Porro Abſalon erexerat ſibi, cum adhuc viueret, titulum, qui eſt in Valle Regis; dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine ſuo, & appellatur, Manus Abſalon.* Ad cladem miſeri adoleſcentis adiuncta eſt mentio ſiue columnæ, ſiue ſtatuæ ab illo erectæ in monimentum nominis ſui. Nec immeritò, qui enim titulus, & ſtatuas erectis vnam quærunt nominis ſui gloriolam, quam in venatione, & laude ſiot apud homines, rarò non addicuntur plenis confuſione ruinis. Dicit Pſal. 73. *Leua manus tuas in ſuperbias eo-*
Pſa. *rum in finem, quoniam malignatus eſt inimicus in ſancto. Et glorioſi ſunt, qui oderunt te, in medio ſolemnitatis tuæ. Poſuerunt ſigna ſua, ſigna.* Captantes gloriolam humanam poſuerunt ſigna ſua, hoc eſt, erexerunt ſtatuas ſuas in titulos, ita ibi Auguſt. nihil aliud inde volentes venari niſi laudes humanas, quapropter meritò petitur ex Deo, vt conterantur. Adiungitur enim his laudum venatoribus
Lau. confuſionis plenas clades. Vt dicat D. Laurent. Iuſtinian. lib. de regimine Prælat. in Prooemio: *Erubeſcat ergo humana ſuperbia, quæ in hoc ſæculo famam concupiſcit, & gloriam, nec non de collatis ſibi beneficiis humanos captat fauores. Confundantur, inquam vniuerſi, qui animi leuitate commoti, ſeu tranſitoriæ laudis delectatione cæcati ponunt ſigna ſua, nomenque ſuum vndique diſſeminare properant.* Manet equidem confuſio, & rubor eos, qui erectis ſibi titulis, & ſtatuis, de muneribus ſuis hoc maximè auent, quòd venentur humanos plauſus.
Pſa. Quò etiam ſpectans Pſ. 52. ait: *Dominus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Dominus ſpreuit eos.* Confuſi & diſſipati, & ſpreti à Deo dicuntur, qui hominibus placent, hoc eſt qui hominibus cupiunt placere, vt
Lau. eorũ expiſcentur laudes, & plauſus. De quibus ait D. Laurent. Iuſtinian. vbi ſuprà: *Meritò confuſi ſunt, & Deus ſpreuit eos, qui gloriam, quæ ſoli Deo debetur, ſibi arrogantes, de ſe mundo idola fabricare conantur.* Equidem ſeſe idolum mundo proponit, qui eò ſtudet, vt laudes ſibi, & glorias venetur humanas, ne miremur, quòd inde in ſe turpes trahat calamitates. Qua etiam labe inficiuntur multi, qui poſiti in dignitatibus, nihil magis curant, quàm ſibi
Idem. venerationem conciliare. De quibus ait D. Laurent. Iuſtinian. lib. de triumphali Chriſti agone cap. 15. *Nonnulli verò ſunt, qui cum ſui diſpendio, alios ad regendum deputati ſunt, dominati huiuſmodi appetunt, præeſſe delectantur, vbique*

de regimine ſuo, niſi vt venerentur, eliciunt, ſine timore Dei ſunt hi, &c. Expende illa, *nihilque de regimine ſuo, niſi vt venerentur, eliciunt.* ad ſolam ſui venerationem, & adorationem eliciendam attendunt, facientes de ſe idola, & ſimulacra mundo. Zachar. 11. Hos ſpectabat Zachar. cap. 11. dicens: *O paſtor, & idolum!* Se enim paſtor idolum facit, quando in primis muneris ſui ponit ab omnibus adorari.

§. XVIII.

Proſperitas de cognatorum malis orta nunquam non vertitur in confuſionem.

CVm de immani Abſalonis clade, eiuſque infami ſepulchro ex coaceruatis lapidibus ſuper eum agitur, non immeritò adiungitur mentio tituli, aut fornicis ab illo erectæ, dicente textu: *Porrò Abſalon erexerat ſibi, cùm adhuc viueret, titulum*, &c. Siue enim poſt occiſum fratrem Amnonem, vt mauult Abulenſ. ſiue poſt electum patrem ab vrbe, vt forſan verius eſt, agens Abſalon Hieroſolymis in magna proſperitate, & gloria ſibi titulum, & columnam erexerat; in qua ſuam æternaret commendationem. Verùm quæ gloria æterna in parricida? Quæ proſperitas manet in eo, qui ſuis cognatis infenſus eſt? Ille ille Abſalon, qui fœlicitati ſuæ columnas erexerat, ecce atrociſſimè interfectus iacet in fouea congeſtis lapidibus deſuper opertus. Quanta hæc ignominia! Quanta hæc confuſio? Equidem fœlicitas de cognatorum malis orta ſic ſolet in confuſionem deſinere. De Iaſone ambitioſiſſimo 2. Machab. 5. locutus 2. Machab. 5. ait: *Iaſon verò non parcebat in cæde ciuibus ſuis, nec cogitabat proſperitatem aduerſus cognatos malum eſſe maximum arbitrans hoſtium, & non ciuium ſe trophæa capturum. Et principatum quidem non obtinuit, finem verò inſidiarum ſuarum confuſionem accepit.* Expende illa: *Proſperitatem aduerſus cognatos malum eſſe maximum*, &c. Quippe nunquam firma eſt proſperitas, quæ in cognatorum malis fundatur, ſed maximorum malorum conciliatrix eſt, & in infamiam, & notiſſimam confuſionem vertitur. Pugnarunt viri Iſraelitæ aduerſùs viros Iuda fratres ſuos, multoſque illorum occiderunt, cæteros autem ducebant in Samariam captiuos. 2. Paral. 28. Quid tunc? Ait 2. Paral. 28. *Erat propheta Domini nomine Obed, qui egreſſus obuiam exercitus venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Deus patrum veſtrorum contra Iudam, tradidit eos in manibus veſtris; & occidiſtis eos atrociter, ita vt ad cœlum pertingeret veſtra crudelitas. Inſuper filios Iuda, & Ieruſalem vultis vobis ſubiicere in ſeruos, & ancillas, quod nequaquam facto opus eſt.* Pro vltimis iis verbis legitur ex Græco: *Ecce non ſum vobiſcum*; quo imminens aliquod malum iam oſtenditur, cum quo enim Deus non eſt, neceſſum eſt, vt ſint mala ingentia. Nec aliud expectare poſſunt, qui in fratres, & cognatos adeò iniqui fuere. Vt dicat ibi Theodor. Theodoret. *Vos autem parta victoria obliti eſtis nobilitatis: neque natura vobis venit in mentem; ſed vſi eſtis tanquam barbaris, & alienigenis. Neque vobis ſuffecerunt cædes innumerabiles, ſed & ſeruire cogitis eos, qui ſunt eiuſdem generis. Teſtificor ergo, quòd grauiora patiemini.* Non impunè abiit, qui in cognatos iniquus eſt, ſed grauiſſimas dabit pœnas.

§. XIX.

Non qui ſe oſtentat, ſed qui ſe abſcondit, cœleſtis patris bonis gaudet.

INterficitur Abſalon, & in foueam coniicitur, & lapidibus obruitur. Interficitur, inquam, à ſuis, vt ait D. Chryſoſt. Chryſoſtom. homil. in Pſalm. 7. quia ſic prouidit Deus, *ne vinctus ad patrem afferretur.* Lapidibus obruitur in ſaltu, Aul. ne amplius videretur à patre, vt ait Abulenſ quæſt. 15. Cuius cladis mentioni ſimul illud adiungit textus ſacer, nimirum: *Porrò Abſalon erexerat ſibi, cùm adhuc viueret, titulum, qui eſt in Valle Regis; dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine ſuo & appellatur Manus Abſalon.* Et cur tanti huius tituli erecti ab Abſalone mentio non fit, niſi vbi clades eius & ruina extrema narratur? Habuit hoc malum ſingulare Abſalonis clades, quod & à Deo iuxta Chryſoſtomum, & à Ioab iuxta Abulenſem prouiſum eſt, ne vllo modo Abſalon ferretur ad patrem. Quod malum vt in Abſalone ſingulare inuenitur, ſic eius etiam ſingularis oſtenditur cauſa, nimirum tituli illius erectio, in quo ſeſe miſer voluit oſtentare. Non enim qui ſe oſtentant, ſed qui ſe maximè abſcondunt, permittuntur frui bonis cœleſtis patris. Prodigus olim filius currebat ad patrem, quem pater à longè videns occurrit ei, & conuerſus ad ſeruos ſuos ait illis Luc. 15. *Date annulum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius.* Luc. 15. Quòd dentur illi calceamenta, non miror; reſtabat enim adhuc via terenda, anteaquam ad paterna limina perueniret. At valde mirandum eſt, quod ſic feſtinetur dari illi annulum, dum adhuc eſt in via. Vnde hæc dandi annuli feſtinatio? Cur non magis expectatur, vt domum perueniat, & ibi annulum accipiat? Cur antequam patris terat limina, illi datur annulus in manu? Cum huc accedo, meditor in annulo illo aliquam virtutem, ſine qua non poſſet ad paternam domum peruenire. Celeberrimus eſt apud prophanos annulus ille inuentus à Gyge paſtore, quem cùm haberet in digito, & lapidem eius verteret ad extra, omnibus erat vt antea conſpicuus; verùm ſi ad intra conuerteretur annuli ſignum, totus homo fiebat inuiſibilis, Ex quo pulchrè monebat feſtinantes ad Deum D. Ambroſ. lib. 3. officior. c. 5. Ambroſ. *Nec perſonam ſuam indutus annulum, ſed vitam ſuam Chriſtum indutus abſcondat; ſicut Apoſtolus ait: Quia vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Nemo ergo hic fulgere, quærat, nemo ſibi arroget, nemo ſe iactet. Nolebat ſe Chriſtus hic cognoſci, venit vt lateret hoc ſæculum. Ergo & nos*, &c. Quid pulchrius? Amas homo prædicari, amas in operibus tuis conſpici ab omnibus, amas ſplendeſcere in dignitate, & fieri conſpicuus, Chriſtum habes ad extra; non poteris ad paternam domum peruenire, ſed foris remanebis cum fatuis virginibus. At cum Chriſto abſconderis, te negas mundi luminibus, amans neſciri, & pro nihilo reputari, ò quàm fœlix ad patrem ibis. Dicebat Baptiſta de Ieſu Ioan. 3. *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Ioan. 3. Circa quæ verba, ait Guer. Abbas ſer. 3. de Ioanne Baptiſt. Guerric. *Se minui, vt ille creſceret, optabat, & de mineratione ſui gloriam illius augere ſatagebat, ante Apoſtolum, opere, & veritate, dicens: Non nos metipſos prædicamus, ſed Dominum Ieſum Chriſtum. Idea nimirum magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, in Ieſu tuo Domine, cuius iuſtitia, & bonitatis eſt diligentes ſe diligere, & glorificantes ſe glorificare. Magna prorſus gloria eius in Ieſu, qui apud ſe glorificauit eum conſortio gloriæ ſuæ.* Vt Ieſus in gloria ſedet ad dexteram patris, ſic eius dexteræ conſortio donauit Ioannem, qui nil magis curauit in mundo, quàm ſe abſcondere, vt luceret Chriſtus. O quàm ad intra habebat ipſe Chriſtum! Dæmon experiri volebat, an Ieſus filius Dei eſſet, tantique patris gauderet conſortio. Pro quo ait Matth. cap. 4. *Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei eſt*, &c. Matth. 4. Diabolus in ciuitatem ducebat Dominum omnibus videndum, vt tentaret, an ad patrem Deum pertineret. Dominus autem ſeſe occultabat, vt à nemine videretur, in quo ſeſe tanti filium oſtendebat patris. Ait Imperfect. homil. 5. in Matth. *Diabolus quantum ad ſe, ſic eum aſſumebat, vt ab omnibus videretur, ipſe autem neſciente diabolo ſic agebat, vt à nemine videretur.* Imperf. Hoc erat proprium eius, qui ad Deum patrem pertinet, vt curet ſe in operibus ſplendidis, occultari, & à nemine videri.

§. XX.

Non ab homine, ſed à Deo veniunt & gloria, & triumphi.

ABſaloni deiecto adiungitur memoria tituli ab eo erecti, dicente textu: *Porrò Abſalon erexerat ſibi, cùm adhuc viueret*, &c. *Vocauitque titulum nomine ſuo, & appellatur Manus Abſalon* Quàm alius erat titulus erectus à populis pro Ioanne Baptiſta: aiunt enim Luc. 1. Luc. 1. *Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* Pro illo dicebatur titulus manus Abſalon, pro hoc dicitur titulus Manus Domini. Et vbi manus iactatur hominis, ibi ruina, & extrema perditio adiuncta eſt; vbi autem non hominis manus oſtenditur,

Digitized by Google

ditur, ſed vna prædicatur manus diuina, nihil non glorioſum, & triumphale oſtenditur. Vt meritò dicat Guer-
Guerr. ricus Abb. ſerm. 3. de Ioanne: *Perſuaſum ſibi habebat Ioannes illud fidele ſapientis conſilium: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Maluit itaque in Domino ſanè, quàm in ſe ipſo vanè gloriari: quia & maluit veraciter à Domino, quàm fallaciter à ſe ipſo commendari. Ideò probatus eſt Deo, & hominibus, & gloria eius vetitas apud homines, fœlicitas apud Deum eſt: qui ſi ſe ipſum glorificaſſet, gloria ſua nihil eſſet.* Non equidem ab homine gloriante ſe, ſed à Deo glorificato, & laudato veniunt triumphi, & gloriæ. Hinc Dauid aggrediens Philiſthæum aie-
1.Reg.17. bat 1.Reg.17. *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminũ Iſrael,* &c. *& dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te,* &c. *Vt ſciat omnis terra, quia eſt Deus in Iſrael.* Hæc dicens iacto lapide hoſtem proſtrauit, & triumphum reportauit. Et vnde vnus lapidis iactus tantam reportauit victoriam. Non proficiſcebatur lapis ab homine ſe gloriante, ſed ab eo qui vnius Dei reſpiciebat laudes, eiuſque in ſe agnoſcebat, & prædicabat manus, dicens: *Dabit te Dominus in manu mea.* Quò
Theodor. reſpiciens Theodoret. ibi quæſt. 40. ait: *Lapide peremit alienigenam, quandoquidem hymnis, & laudibus celebrat illum lapidem, qui ex ipſo fuit exciſus ſecundùm carnem. Lapidem enim, inquit, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Dum nil propriæ attribuit manui, ſed eò tendit, vt in ſe diuina manus, Dei brachium, Chriſtus Ieſus, agnoſcatur, qui lapis dictus eſt angularis, inde tantam ſibi gloriam, tam illuſtrem victoriam reportauit. Et quam gloriam non præſtet ſuis Dei manus? Ezechia orante occiſa ſunt vna nocte centum & octoginta millia hoſtium; & poſt hæc Sol reuerſus eſt retrorſum decem lineis; in-
4.Reg.10. terea 4. Reg. 20. *In tempore illo miſit Berodach Baladam filius Baladam Rex Babyloniorum literas, & munera ad Ezechiam; audierat enim, quòd ægrotaſſet Ezechias.* Ecce tibi in eodem tempore ſe vidit Ezechias ab ingenti exercitu hoſtium liberum, ab ægritudine lethali leuatum, à Rege potentiſſimo Babyloniæ ſalutatum & muneratum. Vnde hoc? Ex vna munificentiſſima Dei manu aſſiſtente illi. Ait Theo-
Theodor. dor. ibi quæſt. 20. *Quam ob rem Rex Babyloniorum, cùm & Sennacherib interitum reſciuiſſet, & quæ de ſole admirabiliter facta erant didiciſſet, miſit & legatos, & dona ad Regem Iudæorum, & quos ſolebant abducere in captiuitatem, eos honorarunt tanquam præſtantiores. Ita eos reddidit inſignes Deus, quem coluerunt.* Vnus equidem Deus tantum potuit ſuis acquirere honorem, & gloriam. Et quid non præbeat Deus iis, quibus
Aggæi 1. adeſt? Aggæus cap. 1. *Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini, dicens: Ego vobiſcum ſum, dixit Dominus.* Circa
Cyril. Alex. quæ ait D. Cyril. Alex. ibi: *Cum illis ſeſe futurum pollicetur Dominus, cui quidnam comparari poteſt? Nam ſi Deus ſit nobiſcum, procul à nobis omne incommodum recedet, & commoda aduenient planè, & mox ſtabilia proſperitatum genera apparebunt, omniſque nos iucunditas complectetur.* Sic ibi.

§. XXI.

Præſtantis viri eſt, ea perficere, quæ non ab homine, ſed à Deo videantur fuiſſe.

IN imagine, ſiue columna à ſe erecta in ſui nominis commendationem hunc præfixit Abſalon titulum, nimirum: *Manus Abſalon*, quo multo glorioſiorem poſue-
Luc.1. runt Ioanni eius vicini Luc. 1. vbi dicunt: *Manus Domini erat cum illo.* Et cur ſimiliter Abſalon non ſe commendabat magis ex manu Domini, quàm ex manu ſua? Cur pro ſe extollendo confugit potius ad manum ſuam, quam ad manum Domini; quando vicini Ioannis, pro eo extollendo, ad manum Domini illi aſſiſtentem confugiunt? Vt Abſalon nullius erat homo præſtantiæ, nihilque aut in pace, aut in bello perfecerat inſigne, ſed ſolam fratris mortem perfecerat, ſic nec potuit cogitare geſtorum ſuorum titulum, quæ manus hominis excederent. Non ſic in Ioanne, cuius vel adhuc pueri ea erant opera, & geſta, quæ prorſus olerent manus diuinas, nec niſi manum Domini ibi aſſiſtentem cogitari permitterent. Venit enim hoc de præſtantia viri, quòd ea opera faciat, quæ diuinam manum, & cauſam in ſe indigitent. De filiis Seth locutus
Geneſ.6. textus c. 6. Geneſ. inquit: *Videntes filij Dei filias hominum,* &c. & qui à textu dicuntur filij Dei, noti erant fuiſſe hominis Sethi filij. Quando ergo eorum pater homo noſcebatur, cur filij Dei dicuntur? Oſtendebatur ibi præſtantia Sethi maxima, qui multis efformatus virtutibus, ſic eas ad ſuos deriuauit filios, vt non tã ipſi à patre homine, quàm à patre Deo crederentur exiſſe. Non ſic in Caini filiis, qui ſemper oſtendebantur filij eſſe hominis infirmi. Ait D. Baſil. Sel. Baſil.
orat. 6. *Duo ex Adamo ſuſcepti liberi Cainus, & Sethus originem ex ſe ſinguli naturæ dederunt. Cainus quidem fraternam dextram fraterno ſanguine cum purpuraſſet, lento tormento adiudicatur, poſt cædem ipſe ſpectatoribus de cæde lex extitit. Nactus etiam progeniem in mores nefarios ſuccedentes. Sethus verò cùm Deum laudatorem ſuæ virtutis inueniſſet, & ad Abelum moribus accederet, hoc virtutis præmium tulit, vt ſui filij Dei filij vocarentur, & quæ naturam ſuperabat appellatio, dignitatem prædicaret.* Parricidæ Caino nulli acceſſerunt filij, qui parentis infirmitatem, & mortalitatem non prædicarent, nec vlla ab illo opera manarunt, qui non olerent manus eius luteas, & ſanguineas. Sethi autem virtutibus hoc datum eſt, quòd eius filij non tam hominis, quam Dei crederentur filij, quòd eius opera manum oſtentarent diuinam, quo maximè eius clareſcebat præſtantia: & dignitas.

§. XXII.

In operibus maximè ſolet repræſentari operantis virtus.

MAnus ſuæ vocabulo inſcripſit Abſalon à ſe erectum titulũ; ait enim textus: *Vocauitque titulum nomine ſuo, & appellatur Manus Abſalon.* Et quidem à manu Abſalon, quid poterat repræſentari niſi titulus ſine re? Solẽt tituli in hominũ laudem erecti repræſentare eorum rectè geſta, victorias, triumphos. Si Abſalonis vitam examines, nullum eius geſtum inuenies inſigne, totus erat occupatus in capillorum cultu, in formoſulæ oris oſtentatione, in curandis manibus. In huius ergo manu prouidè factum eſt, vt ſolus ſine re appareat titulus. Habens ſolam pulchri aſpectus imaginem, vt mauult Abulenſ. Lyra, Hugo Carthuſ. Et cur ſola ibi imago? A manu formoſuli nil aliud eſſet, quàm pictura, & imago. In operibus enim maximè elucet operantis virtus. Conueniant huc, qui operam nauant Principibus extollendis, eorum que magnalibus titulos erigere. Heu quantorum aulicorum Principum in titulos nil vocare poſſent præter bene curatas manus, comarum culturam! Planè vt horum manus pictæ ſunt, ſic ab eis ſoli tituli ſine re proficiſcuntur. De Ieſu meo ingens Euchariſtiæ opus facturo locutus Matth. cap. 26. inquit: Matth.26.
Accepit Ieſus panem, & benedixit, & fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum. Non iuſſit, vt illi panem de menſa acciperent, ſed magis ipſe accepit manibus ſuis panem, quod, vt maximè neceſſarium, ſic expreſſum eſt in Canone Miſſæ, vbi ait: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas*, &c. Et cur neceſſum fuit, vt ſanctis ipſe manibus ſuis panem porrigendum acciperet? Vt crederetur opus illud Euchariſticum non in ſpecie, & figura peragi, vt quod procedebat à manibus Ieſu, quibus in veritate, & ſubſtantia debebat reſpondere opus ipſum. Vt
meritò dicat D. Cyprian. ſerm. de cœna Domini. *Panis iſte, quem Dominus porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus omnipotentia Verbi factus eſt caro: & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita ſacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe effundit eſſentia,* &c. Equidem in tanto opere non ſola effigies, aut figura inuenienda, ſed vera corporis Chriſti ſubſtantia, in quam transformauerat manus diuina naturam panis. Sicut enim in Ieſu id operante erat diuinitas latens, & humanitas patens, ſic in opere Euchariſtico erat Deus homo Chriſtus latens ſub viſibilibus ſpeciebus ſacramentalibus. Sic enim in opere repræſentabatur virtus operãtis. De duobus primis fratribus loquun- Cyprian.
tus Gen. 4. ait: *Cain obtulit de fructibus terræ munera Domino. Abel autem de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem & ad munera illius non reſpexit.* Itaque Deus elegit Abelum, & reprobauit Cainum, illum inter agnos conſtituit hæredem regni, hunc abiecit inter hædos igni deputandos æterno. Geneſ. 4.

Sit

Et cur ille agnus eligitur, hic cremandus eiicitur? Quis erat vterque repræſentabatur in eorum operibus; Abelis opus oblatum agnus erat, qui oſtendebat oblatorem ſuum inter agnos recenſeri. Cainus ſegetis culmum offerens, iam in eo monſtrabat, quàm pabulum ignis eſſet. Pro quo ait Chryſolog. ſerm. 109. (Chryſol.) *Abel agnum portans ad Dei ſacrificium, ſicut agnus aſſumitur: Cain geſtans ſibi ſtipulam, fomentum ſibi, per quod exureretur, inuenit.* Ecce tibi Abel, & Cain ex operibus reputantur, Abel ea oblatione agni agnus ipſe cenſetur, & aſſumitur inter agnos; Cain ex oblatione ſtipularum, quaſi ſtipula creditur flãmis æternis reſeruatus.

§. XXIII.

Vel inter mortis fauces ſalus ſolet eſſe peccatoribus præ manibus.

DIcebatur trophæus, & titulus ab Abſalone erectus, *Manus Abſalonis*, quaſi iam inde præſagirentur, illi nunquam defecturæ manus, quæ poſſint ſalutem negotiari. Ahæſit caput eius quercui, crines eius arboris implicatæ fuerunt ramis, manus autem etiam in arcto illo diſcriminis expeditæ manſerant, vt vel effugium pararent, vel ſalutem ex Deo negotiarentur. Sic cauet Deus in pluribus, vt vel inter mortis fauces, expeditas habeant manus vt ſalutem capiant. Beatiſſimus Fructuoſus Martyr Chriſti, ligatis pedibus, manibuſque immiſſus fuit in ardentes flammas, quæ Martyri parcentes, ligamina ſoluerunt pedum, & manuum. Non aliter tres pueri Hebræi in flammas ligati coniecti fuerunt, ſed flammæ ligaturas ſoluerunt, vt dicat Nabuchodonoſor Dan. 3. (Dan. 3.) *Ecce ego video quatuor viros ſolutos*, &c. Cauit enim Deus, vt manus expeditæ eſſent, quæ in illo diſcrimine ſalutem negotiarentur ex Deo. De quo ait Prudent. in Hymn.

(Prudent.)

Nexus denique qui manus retrorſum
In tergum reuocauerat reuinctas
Intacta cute deciduut aduſti.
Non auſa eſt cohibere pœna palmas,
In morem crucis ad patrem leuandas
Soluit brachia, quæ Deum precentur.
Priſcorum ſpecimen trium putares,
Quos olim babylonicum per ignem
Cantantes ſtupuit tremens tyrannus.

Expende illa: *Non auſa eſt cohibere pœna palmas, In morem crucis ad patrem leuandas Soluit brachia, quæ Deum precentur.* Equidem inter ipſas flammas non permittit Deus manus eſſe ligatas, ſed magis prouidit, vt ſoluerentur, & expeditæ eſſent ad ſalutem ea Deo negotiandam. Quod vt factum eſt in viris illis ſanctis, ſimiliter fieri ſolet in peccatoribus, quibus inter ipſa diſcrimina ſalus eſt ad manus. O quoties correpti iam peccatores ſupplicij pœna, loquela deſtituti, & penè omnibus ſenſibus externis ſpoliati, ſolas manus expeditas habent, quibus peccatorum abſolutionem à Sacerdote capiſcantur. Nonne multi ſenſibus penè deſtituti compreſſione manuum obtinuernot gratiam, & in gloriam euolarunt? Hos ſpectabat D. Cyprian. (Cyprian.) epiſt. 76. fatus: *In ſacramentis ſalutaribus, neceſſitate cogente, & Deo indulgentiam ſuam largiente, totum credentibus conferunt diuina compendia.* Qui tenebatur omnia peccata expreſsè confiteri, pœnis debitis in hac vita præoccupatus, nec verbum poteſt facere, ſed ſæpe extenſa manu manum confeſſoris tangit in ſignum pœnitentiæ. Quid tunc? An tantùm ſacramenti compendium illi proderit? Ait ibi Cypr. (Ibid.) *Totum credentibus conferunt diuina compendia.* Sic equidem vel ſceleſtiſſimi peccatores inter ipſas pœnas ſolent ſalutem habere præ manibus, vt ſi velint, eam capiant.

§. XXIV.

Non hominis, ſed Dei manus interſit, vt exitialia mala propulſentur.

MEritò ſcriptor ſacer deploratæ ruinæ Abſalonis adiungit mentionem tituli ab eo viuente erecti, & addit: *Vocauitque titulum nomine ſuo, & appellatur Manus Abſalon.* Dixerat Abſalonem ſuſpenſum, & occiſum, & in foueam eiectum, lapidibuſque opertum; qui Abſalon titulum gloriæ ſuæ vocauerat Manum Abſalonis. Et cur hunc titulum, hanc manum meminit in Abſalonis excidio, niſi vt oſtenderet; quam inualida, & ridicula eſt manus etiam hominis potentis, niſi Dei manus accedat, vt mala exitiatia propellat. Exod. cap. 8. *Extendit Aaron manum ſuper aquam Ægypti, & aſcenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti. Fecerunt autem, & malefici per incantationes ſuas ſimiliter, eduxeruntque ranas ſuper terram Ægypti. Vocauit autem Pharao Moyſem, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, vt auferat ranas*, &c. (Exod. 8.) Quando & malefici ſimiliter, vt Aaron extendentes manum ranas fecerant, ſiue adduxerant, cur non illos etiam vocat Pharao, vt extendant ſimiliter manus, & ranas abigant? Experientia didicerat malorum ablationem non fieri ab hominis Deo vacui manu, ſed à Dei manibus debere venire. Vt dicat Theophanes Cerameus orat. de Exaltat. crucis apud Grethſerum noſtrum tom. 2. de cruce: (Theophan.) *Non enim aliter poterat graue olens ranarum corruptio diſſipari; aut tenebræ illæ palpabiles deici, niſi Moyſe manus expandente: ſicut nimirum neque grauis peccati fœtor extinctus fuiſſet, aut impietatis tenebræ fugatæ, niſi Chriſtus legiſlator manus in cruce expandiſſet.* Vbi Dei manus non adeſt, & extenditur pro nobis liberandis, etſi vniuerſæ hominum Dei expertium manus adſint, non auferent à nobis mala exitialia. Vnde monebat Paul. 1. ad Cor. 3. (1. Cor. 3.) *Dominus nouit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt. Nemo glorietur in hominibus* Circa quæ D. Anſelm. ait: (Anſelm.) *Quando quidem cogitationes humanæ ſunt vanæ, & conſilia ſapientium improuida, & infirma, qui ſibi, vel aliis prodeſſe ſine Deo putant, itaque nemo glorietur in hominibus. Nihil enim poſſunt homines per ſeipſos.* Nulla manus creata potens eſt à nobis mala repellere, niſi ei fuerit manus adiuncta diuina. Iob cap. 2. dicebat Dominus diabolo: *Ecce in manu tua eſt.* (Iob. 2.) Ex Græco legitur: *Ecce omnia, quæcumque ſunt ei, do in manu tua.* Chryſoſt. in cat. Græca explicat: *In manu*, inquit, *tua puſilla.* (Chryſoſt.) Et cur in re malorum inferendorum manus diaboli habeatur puſilla? Puſilla equidem eſt non ad mala inferenda, ſed ad mala tollenda. Poteſt namque creata manus malum inferre ingens, ſed non poteſt tollere illud.

§. XXV.

In nullo gloriatur vanè homo, quod ei non deficiat tempore periculi.

SVſpenſus ab arbore, & transfoſſus tribus lanceis, & ſepultus, & lapidibus opertus eſt Abſalon; Abſalon, inquam, ille, qui ſibi erexerat titulũ, quem vocauit nomine ſuo, *& appellatur Manus Abſalon.* Et cur huius tituli mentio in re tantæ ruinæ, tam miſeri exitij? Equidem appellauerat titulum gloriæ ſuæ, *Manus Abſalon*, quaſi de validis ſuis manibus gloriatus de illis maximè præſumens. Quæ quidem illi maximè defecerunt tẽpore periculi: cùm enim caput eius adhæſiſſet quercui, & ſuſpenſus maneret inter cœlum & terram, manibus exiſtentibus liberis, & expeditis vt eum liberare poſſent, nihil dictum eſt factum a manibus, ſed quod deiectæ illum reliquerunt in periculo. Sic ſic ipſæ tibi manus tuæ deficient tẽpore periculi, ſi de illis aliquando præſumpſeris. Præſumptor ille dicebat Iſaiæ cap. 10. *Dixit enim, in fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos populorum*, &c. *Et inuenit* (Iſai. 10.) *quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum; & ſicut colliguntur oua, quæ relicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui*, &c. *Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem.* Ea erat gloriatio diaboli de ſuæ manus poteſtate, quæ ſi ſolùm extenderetur, totum orbem, vt paruum nidum, caperet. Quid tunc? An illa manus præualuit? Abſit, imò ait Propheta, quòd miſit Dominus, *in pinguibus eius tenuitatem*; ſic tenuis & inualida inuenta eſt tempore neceſſitatis, vt nihil iuuaret. Ait Leo Imperator in orat. de Exalt. Crucis apud Grethſerum noſtrum tom. 2. (Imp. Leo.) *Quid ergo? An ô omnis improbitatis repertor, & artifex, adhuc in altum loqueris ſublimia, & magnificè gloriaris, quaſi manus tuas ſis extenſurus, totumque terrarum orbem velut oua detractis putaminibus in altum rapturus? Nequaquam. Quin magnas, ob magniloquentiam iſtam, pœnas pendis. Igitur non ſolum tibi non licet manus extendere, ſed neque mouere. Diſſolutæ enim iam ſunt,*

& inefficaces reddita. Hæc eſt pœna, quæ eos plectit, qui vanè in aliquo præſumebant, vt ab eo in primis deſtituantur, neceſſitatis tempore. Ne miremur, quòd deficiant manus propriæ illi, qui in earum poteſtate præſumebat. Quo ſpectabant etiam illa Domini verba ad idololatricē Synagogam, Oſeæ c.2. nimirum: *Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & vias ſuas non inueniet; & ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet.* Sic inter ſpinas tribulationum ab omnibus amatoribus ſuis deſtituetur, vt nullus adſit, qui opem ferat. Ait ibi Ruffinus: *Cùm ergo cœperit vlciſcens ſeueritas ei obuiare, nullamque opem anguſtiis eius, poterunt cuncti, quos diligebat, afferre.* Tempore neceſſitatis deficient illi cuncti auxiliatores, cuncti amatores, de quorum antea præſumpſerat dilectione.

Oſe. 2.

Ruffin.

§. XXVI.

Vna Dei manus regnum parat homini.

ET ſi ambitioſiſſimus hominum Abſalon regnum maximè ambiret, & eo peruenerit, vt titulum ſibi erigeret, nullo illum regali nomine adonat, ſed tantùm dicitur vocaſſe eum *Manus Abſalonis.* Quàm aliter factum eſt in titulo, quem Pilatos affixit in cruce, Chriſto Domino. De hoc ait Ioan. cap. 19. *Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Ecce tibi in ſumma deiectione Ieſu ponitur ei titulus, qui regiam eius virtutē inſinuet omnibus. In ſumma autem exaltatione Abſalonis, non valet titulum ſibi affingere, qui regnum ſonet. Nec miror, titulus enim Abſalonis inſcriptus erat, *Manus Abſalom*, nec regium decus poteſt venire, etiam à validiſſima manu hominis. Titulus autem Ieſu eius diuiniſſimas manus habebat proximas, ligno præfixas eodem, & vnà Dei manus adiunctis ſibi regium inſtillat decorem. Aiebat Dominus Geneſ. 1. *Faciamus hominem, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris*, &c. Ad alias creaturas formandas ſolo verbo vſus eſt Dominus, modò vt formet hominem, manus vult adhibere operi. Et cur manus adhibeat efformando homini? Cauſam illa inſinuant verba, nimirum: *Vt præſit*; efformabatur ad præſidendum, ad regnandum, ideò et manus Dei adhibetur, quæ ſola regnum poteſt dare homini. Ait Germanus Conſtantinop. orat. in adorat. Crucis apud Gretſerum noſtrum tom. 2. *Bonitas Dei diffuſa fuerat in nobis. Nam cùm nihil prius in medium contuliſſet, nec quidquam homo promeruiſſet. Rex terreſtrium conſtitutus eſt diuina manus impoſitione. Tu enim, inquit* Pſalm. 138. *formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.* Ab vna prorſus Dei manu venit, quòd homo regnet in mundo. Quò adducenda ſunt dicta tom. 2. in Euang. lib. 9. cap. 3. & 6. & tom. 2. de Chriſto figur. lib. 5. cap. 18. §. 12.

Ioan. 19.

Geneſ. 1.

Ger. Conſt.

LIBER



LIBER VNDECIMVS.

Caini, ſiue Iesv perſequutor.

PRODITORI Ieſu aſſutus venit populus eiuſdem perſecutor, quem non minus exprimit Cainus, quàm Abſalon exprimebat Iudam. Meritò enim dicit D. Ambroſius lib. 1. de Abel, & Cain, cap. 2. *Per Cain parricidialis populus intelligitur Iudæorum, qui Domini, & auctoris ſui, & ſecundùm Mariæ Virginis partum, fratris, vt ita dicam, ſanguinis perſecutor eſt.* Nullo magis exprimitur rabies Iudæorum in Ieſum, quàm rabie Caini in Abelum fratrem ſuum innocentiſſimum.

Capvt I.

Caini & Iudæorum ſymbola.

Athanaſ. APparricida Abſalon non potui ſeparare parricidam Caioum; nunquam enim Chriſti inſenſiſſimi hoſtes noo ſunt parricidæ. Vt meritò dicat D. Athanaſ. epiſt. ad ſolitar. de Conſtantio Imperatore Arianiſmi propugnatore: *Quid ergo mirum, ſi hæreſi deutus, ac errabundus ita crudeliter in Epiſcopos ſæuit, cum nec cognatis quidem ſuis, vt homo pepercerit? Quippe qui patruos in carcere concluſerit, patueles ſuſtulerit, & ſoceri ſuſpitiom, cognatoſque vltima patientes nulla miſericordia proſecutus ſit.* Sic ibi, non miratur, quòd animus parricida propter Arianiſmum ſæuiat in eos, qui diuinitatem tribuunt Chriſto.

§. I.

Defectus ſubditorum in Prælatis puniuntur.

DE Caini munere locutus textus ait: *Et Cain agricolas* quod munus in Principibus Iudæorom notabat Dominus Matth. 21. cùm memorans vineam a Deo plantatam, ait: *Locauit eam agricolis.* Agricola Cain, & agricolæ Iudæorum Principes; & tam hi, quàm illi damnabiles Deo ex malitia fructuum natorum in hæreditate illis commiſſa. Quippe Prælati damnabiles Deo ſunt ex malignitate ſubditorum, à ſe male excultorum. Sapieoter enim cauebat ille Præpoſitus Eunuchorum Dan. 1. (Dan. 1.) *Si viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus coæuis veſtris, condemnabitis caput meum Regi.* Sic in ſe irreconciliabilem Regis iram verebatur propter maciem puerorum ſibi commiſſorum. Vt meritò dicat Imperfect. homil. 40. Imperfect. in Matth. *Sicut colonus, quamuis de ſuo munera obtulerit Domino, non ſic eum placat, quomodo ſi de vinea eius reditus ei obtulerit: ſic Sacerdos non tantùm propter ſuam iuſtitiam placet Domino, quomodo ſi populum Dei in ſanctitate decuerit.* In Præpoſitis, & Prælatis non ſolùm attendit Deus ad eorum proprias vitas, & perfectos mores, ſed maximè attendit ad mores ſubditorum; quorum malignitate implacabilis redditur aduersùs Præpoſitos Numer. 20. *Dixitque Dominus ad Moyſem, & Aaron: Quia* Num. 20. *non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Et mirabar to Moyſe, & Aarooe eam eſſe culpam, aduersùs quam adeò implacabilem ſe Dominua oſtenderet. Et quæ hæc culpa Moyſi fuit; ob quam Deus illi noo placatur, ſed illum pooit inerito, ante promiſſionis terræ ingreſſum? Hauriturus Moyſes aquam de petra, vt ſatiaret populum, ſic populū obiurgauit dicēs: *Audite rebelles,* &c. vt populua obiurgatione occupatus aquas acciperet, nullas tamē gratias redderet Deo. Vbi autem è populo fructus gratiarum actiooes non extitit, meritò Deus ſe implacabilem oſtendit aduersùs Præpoſitos, quorum iniuria ortus fuit ille defectus. Aiebat Abulenſ. ibi quæſt. 23. *Quia Moyſes, &* Abulenſ. *Aaron increpuerunt valde populum, vocantes eos incredulos, & rebelles, ideo populus non potuit eſſe attentus, vt laudaret Dominum pro ſuſcepto beneficio, & quia hoc aliquoliter prouenit ex actu Moyſi, & Aaron fuit eis datum in pœnam, quòd non introirent in terram Chanaam.* Non ob id, quòd Moyſes in ſe deliquiſſet, ſed quòd deliquit in cultura populi ſibi commiſſi, eum ſic duriter tractans, & præpoſiti duritie occupana non redderet Deo fructus actionis gratiarum, ideò Deum ſibi inuenit implacabilem. Miraris? Accipe ergo maius aliud: locutus enim Dominus de Principibus populi Iudæorum, quorum incuria non percipiebat Deus fructum ex populo illo, ait Matth. 21. *Cum ergo venerit Dominus vi-* Matth. 21. *neæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet,* &c. Circa quæ ait Chriſtiaous Druthmarus: *Perdidit illos malè,* Druthmar. *quia fame, qua nihil durius, quæ etiam obſeſſos compulit humanis carnibus veſci, illos perdidit, & commendauit Chriſtianis Doctoribus Eccleſiam ſuam. Caueant ergo Reges, & Epiſcopi iſtam dominationem agricolarum, ne fortè & ipſi ſimilia patiantur, ſi bene non excoluerunt vineam Domini, omnem turbam Chriſtianorum.* Equidem implacabiliter perdeutur, qui conſtituti in munere colendi dominicam vineam, vel eam duritie, & ruſticitate graodinant, vel nimia ſuauitate adurunt, vel incoria perdunt, vel malo exemplo corrumpunt. Dum enim de vinea ſua ait Dominua Matth. 21. *Locauit eam agricolis* Matth. 21.

[Imperf.] explicat Imperfect. hom. 40. *Locutus eſt ſolenis tempore Moyſis, quando per legem conſtituti ſunt Sacerdotes, & Leuitæ, & procurationem regendi populum ſuſceperunt ad magnam ſuam gloriam, & ad magnum periculum.* Sic ibi, vt videas, quàm ægri ſunt illi, qui magnitudinis gloriam videntes, in dignitate, nihil æſtimant periculum.

§. II.

Miſerum eſt per ea perdere rem, per quæ poſſes magnum lucrum acquirere.

Offendit Cain Deum per oblata munera, & ſacrificiã, vt dicat text. *Ad Cain autem, & ad munera eius nõ reſpexit.* Quod ſimiliter dictum eſt Iudæorum populo multis Scripturæ locis, quæ colligens [Rupert.] Rupert. lib. 4. in Geneſ. cap. 5. ait deſignans Iudæum: *Nec reſpicit Dominus ad iſtum Cain, & ad munera eius. Dicit enim illi per Pſalmiſtam: Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Et in Iſaia: Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum*, &c. Sic & Cainus, & Iudæi offendunt Deũ ſacrificiis ipſis ſuis, vt pateat omnibus, quàm ſint miſeri. Ad magnam enim miſeriam hominis pertinet, quod per ea offendat, per quæ poſſet ingentia [Oſ. 8.] bona ſibi acquirere. Oſeas c. 8. aiebat. *Argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent.* Illud ipſum aurum, quo poſſent Deum ſibi acquirere, quo Magi cæleſtia compararunt, miſeri illi extremum ſibi compararũt excidium. [Cyril. Alex.] Quod pulchrè expendens D. Cyril. Alex. ibi ait: *Vnde enim laudari poterant ab omnibus, ex miſericordia in fratres erogantes, inde Deum offendunt, & inſtrumentum ſalutis ad exitium inde ſibi comparandum ſtatuè conuertunt.* Quid ſtultius? Et quid miſerius? Illis eiſdem mediis, quibus æternam acquirere poſſes ſalutem; eiſdem illis ſumptibus, quibus poſſes in æternum regnum venire, præcipitari in irreparabile exitium. [Leu. 10.] Leuitici c. 10. *Arreptiſque Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis, poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum nõ erat: egreſſuſque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui ſunt.* De ipſis oblationibus, & ſacrificiis, quibus poſſent ſalutem negotiari à Domino, interitum mercantur, & mortem. Quod meditatus [Chryſol.] Chryſol. ſerm. 109. ait: *Filij Aaron dum præſumunt terrenos ignes diuinis ignibus admouere, flammam ſacrificij ſalutaris in pœnale ſibi incendium commutarunt.* Hoc maximè luctuoſum in his quòd de ſalutari ſacrificio, non ſalutem, ſed mortem hauſiſſent. Quod de illis eiſdem ſacris; quæ ſanctè peracta ingentes afferunt humanis cordibus diuitias; illi non niſi extremam perditionem ſibi acquirerent. His non abſimilis Iudas, de quo ait Matth. 26. *Et oſculatus eſt Ieſum.* Et quid per illud oſculum acquiſiuit? De illo canit [Sedul.] Sedulius lib. 5. Paſchali.

——— *Ore ora premis, melliqúe venenum*
Inſeris, & blanda Dominum ſub imagine prodis.

Expende illud, *melliqúe venenum inſeris;* quippe melleæ illi petræ, quam lambens poſſet gloriæ ſuauitates percipere, venenum ipſe adiunxit, quo citiùs periret. Quid miſerius? Acceſſit Magdalena, oſculabatur pedes Ieſu, lambebat nouiſſimam illam petram, & de petrę melle ſaturabatur, dum recipit peccatorũ remiſſionis dulcedinem. Acceſſit Iudas, & oſculatus eſt Ieſum, & addens melli venenum, cucurrit in interitum. Eodemque ſumpto comparauit mortis amaritudinem, quo poſſet cæleſtes ſuauitates obtinere.

§. III.

Ibi ſolùm vita eſt, & mors abeſt, vbi Chriſtus eſt.

Non otioſè dicuntur Caini munera fuiſſe *de fructibus terræ.* Nihil enim viuidum, nihil non mortuum in eius oblationibus apparuit, vt qui non agnum offerebat, ſed paleas. In quo Iudaici populi munera adumbrabantur; ex quo enim viuificum agnum Ieſu à ſe excluſerunt, nihil habent vitale. Vt meritò dicat [Rupert.] Rupert. lib. 4. in Geneſ. c. 4. *Tunc obtulit Cain munera Domino de fructibus terræ, videlicet inanimatum, & ſine fide ſacrificium. Mortuum quippe erat ſacrificium credulum. Et ſi antè quandam habebat vitam, vel ſenſum, illud ſacrificium Iudaicum, ſcilicet in eo, quod verum Chriſti præſignabat ſacrificium: attamen ex tunc & vſque in perpetuum mortuum eſt, quia cum magno odio filij Dei oblatum eſt, & tempus figurarum præteriit.* Inanime Caini ſacrificium, inanimes, & mortuas Iudæorum oblationes præſignabat. Fuerant equidem viuidæ aliquando Iudæorum oblationes, quando in ſe agnum immaculatum Ieſum habebant ſaltem ſub vmbris præſignatum. Ex quo autem reiecto, & occiſo diuiniſſimo agno, figuræ eius euanuerunt, nihil iam ibi vitale, nihil non mortuum apparet, nihil ad vitam conducens. Ibi ſolùm vita eſt, vbi eſt Chriſtus, ſine quo omnia in mortem currunt. Iſaias cap. 1. *Quò mihi multitudinem victimarum* [Iſai. 1.] *veſtrarum, dicit Dominus? Plenus ſum. Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Ecce tibi vt Deus abiicit paſchalis agni ſacrificium, nec illud coràm admittit. Sed Exod. 12. maximè illud agni [Exod. 12.] exquirebat munus, dicens: *Tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas*, &c. Qui adeo paſchalem agnum ab Iſraelitis exquirit, modò illum abiicit. Et cur Domine paſchalis agnus tibi quondam gratus, hominibus Iudæis vtilis, modò reprobatur, & eiicitur? Tunc in illo agno paſchali agnus viuificus Ieſus exprimebatur, ex quo inde oriebatur ſuauitas, & vita; modò vt agni illi paſchales Ieſum non referunt, ſic nihil in eis vitale aſpicitur, nihil quod mortem non oleat, & carnificinam. Vt dicat D. Zeno [Zeno.] lib. 3. ſerm. 36. *Sanè ouium greges inſulſos interfuit Iudæus, quos in amaritudine aſſumit. Quis non intelligat fratres illud paſcha nõ eſſe, ſed bramoſum latronis cruenti conuiuium.* Et ſer. 44. expreſſiſſimè ait: *Nihil, vt arbitror, tellitis illis proprium, niſi quòd agno ſalutari neglecto, ingrati viles agnos cum amaritudine manducant.* Et vbi abeſt agnus diuiniſſimus Ieſus, quid aliud poteſt eſſe quàm crudelis carnificina, accedentis mortis, tanquam latronis, & furis, qui homines impleant lethali amaritudine. Vnus enim Ieſus & vitam præſtat, & mortis ſuauiat anguſtias. Aiebat Dominus Luc cap. 9. *Dico autem vobis verè, ſunt* [Luc. 9.] *aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei.* Et quomodo non guſtabunt mortem? Accipientes illum viuificum panem, ſub cuius ſpeciebus eſt agnus diuiniſſimus, ſic ſe component ad mortem, quaſi eam via extremis labris guſtaturi. Ait Ioannes Xiphilinus Patriarcha Conſtantinop orat. in crucis adorat. apud Gretſer. tom 2. [Xiphilin.] de cruce: *Quoniam inter ſtantes eſt diſcrimen, qui melius ſtant, diuinam Verbi inter homines peregrinati gloriam, & dignitatem eius videbunt: qui non modò non replebuntur morte, ſed ne primoribus quidem labris guſtabunt, panem vitæ comedentes, carnem Domini, inquam, & ſanguinem eius bibentes.* Itaque comedentes carnem Domini ſic afficimur, vt via mortis amaritudinem, nec extremis labris guſtare poſſimus.

§. IV.

Potentiores exitiales ſunt Sanctis.

De Cain dicit text. Geneſ. 4. *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* In quo maximè delinexbatur Iudæorum facinus, qui Ieſum meum fratrem ſuum interfecerunt. Vt dicat D. Auguſt. lib. 12. contra Fau- [Auguſt.] ſtum cap. 9. *Itaque occiditur Abel minor natu à fratre maiore natu. Occiditur Chriſtus caput populi minoris natu à populo Iudæorum maiore natu. Ille in campo, iſte in Caluariæ loco.* Sic maiores, & potentiores homines in ſanctos & pios homines inſurgunt. Eſt enim, neſcio, quæ antipathia potentioribus, & ditioribus cum iuſtis, atque humilibus. De potentibus mundialibus locutus Iob cap. 24. ait: *Subuerterunt* [Iob 24.] *pauperum viam, & oppreſſerunt pariter manſuetos terræ.* Symmachus legit: *Inuiſibiles fecerunt manſuetos terræ.* quaſi hoc maximè cordi potentioribus, vt pios, & iuſtos homines ab oculis abiiciant mortalibus. Vt dicat ibi Nicetas in caten. [Nicetas] Græca: *Simul*, inquit, *inuiſibiles fecerunt manſuetos terræ, tum eos, qui in rebus gerendis, tum qui in perferendis exercebantur. Id ipſum apud Salomonem conſceleratum illud concilium loquitur: Abſcondamus*, inquit, *in terra hominem iuſtum iniuſtè.* Huc ſpectant potentes mundi, vt iuſtos perſequantur, nec illos in vita eſſe patiantur. Iacob poſt multa ſeruitia exhibita potentiſſimo ſocero ſuo Labano Geneſ. 31. *Miſit, & vocauit* [Geneſ. 31.] *Rachel, & Liam in agrum, vbi paſcebat greges, dixitque eis: Video faciem patris veſtri, quòd non ſit erga me, ſicut heri, & nudiuſtertius: Deus autem patris mei fuit mecum.* Experiebatur Iacob ſibi aduerſarium Labanum, de quo cũ eius filiabus, vxoribus ſuis loquitur quaſi tanti faſtidij in ſocero quærens cauſas, quas ipſe ignorabat. Cùm Iacob iã vtilis Labano eſſet; vnde eius odium

odium incurrit? Cur auerſam eius faciem ſentiebat? Credo cauſam illis verbis indigitari, nimirum: *Deus autem patris mei ſint mecum.* Vbi enim Iacob Deo amicus erat, & gratus non potuit non ſentire ſibi potentem hominem aduerſarium. Vt dicat Philo lib. Quod deterior inſidietur potiori, in principio: *Ideo Laban ergo te malè affectus eſt, quia Deus tibi fauet.* Habent equidem potentes ſæculi antipathiam cum Sanctis.

Philo.

§. V.

Non paruum ſcelus eſt, quod Deum ignorare velis.

INterrogatus Cain de fratre ſuo, ſic reſpondit Deo, quaſi fratrem ignoraret, dicens: *Neſcio, nunquid ego cuſtos ſum fratris mei?* In quo maxime aſſimilantur Iudæi, qui & noluerunt, & nolunt agnoſcere Ieſum. Ait Aug. lib. 12. contra Fauſtum cap. 10. *Reſpondit Cain ſe neſcire, neque eſſe fratris cuſtodem. Vſque adhuc quid nobis reſpondent Iudæi, cum eos Dei voce, hoc eſt, ſanctarum Scripturarum voce interrogamus de Chriſto niſi neſcire ſe Chriſtum, quem dicimus? Fallax enim Cain ignoratio, Iudæorum eſt falſa negatio.* Planè nunquam ſine grandi ſcelere non vis noſcere Dominum Deum tuum. Quò ſpectans Oſeas cap. 4. dicebat Iudæo: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te.* Et mirabar, quòd cùm Iudæus tot iniurias Deo intulerit, tot tormentis eius filium vexauerit: non de illatis malis, ſed de negata cognitione in præſenti damnetur. Et cur non magis ait, quia occidiſti filium meum, repellam te? Quæſtioni videtur reſpondiſſe Minutius Felix in Octauio ſatus: *Parentem omnium, & vnicum Dominum non minoris ſceleris eſt ignorare, quàm lædere.* Ad eiuſdem ſceleris magnitudinem refert ſapiens homo: quòd voluiſſent Iudæi Chriſtum ignorare, & quod voluiſſent eum lædere. Hinc Iſaias c. 1. *Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis,* &c. Nil de cruce loquitur, nil de clauis, nil de ſputis, & verberibus, & illud in medium producit, nimirùm: *Iſrael autem me non cognouit*, quaſi hoc ſolum ſit, quod maximè in Iudæis caſtigatur. Rupert. lib. 1. in Iſaiam cap. 3. ait: *Igitur Iſrael me non cognouit; populus meus non intellexit, id eſt, cognoſcere, & intelligere noluit. Reſpondete igitur cœli, loquere terra, & dic: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate ſemini nequam, filiis ſceleratis. Væ, inquam, id eſt, iudicium æternum, ſupplicium ſempiternum.* Sic eo ſolo, quòd voluerint Deum ignorare, eis omnem iniquitatem accumulat, qua ferantur in æternum ſupplicium. Nec non & D. Zeno ſerm. 2. de Abrahamo ait: *In progenitum certiſſimum Dominum impia Iudæorum exarſerunt conſilia, quem tacentem, vt Iſaac non periturum ad aram, ita ad crucem Chriſtum ſublimandum nefarie perduxerunt. Sed quia neſcit æternitas mori, aut Dominus poſt ſepulchrum, & ad Iudæos remanſit ſola damnata voluntatis inuidia, quia Dominum nec agnoſcere voluerunt.* Sic vix aliud caſtigatum in Iudæis agnoſcit delictum, niſi quòd noluerunt cognoſcere Deum. Vt metuant ſibi ſimilia Chriſtiani, qui paruam, aut nullam operam dant diuinis redemptoris, & creatoris ſui myſteriis agnoſcendis.

Auguſt. Oſe. 4. Min. Felix. Iſai. 1. Rupert. Zeno.

§. VI.

Incolumitas impiorum à Deo prouidetur, vt proficiat iuſtorum ſaluti.

CAinus morte dignus reſeruatur à Deo in vitâ, dicente textu Geneſ. 4. *Poſuitque Dominus in Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum.* Voluit itaque Deus, ne Cain interficeretur, ſed magis voluit, vt viueret. Et cur à Deo ſeruatur vita Caini? Ait D. Baſil. Sel. orat. 4. quaſi rationem Deus indigitaret, dicens Caino: *Tremens vbambula, animata lex videntibus occurrens.* Voluit itaque Deus, vt à ſuperſtite Caino lex notaretur contra parricidas, vt iuſti, & innocentes ſecuri viuerent. Sic Iudæi ſeruantur à Deo in vitam, in quibus lex, & Prophetæ videantur circa occiſionem, & mortem Chriſti, & inde floreat Chriſtiana Religio. Ait Pſalm. 58. *Ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei.* Auguſt. epiſt. 59. ponit; *Ne quando obliuiſcantur legis tuæ.* Nec adducar, vt credam Iudæos in medio barbariſſimarum nationum, in quibus inuenti ſunt diſperſi, & in medio hæreticorum, & Catholicorum poſſe conſeruari incolumes abſque particulariſſima prouidentia Dei. Deus eſt, qui peculiari prouidentia cauet, ne occidantur, & funditus Iudæi pereant. Et cur Iudæorum vita ſeruatur a Deo? Ait D. Auguſt. epiſt. 59. *Ne occideris eos ne quando obliuiſcantur legis tuæ: conuenienter mihi videtur intelligi, ita eſſe prænuntiatum, eamdem gentem etiam debellatam, atque ſubuerſam in populi victoris ſuperſtitiones non fuiſſe ceſſuram, ſed in veteri lege manſuram, vt apud eam eſſet teſtimonium Scripturarum toto orbe terrarum, vnde Eccleſia fuerat euocanda,* &c. *Quod in eorum figura etiam de Cain ſcriptum eſt, quod conſtituit in eo Dominus ſignum, ne quis occideret eum.* Et Cain; & Iudæi prohibentur occidi, & ad vitam hanc temporalem reſeruantur, vt iuſtorum ſaluti proficiant. Iudæi enim cuſtodientes, & obſeruantes legem, & prophetas, faciunt, vt omnia Chriſti myſteria magis inde effulgeant.

Baſil. Pſalm. 58. Auguſt.

CAPVT II.

Caini ſacrificium.

TEXTVS HISTORIA.

PRIMVM humani generis augmentum Cainus fecit, qui primo Adami exilij natus anno, peccatricis naturæ totum in ſe virus, & ſpecimen traxit. Nec ſolus diu extitit, ſed paulo poſt oritur Abel frater, duobuſque pignoribus poſſent parentes lætari, niſi Caini indoles, vel a primis vnguiculis aliquam illis moleſtiam generaſſet. In eò pater dolebat reproborum ſigna lethalia, nec tamen deſtitit iuuenem cum fratre informare, vt Deus colendus erat, vt erat animæ ſalua procuranda. Interea nubiles annos pertingunt, & vterque ſororem in vxorem capit, nulla enim erat alia fœmina, de qua genus humanum deberet propagari. Creuerunt cum vxore curæ domeſticæ, quæ in diuerſa officia diuidunt fratres, Cain agriculturæ ſe dedit. Abel ouibus paſcendis operam nauat. De patris diſciplina, fructuum primitias ſingulis annis offert vterque, ſed vt diſpar erat deuotio offerentium, ſic diſpar illis reſpondebat Dei gratia. Ægrè ferebat Cainus fratris munera Deo eſſe acceptiora, inuidiamque inde conceptam interno fouebat animo, donec diu fotus igniculus in pyram exarſit. Occaſionem præbuit centeſimus mundi annus, qui vt primi ſæculi clauſula debuit ab hominibus celebrari. Propterea in ſolemnia ſacrificia ſe duo accinxere fratres; Abel optimum gregis ſui agnum ſegregat Deo, Cainus quas fortè meſſes inuenit, Deo affert. Nec potuit non videre incuriæ ſuæ pœnam, cùm vidit cæleſtia omnia fratris agniculo ſe oſtendiſſe grata. Hinc rabidiſſimi inuidiæ morſus cœperunt eius animum lacerare, hic iræ, hic mœror miſerum in extremam ducebant cladem.

MORALIA CIRCA textum.

MERITO ait Sapiens, quòd inuidiâ diaboli introducta eſt mors in orbem terrarum; ne miremur, quòd de inuidia in mundo etiam parricidia naſcantur.

Geneſ. 4. Adam verò cognouit vxorem ſuam Euam, quæ concepit & peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem per Deum. Rurſuſque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola.

§. I.

Illa præſtantior virtus, quæ communi ſeruit ſaluti.

QVi in paradiſo virginitatem coluere, à paradiſo eiecti liberis operam dant; dicit enim text. *Adam verò cognouit vxorem ſuam*, &c. Et quidem poſt paradiſum perditum, naſcituri erant filij ærumnoſiſſimi, innumeris malis obnoxij, mortales, Dei inimici. Cur ergo cum tales nouerit Adamus orturos filios, non magis abſtinet à coniugali amplexu? Cur non magis eligit in virginitate manere, quam coluerat in paradiſo? In paradiſo audierat illud Geneſ. 1. *Creſcite & multiplicamini*, quando poſſet filios habere fœlices, & nihilominus ibi elegit ſtatū virgineum. Cur poſt paradiſum geniturus filios calamitoſos, Dei inimicos, virginitati vale dicit, & amplexibus coniugalibus magis vtitur? Per amplexus coniugales propagato genere humano ortura erat aliquando Maria, quæ daret Ieſū totius mundi redemptorem, cœleſtiūmque agminum reparatorem. Ideò tunc non tanti erat ducenda virginitas, quanti matrimonij vſus, per quem ſic conſulebatur communi hominum ſaluti. De communi enim vtilitate penſari ſolet præſtantia moralis virtutis. Eſther cap. 2. *Ducta eſt igitur ad cubiculum Regis Aſſueri*, & Regi copulata eſt in coniugium, de quo ipſa cap. 14. dicit ad Dominum: *Noſti, quia oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircumciſorum, & omnis alienigenæ.* Quando ergo illi adeò odioſum erat cubile incircumciſorum, cur non magis placuit in virginitate manere? Nonne ſanctiùs ageret, ſi virgo caueret thalamum alienigenæ? vt coniugium illud ordinabatur ad ſalutem ſeruandam populi, ex quo orturus erat Ieſus, vera ſalus mundi, ſic debebat eligi vt ſanctius quauis puritate virginea. Ait Rupertus lib. 8. de vict. Ver. cap. 17. *Putas ne minus iuſtitiæ nunc obtinet Eſther tolerando id, quod oderat, cubile incircumciſi, quàm ſi refugiſſet, nec vllo modo coniungeretur illi, &c. Nequaquam tanti debuit illi eſſe cuſtodia corporis ſui, vt præponeret eam communi ſaluti ſuæ gentis, imò ſaluti totius mundi, cui videlicet ſaluti omnium mirabiliter cooperata eſt illa coniunctio captiuæ Eſther, & Regis Aſſueri. Nam per illam occaſionem liberati ſunt Iudæi, qui fieri debebant patres carnis Chriſti.* Vbi tam communi omnium ſaluti conſulebatur, ſanctiùs oſtendebatur coniugium, quod parabat illam, quam cuſtodia virgineæ integritatis corporis, quæ illā impediret. Eſthere animoſior adeſt Iudith, quæ vidualem continentiam cuſtodiens domi clauſa, vbi nouit & populum, & religionem patriam in periculo eſſe, totam corporis ſui cuſtodiam abiicit, nec dubitat ſola, & pulchra fœmina ſe barbarorum ducum, militumve conſpectui tradere; nihili æſtimans periculum, vel quòd iungeretur alienigenæ in coniugium, vel quòd per vim pudicitia eius corporalis poſſet iniuriam pati. An non ſanctiùs, & tutiùs fœmina ab his periculis ſe cuſtodiret? Nequaquam, vbi per illa magis communi ſaluti, & religioni conſulebatur. Vt meritò dicat D. Ambroſ. lib. 2. de Virginibus: *Quòd ſi Iudith pudicitiam religioni præferre voluiſſet perdita patria, etiā pudicitiam perdidiſſet.* Quibus oſtendit pater, quàm ſanctiùs, & prudentiùs agitur, vbi & communi ſaluti, & religioni poſtponitur cuſtodia hæc corporalis integritatis.

Geneſ. 1.

Eſther 3.

Eſther 14.

Rupert.

Ambroſ.

§. II.

Cum virgineo pudore nullum verbum compatitur, quod venerem oleat.

ET ſimul nuptiales oſtenduntur amplexus, & verba audiuntur de filiis habendis, vel habitis. Dicit enim: *Adam verò cognouit vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem*, &c. Non ſolùm concipit, & parit, ſed & loquitur de filio habito. Antea verò dum in paradiſo eſſent vir, & fœmina, & iam coniugij nodo illigati, non ſolùm non dant operam liberis, ſed nec verbum de illis habendis faciunt. Et cur ſic tacuerant de filiis, qui ad illos gignendos erant procreati? Vt in paradiſo angelicam puritatem ſeruabant, ſic nec erat illis verbum, quod negotium generationis notaret. De quo pulchrè ait Chryſoſt. ibi: *Poſt inobedientiam, poſt paradiſi amiſſionem, tunc primùm vſus rei venereæ cœpit. Ante inobedientiam enim angelicam vitam imitabantur, & nullus de re venerea ſermo erat.* Venerunt verba adiuncta operibus voluptatum; vbi autem virginitas colebatur, vbi Angelica vita in pretio erat, nullus ibi ſermo, nullum verbum, quod Venerem oleret, audiebatur. Cùm Angelum ad ſe accedentem audiſſet Maria Luc. 1. dicit text. *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Sto à ſententia Cardinalis Toleti, qui putat turbatam Mariam in ſermone Angeli, quia ſermo illius conceptionem, & parturitionem prolis loquebatur. Et quid inde, quòd Angeli ſermo de conceptu, & parturitione eſſet, vt Maria turbaretur? Audito ſermone partum ſonante, turbabatur Maria in præſentia Angeli, quem forſan dubitabat Angelum eſſe, quando ſermo talis non credebatur conuenire angelicæ puritati. Ad hæc Andreas Cretenſ. orat. in Annunc. ait: *Turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet illa ſalutatio; quaſi diceret: Nam ſola ego inter mulieres nouum naturæ modum inducam? Quis nuntium hoc mihi apportauit? Angelum ergo eum cenſebo? Verùm hominis inſtar loquitur.* Adeò alienus eſt ſermo de parturitionibus, & conceptionibus ab Angelica puritate, vt inde Gabriel, quia Deo iubente de talibus loquebatur, dubitaretur eſſe Angelus. Tunc enim ſecuriſſimè aſſeritur Angelica puritas quando nec verbum auditur, quod negotium generationis ſapiat. Miratus ſum ſæpiſſime fœminam pulcherrimam Iudith quatriduo apud Holophernem vixiſſe, multaque cum illo fuiſſe ſermocinatam, nec in tam frequenti confabulatione cum regio homine illius pulchritudine captiuo vllum verbum auditum eſt, quod thalamum oleret, quod ad voluptuoſas poſſet pertinere delicias. Cur hoc ô bona! ſi pulchritudine tua obcæcare amas impium, ſi illum capere verbis charitatis tuæ, cur vel verbulum amatorium non præmittis? Pulchre pro Iudith ſtat D. Ambr. lib. 1. de Virginibus, dicens: *Tacuit, ne eam vel loquentem audiret adulter. Exiſtimate, vtrum adulterare potuerit corpus, quæ non vocem adulterauit.* Equidem quaſi Angelicam impotentiam ad corporeas delicias æmulatur, quæ nec verbulum prodit, quòd eas pertingat.

Chryſoſt.

Andr. Cret.

Ambroſ.

§. III.

Virginitas vix ſeruari poteſt cum aliis peccatis.

POſt peccatum admiſſum, & poſt pœnam expertam in exilio, & ærumnis, ſtatim Adam ruit in amplexus maritales, dicente textu: *Adam verò cognouit vxorem ſuam*, vt enim admiſit peccatum, ſic non curauit virginitatem ſeruare. Nec miror, vix enim manet virginitas, in quo ſunt alia peccata, Ait D. Chryſoſt. ibi: *Itaque ab initio virginitas palmam principatus accepit, ſed poſtquam per deſidiam peccatum intrauit, & aditus patefactus eſt his, quæ peccati ſunt, & illa quidem auolauit, vtpote ab his, qui indigni quidem tantæ virtutis magnitudine facti ſunt.* Expende illa: *Poſtquam peccatum intrauit, illa quidem auolauit*; quippe candidiſſima virginitatis columba in anima peccatis fœtida non inuenit, vbi requieſcat pes eius, & mirum erit, ſi quamprimum inde non auolet. Ideò Ierem. 1. dictum eſt: *Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te.* Exiſtentem adhuc in vtero puerulum Ieremiam properauit Dominus ſanctificare, originaliſque maculam peccati abradere. Et cur tanta fuit Dei properatio in ſanctificando Ieremia, vt non expectaret eius natiuitatem? Naſciturus erat ad virginitatem conſeruandam; ideo Dominus maximè cauit, ne in eo macula peccati inueteraſceret, ſed quamprimum tolleretur ab eo, vt ſic in eo virginitas poſſet durare. Quò ſpectans D. Aldhelmus lib. de Virg. cap. 10. ait: *En ſanctus Ieremias ad exemplum virginalis materiæ in propatulo nobis occurrit, qui antequam maternis ederetur partubus, beata prædeſtinatione Domino dicatus, & ab ipſa rudi cunabulorum teneritudine, virginitati conſecratus, de quo diuina promulgat ſententia: Antequam procederes de vulua, ſanctificaui te, pulchro videlicet virginitatis præſagio.* Ecce tibi, vt præpropera in puero à peccatis purgatio, & ſanctificatio pro pulchro ſumitur præſagio virginitatis conſeruandæ. Quaſi tota illa mundatio, & ſanctificatio neceſſariò eſſet præmittenda, vt inde præſagire poſſemus futuram virginitatem, quæ minimè duraret inter peccatorum maculas.

Chryſoſt.

Hierem. 1.

Aldhelm.

§. IV.

§. IV.

Id maxima æſtimationis, & fœlicitatis eſt bonum, quod non ab alio habetur, quàm à Deo.

Chryſoſt. SApiens Eua in filio habito non aliam tanti doni cauſam meminit, niſi Deum. Ait enim: *Poſſedi hominem per Deum.* Circa quæ Diuus Chryſoſtomus: *Poſſedi hominem per Deum. Non natura*, ioquit, *puerum mihi dedit, ſed diuina gratia.* Hinc & doni æſtimationem, & ſuam fœlicitatem
Luc. 7. adauget, quòd vni Deo donum debeat, non alij. Luc. cap. 7. *Cùm autem Ieſus appropinquaſſet portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ. Et hæc vidua erat.* Quis non doleat huius vidoæ vicem in filio amiſſo? Cur Domioe viduam mulierem tam duriter afflixiſti, vt et filium vnicum eriperes? Cur non magis eius deſolationi, & viduitati conſuluiſti? Conſuluit equidem Domious fœminæ fœlicitati, auferena illi filium, quem ſtatim illi redditurus erat, vt quæ antea filium à natura habebat, iam
Ericus. non haberet illum niſi à Deo, in quo & doni præſtantia extollebatur, & mulieris fœlicitas. Ait ibi Ericus: *Filij ſolatio deſtituta erat. Verùm hinc iam beata erat, quòd Chriſti pietate mox eum receptura erat, quem ſortis humanæ inclementia amiſerat.* Hioc planè fœlix, & beata erat mulier, quòd in tanto dono filij nihil debebat naturæ, ſed Deo vni. Et quando non creſcit humana fœlicitas ex eo quòd te debitorem agnoſcas Dei ſolius? Omnia humana defecerant
Geneſ. 21. Saræ, & nihil iam poterat ſperare à natura, vt filium conciperet. Tunc ait text. Geneſ. 21. *Viſitauit Dominus Saram, ſicut promiſerat, & impleuit, quæ locutus eſt, concepit, & peperit filium in ſenectute ſua.* Et quando Saræ filius dandus erat, cur expectatur, vt in ea nihil poſſit natura? Prouidebatur, vt inde magis Sara extolleretur, quæ à nullo
Auguſt. alio, quàm à Deo acciperet donum tantum. Vt dicat Diuus Auguſtinus ſerm. 68. de Tempor. *Deficiente ſanguine in venis Saræ triſtis ſenectus dilaſſatur, ſed diuino iudicio ætatis feruor accenditur. Meliorem facit diuina promiſſio matrem, quàm ætas non fecerat generare.* Equidem inde melior, inde fœlicior, inde præſtantior oſtenditur mater, quòd non ætati, non naturæ, ſed Deo vni debet potuiſſe generare. Quan-
Chryſol. do enim non maximè prodeſt homini, quo vni Deo ſe debitorem aſſerat? De Iſaac Saræ filio ſapienter dicebat Chryſol. ſerm. 90. *Iſaac ad totam fœcunditatem Iſraelitici generis erupit; cui non obfuit tantum defeciſſe naturam, quantum naſci profuit authoris beneficio, non naturæ.* Hoc maximè extollebat Iſaacum, eique in augmentum ceſſerat fœlicitatis, quòd eius natiuitas nulli, præterquam Deo debebatur.

§. V.

Dei dona ſtabilia, & firma.

NOtanter Eua non dixit: Accepi hominem per Deum, ſed expreſsè ait: *Poſſedi hominem per Deum.* Poſſeſſio
Prouerb. 8. enim rei ſtabilitatem, & firmitatem in habendo prætendit. Quippe Sapientia dicebat Prouerb. 8. *Dominus poſſe-*
Hieronym. *dit me.* Circa quæ D. Hieron. in epiſtol. ad Cyprian. ait: *Poſſeſſio ſignificat, quòd ſemper in Patre filius, & Pater in filio fuerit.* Vt autem Eua agnouit filium ſibi à Deo datum, ſimul agnouit eum ſibi datum in poſſeſſionem per longam eius vitam, & poſteritatem. Ea enim ſunt Dei dona, vt
3. Reg. 8. ſtabilitatem, & firmitatem habeant. Ait Dominus 3. Reg. 8. *Non elegi ciuitatem de vniuerſis tribubus Iſrael, vt ædificaretur domus, & eſſet nomen meum ibi: ſed elegi Dauid, vt eſſet ſuper populum*, &c. Solius Dauidis dicitur Deus elector fuiſſe, vt ei daret regnum. Sed prius quàm Dauid, factus fuerat Saul Rex Iſrael à Deo. Cur ergo non meminit Deus ſe in Regem elegiſſe Saulem, ſed vnum Dauidem dicit à ſe electum? Non manſit in Saule regnum, ſed manſit in Dauide; regni autem donum, quod permanet, vt proprium ſuum agnoſcitur à Deo, cuius dona hoc habent maximè,
Abul. quòd ſtabilia ſunt, & permanentia. Ad hæc ait Abul. q. 9. circa finem: *Licèt fuerit Saul Rex, tamen Deus non elegit eum, vt eſſet Rex, quia non elegit, vt maneret poſteritas eius: Dauid autem elegit, vt maneret poſteritas eius ſemper in regno.* Illud regnum cenſetur à Deo datum, quòd per longam poſteritatem permanet, quaſi neſciat Deus dare niſi id, quod ſtabilitatem, & firmitatem tenet. Matth. 12. Erat homo habens manum aridam, qui victum emendicabat. Hinc dicit Ieſus: *Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt ſanitas ſicut altera.* Non petebat ille manus ſanitatem, ſed nummulos emendicabat, quibus victum compararet. Cur Ieſus non nummum, ſed ſalutem maluit illi dare? Ait D. Athana- Athanaſ.
ſius homil. de ſemente: *Quod iuxta Marcum iuſſerit illum ſurgere, indicium eſt, eum prius ſediſſe: qui enim aridam manum habebat, quorſum ſedebat, niſi vt planè mendicaret? Non dat tibi nummos, ne abſumas, ſed ſanitatem tibi donat nunquam abſumendam.* Quia nūmi facilè è manibus dilabuntur, & abſumuntur, ideò non dantur à Deo mendico, ſed magis datur diuturna ſanitas, quæ longo tempore poſſit permanere. Sunt enim dona Dei permanentia. Hinc Elias dicebat ad viduam mulierem 3. Reg. 17. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Hydria fa-* 3. Reg. 17.
rinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vſque in diem, &c. Non enim ex ſe ipſo promittit farinæ permanentiam, ſed ex ore Dei, cuius eſt dona conſeruare in perpetuum. Vt dicat D. Ambroſius lib. de viduis: *Nec enim humanæ faculta-* Ambroſ.
tis eſt dicere: Hydria farinæ non deficiet, &c. *Nam licèt mos ſit ita profari prophetis, tamen hîc vera Dei vox eſt. Ideo præmiſſum eſt: Quia hæc dicit Dominus: Domini enim eſt perpetuitatem ſacramentorum ſpondere cœleſtium, & non defuturam ſpiritualis exultationis gratiam polliceri.* Longam ſanè permanentiam habent dona, quæ à Deo veniunt.

§. VI.

Qui ad ſalutem pertinet, vehementiſſimè cruciatur in venturi Dei expectatione.

PRimus, qui ex fœmina ad ſalutem naſcitur, Abel dicitur; quippe ait textus: *Rurſuſque peperit fratrem eius Abel*; Abel autem iuxta communem interpretationem intelligitur luctus. Et mirabar in Caini natiuitate nihil luctus, nihil doloris oſtendi, ſed omnia læta ibi; vbi autem naſcitur Abel, qui primus ex natis ad ſalutem pertinebat æternam, ibi ſtatim nomen luctus apparet, nomen lachrymarum & gemituum. Et ex qua vena tot modò fontes lachrymarum proſiliunt? An ex natura peccatrice? Sed hæc lamentabilior præceſſerat in Caino, nec tamen ibi oſtendit vllum ſuſpirium? An ex morte imminenti? Sed durinta imminebant Caino. Vnde ergo in Abele tanti meſſis apparuit luctus? Crediderim, quòd in illo natura electorum dilationem ſentiebat aduentus diuini, in eiuſque expectatione poſita, vt vehementer inde cruciabatur, ſic omnia implebat ſuſpiriis. Me in hanc coniiciunt ex- Chryſol.
cogitationem verba D. Chryſol. ſerm. 87. dicentis: *Paſcebatur ergo ſterilitate magis natura, ne ipſa fœcunditate grauius deſæuiret, fletus potius editura, quàm pignora: quæ vtique lachrymis, mœrore, gemitu tanto tempore ſuum quærebat & interpellabat authorem.* Ecce tibi naſcentium lamenta, parturientium cruciatus, & ſuſpiria, eò refert Chryſologus, vt natura ſuum interpellet, & quærat authorem, & pro parte electorum eius expectatione ſe cruciet. Nec miror, tanti enim boni expectatio, tot gemitus, tot dolores, in his, qui ad ſalutem pertinent, gignet. Apocal. 12. *Signum magnum ap-* Apocal. 12.
paruit in cœlo. Mulier amicta ſole, &c. *& in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pareret.* Et quæ erat hæc mulier tot doloribus, tot luctibus, tot plena ſuſpiriis? Erat pars electorum antiqua, quæ pro venturi Chriſti expectatione ſic afficiebatur, & de vena deſiderij eius tot gemitus, tot cruciatus prodibant. Ait Victorinus ibi: *Mulier autem* Victor.
amicta Sole, & Luna ſub pedibus ſuis, habens coronam duodecim ſtellarum parturiens in doloribus ſuis, antiqua Eccleſia eſt Patrum, quæ gemitus, & tormenta habuit deſiderij ſui, vſque quò fructum ex plebe ſua videret Chriſtum. Quid pulchrius? Vt totam ſuam ſalutem in Chriſti aduentu repoſitam ſciebant, ſic in tanti boni expectatione ingentes cruciatus ſuſtinebant, & omnia implebant gemitibus. Crede mihi, acutiſſima ſunt vehementis deſiderij ſpicula. Fugitiuus Dauid à Saule latebat in remotioribus agris, in terræ ſpeluncis, quò properauit Ionathas, vt alloqueretur amicum. Dicit enim 1. Re- 1. Reg. 35.
gum 23. *Surrexit Ionathas filius Saul, & abiit ad Dauid in ſyluis.*

Circa quæ ait Theodor. quæſt. 54. *Cùm pater eius ſpiraret cædem, & eum venari cuperet, non tulit ſtimulum deſiderij, ſed venit vbi Dauid degebat*, &c. Expende illud: *Stimulum deſiderij*, quippe Ionathas pro abſente Dauid, eo ſtimulo deſiderij agebatur, quem ferre non poſſet, ſed cogebatur ire ad videndum amicum. Habet enim deſiderium ea ſpicula, quibus animum cruciat.

§. VII.

Id veriùs tuum putas, in quo obſequium Deo præſtas.

VTrumque filium pepererat Eua, nimirum Abelem, & Cainum; de Abele autem ſolùm dicitur, *Rurſus peperit Abel*; verùm de Caino dicitur, quòd natus fuerit aliquo elogio acquiſiti boni parentibus. Dicebat enim mater in eius ortu: *Poſſedi hominem per Deum*. Nulla in Abele poſſeſſio parentum exprimitur, quæ exprimitur in Caino. Et cur in Caino magis, quàm in Abele dicitur Euæ poſſeſſionem peculiarem habere? In Caino ſimul oſtenditur Eua & grata, & deuota Deo, dum illi acceptum filium refert, dicens: *Poſſedi hominem per Deum*; quod in Abele feciſſe non oſtenditur. Ne miremur, quòd inde magis ſibi appropriet Cainum, ad ſuamque poſſeſſionem præcipuè æſtimet pertinere. Illud enim magis tuum eſt, in quo obſequium aliquod præſtas Deo. Ioan. 10. dicitur: *Ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis*. Sic ibi vna templi porticus applicatur præcipuè Salomoni, quaſi ad poſſeſſionem illius peculiari iure pertineret. Et cur dicitur illa porticus particulariter Salomonis eſſe? Ait Ericus ibi: *Porticum Salomonis dicit, in qua Rex ille quondam potentiſſimus ad adorandum ſtare ſolitus erat: atque ideo ex eius nomine cognominari cœperat.* In illa porticu Salomon orabat ad Deum, & inde illi magis porticus appropriabatur, de eiuſque nomine dicebatur, quaſi eius eſſet proprior poſſeſſio. Tunc enim certiùs te poſſeſſorem rei aſſeris, in qua Deo aliquod exhibes officium. Peregrinanti Abrahamo apud Cananæos apparuit Dominus, & ait illi Geneſ. 12. *Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.* Promiſſionem terræ accipit, & ſtatim altare ibi ædificat Deo. Nec immeritò, vt enim altare ibi Deo ædificabat, & gratum ſe Deo oſtendebat, quaſi certiorem ſe poſſeſſorem aſſerebat terræ illius. Ait Rupert. lib. 5. in Geneſ. cap. 6. *Iuris ſui poſſeſſionem futuram, iam ſacris Dei ſui præoccupat, atque dedicat titulis.* Expende illud, *præoccupat*, quippe in qua terra altare Deo erigit, ſacraque ei facit, iam intelligitur præoccupare in eo poſſeſſionem illius. Quæ terra fuit tandiu poſſeſſa ab Abrahami filiis, quandiu illi in ea colebant venturum Dei filium. Vbi ab huius cultu defiuerunt, ſimul & terræ illius poſſeſſionem amiſerunt. Dicebat Iſaias cap. 27. *Germinabit, & florebit Iſrael, & implebitur orbis terrarum fructu eius.* Sic apud Septuag. Circa quæ verba ait D. Irinæus lib. 4. apud Theodoretum dial. 1. *Quemadmodum dicit Eſaias: Filij Iacob germinabunt, & efflorebit Iſrael, & implebitur orbis fructu eius. In vniuerſo ergo terrarum orbe, fructu eius diſſeminato, meritò re illa & de medio ſublata ſunt, quæ aliquando quidem pulchrè fructum tulerunt, ex eis enim quoad carnem attinet, Chriſtus fructus productus eſt, & Apoſtoli, nunc autem non ſunt ampliùs apta ad fructum ferendum.* Dum fructum religionis, & pietatis ferebant Iſraelitæ, ſimul & floreſcebant in terra illa promiſſa ſibi, & data; vbi autem prolato iam fructu Ieſu ſeſe ſteriles reddiderunt, nec ad fructum religionis ferendum viſi ſunt apti, ſublata illis ſunt omnia terræ illius bona, quorum poſſeſſione modò carent.

Ioan. 10.

Ericus.

Geneſ. 12.

Rupert.

Iſai. 27.

Iren.

§. VIII.

Illa ſecurior, & laudabilior virtus, quæ nullo fauore nititur humano.

QVàm ieiuna omnibus paternis fauoribus proponitur Abelis natiuitas. Dicit enim: *Rurſumque peperit fratrem eius Abel.* Qui in natiuitate Cain, multis celebrarunt filij donum, nomen ei indentes iuxta bonorum incrementum a Deo acceptum, dicente textu: *Peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem per Deum.* In natiuitate autem Abel, penitus parentes tacent, nulliſque lætitiæ verbis proſequuntur tanti pueri partum. Et cur adeò ieiuna paternis fauoribus oſtenditur Abelis natiuitas? In eo conſulebat Deus virtutis Abelis præſtantiæ, quam ille ex conſilio ſuo, non ex parentum fauoribus arripiebat. Noui ego virtuoſos viros, qui multa de virtutibus philoſophabantur, nonnulla etiam virtutis opera exercebant, ſed dum fauoribus maiorum ducebantur. Dum auræ Prælatorum ſecundæ afflabant, ij lætiſſimi tranabant virtutum maria, quorum curſus non tam eorum conſilio, quam ſecundis auris debebant applicari. Ille in virtute præſtantior, & ſecurior eſt, qui non ex afflantibus fauorum auris, ſed ex proprio conſilio, Dei gratia illuminato in virtutem abiit. Duo filij nati fuerunt Iſaac Geneſ. 25. alter odioſus Deo, alter Deo gratus, ille Eſau, hic Iacob dicebatur. De his ait text. *Iſaac amabat Eſau, eo quòd de venationibus eius veſceretur, & Rebecca diligebat Iacob.* Et mirabar, quòd ſanctiſſimus Iſaac, qui tantus erat in diligendo Eſaü, nullus inueniretur in diligendo Iacob. Erat Iſaac virtutis ſtudioſus, & Iacob ſtudioſiſſimus erat virtutis, ob quod maximè erat Deo gratus. Cur ergo hic tam ſimilis patri in virtutis ſtudio, non dicitur dilectus fuiſſe à patre? Prouidebat Deus iam tunc, ne videretur Iacob, alio temporali impulſu, quàm proprio conſilio ad virtutem eſſe conatus. Ait D. Cyril. Alex. apud Lyppoman. in cat. *Iſaac verò Eſau præcipuè diligebat, vt hinc diſcamus, viros illos quamuis pios, homines tamen fuiſſe, & Iacob non ex parentum charitate, ſed propoſito ſuo bonum fuiſſe.* Sic cauebat Deus in ſuis præcipuè electis, ne eorum virtutum opera attribui poſſent reſpectui temporali, ſed magis viderentur profecta ex proprio conſilio, & affectu in Deum. Calumniabatur quondam Sathan Iobi virtutem inde, quòd niteretur proſperitate temporali, non Dei affectu; cui Dominus ait cap. 1. *Ecce vniuerſa, quæ habet, in manu tua ſunt*, &c. Sic omnia Iobi bona deſtruenda diabolo tradidit. Et cur non magis ſinit Iobum eſſe in proſperitate? Ait Diuus Thom. ibi lectione 2. *Ideò voluit Deus Iobum proſperitate terrena priuare, vt eo in Dei timore perſeuerante, manifeſtum fieret, quòd ex recta intentione, non propter temporalia Dominum timeret.* Faciebat ad virtutis Iobi præſtantiam, & firmitatem demonſtrandam, quod minimè credi poſſet niti reſpectu aliquo temporali; ſed magis ex proprio conſilio, & affectu in Deum naſci.

Geneſ. 25.

Cyril. Alex.

Iob. 1.

D. Thom.

§. IX.

Studium laborioſæ induſtriæ & fundamentum, & ſtabilimentum Republicæ eſt.

QVi primi nati ſunt, vt mundum fundarent, primi etiam inueniuntur pro victu acquirendo laboraſſe. Sic enim ait text. *Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola.* Non equidem de ſponte venientibus frugibus voluerunt victitare, ſed magis laborare voluerunt vel in paſcendis ouibus, vel in colendis agris, vt diſcerent homines in laborioſa induſtria conſiſtere & fundamentum, & augmentum Reipublicæ humanæ. Vt meritò dicat Philo lib. de ſacrif. Abel. *Cæterùm labor inter præcipua bona numerandus, bellum cum voluptate gerit perpetuum. Hunc enim, ſi verum dicendum eſt, omni felicitati, omniſque virtutis principium hominibus Deus declarauit, ſine quo nihil honeſtum apud mortales eſſe inuenies. Nam ſicut ſine luce videre non poſſumus, eodem modo animæ oculis, nullam virtutem attamen poteſt attrectare, niſi à labore, ceu luce adiutus. Opta tibi bonum quodlibet, inuenies eius poſſeſſionem labore parari, confirmarique.* Sint, licèt, colores præſentes, & oculus defœcatus, nihil tamen videbis, niſi lux adſit. Eodem modo ſuppetant, licèt, vniuerſa bona, niſi laborem addas, & induſtriam, qua lucra captes, nihil capies, ſed citiſſimè inuenieris omnibus vacuus. Ait Eccleſiaſtes cap. 4. *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.* Ex quibus acutè, & eleganter Hugo Victorinus ibi homil. 19 otioſorum hominum depingit damna, fatus: *Stultus eſt, qui putat manus eius complicatas impleri diuitiis. Complicat manus ſuas; alteram ad alteram plicant, ne extendantur ad operationem. Complicat manus ſuas,*

Eccleſ. 4.

quaſi

quaſi pactum faciens cum otioſitate. Et comedit carnes ſuas. Putat ſe corpori ſuo parcere, quia illud laboribus non affligit, ſed inde caro eius egeſtate conſumitur, vnde otio nutritur. Paſcit eum ſtultitia ſua, & otioſitas ſua impinguat eum. Sed tamen caro eius, quantum inutili vacatione paſcitur, tantum ſubſequente inedia maceratur. De magna ſtultitia venit, quod a vita otioſa expectetur aliud, quàm egeſtas, ignominia, & inedia lethalis. Affluant licet, tibi bona annuis redditibus, ſi manus complices, ne ad laborem extendantur, quàm rapidè in extremam penuriam præcipitaris. Caue facultates, quæ otium pariunt, ſimul enim & inopiam, & domorum exitium pariunt. Noui ſudantes homines pro filiis ditandis, quibus pararunt diuitiarum ingentes theſauros, annuos cenſus, qui quaſi perennes fontes, ſponte ſua, ſine vllo labore, fructuum redditus afferrent. His filij ditati complicuerunt manus ſuas, ne laborarent, ſed tota die ſtarent in foro otioſi, quid inde? Illis illi ipſiſſimi fontes diuitiarum, qui indefectibiles credebantur, iam penè ſicci cernuntur, & domini eorum ad paupertatem redacti. Quòd ſi experientiæ credendum eſt, nihil ſic depauperat regna, & ad nihilum deducit, quàm illa diuitiarum ſpecies, quæ otium peperit. Labor enim induſtrioſus eſt, qui auget homines, & illos ab infimis ad ſublime transfert. Ex quo monet Philo lib. de ſacrif. Abel. *Quotquot, quæ bona ſunt, concupiſcunt, laborem magnifaciant. Sicut enim cibus ſe habet ad vitam, ſic labor ad honeſtatem, qui cùm ſit vnicus, eque illum poſthabeas, vt per eum potiaris bonis ſimul omnibus. Atque ita quamuis ætate maior habeberis grandior, & iure primogenitorum dignior.* Et planè quotidie videmus primogenitos otioſos de magnis redditibus ad penuriam venire; & poſterius natos laborantes ad ſummas aſcendere diuitias, & dignitates.

Philo.

Geneſ. 4. Factum eſt autem poſt multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit.

§. X.

Vt vnicus peccati actus poteſt hominem perdere; ſic vnicus virtutis actus valet hominem ſaluare.

VNum malè oblatum à Caino ſacrificium hominem in perditionem præcipitat, & alterum rectè diſpoſitum Abelem deducit in ſalutem. Vt dicat textus: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit.* Sic reprobus fit Cain ex vno malè oblato ſacrificio; & probatur Abel ex vno altero, quod rectè obtulit. Vt enim vnus actus peccati hominem in perditionem præcipitat, ſic vnus virtutis actus poteſt hominem aſſerere in ſalutem. Latro ille cruentiſſimus; qui Ieſu fuit comes in ſupplicio, vnum hoc

Luc. 23. dixit Luc. 23. *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*; & ſtatim audit à Deo: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Deus bone totam ille vitam conſumpſit in latrociniis, ſemel tantùm locutus eſt de ſalute obtinenda; cur ob id, quod ſemel tantùm locutus eſt, ſtatim ad paradiſum ducitur? Fuit, qui tantùm ſemel peccauit, & propter vnum peccatum, ingentia tulit ſupplicia; ideo ne videatur Deus in miſericordia minor, quàm in iuſtitia, & propter vnum actum virtutis hominem in ſalutem deducit. Rem pulchrè tractat Diu. Chryſoſtomus orat. de cæco nato, habita tom. 6. *Cur igitur primus latro*

Chryſoſt. *in paradiſum ingreſſus eſt, qui vnam propè vocem protulit? Quid enim? An ſæpe pſalmos cantauit? Sæpe decertauit? Sæpe de diuinitate verba fecit? Semel*, inquit, *iuſtus iuniorum eſt Deus meus ſalutis arbiter: quandoquidem primum hominem Adamum non ob multa peccata, ſed ob vnam inobedientiam è paradiſo eiecit: ita iuſtitia ſtatera latroni primum in paradiſum ingreſſurum cum promiſit, non cùm multa quædam confeſſus eſſet, verùm cum vnam fidei confeſſionem obtuliſſet.* Sic vt vnus peccati actus hominem perdit, & vnus virtutis actus homini præſtat ſalutem. Non enim plura, aut maiora expectat Deus, vt conferat ſalutem, quam expectauit, vt pœnas inferat, & ſupplicia.

§. XI.

Quæ Dei ſunt in primis habita, ſalutaria, & auſpicata ſunt.

OBtulit Abel ſacrificium, & obtulit Cain, dicente textu: *Factum eſt poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui*, &c. Et quando vterque obtulit, cur Cain ruinam traxit ex ſacrificio, Abel ſalutem? Cauſam indicat textus, dũ de Abele dicit, quòd obtulerit *de primogenitis gregis ſui*, de Caino autem dicit, quòd obtulerit *de fructibus terræ*, non addidit de primis & melioribus. Quo oſtendebat ſibi Deum non eſſe in primis, ne miremur quòd inde illi ſint omnia infelicia. Quò ſpectans Philo lib. de Abel ait: *Cur de fru-* Philo.
ctibus, & non de primis fructibus offert primitias? Fortaſſe hanc ob cauſam, vt primatum creaturæ det, ſecundarium honorem reddat numini. Sicut enim ſunt quidam, qui animæ præferunt corpus, ſeruum dominæ: eodem modo ſunt, qui creaturam magis honorant, quàm creatorem, contra mandatum legiſlatoris iubentis primitias de primis fructibus terræ inferre in domum Dei. Is erat Cain, qui Deum in ſecundis, & poſtremis habebat, vnde nihil ſibi non infauſtum, & lethale habebat: vt habent omnes illi, quibus & bona temporalia, & honor, & imperium terrenum eſt in primis. Abel autem vt ſolum Deum in primis habebat, ſic ex Deo nihil non ſperabat fœliciſſimum. Crede mihi homo, ex tunc tibi omnia proſpera venient, ex quo diuina præferas temporalibus. Elias famelicus acceſſit ad domum viduæ 3. Reg. 17. & poſtquam ſciuit parum farinæ ab illa haberi, quæ vix vnico prandio ſufficeret, ait: *Verùm tamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi au-* 3. Reg. 17.
tem & filio tuo facies poſtea. Hæc autem dicit Dominus Deus Iſrael: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vſque ad diem, in qua Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciẽ terræ. Quæ abiit, & fecit, &c. Non contentus eſt Propheta ſibi dari farinæ cibum, ſed hoc contendit, vt ſibi primum detur, quàm proprio viduæ filio; nec inde exaſperatur vidua, ſed ſuam, filijque ſui vitæ cibum Prophetæ præfert, quo famis, & ſterilitatis damna non ſentit. De illa enim D. Ambroſ. lib. de Elia cap. 2. ait: *Quoniam deuotionem cibo* Ambroſ.
protulit, meruit, vt ariditatis publicæ ſola non ſentiret ærumnam. In ſummo famis ſterilitatiſque diſcrimine non poſuit vitam, neque victum in primis; ſed deuotionem, ſed virtutem, ſed Deum in primis poſuit, quò omnia ſuperauit diſcrimina, & potuit abundare in ſumma omnium penuria. Sic fauſta ſunt diuina, quæ in primis ponuntur.

§. XII.

Obſequia Deo commendabilia ſunt, non ex alio, quàm ex affectu præſtantur.

ILlud commendabile in Abele fuit, quòd obtulit Deo munera *de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* Non equidem ſolùm de primogenitis, quos ætas faciebat, ſed quos faciebat offerentis deuotus animus. Non enim tempus, nec pretium, ſed offerentis affectus primitias facit Deo commendabiles. Ait Dominus Exod. 25. *Loquere filiis Iſ-* Exod. 25.
rael, vt tollant mihi primitias. Ab omni homine, qui affert vltroneus, accipietis eas. Hæc ſunt autem, quæ accipere debetis. Aurum, & argentum, & æs, hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum, pelleſque arietum rubricatas, & ligna Setim, &c. Cùm multus ſit Deus in petendis primitiis à populo ſuo, inter petita, illud ponit, nimirum *pilos caprarum, & ligna Setim.* Et quid viliſſimi caprarum pili ad primitias? Pilos caprarum ponit inter primitias, vt conſtet Deo non eſſe commendabiles primitias, quas facit

ætas,

ætas aut pretium, ſed quas facit offerentis affectus. Ait Rupert. Rupert. lib. 4. in Exod. cap. 4. *Ergo vt primitiæ ſint quæ offeruntur, non oblationum quantitas, ſed offerentium bona efficit Voluntas. Multum enim ab auro, & argento pili caprarum in pretio differunt, & tamen ſub eodem vocabulo primitiarum poſiti ſunt.* Etſi viliſſimos offeras caprarum pilos, deuotio tua, & affectus tuus poteſt facere, vt pili illi ſint Deo inter munera prima. Non enim ætas, nec tempus, ſed deuotio, & affectus facit commendabiles Deo primitias. Ioan. 1. de duobus diſcipulis Ioannis, qui primò adhæſerunt Ieſu, locutus Ioan. 1. dicit: *Venerunt, & viderunt, vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo: hora autem erat quaſi decima.* Ecce tibi Ieſus primos diſcipulorum ſuorum colligit hora decima. Pater autem familias ille Matth. 20. Matth. 20. *Exiit primo manè conducere in vineam ſuam, &c. Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes, &c. Iterum exiit circa ſextam, & horam nonam, &c.* Et quando cœleſtis hic Pater adeò matutinus exit quærere operarios, cur Ieſus meus non niſi hora decima vocat primos ſuos? Sciebat equidem quòd primi non ab hora, non ab ætate commendandi erant, ſed à deuotione, ſed à fide? Rupert. Ait Rupert. lib. 2. in Ioan. *Cur interpoſitum eſt, hora quaſi decima, vbi Ieſus noſtræ vocationis carpebat primitias? Videlicet, quia vocatorum ſalutem non aliquod præcedens eius meritum, ſed ſola vocantis operatur gratia, & in omnibus omnino ætas non diſcernit, nec præiudicat, congrua ſignificatione dictum eſt, hora decima. Ipſe enim ille paterfamilias, qui exiit primò manè conducere operarios, & circa tertiam, & ſextam, & nonam, & decimam horam exiit, & fecit ſimiliter, tandem dixit: Erant primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.* Itaque & Ieſus vocans primos diſcipulos hora decima, & Paterfamilias conducens operarios multo manè, & tertia, & ſexta, & nona, & decima hora, oſtendunt non ex tempore, ſed ex deuotione, & affectu primos æſtimandos, adeò vt vel vltimi per deuotionem poſſint apud Deum primi reputari.

§. XIII.

Moroſitas affectata maximè deprimit opus virtutis.

ILlud etiam ponderandum quod ait: *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain, &c.* Circa quæ notiſſima eſt ſententia D. Ambroſij accuſantis, & condemnantis Cainum, eò quòd ſerò, & non niſi poſt multos dies accederet ad ſacrificandum. Quæ moroſitas non potuit maximè deprimere eius ſacrificium, valde enim infirmantur quæ ægrè, & ſerò Deo dantur. De diſcipulorum Ioannis aduentu ad Ieſum dicebat Ioan. 1. Ioan. 1. *Venerunt, & viderunt, vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo, hora erat quaſi decima.* Et cur neceſſum fuit notare horam decimam in horum aduentu? Crediderim ex adeò ſera hora ab Euangeliſta notari, quàm nihil illi ex ſe haberent, vt Ieſu placerent, vt qui adeò ſeri operabantur. Huc ſpectans Rupert. lib. 2. in Rupert. Ioan. ait: *Cur interpoſitum eſt, hora quaſi decima vbi Ieſus noſtra vocationis carpebat primitias? Videlicet, quia vocatorum ſalutem non aliquod præcedens eorum meritum, ſed ſola vocantis operatur gratia.* Ideo dicuntur hora decima veniſſe, vt nullum in illis meritum præceſſiſſe oſtendatur. Vt videas, quàm deprimatur meritum, & pretium operis ex eo, quod ægrè, & nimis ſerò extorqueatur. De fatuis virginibus ait Matth. 25. Matth. 25. *Dum autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua.* Ecce tibi & illæ virgines ibant oleum emere, vt ſponſum lucidæ exciperent, & interea illis cœleſtis ianua occluditur. Et cur tunc cùm oleum quærunt, à cœli ingreſſu excluduntur? Nonne illa olei quæſitio virtutis res erat? Equidem erat virtus, ſed ſerò nimis extorta, & ideo non præualuit in ſalutem. Origen. Ait Origen. homil. 32. in Matth. *Quando debuerunt diſcere, neglexerunt diſcere, quod debuerant. In ipſo autem exitu vitæ ſuæ, dum diſponunt diſcere, comprehenduntur à morte, & propterea non ingrediuntur cum verbo, &c.* Non antea agunt de negotio ſalutis, niſi cùm iã in exitu ſunt, tunc diſponunt ſe ad ſalutem negotiandam, & quia ſerò nimis tractant de illa, præoccupati à morte abeunt in ſupplicium. Væ nimis ſeris diſpoſitionibus ad ſalutem!

§. XIV.

Maior conatus adhibendus eſt, vbi ſeriùs ad Deum accedimus.

ADhuc inſto illis verbis: *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ.* Cùm ſerò ſatis obtuliſſet, non compenſauit moram maiori virtutis ſtudio, nec maiorem diligentiam adhibuit pro ſacrificio ſeligendo, & diſponendo, ſed de quibuſlibet fructibus indiſcretè obtulit. Ait Chryſoſtomus ibi: Chryſoſt. *Quid obtulit Cain? De fructibus terræ ſacrificium, quaſi diceret, qualiacumque obueniebant, nulla ad delectum adhibita opera, aut diligentia.* Ne miremur inde in perditionem iuiſſe. Qui enim ſerò accedit, & non vult perire, maiorem conatum adhibeat pro obtinenda ſalute. Luc. 24. duo illi diſcipuli, qui in via Emaus ibant cum Ieſu ſibi ignoto, vbi ad caſtellum in veſperi peruenerunt, non ſimplicibus tantùm verbis, ſed & quaſi vi adhibita illum ſecum manere cogebant. Ait enim text. *Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies.* Non ſupplicãt, ſed & cogunt, in quo maior conatus, & vis pro illo detinendo exprimitur. Et cur tantam vim adhibent, vt detineant Ieſum? Aiunt illi: *Quoniam adueſperaſcit*; vbi enim ſerò accedimus ad Ieſum, maiorem vim, & conatum pro illo habendo adhibere debemus, niſi velimus perire. Ait D. Bernard. ſer. 2. in Aſſump. Mariæ: Bernard. *Væ ei, ſi Ieſum excipere venuit, ſi non detinet, ſi non cogit manere ſecum, quoniam adueſperaſcit.* Quippe qui ſerò accedit, qui nonniſi in fine vitæ tractat habere ſecum Ieſum, ſi tunc id non agit magna vi, conatu multo, ſuſpectus eſt de ſalute. Petenti panes media nocte ait Dominus Luc. cap. 11. Luc. 11. *Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubiculo: non poſſum ſurgere, & dare tibi.* Quid tunc? Abibit ne vacuus, eo quòd poſt clauſum oſtium venerit? Imò ait text. *Et ſi ille perſeuerauerit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens, eo quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.* Ecce tibi qui media nocte, & poſt oſtium clauſum accedit, & pulſat, extorquet tandem ſalutem. Non ſic virgines illæ fatuæ, quæ media nocte oleum requirebant, de quibus ait Matth. 25. Matth. 25. *Dum autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille reſpondens ait: Amen dico vobis: Neſcio vos.* Et hæ, & ille media nocte veniunt ad Deum, & vtrique oſtenditur iam oſtium clauſum, & nihilominus ille obtinet ſalutem, & hæ perduntur. Et quando ille etiam ſerò accedens, etiam poſt clauſum oſtium pulſans ſalutem obtinet, cur hæ in perditionem ibunt? Nonne & hæ ad oſtium clauſum ſtant, & clamant ſibi aperiri? Equidem vtriſque clauſum erat oſtium, eo quòd ſerò veniſſent; ſed ille vt clauſum vidit oſtium, maiorem conatum adhibuit, & multum perſeuerabat clamans, & pulſans, quo tandem ſalutem extorſit. Virgines autem iſtæ, vt viderunt clauſam iam portam, nec clamarunt, nec pulſarunt, cõtentæ ſemel, & bis tantùm dixiſſe, Domine, Domine, aperi nobis. Circa quæ ait Hugo Cardinal. Hug. Card. *Dicunt, Domine, Domine, aperi nobis. Tertium Domine deeſt.* Bis vocant Dominum, nõ tertiò, hoc eſt, adeò exiliter, & diminutè Dominum inuocant, vt vna, aut altera inuocatione ſint contentæ, & grauentur perſeuerare vſque ad tertiam. Quid mirum ſi ſub tam perfunctoria inuocatione pereant? Crede mihi, cùm ſerò venis auge conatum, vim infer, clama, pulſa, nec ceſſes, & ſemel & millies inuoca Deum, & tibi oſtium clauſum non erit. Vnde Seuerus in cat. Græca D. Luc. ait: Seuar. *Qui fide neglecta totum vitæ tempus inutiliter triuerint, modò tamen ſub extremum vitæ, peccatorum contritione elicita, ad fidem fuerint conuerſi, & quaſi nocte intempeſtiua oſtium pulſauerint, exauditurus eſt Deus eos, non propter iuſtitiam, ſed propter illorum improbitatem, atque imprudentiam. Improbitatem verò hîc nominat perſeuerantiam, & conſtantiam in orando.* Inceſſanter debet clamare ad Deum, qui ſerò veniens exaudiri vellet. Heu quàm ſuſpecta tunc eſt oratio frigida, aut tepida!

§. XV.

§. XV.

Quæ per vim illatam, & coactionem acquiruntur lucra, aliena ſunt à Deo.

RESpiciuntur à Deo munera Abel, & non reſpiciuntur munera Cain, dicente textu: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit.* Et cur Abelis munera gratiora Deo extiterunt, quam Caini munera? Vt Abel paſtor erat ouium, ſic lucra inde nata pendebant ex paſtorali cura & ſolicitudine circa ouium paſtus quærendos. Dum enim paſtor oues ad lætiſſima paſcua deducit, fœcundantur ipſæ, & agnos pariunt, qui paſtorem ditent. Cain autem vt agricola, nonniſi per terræ vexationem lucra acquirebat, ferreo aratro glebas proſcindens, arbores ſecans, vt de vulnere accepto promant fructus. Hinc Deus eius reprobans munera oſtendit, quàm aliena ſint à diuina bonitate lucra, quæ per vim, & vexationem illatam acquiruntur. Ad hæc ait
Ioſeph. Ioſephus lib. 1. cap. 2. *Cain agri, & arborum fructus abtulit, Abel, lac, & primogenita pecorum. Huius ſacrificium Deo fuit acceptius, quod ſponte naturæ genitis conſtaret, quàm ea, quæ homo auarus, & induſtrius per vim quamdam à natura extorſerat.* A Deo prorſus alienum eſt, quòd per vexationem, & damnum alterius quæras tua lucra. Libertatem Iſraelitarum acquiſiturus mittitur Moyſes in
Exod. 7. Ægyptum; cui etiam dicit Dominus Exod. 7. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* quæ verba notans Philothæus in Paneg. Chryſoſtom. quod habetur in tomo 6. Diuus
Philothæus. Chryſoſtomus ait: *Ecce*, inquit, *conſtitui te Deum Pharaonis, quibus verbis Ægypti clades, & plagas, atque eo profundo mari extremam Ægyptiorum perniciem obſcuriùs ſignificauit.* Vbi Deus Pharaonis dicebatur Moyſes, vniuerſæ illæ plagæ Ægyptiorum dicuntur obſcuriùs ſignificari. Adeò enim alienum eſt à Deo, quòd lucra per aliorum damna, & vexationem quærantur, vt obſcuriſſimum ſit audienti Moyſem Deum factum, quòd per plagas, & Ægyptiorum cladem quæſiturus eſſet Iſraelis libertatem. Contra Chriſti perſecutores ſæuienti Petro dixit Ieſus Matth.
Matth. 26. 26. *Conuerte gladium tuum in locum ſuum.* Sic pro ſe liberando vetat percuti quemquam: vt oſtendat, quàm alienum ſit Deo bonum quærere de malo alterius. Ait
Ambroſ. Diuus Ambroſius lib. 3. officior. cap. 4. *Noluit ſe Chriſtus perſecutorum defendere vulnere, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare.* Hoc eſt propriſſimum Dei, quòd minimè ſua quærat, de vulnere alterius. Huc trahenda dicta tom. 4. de Chriſto figur. lib. 8. cap. 6. §. 16.

§. XVI.

Nullum apud Deum commendabile, in quo non affulget Agni immaculati Chriſti ſanguis.

ITaque ait textus: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit.* Et cur Abelis munera gratiora fuerunt Deo? Vt Abel gregis ſui agnum offerebat, ſic in agno à ſe oblaſo diuiniſſimi agni Chriſti oblationem prænotabat; quod non fecit Cain; ne miremur ea munera placuiſſe magis, quæ immaculati agni Chriſti fide apparebant rubricata. Quò aſpiciens Paulus ad Hebræos cap. 11. *Fide, plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo.* Et quæ fides ſic ditauit Abelis munera, vt Dei oculos raperent, niſi fides venturi agni immaculati? Ait Rupertus lib. 4. Ge-
Rupert. neſ. cap. 2. *Hac fide emeritum non dubitandum eſt illum prophetiæ quoque percepiſſe ſpiritum, vt illud ſemen, de quo dictum fuerat ſerpenti, inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ſciret non tantùm fore ſemen mulieris, ſed & filium Dei, qui verus agnus Dei per ſuam innocentiam, malitiam ſerpentis conculcaret, & per ſuum ſanguinem flammeum gladium reſtingueret.* Indiderat Abel agno ſuo fidem venturi agni Chriſti, cuius gratia oculos rapiebat Patris. In Caino autem, quia nulla erat fides venturi Saluatoris nullum veſtigium agni mactandi pro hominibus liberandis, non placuerunt eius munera, ſed maximè exoſa fuerunt diuinitati. Et quando non exoſa ſunt Deo munera, in quibus non apparet diuiniſſimus agnus? Aiebat Dominus Iſaiæ cap. 66. *Qui immolat bouem quaſi qui interficiat virum. Qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem. Qui affert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum afferat. Qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo.* Iſai. 66.
Ecce tibi quàm execrabilia dicantur eſſe ſacrificia Iſraelitarum Deo. Et quando Deus per ſeruum ſuum Moyſem illa ſacrificia conſtituit; vnde illa adeò abominabilia ſunt facta Deo? Ait Gloſſa ibi: *Elegerunt ea in viis ſuis, non Dei voluntate, ex quo verus agnus immolatus eſt. Vnde: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Quandiu in illis ſacrificiis agnus immaculatus Chriſtus adumbratur, placebant illa Deo: ex quo autem immolatus verus agnus fuit, & ab illis ſacrificiis abſuit, cœpit Deus illa abominari. In vno enim agno Chriſto adeò Deus ſibi complacet, vt cætera, quæ ſine Chriſto ſunt, in perditionem ire patiatur. Aiebat enim Iſaiæ cap. 1. *Quò mihi multitudinem vi-* Iſai. 1.
ctimarum veſtrarum? Dicit Dominus. Plenus ſum. Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Omnes legis victimas abominatur, & tantæ abominationis cauſam indignans ait: *Plenus ſum.* Et qui potuit ſic Deum implere, vt dimittat cætera, niſi ſanguis immaculati agni Chriſti ſui? Ait Rupertus lib. 1. in Iſaiam cap. 6. *Plenus*, inquit, *ſum. Ma-* Rupert.
gnum, & verum ſacrificium ſuſcepi, & in illo impletus ſum, id eſt, obedientiam ſancti Iſrael, quem blaſphemaſtis, quam occidiſtis, cuius ſanguine manus veſtræ plenæ ſunt. Ille me impleuit. Plenus igitur, quo admittam multitudinem victimarum veſtrarum? Vnus ille veriſſimus agnus ſic Deum impleuit, vt quæ ab agno illo aliena ſunt, abominabilia maneant Deo.

§. XVII.

Auaritia nullum non parit malum.

LIbet & adhuc illud expendere, nimirum: *Ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit.* Obtulit Cain munera Deo exoſa, & inde in inuidiam venit, & in parricidium, & in blaſphemiam, & in innumera alia mala. Et quod fuit in reprobato munere malum, ex quo tanta mala pullularunt? Auaritia fuit, quæ tenuit impium, vt meliora bona ſibi ſeruaret. Ait Claudius Victorinus lib. 2. in Geneſ. duorum fratrum ſacrificia tractans: Cl. Victor.

——Nam cùm de fruge litaſſet
Iſte ſua, niueo ille agno, mox protinus altum
In cælum aſcendit combuſta fumus ab agno,
At contra per inane volans de frugibus illis
In terram redit fugienti fumus Olympo.
Aut quòd peiores Domino ſacrauerat, aut quòd
Illi non gratum eſt, animo quod prodit auaro.

Equidem vt auarus Cain animus ingratum ſacrificium obtulit Deo, non miror, quod inde veniret in vniuerſas vitiorum maculas. Dicebat Dominus Epiſcopo Pergami Apocalyp. 2. *Habeo aduersùs te pauca, quia habes illic tenen-* Apocal. 2.
tes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Et cur in Nicolaitarum ſpurcitiis, potiùs meminit Balaam diuinum? Vt Balaam auaritia ductus in illa omnia nefaria deuenit, ſic voluit oſtendere radicem, de qua vniuerſa oriuntur mala; quæ auaritia eſt. Vt dicat Rupertus lib. 2. in Apocal. *Ergo fornicationes,* Rupert.
quas Nicolaus induxiſſe fertur, vt ita dictum eſt, contra puritatem Eccleſiaſticam, appellat doctrinam Balaam, & hoc eſſe conſirmat ſcandalum Eccleſiæ Dei, edere, & fornicari. Et rectè. Nam vbicumque Sacerdos, ſiue Pontifex conductitius exemplo Balaam mercedes amat iniquitatis, continuò tanquam de mala radice vitiorum omnium, pullulant fructus mali, primumque Eccleſiæ caſtitas, & omne decus religionis perit, ſcientiæ nulla cura, nullus honor, nullus ferè ſacri feruor ſtudij, ſed auaritiæ, quæ idolorum ſeruitus, vorago bona cuncta ſubmergit. Sic de malo auaritiæ vniuerſa vitiorum mala proſiliunt.

CAPVT

Caput III.

Caini parricidium.

TEXTVS HISTORIA.

CÆLESTIS fauot à Deo in Abelem profectus non paruam iræ pyram in Caino accendit. Iratuſque eſt Cain vehementer, ingentique triſtitiæ mole depreſſos oculos ad terram deflectit. Mitigat igitur per ſe ipſum triſtitiæ vim Deus de more humanorum Medicorum, qui etſi malum deſperent, ſpem tamen habent repoſitam in medicamine, & voce enmmunicat, & ratione quadam, conſilioque ab eo gratiam init. *Quare*, inquit, *iratus es? Et cur concidit facies tua?* Non ſum vltus abs te illata dedecora, neque flamma iniurium abſumpſi. Ad te reuertitur hoſtia, tibi dedi muneribus tuis frui. Tibi ſatis eſt ad animi conuerſionem hoſtiæ reuerſio: delitlare eum donis tuis. Deſine damna tua lugere, peccaſti, conquieſce. Statue delictis prioribus modum. Ne inuidentiam occiſione cumules, ne facinus meditatus obarmes manum, affectam cædem, & cogitatione ſuſceptam depone. Verùm erat, vt apparet, Cainus immanſueta bellua, labitur ipſe, & gliſcit ira; neque mora perturbationem molliebat: ſed perdurat cædem parturiens voluntas, dum animi flamma inuidentia accenſa cædem pariat. Fratrem in campum doloſè vocat, quem ſecurum aut lapide, aut ligno aggreditur, & crudeliter mactat.

MORALIA IN textus litteram.

QVIS neget à Caino cœpiſſe in mundo ferream ætatem? Sub tanto enim nequam, non hoſpes, ſed nec frater tutus à fratre.

Geneſ. 4. Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies: ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sed & ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.

Septuag. Quare concidit vultus tuus? Nonne ſi rectè offeras, non rectè diuidas, peccaſti? Quieſce, ad te conuerſio eius, & tu dominaberis eius.

§. I.

Sub vmbra crucis Chriſti proſperitas plaudit, & fœlicitas.

ET mœrebat, & iraſcebatur Cain viſis Abelis muneribus Deo maximè gratis. Ait enim text. *Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius in terram.* Sed illud in præſenti non facilè explicatur, nimirum vnde noſcebat Cain Abelis ſacrificia magis Deo placere, vt inde tanta raperetur ira, & inuidia. Cur enim iraſceretur impius & atheus homo, quòd Abel Deo eſſet acceptabilior? Quotidie impij homines vident iuſtos Deo placere, nec inde iraſcuntur imò ſaltem practicè deſpiciunt, & rident illorum cum Deo amicitiam. Cur ergo peſſimus impiorum Cain, & maximus Dei contemptor adeò intolerabiliter ferebat ſignum amicitiæ Abelis cum Deo? Aut quale erat illud ſignum, quòd ſic ſtimulabat impium? Sto à ſententia Lyppomani aſſerentis ſignum fauoris diuini erga Abelem ſacrificantem apparuiſſe in fœcunditate gregum ſuorum, quibus ille proſperabatur, & ditabatur in dies. Quod terreno Caini animo non poterat non rabidiſſimam inferre inuidiam. Et cur non proſperarentur greges Abelis vſque ad inuidiam Caini; quando illi ſub vmbra Chriſti paſſi regebantur à paſtore ſuo. Vt enim de ſacrificio Abelis locutus D. Gregor. lib. 29. Gregor.
Moral. c. 28. *Abel redemptoris noſtri paſſionem ſignificans agnum in ſacrificio obtulit*; ſic crediderim ſub huius diuiniſſimi agni ſigno quotidie agnos ſuos ad paſcua duxiſſe. Ne miremur, quòd greges ei inde augerentur, & creſcerent cum fratris etiam inuidia. Sic auctos cuiuſdam paſtoris greges canit Seuerus Rhetor in carm. bucol. inquiens,

——Dic age Tytire,
Quis te ſubripuit cladibus his Deus,
Vt peſtis pecudum, quæ populata ſit
Vicinos, tibi nulla ſit?
Signum, quod perhibent eſſe crucis Dei
Magnis, qui colitur ſolus in vrbibus
Chriſtus perpetui gloria numinis
Cuius filius vnicus
Hoc ſignum mediis frontibus additum
Cunctarum pecudum certa ſalus fuit;
Sic verò Deus hoc nomine præpotens
Saluator vocitatus eſt,
Fugit continuò ſæua lues greges
Morbus nihil liquit. Sic tamen hunc Deum
Exorare velis: credere ſufficit,
Votum ſola fides iuuat.
Hæc ſi certa probas, TitVre, nihil moror
Quin veris famuler religionibus.
Errorem veterem diffugiam libens.
Nam fallax, & inanis eſt.
Et me conſilius iungite proſperis,
Nam cur addubitem, quin homini quoque
Signum proſit idem perpete ſæculo,
Quo vis morbida vincitur.

Sic ab omni malo immunitas, & omnimoda in omnibus proſperitas, & æternitati proxima vita venit illis, qui ſub
ſigno crucis Chriſti placidè degunt. Quò ſpectans Iſaias Iſai.64.
cap. 65. ait: *Secundùm dies ligni erunt dies populi mei.* Circa
quæ ait Theodor. in Gloſſ. *Fuit nobis lignum vitæ crux Domi-* Theodor.
ni; recepis enim veluti quendam fructum admirabilem corpus Domini viuificum, in quem fructum, qui manus extenderimus, & fructum ederimus, vita ſempiterna viuemus. Sed illud magis expendendum, quod de hoc ligno ait Iſaias, nimirum t *ſecundùm dies ligni erunt dies populi mei.* Quaſi velit, vt hominum dies inde in bonum numerari debeant. Vt enim per Solis vmbras dies materiales numerantur, ſic per ligni crucis vmbras numerantur in nobis dies fœlicitatis æternæ. Expendens illud Pſalmi primi: *Erit ſicut lignum*,
dicebat Didymus in caten. Lippoman. *Iuxta dies ligni erunt* Didym.
dies populi mei verè, ac perpetuò duraturi. Siquidem vir iuſtus in æternum viuit cum ligno vitæ, ſimulque illum ſimilitudo ipſa omnibus animi perturbationibus exuit. Proh ſalutiferi ligni efficaciam! Huius equidem, vel vmbra, vel ſimilitudo nos omnibus liberat perturbationibus, & fœlices iubet eſſe.

§. II.

Diabolicum eſt dolere, & iraſci in bonis alterius hominis.

VNum fecerat Abel, quòd placida Deo ſacrificia obtuliſſet, & inde acceptior Deo viſus eſſet; quòd adeò ſtimulauit Cainum, vt dicat textus de eo: *Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Et qui fieri potuit, vt de ſola fratris fœlicitate adeò Cainus iraſceretur, & adeò doleret? Id habuit Cainus ex antiquo illo ſerpente, cuius primus bibit in inuidia venenum. Ait Claudius Marius
Victor. lib. 2. in Geneſ. Victor.

Inde Cain tamen inſanis flammatur in iras,
Inuidia ducens illo de fonte venenum,
Vnde propinarat ſerpens.

Quod infuderat venenum ſerpens antiquus inuidens primis hominum parentibus, idem hauſit Cain; non equidem de alio bibit fonte, quàm de eo, de quo biberat ſerpens; quippe ſolius dæmoniacæ virulentiæ eſt, quòd iraſcaris,

&

doleas in bonis alterius. Hinc de his, qui per pœnitentiæ
Cellenſ. Ab. lachrymas ad ſalutem contendunt, locutus Cellenſis Abbas lib. de Panib. cap. 12. ait: *Dum fundit peccator lachrymas, recludit aduerſarium in flammam. Vrit certè aduerſarium refrigerium noſtrum. Sathan enim tolerabilius ſuſtinet flammam ſuam, quàm lachrymam noſtram; atriuſque contriti cordis lachryma, quam flamma infernalis incendij torquetur.* Hoc eſt propriiſſimum diabolici cordis, quòd maximè torquetur in bonis illorum, qui ad ſalutem pergunt. Exod. 13.
Exod. 13. *Nunciatum eſt Regi Ægyptiorum, quòd fugiſſet populus, immutatumque eſt cor Pharaonis*, &c. Vbi profectio Iſraelitarum audita eſt, ecce tibi in Pharaonis corde anxietas, ira, & tormentum. Et quid inde? Pulchrè D. Gaudentius in eo exprimit dæmonum ingenium in humanis profectibus. Ait enim tract. 2. de manducat. Agni Paſchalis:
Gaudent. *Vbi conuerſi ad Deum ſummi reclamantes ab operibus duriter verberati ſunt Ægypti multiplicibus plagis, & primitiuo eorum percuſſa ſunt. Salus enim noſtra dæmonum pœna eſt.* Semper humanum bonum dæmones in pœnas agit, & eos, qui diabolico furore inſaniunt.

§. III.

Peccatori quanto citiùs adhibenda correctio ſalutaris.

VIx inuidiæ rabiem promit Cain, & ecce tibi Deus ad illum fatur: *Quare iratus es? & cur concidit facies tua?*
Chryſoſt. Circa quæ ſapienter notat Chryſoſt. *Poſtquam vidit illum ab inuidentiæ affectione oppugnari, vide quomodo pro ſua benignitate congrua ipſi remedia ponit, vt ſtatim educatur, & neque non obtegatur. Quare erſtin factum eſt?* Non differt, ſed ſtatim vt peccantem agnouit, hominem adit, cum illo diſputat de peccato, correctionem proponit, antequam penitus abſorbeatur. Sic quæ ſalutaris ſit correctio, quanto citiùs adhibenda eſt peccanti. Dicebat Hierem. cap. 1.
Ierem. 1. *Virgam vigilantem ego video.* Sæpiùs audiui nominari virgam in Scripturis, vt ſeuera oſtendatur Dei animaduerſio in peccatores. Virgam autem vigilantem à nullo, niſi ab Hieremia & viſam, & nominatam audio. Cur ergo virgam vigilantem Hieremias nominet? Rem oſtendit Rupert.
Rupert. lib. 1. in Hierem. cap. 5. *Illud ſciendum, quia ſic veniet tempus, vt primus aduentus eius cunctis eum recipientibus pateat ſit virga correctionis*, &c. *Dicit ergo: Quid tu vides Hieremia? Et dixi: Virgam vigilantem ego video.* Vbi paterna correctio oſtendenda erat, virga proponitur vigilans, vigilare enim debet, & manicare, qui ſalubriter vellet
Matth. 26. corripere peccatorem. De Petro negante Ieſum ait Matth. 26. *Tunc cœpit detestari, & iurare, quia non nouiſſet hominem. Et continuò gallus cantauit. Et recordatus eſt Petrus*, &c. Vix negationem complet, & ecce galli cantus implet peccatorem; tanto enim diſcipulo omnium vigilantiſſima ad-
Chryſoſt. monitio, & correctio decreta fuit à Deo, vt illi ſaluti eſſet. Sapienter ait D. Chryſoſtom. homil. de negat. Petri, habita in 6. tom. *Non noui hominem iſtum, ait, Petrus, & continuò gallus cantauit, ille tunſtus Petri accuſator, prauius ſententiæ dominicæ præco, ac patronus, negationis proclamator, prauaricationis iudex, ac pœnitentiæ, lachrymarumque admonitor.* Meritò, quæ efficax erat ad ſalutem admonitio, & correctio, in galli cantu ponitur; nunquam enim niſi à malo venit, quòd peccator ſinatur in ſcelere durare, ſine cor-
Prou. 13. rectore. Quippe Prouerb. 13. ait: *Verbum mendax iuſtus deteſtabitur; impius autem confundit*, &c. quæ ſic leguntur apud Caietanum: *Verbum falſitatis odio habebit iuſtus; & impius faciet putreſcere.* Et ſanctitas, & pietas eſt, quodcumque opus ſceleratum odio proſequi, & in illum inuehere, eiuſque malitiam damnare. Impietas autem eſt, quæ videris mala diſſimulare, & relinquere illo in cor-
Caiet. de peccatoris putreſcere, vt ſic pereat. Ait ibi Caiet. *Iuſtus odio perſequitur iniquitatem occultam, arguenda occultantem eam falſa demonſtratione, vt corrigat ſe huiuſmodi ſimulator. Quo contra impius tacebit, & faciet putreſcere iniquitatem alterius non correptam.* Non equidem niſi à malo venit, quod peccata diſſimulentur, & permittantur in corde hominis inueteraſcere, & putreſcere, quo neceſſum erit, vt miſer pereat.

§. IV.

Ea blanditie corripiendus, & monendus eſt peccator, qua illi nec vulnus ſuum, nec diſcrimen abſcondatur.

BEnigniſſimè, & blandiſſimè ad Cainum accedit Deus, ſed ita blandus accedit, vt ſimul illi & vulnus, & diſcrimen aperiat, fatus: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies, ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?* Blandè conuenit hominem, ſed non vt palpet, quin imò & radicem triſtitiæ peccatum, & pœnam eius inſtantem illi ob oculos ponit in quo magis circa eum ſuam oſtendit benignitatem, vt dicat Chryſoſtomus homil. 18. in Geneſ. *Beni-* Chryſoſt.
gnitatem ergo ingratum illum declarat Deus, manum illi quaſi in præceps eunti porrigens, & occaſionem præbere volens, vt delictum corrigat, ait illi: Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies, ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? Benigniſſimam admonitionem peccatori adhibet, ſed quæ illi obiiciat peccatum, & proponat pœnam inſtantem, cùm ait: *Peccatum tuum in foribus aderit*, vel vt Chaldæi legunt: *In diem iudicij peccatum tuum ſeruatum eſt.* Sic nouit Deus blandiſſimè monere, & correctionem adhibere peccatori, vt totum ſimul eius diſcrimen in lucem pandat. Prouerb. 1. *Con-* Prou. 1.
uertimini ad correctionem meam; en proferam vobis ſpiritum meum. Legit Carthuſianus: *En proferam vobis vindictam meam;* quantumuis blandum, & benignum in corripiendo me exhibeam, tamen totam iram meam imminentem monſtrabo. Carthuſianus ibi: *Proferam vobis vindictam* Carthuſ.
meam, id eſt, æternam damnationem prænunciabo, vt vel ex timore ceſſetis peccare. Id eſt diuiniſſimi ſpiritus proprium, quòd vel cum blandiſſima admonitione adhibeat cognitionem diſcriminis naſcentis ex peccato. Hierem. 1. *Quid* Ierem. 1.
tu vides Hieremia? Et dixi: Virgam vigilantem ego video, &c. *Quid tu vides? Et dixi: Ecce ollam ſuccenſam ego video.* Et virga vigilans oſtenditur vati, & olla ſuccenſa ſimul; vt enim in virga paterna correctio peccatori oſtendebatur, ſic in olla ſuccenſa totum diſcrimen ignis æterni ſimul debuit monſtrari. Ait Orig. homil. 2. in Pſal. 38. *Propterea ſimul vir-* Orig.
gam oſtendit, & cacabum igne ſuccenſum, vt ſiquidem diſciplinas metipſas per virgam, & emenderis, cacabo non indigeas ſuccenſo. Sic in virga præmittebat paternam admonitionem, & correctionem, cui ſimel addiderat ſuccenſum cacabum; vt videret peccator, niſi reſipiſceret, ad quantum ignem properaret. Quem admonendi modum pulchrè extollit D. Proſper. in epigrammate aiens: Proſper.

Lingua aſſentatrix vitiùm peccantis acerbat,
Et delectatum crimine, laude ligat.
Nulla fit vt lapſo reparandæ cura ſalutis
Blanditur ſonti dum maliſuadus honor.
Libera ſit potius vox, correctoris amici
Serpere, ne febris cæca venena ſinat.
Nec credens medici verbis fallacibus æger,
Nolit laudata vulnera poſſe amet.

Quantumuis blandè, quantumuis benignè accedas ad correctionem, tamen eò ſemper ſpectare debes, vt liberè proponas erranti & erroris maculam, & pœnam pro illa imminentem, alioquin peccatorem funditus perdes.

§. V.

Conſcientiæ morſus intolerabilis.

PRæſentiſſimam, & duriſſimam peccatoris pœnam oſtendit Dominus illis verbis: *Statim in foribus peccatum tuum*, hoc eſt, iuxta Delrij noſtri explicationem in adagijs: More canis moloſſi, qui nec egredi, nec ingredi hominem tranquillè ſinit, ſed importuno latratu ſemper inquietat. Sic perpetuò tibi tuum peccatum ante pedes, ante oculos obuerſabitur, & aduerſabitur. Vt te Deus ad tempus ſinat impunitum; ipſe peccati morſus, angues, furiæ acriter vrgebunt, agitabũt, perſequentur: quocũque perges, peccatũ te comitabitur, conſcientiæ tuæ ſe oggeret, & ingeret, irrequietum malum te conquieſcere animo non permittet.

Ioan. 8. Hanc internam crucem, vt oſtenderet Dominus, ait Ioan. cap. 8. *Omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Et quantum hoc, quòd peccans ſeruus fiat peccati? Quis eſt hominum, qui non ſeruiat alteri, nec ideo ſe miſerum putat. Magna hominum pars in ſeruitute eſt, & agreſtiſſimos dominos ſuſtinet; vnde ergo magis horreat peccato ſeruire? Cyril. Alex. Ait D. Cyril. Alex. lib. 6. in Ioan. cap. 2. *Propterea ſerui hominum inhumanos, & immites plerumque fugiunt dominos, & corripiendo fugam, à duro liberantur ſeruitute. Seruus verò peccati, quo fugiat non habet. Sequitur enim illum ſemper vindex conſcientia, & grauiſſimus ſtimulus, qui ex peccati recordatione ſurgunt, coquere non ceſſat; nec placidam ei quietem concedit.* Prætetquam quod peccatum crudeliſſimus Dominus eſt, hoc etiam habet præcipuum quod ſeruus eius non habeat, quò fugiat, ſed quocumque pergat, rabidum eius latratum ſuſtinet, duriſſimiſque agitatur ſtimulis, quibus nonnunquam præfert extremum præcipitium. De Iuda locutus Matth. 27. *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum, &c. Et proiectis argenteis in templo receſſit; & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Cur miſer à tanta tui ſceleris agnitione adtam crudele feſtinas exi-Chryſoſt. tium? Ait D. Chryſoſt. hom. 86. in Matth. *Nec enim patuit acerbos conſcientiæ ſtimulos, & flagella perferre.* Adeò ſceleris commiſſi ſtimulus fodiebat miſerum, rabidiſſimiſque conſcientiæ morſibus lacerabatur, vt tolerabiliorem duceret extremam ruinam.

§. VI.

Peccatum nequit eſſe ſolùm, ſed multa alia & maiora parturit.

NOn negabo aliquid piperis eſſe in lectione Hebræa, quæ vbi noſter dicit: *Peccatum in foribus aderit*, legit ipſa: *Ad oſtium peccatum accubat.* Cùm autem peccatum audio accubare, ſuſpicor prolem inde prodituram non paucam. Geneſ. 1. Vbi noſter legit 1. Geneſ. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ſimiliter ex Hebræo legunt multi: *Spiritus Domini incubabat ſuper aquas*, ex quo D. Hieronym. ait: *Incubabat, ſiue confouebat in ſimilitudinē volucris oua calore animatis.* Et addit D. Ambroſ. *Per ipſum habebat nouorum partuum ſemina germinare.* Non aliter cùm primum admittitur peccatum, dicitur cubare, ſiue incubare, quaſi neſciat ſolum manere; ſed confoueat oua, ex quibus maiora alia pariantur. Ezech. 29. Huc furſan in ſenſu myſtico reſpexit Ezechiel. cap. 29. fatus: *Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum*, &c. Nunquam enim malitia non ſimia eſt ſanctitatis; illic diuinus Spiritus dicebatur cubare ſuper aquas paruulus nouis ornans orbem terrarum; hic dicitur peccatum in Rege Ægypti, & dracone intellectum etiam cubare ſuper aquas, vt nequiore ſobole hominem inficiat. Quod explicatius poſuit textus Arabicus, legens. *Qui cubas in ventre fluminum*; vt ſic in peccati cubatione in anima iam appareat generandæ nequioris ſobolis ſtudium. Iſai. 14. Ad hæc dicebat Iſaias cap. 14. *De radice colubri egredietur regulus, & ſemen eius abſorbens volucrem.* Septuaginta legunt: *Ex ſemine ſerpentum egredientur genimina aſpidum*, &c. nunquam enim in ſerpentino peccati accubitu non dantur genemina nocentiora. Hieron. Circa quæ eleganter ait D. Hieronym. lib. 6. in cap. Iſaiæ 21. *De ſemine peſſimo naſcetur regulus, qui rex ſerpentium eſt, & afflatu ſuo, atque, conſpectu homines occidere dicitur, ſiue genimina aſpidum, quæ peccata ſunt varia, & de cogitatione in mala opera prorumpunt. Cumque regnauerint in hominibus, ſtatim egrediuntur ſerpentes pennati, vt non ſufficiat eis cogitaſſe, & feciſſe mala, ſed patrocinium quoque malorum operum quæſierint, & diuerſas finxerint hæreſes.* Meritò equidem monemur à peccato fugere, ſicut à *facie colubri*, vt quod neſciat eſſe ſolum, ſed vel ſtatim pariat grauiora, vel quaſi Rex adhibeat ſibi famulos nocentiores. Et libet adhoc in verbis Iſaiæ expendere Hebraicam lectionem, quæ ſic habet: *De radice ſerpentis egredietur regulus, & fructus eius ſerpens igniteus volans.* Expende illud, *ſerpens igniteus*: non ſolùm enim in peccato inuenitur ſerpentum ingenium, quod producat nocentiora, ſed & ignis natura inuenitur, quæ ſeſe Chryſoſt. auget ex vicinorum combuſtione. Quod notans D. Chryſoſt. in ſimilitudinibus ex lib. aduersùs Gentiles ait: *Quemadmodum in materiam recentem cadens ſcintilla ſtatim eadem accendit, neque ſubſiſtit, donec quod reliquum eſt, paſcatur, & quanta plura comprehendit flamma, tantum maiores vires ad conſumendo alia concepit. Sic & natura peccati, vbi cogitationes animi innaſerit, & nemo eſt, qui malum extinguat, procedens vlterius, petat ſemper ſic, magiſque ac magis indomita*, &c. Vt ignis ſcintilla non ſubſiſtit, ſed ſui augmentum quærit de vicini pabuli combuſtione; ſic peccatum non quieſcit, ſed ad augmentum malitiæ properat per adiectionem maiorum.

§. VII.

Perditum eſt, vbi prima poſtponuntur ſecundis.

TOta Caini perditio inde incepit; quòd non rectum diuiſionis ordinem ſeruarit. Dicit enim textus iuxta Septuag. *Si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccaſti.* In quo non rectè diuiſit? In omni obſequio præſtando duo ordinanda maximè ſunt, & internus animus offerentis, & externum opus oblatum. Ille in primis ornandus eſt, hoc in ſecundis. Cain autem dum hæc duo ornanda aſſumit, de primo non curat, ſed totus ad externa, & ſecunda tranſiens, dum à primis ſecunda ſeparat, vt ſecundis intenderet magis, peſſimam diuiſionem facit, qua in perditionem abit. Ait D. Ambroſ. lib. 2. de Abel cap. 6. *Diuiſionis hic ordo eſt, vt primo ſecundis, non primis ſecunda præcurrant, & cæleſtia terrenis, non terrena cæleſtibus præferantur. Sed quia Cain confudit hunc ordinem, dicitur ei: Peccaſti.* Ambroſ. Confudit equidem Cain præclarum diuiſionis ordinem, multus enim erat in ſecundis ornandis, nullus in primis. Multus fuit in externis parandis, nullus in internis; multus pro temporalibus, nullus pro æternis, inde nihil cepit veræ vtilitatis. De ſe dicebat Eccleſiaſtes cap. 2. Eccle. 2. *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, &c. Cumque me conuertiſſem in vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fruſtrà ſudauerant, vidi in omnibus vanitatem.* In tam magnificis palatiis à ſe conſtructis, nihil aliud plorat inueniſſe, quàm vanitatem. Et cur de tantis operibus nulla vtilitas oritur, ſed vanitas, ſed dolor, ſed perditio? In tanto ſtudio de domibus ornandis, nullum ſtudium oſtenditur fuiſſe de anima ornanda, vt Deum caperet. Vbi autem quæ prima debebat eſſe cura circa ornandam animam, oſtenditur neglecta, & ſecunda ſolùm procurata, non mirer, quòd inde & vanitas, & perditio naſcatur. Ait ibi D. Nyſſen. homil. 3. Nyſſen. *Quomodo poſſem ſigillatim verbis perſequi ea, in quæ ſtudium, quod confertur, eſt reprehenſio, & inſimulatio negligentiæ in iis, quæ ſunt priora? Quò enim maior fuerit & multitudo, & materiæ ſumptus magnificentia in ædium ſtructuris, eo magis arguitur inornatam eſſe animam. Qui enim ad ſe ipſum aſpicit, & ſuam ornat habitationem, excipiet Deum.* Vt ſtudium externorum reprehenſio eſt, & inſimulatio negligentiæ in iis, quæ ſunt priora, non mirer, quòd tale ſtudium vanitatem & perditionem afferat. Qui multus eſt in ornatibus corporis inueniendis, nullus eſt in anima ornanda, & totus ſecundis intentus, prima nihili facit. Vtinam quod ſecundis præbes, primis præberes; quod inſumis in parietibus ornandis, inſumeres in ornanda anima, fallar niſi Deum in te habuiſſes habitantem.

§. VIII.

Fraterna vnio, & charitas maximè ad ſalutem conducit.

ILlud perdendæ ſaluti ominoſum in hoc reproborum principe notabatur, nimirum quod ait: *Si rectè offeras, non rectè diuidas, peccaſti.* Non equidem rectè diuiſit, qui ſe diuidebat à fratre; qui dum ſe offert aduerſarium, maximè ſuæ ſaluti contrariatur. Non enim de diuiſione, ſed de vnione cum fratribus nobis ſalus, & regnum æternum paratur. Apocal. 12. ait: *Audiui vocem magnam in cælo, dicentium: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator* Apoc. 12.

tor fratrum noſtrorum. Tunc cum draco ille, qui fratres accuſat, & calumniatur, & inter illos ſeminat ſcandala, proiectus eſt in gehennam, tunc inquam, ſalus hominis fit, & regnum illi appropriatur. Sed quomodo quis proiiciet à ſe draconem illum, ab eiuſque accuſatione ſecurabitur? Hoc habeat homo, ne ſe à fratribus diuidat, ſed ſibi affectos & vnitos habeat, & fallar, niſi multus ſit in diaboli accuſationibus refutandis. Pulchrè Diuus Bernard. in ſer. 1. de circumciſ. ait: *Cuius enim omnibus grata, nemini oneroſa eſt conuerſatio, huic ſine dubio propria de ſalute vniuerſa fratrum congregatio atteſtatur. Fruſtra planè ſuper his dumtaxat, quæ ſunt in manifeſto, nequiſſimus ille fratrum accuſator trahit in cenſum, quem excuſat vniuerſitas fratrum.* Cui vniuerſitas fratrum ſuffragatur, vt qui cum omnibus vnionem ſeruauerit, nulli moleſtiam intulerit, à nullo ſe diuiſerit; huic equidem parum, aut nihil nocebit dæmonis accuſatio. Ad hæc adiunge dicta 1. tom. in Euangel. lib. 4. cap. 4. §. 23. & tom. 2. lib. 6. cap. 3. §. 15. & tom. 3. lib. 14. cap. 5. §. 6. & tom. 4. lib. 16. cap. 15. §. 2. & tom. 1. de Chriſto figur. lib. 2. cap. 5. §. 59. & tom. 3. lib. 7. cap. 14. §. 11. & cap. 18. §. 5. & alibi.

Bernard.

§. IX.

Mundialia bona, & gloria mundialis, & feris, & irrationabilibus abſumenda dantur.

NOn cœleſti igne abſumuntur Caini munera, ſed ſub eius relinquuntur dominio, dicente textu: *Ad te conuerſio eius,* nempe muneris oblati, *& tu dominaberis illius.* Circa quæ Gennadius in cat. Lippom. *Rurſus quæ tua ſunt, habebis.* Et D. Baſil. Seleu. orat. 4. *Tibi ſorts eſt hoſtiæ conuerſio. Ad te conuertitur hoſtia, tibi dedi muneribus tuis frui.* Imò addit Chryſoſtomus ibi: *Permitto, vt primogenituræ priuilegiis gaudeas.* Sic nihil de bonis mundialibus abſtulit Deus Caino, quin imò omnia illi integra reliquit. Et cur ſic omnia decora, & glorioſa mundi integra Caino reliquit, quando Abeli lectiſſima, & pinguiſſima dona abſumpſit cœleſti igne? Cauſam forſan indigitat D. Baſil. Sel. ſuprà, dicens: *Verùm erat Cain, vt apparet immanſueta bellua.* Vt erat Cain bellua immanſueta, ſic ei integra relinquuntur abſumenda omnia glorioſa, & ſpecioſa mundi. Raro enim mundi gloriæ, & præſtantiſſima bona non relinquuntur à Deo, vt à feris, & belluis poſſint abſumi. Iſaias cap. 40. *Omnis caro fænum, & omnis gloria eius flos agri.* Labilem mundi gloriam & fœno, & herbarum flori comparat; ſed & aliæ res ſunt longè euanidiores, quibus poſſit comparari. Multis aliis vtitur Sap. cap. 5. dum ait: *Spes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur; & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.* Ecce tibi Sapiens vt rideat mundiales glorias, illas comparat lanugini, ſpumæ, fumo, Iſaias autem non iis, ſed fœno, & herbis comparare illas. Cur ergo Iſaias relicto fumo, & ſpuma, & lanugine, mauit mundiales glorias, fœno, & herbis comparat? An quia fœnum, & herbæ nonniſi à belluis abſumuntur? Equidem eò ſpectabat Propheta, vt mundiales glorias non ſolùm rideret ob vanitatem, ſed ob illarum conſumptores. Non ſolùm enim labiles, & caducæ ſunt gloriæ mundi, ſed vt plurimum nonniſi à belluis abſumuntur. Ait Orig. homil. 1. in Pſal. 36. *Non arbitror otioſum cur fœnoeos comparauerit, cùm vtique & alia poſſet eſſe materia, cui compararentur hi, qui malitiosè egerunt. Fœnum motorum, & irrationabilium animalium cibus eſt. Fortaſſis ergo, quòd omnes ſtulti, & imperiti, & qui contra rationem, & ſcientiam Dei viuunt, ſequuntur eos, qui in malitia principes ſunt, & ex eorum vita veſci dicuntur, ideirco eos fœno comparauit.* Vide inter quos mundialium Principum ſplendiſſima bona abſumuntur, & fallar, niſi à belluis, & irrationabilibus, & magis bruteſcentibus, quàm brutis ipſis, ea vorari videas.

Gennadius.
Baſil.
Idem.
Iſai. 40.
Sap. 5.
Orig.

Geneſ. 4. Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras. Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduersùs fratrem ſuum, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain: Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit: Neſcio. Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Dixitque ad eum: Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

§. X.

Humana rabies dæmonibus effrænatior.

HOrrendum Caini facinus ſic deſcribit textus: *Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum Egrediamur foras. Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduersùs fratrem, &c.* Multi ſunt ſancti Patres in ponderanda Caini malitia, quæ prima auſa eſt lædere fratrem. Mihi illud magis horrendum videtur quòd non ſolùm audeat in fratrem, ſed in illum fratrem, qui agni pinguiſſimi ſacrificio erat armatus. Quippe ait Rupertus lib. 4 in Geneſ. cap. 4. Rupert. *Abel obtulit de primitijs gregis ſui, quo verè ſacrificium, quod Ieſus Chriſtus inſtituit, quamuis exteriori ſpecie panis, & vinum ſit, in veritate agnus eſt Dei.* Et cur in hominem tanti agni ſacrificio armatum audet Cain? Exod. cap. 12. ſacrificium agni mandabatur Iſraëlitis, vt ab Angelo vaſtatore protegerentur, qui inter ipſas Ægyptiorum ſtrages animaduertens Iſraëlitarum familias agni ſacrificio munitas, non audebat vel illas tangere. Et quando ad agni vmbram non audet diabolus, cur Cain audes in Abelem, quem Deo placens agnus defenſabat? An eſt rabies tua rabie dæmonis effrænatior? Crede mihi, non ſic furit diabolus, vt ſolet furere cor humanum. Communis eſt Patrum ſententia Iudam interfuiſſe ſacrificio agni immaculati, poſt cuius eſum, ait Ioan. cap. 13. *Introiuit in eum Sathanas.* Abiit deinde ad principes populi, & cum illis conuenit de traditione Ieſu, quem vt traderet, teſte Matthæo cap. 26. *Oſculatus eſt eum.* Quid tunc? Videns Ieſum damnatum, *abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Quid crudelius? Aduersùs ſe ipſum audet, & illud ipſum guttur ſtrangulat, per quod paulo antè immiſerat diuiniſſimum agnum. Vnde tanta homini audacia, & rabies? Crediderim eam non tam à dæmone, quàm à ſuo proprio corde furioſiſſimo mutuatam. Pulchrè ad hæc D. Leo ſerm. de Paſſ. *Cur de eius bonitate diffidis, qui te à conſortio, & ſanguinis ſui communione non repulit? Qui tibi pacis oſculum non negauit? Sed homo inconuertibilis cordis ſui ſecutus eſt rabiem, & ſtante diabolo à dextris tuis iniquitatem, quam in Sanctorum omnium ornaueras caput, in tuum verticem retorſiſti; vt te pateretur tuo pœno carnificem.* Planè & in oſculo, & in eſu carnis diuiniſſimi agni Ieſu ſic hominem ſigillarat, vt poſſet inde defendi à morte temporali. Scit enim Deus etiam à nefariis hominibus arcere mala. Vnde ergo in ſe tam crudelem ſumpſit audaciam? Ait ibi D. Leo. *Cordis ſui ſecutus eſt rabiem, & ſtante diabolo à dextris tuis iniquitatem in tuum verticem retorſiſti, &c.* Dixerat Ioannes diabolum in Iudam intraſſe, Leo autem illum, non intrinſecus, ſed extrinſecus ſtetiſſe aſſerit, dum ait: *Stante diabolo à dextris.* Et quando in cœna in Iudam diabolus intrauerat, cur in ſuſpendio eius foris dicitur eſſe à dextris eius? Quòd Iudas traderet Ieſum, inuentio fuit diaboli interinſecus hominem ſpirantis, & ducentis hominem in tantum facinus. Vt autem ſæuiret in ſemetipſum, id iam quaſi à longè ſtans curabat diabolus, habens efficacius fomentum in rabie ipſius cordis humani. Forſan enim verebatur dæmon hominem lædere, in cuius viſceribus, & ore nouerat fuiſſe Dei agnum, ideoque ſolo præſente à dextris diabolo, *Iudas cordis ſui ſecutus eſt rabiem,* vt quæ erat dæmone ipſo effrænatior. Solet equidem humana rabies dæmoniacos etiam furores ſuperare. Solebat Saul dæmonum furiis agitari vehementiſſimè, quas Dauid citharæ ſonitu & molliebat, & dæmonem abigebat. Cùm autem quadam die in hoc officio perſeueraſſet, & dæmonem abegiſſet,

Ioan. 13.
Matth. 26.
Leo.
Idem.

Saul iam recreatus aperit oculos, & videns Dauidem pſallentem, in eum contorſit lanceam, dicente textu 1. *1. Reg. 18.* Regum 18. *Miſit lanceam, putans, quòd configeret Dauid.* Ecce tibi diabolus præſens in Saule Dauidem verebatur, nec in eum audebat, de cuius ſanguine orturus erat cœleſtis agnus: quinimò inde abſcedebat. Saul autem liber à diabolo in Dauidem nihil veritus ſæuire audet. Vt dicat D. Baſil. Sel. orat. 15. *Baſil.* *Paululum à dæmonis exitu leuatus Saul, & aduerſorum deterſo caligine, in Dauidem, quem præſentem nouerat, haſtam eiaculatur, quaſi ad mentem ſobriam iterum ſe recepiſſet, vt iterum ſeruiret inuidiæ.* Expende illa, *paululum à dæmonis exitu leuatus*, &c. quippe cùm intrinſecus à dæmone agitabatur, Dauidem verebatur, nec in illum audebat, quem timebat diabolus. Vbi enim diabolus abſceſſerat, & ſolus Saul manebat, tunc ſic inuidia recruduit, ſic rabies excanduit, vt vellet Dauidem morti dare. O rabiem cordiu humani truculentiorem diabolica rabie. *Pſalm. 139.* Meritò dicebat Dauid Pſalm. 139. *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.* Non à feris ſanguinolentis, vt notat Chryſoſt. ſed neque à dæmone petit liberari. id ſolum orat, vt liberetur ab homine malo, cuius rabiem expertus erat truculétiorem diabolica rabie.

§. XI.

Mariæ patrocinium erga ſuos nullibi deeſt.

QVærens facinori meditato opportunitatem dicit Cain fratri ſuo: *Egrediamur foras. Cumque eſſent in agro, conſurrexit*, &c. Et cur agri ſolitudinem quærit Cain, niſi vt fratrem remoueat à parentum auxilio, & patrocinio? Ait *Chryſoſt.* ibi D. Chryſoſt. *Quamobrem in campum prouocas fratrem, & foris à paternis vlnis abducis? Quare ipſum paterno auxilio deſtituis?* Hoc in primis procuratum eſt à parricida, ne parentibus ſuboleret facinus. Duos enim fratres peſſimos inuenio Cain, & Eſau; vterque oderat, & neci deſtinabat minorem fratrem; Cain Abelem, Eſau Iacobum. Et Abele interfecto Iacob liber euaſit. Et cur Abel percutitur, & Iacob euadit? An quia Iacob fortior? Minimè; ſed *Geneſ. 27.* aliam cauſam proponit textus ſacer Geneſ. 27. fatus: *Oderat ergo ſemper Eſau Iacob*, &c. *dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Nunciata ſunt hæc Rebeccæ. Quæ timens, & vocans Iacob*, &c. Quę mala cogitabat Eſau in Iacob, percalluit Rebecca mater, vt enim erat ſolicita pro filio, quaſi præſens erat, vbique de illo agebatur, & eius induſtria Iacob liber euaſit. Potuit matris patrocinium defendere Iacob ab ira fratris; nec Eſau valuit illud matris patrocinium à Iacob tollere. Ne miremur, quòd Cain præualuerit in fratrem, quem adducens in campum auxilio matris priuauit. Feliciores nos Chriſtiani, quibus à Deo in Maria illud patrocinium prouiſum eſt, quod nullo in receſſu, nullo in *Matth. 13.* agro, poſſit nobis eripi. Dicebat Matth. 13. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro, in agro, abſcondito.* In quonis enim receſſu, & remotiſſimo agro ſecurum, & promptum habent Chriſtiani hunc theſaurũ, nimirũ, patrocinium Marianũ. Quò alludens D. Damaſcen. orat. 1. de Nat. Mar. ait: *Omnis creatura epuletur, at ſacræ Annæ ſacerrimam rationale laudibus proſequatur. Bonum enim theſaurum, quique nulla vi eripi poſſit, mundo peperit.* Non eſt, Chriſtiane, vlla vis, aut poteſtas, quæ tibi eripere poſſit hunc theſaurum, nempe Mariæ patrocinium, ſiue enim in vaſtiſſimam ſolitudinem compellaris, ibi te expectat abſconditus hic theſaurus, ibi *Cant. 7.* adeſt auxilium tantæ matris. Eius erat vox illa Cant. 7. ad filium ſuum: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Cur bona mater agros amas peragrare? *Rich. Laur.* Ait Richard. à ſancto Laurent. lib. 5. de laud. Mariæ: *In hac authoritate oſtenditur ſollicitudo quam glorioſa Virgo gerit pro Eccleſia Dei. Vnde dicit: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum.* Quippe ſollicita hæc mater pro ſuis nullum non peragrat agrum, necubi filius eius auxilio, & patrocinio deſtiturus appareat. Sed in omnibus pro illis amat belligerare, eorumque hoſtes perterrefacere. Quò ſpectant *Cant. 4.* illa Cant. 4. *Pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Luna & Sol dicitur, vt oſtendatur, quàm ſemper ſit promptus eius fauor; ſiue in die verſemur, Sol eſt, ſiue in nocte ſimul, ſiue in ſyluis, ſiue in agris, Luna adeſt. Inſuper & acies eſt ordinata, quam hoſtes expaueant. De quo eleganter Alcuinus homil. de Natiuit. Virgin. *Alcuin.* *Tu pulchra es vt Luna: tu electa vt Sol: tu terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum quando, viderunt præter morem inſtructam omni armatura fortium contra ſe procedere fœminam*, &c. *Nimirum tremor, & timor irruerunt ſuper eos, ita vt dicerent: Ecce plus quàm Eua hic. Caſtra Dei ſunt hæc. Fugiamus Iſrael.* Equidem plus quàm Eua eſt Maria, quando Eua non potuit defendere Abelem ſuum in agro à fratre percuſſum, Maria ab omni loco ſuorum hoſtes arcet. Patrocinio Euæ potuit priuari Abel in agro occiſus; Mariæ patrocinio non priuabimur, ſed vbique Dei caſtra opponit noſtris inimicis, quæ fugiant.

§. XII.

Meliùs, & tutiùs agitur cum iuſto, qui è vita eripitur.

CVm ſanctiſſimus, & innocentiſſimus eſſet Abel, tamen dicitur in textu: *Conſurrexit Cain aduerſùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Non inauditum eſt, quòd frater peſſimus inſurgat in fratrem iuſtum; ſic enim armabatur Eſau in fratrem Geneſ. 27. dicens: *Occidam Iacob fratrem meum.* *Geneſ. 27.* Sic fratres Ioſeph dicebant Geneſ. 37. *Venite, occidamus eum.* *Geneſ. 37.* Illud magis nouum in Abele accidit, quòd de facto interfectus eſt non ſolùm enim Cain inſurrexit in Abelem, ſed & interfecit eum. Inſurrexit Eſau in Iacob, & fratres inſurrexerant in Ioſeph; an interfectus eſt Iacob, aut Ioſeph à fratribus? Abſit, cuſtodiuit enim Deus peculiari prouidentia Iacob, & Ioſeph, ne à fratribus interficerentur, ſed de illorum odiis liberarentur. Et qui ſic cuſtodiuit Iacob, & Ioſeph ab odio fratrum, cur non cuſtodiuit Abelem? An minor fuit Deus in Abelem, permittens illum occidi, quàm in Iacob, aut Ioſeph, liberans illos à morte. Imò crediderim melius quid actum fuiſſe à Deo cum Abele, illum morti permittens, quàm cum Iacobo, & Ioſeph, dum illos incolumes, in vita ſeruat. Danielis cap. 3. audio tres pueros Hebræos miſſos eſſe à Rege Babylonio in fornacem ardentem, ſed inter flámas conſeruatos à Deo, vt inde incolumes egrederẽtur. Ait enim textus: *Statimque egreſſi ſunt de medio ignis*, &c. Non ſic cum aliis ſeptem iuuenibus Machabæis factum eſt 2. Machab. 7. ſed vt à tyráno in ignem cõiiciebantur, ſic conſumebantur, vt de eorum matre locutus dicat textus: *2. Mach. 7.* *Nouiſſimè autem poſt filios & mater conſumpta eſt.* Compone hos ſeptem cum illis tribus; omnes ſancti & iuſti; omnes in odium tyrannorum inciderunt, ſed Machabæi cremantur, occiduntur, tres autem illi pueri à flammis egrediuntur illæſi. An Deus durior in Machabæos, qui illos permiſit interfici, quàm in tres pueros Babylonios, quos incolumes ſeruat? Rem pulchrè tractat, & definit D. Auguſt. ſerm. 110. de diuerſis cap. 3. in hæc verba: *Auguſt.* *Quare illi ab igne liberantur, iſti ab ignibus conſumuntur? Ergo illis Deus oderat, hos deſeruerat? Abſit. Imò vtriſque adfuit, illis in aperto, iſtis in occulto: illos viſibiliter liberabat, iſtos inuiſibiliter coronabat. Illi quidem de morte liberati ſunt, ſed, in huius vitæ tentatione manſerunt. Ab igne liberati, ad pericula reſeruati. Vno tyranno victo; adhuc certaturo cum diabolo. Machabæi melius, & tutiùs liberantur. Ab illis tribus viris, cæteris remanentibus, vna illa tentatio ſuperata eſt: ab iſtis iſta vita finita, quæ tota tentatio eſt.* Quid pulchrius? Certum equidem eſt, quòd meliùs, & tutiùs liberantur iuſti; qui à vita abripiuntur, quàm qui in vita manent luctaturi cum mundo, & diabolo, & carne.

§. XIII.

Nec ſe iniquis Deus aliquando indicare detrectat.

VIx parricidium compleuerat Cain, & ecce tibi Deus illi adeſt, quippe dicit text: *Et ait Deus Dominus ad Cain: Vbi eſt Abel frater tuus?* Non ſemel Deus nefariſſimum Cainum conuenit, illique ſuam manifeſtat præſentiam; etſi enim cum ſimplicibus ſermocinatio Dei eſt, tamen aliquando ſeſe oſtendere peſſimis non detrectat.

Luc.

Luc. 22. Luc. 22. vt vidit Ieſus ſeruum Pontificis percuſſum in auricula à Petro, non dubitat illi familiariter adeſſe, vulnus tangere, exſertáque diuinitatis ſuæ virtute, illi ſanitatem præſtare. *Et cùm tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum.* Sic Domine nequiſſimo ſeruo, & nequiſſimorum latronum ſocio tuam diuinitatem manifeſtas? Ea eſt Dei noſtri benignitas, vt nec cum talibus detrectet venire ad conſortium familiare. Ait Diuus Leo ſerm. 1. de Paſſ. *Dat ergo in ſe ſæuientibus licentiam etiam ſæuiendi; nec tamen etiam talibus dedignatur ſe indicare diuinitas. Aurem ſerui tam ipſa ſectione demortuam in ſedem dehoneſtati capitis reuocat.* Expende illa: *Nec tamen etiam talibus dedignatur ſe indicare diuinitas.* Is eſt Deus, qui minimè detrectet aliquando impiiſſimis etiam ſe familiariter oſtendere. Nequiſſimus erat ille Balaam veneficus, & tamen, vt ait text. Numer. 22. *Venit Deus, & ait ad eum.* Circa quæ ſapientiſſimè monet Gloſſa: *Nemo glorietur, ſi ſibi Deus loquitur. Nouit enim quomodo loquendum ſit cum talibus, cùm loquatur etiam cum reprobis.* Sic ibi. Num. 22.

§. XIV.

A Maria venit, qua velare, & operire peccata poſſimus.

INterrogat Dominus Cainum de Abele, non vt ignorantiam prætendat, ſed vt oſtendat, quàm patens ſit malitia percuſſoris. Quippe ait: *Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit: Neſcio. Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Dixitque ad eum: Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Abſconderat Cain Abelis cadauer, & terra operuerat, vt ait Ioſephus & Procopius, & modò etiam mendacio appoſito volebat magis celare facinus. Sed quo ille celabat, eò magis peccatum manifeſtabatur clamore ſanguinis. Non enim à mendacio, nec à terra operiuntur hominum peccata: ſed vna Maria texuit pallium, quo
Pſalm. 80. penitus poſſunt peccata operiri, & obumbrari. Pſalm. 80. *Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob, operuiſti omnia peccata eorum.* Et quando Caio nec mendacio, nec terra potuit facinus ſuum operire; quomodo tot tantaque hominum peccata operta ſunt? Non quælibet terra, ſed terra benedicta & virginea nempe Maria germinat nobis operculum peccatorum. Rem pulchrè eluci-
Rich. Laur. dat Richard. à ſancto Laurent. 8. de laudib. Mariæ, inquiens: *Operuiſti omnia peccata eorum, ne videret ea homo ad imitandum, vel ne videret ea ipſe peccator in iudicio ad erubeſcendum, diabolus ad deridendum, & accuſandum, ipſe Deus ad puniendum. Operuiſti, inquam pallio carnis, quo Maria te veſtiuit, extenſo in cruce, de quo prædixerat animæ peccatrici*, Ezech. 16. *Expandi amictum meum ſuper te.* Ecce tibi, vt de ſola Maria accepit Dominus pallium, quod in cruce extenderet, vt ſub illo peccata hominum operiren-
Iſai. 6. tur, abſconderentur. Iſaias c. 6. poſt oſtenſum thronum, in quo Deus ſedebat, ait: *Seraphin ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius*, &c. Si requiras cuius faciem velabant? Chaldæus, Chryſoſtomus, Forerius, Vatablus putant, quòd velabant facies ſuas, ſic enim ex Hebræo legunt. Verùm D. Cyril. Hugo, Hier. & Petrus Damian. putant, quòd velabant faciem Dei. Et quidem, vt notat noſter Cornelius à Lapide, vtrumque verum erat, nam interpoſito alarum velamento inter Deum, & Seraphin, tam manebant Seraphin obuelata ne viderentur, vt manebat obuelatus Deus, ſed illud verbum nobis expendendum eſt, quod ait, *velabant*; ſi enim Grammaticos conſulamus, per verbum illud explicatur res nondum perfecta, vt artifices in operibus ſuis adhibent, illud *faciebat*, vel *excudebat*, vt exprimant necdum opus à ſe eſſe perfectum. Seraphin ergo velabant facies ſuas, & faciem Dei, hoc eſt, non à Deo perfectè velabant? Quia non ab Angelis, nec ab alia creatura, ſed ab vna Maria venit velamen illud, quo & humanæ culpæ operirentur, & abſconderentur prorſus Deo, ne illas
Epiphan. videret ad pœnam. Quò ſpectans D. Epiphan. orat. in Aſſumption. Mariæ ait: *Aue gratia plena, quæ habes radium de cœlo lucidis facibus coruſcantem, vt poto ſolem Chriſtum. Virgo plurium nominum, & multoculа effecta es. Seraphin incomprehenſæ viſionis, qua inuentaes velamentum quoddam intellectuale corporis vniuerſalis.* Expende illud, *inuenta es velamentum quoddam corporis vniuerſalis*; quippe totum Chriſtianum corpus per Mariam velamentum habuit, quo perfectiſſimè operiri, & velari poſſet, ne eius maculæ in pœnam videantur.

§. XV.

Summa in Deum reuerentia habenda.

HOc mihi in Caino reproborum principe execrandum videtur, quòd impudentiſſime, & irreuerendiſſimè agat cum Deo. De illo ait text. *Qui reſpondit: Neſcio. Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Quid impudentius? Cui homuncioni tam irreuerenter poſſet reſpondere? Meritò de illo ait D. Irenæus lib. 3. cap. 36. *Interrogatus* Irenæus.
Cain, vbi eſſet Abel frater eius, neſcio, ait; Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Extendens, & multiplicans malum per reſponſionem. Etenim malum eſt occidere fratrem, multò peius ſic audacter, & irreuerenter reſpondere omnia ſcienti. Hoc peſſimum in homine eſt, quòd Deo non ſummam habeat reuerentiam. Ex qua non immeritò virtus animi, & affectus in Deum cenſetur. Ioan. 20. *Vna autem Sabbathi* Ioan. 20.
Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum à monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & alium diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento. Expende illa: *Tulerunt Dominum*; quem à principibus damnatum viderat, à turbis irriſum, & contemptum, inter latrones poſitum, nihilominus ſine reuerenti, & honorabilis Domini vocabulo eius non meminit. Quantum hoc Magdalenæ meritum? Ait D. Cyril. Cyril. Alex.
Alex. lib. 12. in Ioan. cap. 44. *Nec propter crucem, & paſſionem Domini fidem omiſerat, ſed etiam mortuum Dominum appellat. Tales in ea pietas egit radices.* Vt crucifixi mors non eripuerat Magdalenæ fidem, quam de eius diuinitate habebat, ſic nec eripuit ei reuerentiam, qua tractaret mortuum: vt de eo non agat ſine vocabulo digno tantæ excellentiæ. Quo oſtenſum eſt, quàm altas radices eius virtus, & pietas egerat. Fallar ſi tantæ reuerentiæ non debeatur iam præſentia Chriſti. Nota eſt hiſtoria paralytici, qui apud piſcinam Bethſaidæ recepit à Chriſto Domino ſalutem. Is lecto onuſtus ambulabat die Sabbati, ob quod acriter reprehenſus fuit à Principibus populi, quorum ille reprehenſionem pro nihilo duxit. Quid tunc? Ait Ioan. 5.
Ioan. cap. 5. *Poſtea inuenit eum Ieſus in templo.* Vt foris ambulabat onuſtus lecto inuentus eſt non à Ieſu, ſed à Phariſæis calumniatoribus. Vbi autem fuit in templo, ibi ſtatim cum illo Ieſus. Sed quando calumnias propter obedientiam præſtitam Ieſu in portando lecto patiens non inuentus fuit, imò nec requiſitus à Ieſu; cur cùm ſolus in templo agit ibi illum Ieſus requirit, & inuenit? An reuerentia in templo exhibita magis traxit Ieſum? Ait D. Chryſoſt.
Chryſoſtomus homil. 37. in Ioan. *Cum inuenit eum Ieſus in templo, magnæ profectò reuerentiæ, & pietatis ſignum*, Heu quot in templo ſunt, quos Ieſus non inuenit, & forſan nunquam eſt inuenturus! Quòd ad te Ieſus veniat, quòd te perditam ouem inueniat, ſignum ſæpe eſt reuerentiæ à te exhibitæ diuinis. Meretrix fuit notiſſima Salmanticæ, quæ vt domi procaciſſima erat, ſic cùm in templis aderat, reuerentiæ erga ſacra erat inſignis; à qua nunquam deſciuit etiam in contrarium prouocata à iuuenibus. Hæc tandem in templo inuenta eſt à Ieſu, & eius halitu ducta, voluptatibus renuntians religioſam profeſſa eſt vitam.

§. XVI.

Qui in Deum iniquus eſt, & in fratres erit iniquus.

QVàm procaciter refugit Cainus vt à ſe alienam, curam fratris! Ait enim: *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Quaſi à ſe omnino curam fratris reijciat. Adhæc pulchrè D. Ambroſ. lib. 2. de Abel cap. 9. *Quomodo fieri poſſet,* Ambr.
vt naturæ obedientiam deferret, qui Deo reuerentiam non exhiberet? Recuſat fraternæ munus cuſtodiæ, quaſi exſors naturæ.

natura. Quid miraris, ſi pietatem non agnouit, qui non agnouit auctorem? Equidem vaniſſimè expectas pietatem in fratres ab eo, qui impius in Deum eſt. Qui Deum impugnat, quomodo fratribus pacificus eſſe poterit? Monebat ſuos meus Ieſus Luc. 21. (Luc. 21.) *Trademini autem à parentibus, & à fratribus, & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis.* Non enim aliud expectandum eſt à perſecutoribus diuini nominis, niſi vt vel fratres, & cognatos ſuos etiam perſequantur & perimant. (Athanaſ.) Quo ſpectans D. Athanaſ. in epiſt. ad ſolitarios ait de Conſtantio Imperatore: *Conſtantius obſceleratum, & Chriſto odioſam hæreſim, nec quid iuris ſit nouit, & erga fratres ſe inofficioſum præbet. Atqui Britannionem cùm in ſuum proſequeretur, de medio ſuſtulit.* Hoc habent fratres ab eo, qui ſe à Deo alienat, ſimul vt à Deo, abeſt, in fratres crudelis eſt. Ille ſeruus qui apud Regem eo lutum rationem reddebat, & miſericordiam multam deprecatus obtinuit, vbi à Deo abſceſſit, vix credi poteſt, quam fuerit in fratres, & conſeruos crudelis. (Matth. 18.) De illo ait Matth. cap. 18. *Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum.* Deus bone, vnde tanta crudelitas in homine hoc aduersùs ſuos conſeruos, & amicos, qui paulò antè coram Rege adeò oſtendebatur humilis? Rationem tantæ crudelitatis indigitant verba illa, nimirum, *Egreſſus autem*; vbi enim à Deo abſceſſit, vbi Deum à tergo reliquit, totam illam in ſuos crudelitatem bibit. Ait Theophylact. (Theophyl.) *Egreſſus ille ſtrangulat, ac premit conſeruum. Nullus enim, qui in Deo manet, compaſſionis expers eſt, ſed ille egreſſus erat, & à Deo nunc alienus erat. Magna autem erat crudelitatis.* Nec mirer, quòd is, qui à tergo reliquerat Deum, in tantam crudelitatem deuenit erga fratres, & conſeruos.

§. XVII.

Inuidia morbus ægrè, & difficulter tollitur.

Ait ergo Cain requiſitus à Domino: *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* (Baſil.) Circa quæ verba ait D. Baſil. Sel. orat. 4. *O vocem ipſa cæde magis execrabilem! Nec verò cæde ipſa conſopiuit inuidentiam, odia etiam nunc renouat, &c.* Et meritò nullis dicitur ſopita Caini in Abelem inuidentia. Etiam poſt occiſum Abelem ad Dei interrogationem de illo, in animo Caini recrudeſcit. Nec miror, vix enim nouit hic affectus à viſceribus humanis exui. Noui cantatiſſimam in ciuitate meretricem voluptatibus renuntiaſſe, (Luc. 7.) & ad Ieſum veniſſe Lucæ cap. 7. *& lacrymis rigabat pedes eius.* Imò & noui auariſſimum hominem catenis lucrorum (Luc. 5.) preſſum, tandem renuntiaſſe telonio Luc. 5. *Qui relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt Ieſum.* At de illis, qui per inuidiam tradidiſſent Ieſum Matth. 27. nullus nominatur in Euangelio, qui vel viſis Ieſu miraculis, vel eius ſermonibus auditis morbum reliquerit. Adeò pertinax eſt in corde humano inuidiæ affectus. (Chryſoſt.) Quò ſpectans D. Chryſoſt. homil. 36. in Ioannem ait: *Scortatum quidem apud Corinthios, breui vitam emendauit. Cain fratri inuidendo nunquam odium poſuit; ſed quanto frequentius à Deo admonitus eſt, tanto magis dolebat, magis cruciabatur, & properabat ad cædem. Hic ergo, quàm ille grauior morbus, qui non facilè remedia admittit.* A luxuria, ab auaritia mille vides emendatos, ab inuidia autem vix vnus de mille emendari conſueuit. Quis neſciat miracula facta à Ieſu in cruce? Vt velum ſcinditur, vt terra quatitur, vt petræ colliduntur, vt Sol obſcuratur, vt ſepulcra aperiuntur, & mortui reſurgunt? (Matth. 2.) Quid tunc? Ait Matth. cap. 2. *Centurio autem, & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iſte.* Sed & de Principibus populi illud addit: *Conuenerunt principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum; dicentes, Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit, &c.* Compone modò Centurionis cohortem, & Sacerdotum, Phariſæorumve conuentum; omnes viderant miracula à Ieſu in cruce facta; Centurio autem cum ſuis poſt miracula viſa clamant Ieſum filium Dei; Sacerdotes autem & Phariſæi etiam poſt illa viſa Ieſum ſeductorem clamant. Et quando cæci idololatræ, nimirum Centurio, & eius milites non poſſunt non fateri Ieſu diuinitatem tot miraculis monſtratam; cur Sacerdotes, & Phariſæi in lege Dei nutriti adhuc Ieſum aſpernantur, illumque vt ſeductorem infamant? Erat Centurio idololatra, vt Romanus fateor; ſed Sacerdotes, & Phariſæi erant inuidi, quo morbo difficillimè poterant curari. (Idem.) Adhæc dicebat D. Chryſoſt. homil. 89. in Matth. *Ieſus vires ſuas in elementis oſtendens, Iudæos ex elementis ſaluare volebat; ſed non fuerunt illis remiſſiores. Talis quippe proteruitas inuidia eſt, vt non facilè terminetur.* Non terminatur facilè inuidiæ morbus, imò, vt ait D. Baſil. (Baſil.) Sel. orat. 15. *Redintegratur inuidia, & in ægritudinem tranſit ægritudo.* Cùm creditur extincta inuidia nouas vires accipit, quibus redintegratur.

§. XVIII.

Inuidi nolunt agnoſcere, & ſcire, ea ipſa, quæ agnoſcunt, & ſciunt.

Requiſitus Cain de Abele, ſe eum neſcire fatetur, ait enim: *Neſcio. Nunquid fratris mei cuſtos ego ſum?* Et in hac negatione inuidus oſtendebatur, qui neſcire volebat, quod ſibi erat notiſſimum. Habent enim hanc proprietatem inuidi, quòd ipſa neſcire velint, & neſcire profiteantur, quæ ipſis cernunt oculis, & ſibi ſunt notiſſima. De Iudæis dicebat Paul. 1. ad Corinth. 2. (1. Cor. 2.) *Nam ſi cognouiſſent, non vtique Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Sed & de ipſis affirmat Dominus Matth. 21. (Matth. 21.) quòd videntes Dei filium in terris dixerunt: *Hic eſt hæres, venite occidamus eum.* Cognouerunt ergo hæredem, & cognitum voluerunt occidere. Quomodo ergo à Paulo dicuntur, quòd non cognouerunt eum? Loquitur Paulus ad inuidorum inſcitiam, cuius eſt nolle cognoſcere ea ipſa, quæ præ oculis habet potentiſſima. De quo ait Leo imperator in Orat. de Cruce habita tom. 2. Gretſeri. (Leo Imper.) *Heredem eſſe faſſi inuidia, & furore ebrij gloriã eius non intellexerunt. Non cognouerunt, quia cognoſcere noluerunt, tota cogitatione ad inuidiam conuerſa. Cognouerunt certè, non vt tanquam Dominum gloriæ honorarent, ſed vt ignominioſa morte perimerent. Ea enim inuidiæ natura eſt. Non recipit, quæ confitetur: neque id quod videtur, videre vult, neque aſſentiri iis, quæ negari nequeunt. Hoc occupati, populus ingratus, hæredem gloriæ Dominum, quem nouerant, quaſi non cognitum in ligno extendunt.* Expende illa, quæ naturam exprimunt inuidiæ, nimirum: *Non recipit, quæ confitetur, nec videre vult, nec aſſentiri iis, quæ negari nequeunt*; ſic rapitur veneno ſuo, vt ea ipſa, quæ apertiſſimè videt, videre nequeat. Dicebant illi Ioan. 11. (Ioan. 11.) *Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Sic aſſerunt Romanos à Ieſu irritandos eſſe; quando multis viderant Ieſum non eſſe Romanorum aduerſarium, vt qui conſuluerat danda tributa Cæſari, vt qui regnum oblatum fugerat, vt qui paci ſtudebat. Hæc notiſſima erant omnibus, hæc ipſiſſimi videbant, qui modò illum infamant, quòd Romanis aduerſaretur. Et quando ipſis oculis vident Ieſum non aduerſari Romanis, cur non dubitant aſſerere, quòd Romanis aduerſarius eſſet? Ea eſt inuidiæ natura, ne aſſentiri velit iis, quæ videt, & negare nequit. Ait D. Chryſoſtom. homil. 64. in (Chryſoſt.) Ioan. *Nunquid ſeditionem docebat Chriſtus? Nunquid diſſuadebat tributum dari Cæſari? Nonne facere eum Regem voluiſtis, & renuit? Quonam ergo gratia, venient Romani? Hæc ergo ſine ratione vlla dicebant, ſed inuidia cæcatùm.* Hæc eſt natura inuidiæ, quòd ea, quæ videt, neget.

§. XIX.

Dominatus, & gubernatio Dei in aperto, & manifeſto modo procedendi cum ſubditis, ſiue ad damnationem, ſiue abſolutionem.

Ecce tibi quàm clarè, quàm manifeſte conuenit Deus Cainum, antequam eum damnet, & de notiſſimo ſibi crimine adhuc interroget eum. Ait text. *Dixitque ad eum: Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Effuſi ſanguinis vox clamabat, & facinus erat Deo notiſſimum, & adhuc moratur Deus, & conuenit Cainũ, & ſciſcitatur eum de facinore. Cur hoc? Ait Caietanus: (Caiet.)

Inquirit

Chryſoſt. *Inquirit etiam ad docendum iudices hominum, vt citent reum quantumcumque certum, antequam iudicent.* Et Diuus Chryſoſtomus homil. 19. ibi: *Debebat Cain cogitare, quòd Deus non ignarus eū rogaret, ſed ab ipſo confeſſionem criminis exigeret; & nos doceret, nunquam cauſa non examinata ſententiam contra fratres debere ferri.* Quaſi bonus pater non agnoſceret cauſæ examinationem debitam eſſe, vſque dum reus aperte conueniatur, & ei in manifeſto proponitur facinus, vt confeſſionem faciat. Hic enim eſt diuiniſſimus modus gubernandi, & procedendi circa ſubditos moderandos.

Geneſ. 1. Dicebat Deus Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & præſit piſcibus maris, & volucribus cæli, & beſtijs*, &c. Ex quibus credibile fiebat, quòd ſimilis Deo homo diceretur in dominatu, & imperio circa piſces, & volucres, & terræ animantia. Quod non pauci, nec ignobiles Doctores aſſeruerunt: ſed è contra D. Anaſtaſ. Sinaita dicit ſimilitudinem, & imaginem Dei in homine non poſſe conſiſtere in dominatu piſcium, & volucrum. Et cur in hoc dominatu non conſiſtat? Quia homo multis artibus vtitur, multis dolis, multa tendit retia, eaque ſubtiliſſima, & occultiſſima vt capiat volucres, & piſces, vt percutiat feras in abſcondito, ita vt prius mortem incurrant, quàm ſentiant manum hominis: quæ omnia longè diſtant à Dei gubernatione.

Anaſt. Sin. Ait Anaſtaſ. Sinaita lib. 7. in Exaem. *Miror eos, qui dixerunt corporalem piſcium, & volucrum; & beſtiarum omnium authoritatem, & dominatum, eſſe illud ad imaginem, & ſimilitudinem Dei in homine. Neque enim inuenimus, quòd ipſe Adam dominatus ſit piſcibus, ſed neque vllus alius iuſtus, qui fuerit à ſæculo. Dominatum dico, non eum, qui conſiſtit per artificioſam aliquam excogitationem, inſtrumentaque & ſtudia venatoria. Illa enim eſt non dominatus, ſed calliditas, & dolus. Non enim qui dominatur alicui, (& maximè iuſſu Dei,) dominatur cum ſubtili mentis excogitatione, ſed apertè dominatur, cum poteſtate, & authoritate.* Expende illa: *Non enim qui dominatur alicui (& maximè iuſſu Dei) dominatur cum ſubtili mentis excogitatione, ſed apertè.* Quippe tota illa ſubtilitas venatorum, & piſcatorum in retibus parandis, abſcondendis, in ſecretis obſeruandis ne audiantur, ne noſcantur, ne ſciantur, maximè diſtat ab iis, qui dominatum exercent iuſſu Dei. Hi enim omnia debent facere apertè cum poteſtate, & authoritate, vt manifeſtè conueniat reum, crimen obiiciat, confeſſionem audiat, & diſcuſſione facta ſiue abſoluat, ſiue plectat.

§. XX.

Chriſtus Dominus in ſuis patitur.

DIcit noſter: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, ex Hebræo autem legit Lyra: *Vox ſanguinum fratris tui.* Et cur non vox ſanguinis in ſingulari, ſed vox *ſanguinum* in plurali? Rabbinis dicitur vox ſanguinum, teſte Lyra; quia in percuſſione illa, non ſolus Abel, ſed tota eius poſteritas credebatur occubuiſſe. Sed meliùs dixerit, qui ideo vocem ſanguinum dictam putet, quòd ibi non ſolus Abel, ſed ſimul cum illo Chriſtus Dominus videretur occiſus. Quando enim Chriſtus meus non patitur in ſuis?

Apocal. 13. De Reprobis locutus Apocal. 13. ait: *Quorum nomina ſcripta non ſunt in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.* Ecce tibi agnus diuiniſſimus Chriſtus Dominus occiſus eſt ab origine mundi; ſed quando agnus non niſi in nouiſſima ætate in mundum venit, quomodo potuit occidi in mundi origine?

Aymo. Ait Aymo lib. 4. in Apocal. *Occiſus eſt autem iſte agnus ab origine mundi, non in ſe, ſed in ſua membra, ſicut in Abel, & multis alijs, quia ſicuti in ſuis paſcitur, ita in ſuis occiditur.* Sic in prima illa occiſione non ſolus Abel, ſed & cum illo ſimul occidebatur agnus diuiniſſimus Chriſtus Dominus, qui vt in ſuis paſcitur, ſic etiam patitur in ſuis.

Marc. 6. Audiens Herodes Chriſti Domini miracula, dicebat de illo c. 6. *Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis ſurrexit.*

Chryſol. Circa quæ verba ait D. Chryſol. ſerm. 163. *Verum dicit: nam ſicut in Chriſto ſui reſurgunt, ita in ſuis ipſe patitur Chriſtus.* Quid plura in re adeò certiſſima.

§. XXI.

Sanitra, & magis conformia diuinis ſolent eſſe plebeiorum iudicia, quàm iudicia potentium.

NOn deſpicit Deus clamorem, qui à terra venit in Cainum, quin ait: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Sufſeciſſet dicere, quòd vox ſanguinis clamaret aduersùs eum, cur neceſſum fuit addere, quòd clamaret de terra? De terra dixit venire clamorem, vt oſtenderet, quàm defæcatior, & cœleſtibus conformior veniret, vt qui non è potenti aliquo, ſed ab infimis exiret.

Quò reſpiciens D. Ambroſ. lib. 2. de Abel cap. 9. ait: Ambr. *Huiuſmodi peccator à terra maledictus eſt, quæ eſt infima, & poſtrema pars mundi. Non eſt ergo dubium, quòd eum & ſuperiora damnauerint quem inferiora damnauerunt.* Inde damnatio Caini omni ſuſpicione caruit, & indubitanter oſtendebatur ſancta, & conformis placitis diuinis, quòd illa non à potenti aliquo principe, ſed ab infimis, & humi ſerpentibus procedebat. Sincerior enim & ſanior ſolet eſſe ſententia plebeiorum, quàm potentium principum.

In re Ieſu ſanctiſſimi, & innocentiſſimi dicebant illi Ioan- Ioan. 7. nis 7. *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis: ſed turba hæc, quæ non nouit legem?* Equidem magis periclitata ſunt iudicia principum, & potentium, quam iudicia plebeiorum. Hæc enim ex ſe clamabant, & dicebant, *Nunquam ſic locutus eſt homo*, & ſequebantur Ieſum. Pars autem principum, & potentium, nunquam non ſiniſtrè cogitauit de Ieſu, vſque dum illum cruci affigeret. Ex quo adeò manſit repoſtum in mente ſapientum, quàm ſint ſuſpecta potentium iudicia, vt inde traducat iudicium Ioannis Hieroſolymitani Paulus Oroſius in Apo- Oroſius. logia dicens: *Poſt plurimam magni temporis oblationem, ipſe Ioannes per ſe accuſationem intulit, ipſe teſtimonium perhibuit, ipſe iudicium promulgauit, omnium ſcelerum officia in ſua perſona authoritate ſuſcipiens; præſertim euangelica lectione inſtructus Dominum noſtrum Ieſum niſi teſtimonia principis non fuiſſe damnatum.* Equidem principum teſtimonia vt magis expoſita ambitioni, ſuperbiæ inuidiæ, ſic viciniora erroribus ſolent inueniri.

§. XXII.

Vnus ſanguis Chriſti Domini nuſquam non veniam, & miſericordiam clamat.

EFfuſus ſanguis Abel vindictam clamat, dicente textu: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Nec aliud ſcit clamare hominum effuſus ſanguis, quàm vindictam, ſiue in terra ſit, ſiue in ipſo cœleſti ſacrario. Apocal. 6. Apoc. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, &c. & clamabant voce magna, dicentes: Vſquequò Domine, non iudicas, non vindicas ſanguinem noſtrum.* Ecce tibi vel de terra, vel de altari effuſus Sanctorum ſanguis vindictam poſtulat, & extorquet à Deo. Vnus Chriſti ſanguis eſt, qui quocumque effuſus appareat, veniam & miſericordiam clamat. Matth. 21. peſſimi illi agricolæ videntes filium domini ſui, bonorum omnium hæredem, *eiecerunt eum extra vineam, & occiderunt*; non intra ipſam vineam, hoc eſt, non intra ipſam ciuitatem, ſed extra illam occiderunt Ieſum. Et cur non intra ipſam ciuitatem Ieſum occidunt? Crediderim ideò prouiſum fuiſſe à Deo, ne Ieſus meus intra illam tunc nequiſſimam ciuitatem occideretur, ne ſi ſanguis eius eò deflueret, veniam clamaret, & obtineret. Ait Imperfect. homil. 40. in Matth. Imperfect. *Eiecerunt eum, extra vineam, id eſt, extra ciuitatem Hieruſalem. Et Iudæi ſuo conſilio eiecerunt eum, & Deus ſuo conſilio eijci eum ordinauit. Iſti cogitabant, vt crimen mortis eius extra ciuitatem expellerent; Deus cogitabat, ne virtus reſurrectionis eius ciuitatem ſcelerum ſaluaret.* Equidem cùm prouidit Deus, ne Ieſus interficeretur in ciuitate, eò ſpectauit, ne eius ſanguis ibi effunderetur, & eius virtus ſaluaret tam nequam ciuitatem. Vbicumque enim ſanguis ille diuiniſſimus appareret, ſimul & appareret, reſurrectionis virtus, & ſcelerum abolitio. Neſcit enim tantus ſanguis non omnia abluere, & dirigere in ſalutē. In arietū immolatione cauet

Exod. 19. lex Exod. 19. *Fundéſque ſanguinem ſuper altare per circultum.* Et quis non paueat, cùm audit victimæ ſanguinem fundi ſuper altare? Nonne interfectorum propter Verbum Dei ſanguis de altari vindictam clamat? Hic eſt ſanguis interfectorum hominum, qui vel de altario poſtulat vindictam, ſanguis autem Chriſti, qui in illius victimæ ſanguine adumbratur, nuſquam neſcit non veniam clamare. Vt dicat D. Ambroſ. epiſt. ad Simplician. *Quòd verò ad altare effundit ſanguinem, intelligere licet ablutionem mundi, remiſſionem omnium peccatorum. Etenim ſanguinem illum ad altare quaſi hoſtiam effundit ad multorum exhaurienda peccata.* In Chriſti ſanguinis effuſione, & venia, & remiſſio intelligitur omnium peccatorum. Neſcit enim diuiniſſimus ſanguis quacumque effundatur, non abluere omnia, & ad ſalutem præparare.

Ambr.

CAPVT. IV. & vlt.

Caini ſupplicium, & mors.

TEXTVS HISTORIA.

NON diſtulit Dominus pœnam parricidæ, cuius animum vt terrenis additum vedit, ſic illum terræ ſterilitate mulctauit. Ne labori eius improbo prouentus reſponderet, quo de loco ad locum migrare cogeretur, nec vſpiam valeret eſſe quietus. Inſuper additus eſt impio quidam membrorum omnium tremor, vt ipſe ſub hac pœna continuò gemeret, & inde notus eſſet, ne ſine ingenti maioris damni periculo ab aliis occideretur. Itaque Cainus indito tremore pauidus ſedem locat versùs Orientem è regione Paradiſi; nec multum pòſt ciuitatem format, qua magis contra imminentia mala muniretur, eamque nomine filij ſui Enoch appellat. Sed vanè munitionem præſumit, qui ſibi infenſum habet Deum: cùm enim Cainus valde ſenex ab vrbe Enochia egreſſus ſyluis ſe dederet, feras captandi cauſa, dicitur ibi à venatoris iaculo inuentus, & interfectus. Venator erat Lamech, qui videns arborum ramos moueri, ſuſpicatus motum illum cauſari ab aliqua latente fera, iaculum temerè contorſit, & miſerum Cainum interfecit.

MORALIA IN TEXTVS literam.

NON ſemper Deus diſtulit peccatorum pœnam in futurum ſæculum; ſed & in præſenti mulctat impios, vt terrenorum animi habeant, quid timeant, qui de æternis nullum habent ſenſum.

Geneſ. 4. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram: quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos: vagus, & profugus eris ſuper terram.

§. I.

Inuidus indignior venia.

NVllum expectatur à Caino verbum, ſiue excuſationis, ſiue confeſſionis facinoris, ſed ſtatim vt illi obiicitur clamor effuſi ſanguinis, & ſimul illi pœna decernitur. Ait enim text. *Nunc igitur maledictus eris*, &c. In caſtigando Adamo, priùs audiuntur excuſationes eius, vt ſe à fœmina, & fœmina à ſerpente perſuaſam prædicat. In puniendo autem Caino, cur non expectatur aliquis excuſationis prætexus; ſed ſtatim homo impius plectitur? Peccauerat Cain inuidia, quæ prorſus inexcuſabilis eſt, & ideo indignior venia. Dicebat D. Chryſoſtomus Chryſoſt. hom. 36. in Ioan. *Idcirco omnis venia inuida deſperanda eſt. Nam fortaſſe voluptatis ſtimulus in excuſationem afferre, fur paupertatem, homicida furorem, friuolas quidem, neque admittendas, qualeſcumque tamen, excuſationes: tu verò inuide, quam affers, quæſo? Nullam profectò, niſi animi prauitatem, atque malitiam.* Sic ſanctiſſimus pater putat inuidiam inexcuſabilem, & ab omni venia longiſſimè diſtantem. Nullus enim affectus ſic hominem in malum firmat, vt inuidia. Dicebat Dominus Exod. 10. *Ego indurabo cor Pharaonis, & ſeruorum illius, vt faciam ſigna mea hæc in eo*, &c. Exod. 10. Vt Pharao irremediabiliter, & inexcuſabiliter poſt peccatum periret, cum ingenti exercitu ſuo, permiſſa eſt à Deo illa durities, quæ confirmabat perditionem illam. Et per quid tanta illa durities conflari potuit? Per affectum inuidiæ; vt enim vidit Pharao Iſraelitas creſcere, cœpit eorum augmentis inuidere, quo affectu ſic obdurruit, vt in malis confirmaretur. Ait Rupert. lib. 5. in Exod. cap. Rupert. 21. *Pharao oderat filios Iſrael, & ipſum odium ſuccreuerat ex inuidia dicentium: Ecce populus Iſrael multus & fortior nobis eſt. Eſt autem inuidiæ proprium, vt quanta eis, quibus inuidetur, maiora accreſcunt beneficia, tanta magis ipſa inuidia confirmetur. Igitur dum dicit Deus: Ego indurabo cor Pharaonis, ſubaudiendum eſt, non ipſum corrumpendo, ſed filios Iſrael viſitando. Hoc enim ego facio intentione charitatis, ſed ille inuidenti proficiet in duritiem cordis.* Equidem ille maximè obduratur, & confirmatur homo in perditionem, quo ad inuidiam irritatur. Vbi enim hic affectus foueri cœperit, ſic rigeſcit animus, & obfirmatur in malum, vt penè ſit immedicabilis.

§. II.

A ſanguine Chriſti accepto benedictionibus implemur.

IVſtus, & ſanctus erat Abel, ſed eius ſanguine terra imbuta, quidniſi maledictiones pariat? Dicit enim text. *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui.* Quæ terra aperuit os, & ſuſcepit ſanguinem Abelis, ipſa maledictiones oſtendit in Cainum ſterilitate ſua. O quàm longè fœlicior eſt humana terra, quæ de ſanguine fratris noſtri Ieſu accepto benedictiones in nobis facit ſcaturire. Quippe ait Paſchaſ. Paſchaſ. lib. de corpor. & ſang. Domini cap 21. *Magnum igitur bonum, & ſumma benedictionis arcanum in hoc myſtico Chriſti Eccleſiæ preparatur, vbi & Chriſtus eſt conuiua deliciarum, & conuiuium.* Ecce tibi in hoc diuiniſſimi conuiuij ſacramento, in hoc dominici cruoris poculo ſummæ benedictionis arcanum præparatur animabus. Quiſquis aperiens os ſuum, dignè Ieſu ſuſcipit ſanguinem ſummæ benedictionis arcanum poteſt ſperare. Poſtquam de hoſtibus triumphauit Abraham Geneſ. 14 dicit text. *At verò Melchiſedech Rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelſo*, &c. Geneſ. 14. Cum pane, & vino oblato ſimul & benedictiones Abrahamo propinantur. Et cur ſimul cum hoc pane, & vino benedictiones veniunt? Vt ibi Euchariſticum poculum ſanguinis Ieſu prægustabatur, ſic neceſſum fuit, vt inde benedictiones cœperint deriuari, adeò vt Abrahami filij, & nepotes in benedictionibus naſcantur, alantur. Ait Paſchaſ. ſuprà: *Hoc conuiuio licèt in ſpe refectus Abraham fuerat, ideo benedictus Deo excelſo dictus eſt: qua denique benedictione, poſt eum Deus Iſaacum perfuderat. Propterea & ipſe filium ſuum Iacob eiſdem ditabat donis, & prophetali eloquio implorabat, quod omnibus erat repromiſſum.* Paſchaſ. Expende ab illis. *Ideo benedictus*, &c. nimirum ex eo, quòd ſaltim in ſpe, hoc pane, & vino, hoc eſt, corporis, & ſanguinis Chriſti epulo reficiebatur, & ſibi, & filiis, & nepotibus ingentes benedictiones parabat.

§. III.

§. III.

Durius caſtigantur, qui poſt nota aliorum ſupplicia adhuc peccant.

MAledictio à Deo in ipſum Cain iaculatur, dum ait: *Maledictus eris ſuper terram*; non ſic in Adamum; ſed (Geneſ. 3.) ibi dicitur Geneſ. 3. *Maledicta terra in opere tuo.* Non Adamus, ſed terra maledicitur. Et quando non Adamus, ſed terra maledicitur, cur Cainus in ſe ipſo maledictionem capit? An peccato Adami Caini parricidium fuit grauius? Eſto, quòd Caini parricidium grauius non fuerit; at in eo debebat puniri grauiùs, vt qui viderat iam pœnam Adamo propter peccatum illatam. Adamus in nullo hominum viderat pœnam peccati; Cainus in ipſis ſuis parentibus nouerat exercitum peccati ſupplicium, & nihilominus non abſtinuit à peccato, ideo meruit puniri grauiùs. (Raban.) Ait Rabanus in Gloſſa: *Notandum, quòd in peccata Adæ terra maledicitur, Cain verò maledicitur, quia ſciens maledictionem primæ præuaricationis fratricidium addidit.* Meritò aggrauatur pœna in eum, qui poſt viſam in aliis peccati mulctam, adhuc peccauit. Hæc tamen ſupplicia illata Adamo, & Caino etſi magna, non tamen ſumma fuere; illud ſummum & magnum, quod Deus intulit (Geneſ. 7.) toti generi humano per diluuium. De quo ait Geneſ. 7. *Vniuerſi homines, & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt.* Quid grauius, quàm vniuerſos homines morte mulctari? Et quando nec in vita Adami, nec in vita Caini animaduerſum eſt, cur modò ſic perduntur omnes vitæ mortalium? Vt omnes hi viderant Cainum trementem propter peccatum, nec tamen inde cauerant (Baſil.) peccare, meritò atrociùs fuerunt caſtigati. Ait D. Baſil. Sel. orat. 5. *Tunc erat terra corrupiela, viuaxque peſtis: vnum ad expiationem diluuium deerat. Omnes profectò imitatores, & impietatis hæredes habebat Cainus, neque tremor illius corpori circumpoſitus videntes reprimebat.* Quando tantum ſupplicium ſcelerum in Caini tremore videbant, nec inde reprimebantur, ſed ad flagitia ruebant, meritò ad extre-(Geneſ. 4.)mam ruinam peruenerunt. Geneſ. 4. ait *Septuplum vltio dabitur de Cain; de Lamech verò ſeptuagies ſepties.* Et cur de (Ambroſ.) Lamech maius ſupplicium ſumitur? D. Ambroſ. lib. 2. de Abel cap. 10. *Quia homicidio noluit Deus homicidam vindicari, qui mauult in peccatore correctionem, quàm mortem in Lamech, ſeptuagies ſepties vindicatur, quia grauior eius pœna eſt, qui nec poſt damnationem ſe correxit. Cain impetu quodam improuido ante peccauerat, Lamech vtique quod in altero reprehenſum aduerterat, cauere debuerat.* Sic ibi.

§. IV.

Supplicium, quod in tremore, & metu conſiſtit, non tam damnationem, quam medelam ſolet parere.

EXpende genus ſupplicij Caino illati; nimirum ait: *Vagus, & profugus eris ſuper terram.* Septuag. legunt, *Gemens, & tremens eris ſuper terram*; vt oſtendatur illa pœna data miſero, qua in timore, & tremore eſſet. Proh Dei caſtigatoris etiam clementiam! Metum, & tremorem infert peccanti, quod ſupplicium metus, & tremoris, non (Pſalm. 75.) rarò ſolet conducere ad medelam. Pſalm. 75. *De cœlo auditum feciſti iudicium, terra tremuit, & quieuit.* Ecce tibi factum à Deo eſt, quòd terra tremeret, quòd in metu, & tremore eſſet, & ſtatim ipſa ſic ſanata eſt, vt ab omni flagitio quieſceret. Habet hoc tremoris pœna, quòd pec-(Guerric.)catores ad ſalutem redigat. Rem pulchrè tractat Guerricus Abb. ſerm. 3. de Aduent. *Cùm enim auditum fecit de cœlo iudicium, audito ſolo terra tremuit, & terrore purgata quieuit. Beati nunc etenus excoquunt in ſe omnem ſcoriam peccati, vt tunc ſolo ſufficiat timore purgari. Equidem comparatione mali, bonum vel per ignem ſaluari: ſed indubitanter longè melius, ſola purgatione metus conſummari.* Sic metus, & tremor à Deo peccatori illatus, ſolet hominem in medelam adducere, adeò vt hæc tremoris pœna etiam in electis in-(Iob. 41.)ueniatur. De Leuiathan locutus Iob cap. 41. dicit: *Cùm ſublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Angelos vocat eos, qui à Deo electi ſunt ſancti prædicatores, qui in fine mundi conſtituti, vbi viderint dæmonis, & peccati regnum conteri, & exterminari, & ipſi non paruo metu, & tremore quatientur. Sed quò eos ducet ille tremor? Ait: *Et territi purgabuntur*; terroris illa pœna electis illata illos purificabit, & puros ad ſalutem trahet. Vt dicat D. Gregor. 34. Moral. 7. (Gregor.) *Cùm Leuiathan iſte ſapientes prædicatores ſanctos, quos, adhuc in ſuis corporibus illud tempus inuenerit, ſpes de regni propinquitate lætificat, & carnis infirmitas de iræ oſtenſione perturbat. Erit ergo in eis, aliquomodo tremor lætus, & timor ſecurus; qui & cœleſti regno ſe remunerari certi ſunt, & per tanti turbinis metum, pro carnis infirmitate contremiſcunt. Et quia in ſanctis prædicatoribus, hoc pauore excoquitur ſi qua eis ineſſe potuit vitiorum rubigo, poſtquam dixit: Cùm ſublatus fuerit, timebunt Angeli; meritò addidit: Et territi purgabuntur.* Tremor equidem, & metus in iis, qui ſapiunt, maximè ad medelam conducit, & ſalutem.

Geneſ. 4. Dixitque Cain ad Dominum: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Ecce eiicis me à facie terræ, & à facie tua abſcondar; & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.

§. V.

Peccati defenſio lethalis.

SVnt ex Rabinis, qui Caini hæc verba exprimant cum particula interrogatiua, vt dicat: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear?* Quaſi impius illud Deo obiiciat, quòd tanti faciat parricidium ad pœnam, quod ipſe putabat rem fuiſſe & veniabilem, & parui nulliuſve momenti. Sic miſer peccatum ſuum minorans defendebat, quod illi erat lethaliſſimum. Dicebat Dominus popularibus ſuis Iſaiæ cap. 1. *Super quo percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem?* Cupiebat cœleſtis Medicus medicam aliquam, & ſalubrem venarum ſciſſionem facere in populo ſuo, qua ipſi reſpirarent ad ſalutem. Sed illi præuaricationem addentes nullum locum relinquebant ſciſſioni ſalubri. Et quæ erat hæc addita præuaricatio, quæ ſic obſtruebat aditum ſalubri percuſſioni? Et erat peccati defenſio; vbi enim non ſolùm peccabant, ſed & peccatum defendebant, quaſi res nihil eſſet, meritò ſalubri pharmaco aditum abſtruebant. Vt dicat Rupert. lib. 1. (Rupert.) in Iſaiam cap. 4. *Non peccaſtis per infirmitatem, non erraſtis per ignorantiam. Si ita eſſet, ſcirem, vnde vos percutere deberem; inuenirem, quo plaga vos caſtigare* (nimirum in ſalutem) *poſſim. Nunc autem in quo percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem? Addentes, inquam, peccato defenſionem peccati.* Sic peccati defenſio adeò lethalis eſt peccatori, vt totum locum adimat percuſſioni ſalubri. Quaſi neſcit cœleſtis Medicus medelam offerre ei, qui ſui peccati defenſione tumet. Vnde Eſaias cap. 1. deſignans etiam (Iſai. 1.) morbos populi penè incurabiles, aiebat: *Vulnus, & liuor, & plaga tumens. Non eſt circumligata, neque curata medicamine, neque fotu olei.* Et quæ eſt tumens plaga adeò lethalis, quæ nullum ex ſe medicamen admittat? Ait Ru-(Rupert.)pert. ſuprà: *Malum eſt vulnus, peius liuor, peſſimum plaga tumens. Malum eſt, inquam, peccata ſaltem ad horam vulnerari, peius malo vſu inueſcere, peſſimum cum tumore ſuperbiæ culpam defendere. Talis veſtra inſania eſt. Non eſt circumligata, nec curata medicamine.*

Qui hunc habet tumorem, vt peccata defendat, lethaliſſimo, & penè incurabili morbo laborat.

§. VI.

§. VI.

Solus Ieſus facit, ne importabilia ſint peccata.

DIcebat Cainus: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Ex Hebræo legitur, *Maior eſt iniquitas mea, quàm leuari, & ſupportari.* Et quidem vt impius homo totus terrenis immerſus à ſe Ieſum venturum alienabat, ſic ſua peccata importabilia ſentiebat; vnus enim Ieſus facit, ne vnquam peccata importabilia eſſent. Aiebat Iſaias cap. 53. *In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus, ſeruus meus, multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.* Non peccatores, ſed iuſtus Ieſus faciet, ne ſint importabilia peccata. Vt meritò dicat Origen. ad cap. 11. Ioan. *Quòd quidam ſæpe Reipublicæ det, multæ & Græcorum & barbarorum hiſtoriæ ferunt, quæ huiuſmodi res intelligentium nec explicant, nec improbant. Verùm tamen qui poſſit pro vniuerſo hominum genere, vt vniuerſus orbis expietur, mortem perferre ob piaculum eius, qui pereat, niſi eius cauſa mortem ſuſcipiat, nec literarum monumentis proditus eſt vnquam, nec prodi poteſt, cùm ſolus Ieſus peccati omnium onus, in cruce pro omnibus excipere in ſe, & portare magna vi ſua potuerit. Etenim hic vnus ſciebat ferre infirmitatem*, &c. Equidem inter mundiales aliqui inuenti ſunt, qui Reipublicæ temporalia incommoda portarint, & pro illis tollendis mortem oppetierint. At qui peccata hominum portet, illaque tollat, vnus inuentus eſt Ieſus, cuius validiſſima virtus ſola potuit facere, vt peccatorum onera poſſint leuari, imò & penitus euaneſcere. Quò ſpectans dicebat Dominus Iſaiæ cap. 50. *Eleuare, eleuare: conſurge Ieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius: vſque ad fundum calicem ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad fæces. Non eſt, qui ſuſtentet eam ex omnibus filijs, quos genuit: non eſt, qui apprehendat manus eius ex omnibus filijs, quos enutriuit.* Et quando nullus inuentus eſt, qui eam ſuſtentet, qui ei manum porrigat, vt poſſit eleuari, & conſurgere: cur tam anxiè iubet, vt conſurgat, & leuetur? An ipſa ex ſe poterit peccati onus tollere, ſub quo iacet infirma? Minimè, ſed licèt ipſa iacens ſub peccati onere non poſſit illud per ſe ſolam tollere; nec vllus inueniatur ex filijs eius, ex puris hominibus, qui ad hoc valeat, vt peccatum leuet, & ſuſtollat, inde colligitur aduenturus Ieſus, qui ſolus tollit peccata mundi, & facit peccatores reſurgere in vitam. Ait Rupert. lib. 2. in Iſaiam cap. 15. *O Hieruſalem, ſalus conſolationem ego nuntio, eleuare, eleuare, conſurge, ſubauditur de caſu, quo in Adam corruiſti, quæ in tranſgreſſione tua bibiſti de manu Domini calicem iræ eius. Vſque ad fundum calicem ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad fæces. Nihil reliquum fuit amariſſimæ potionis. Iratus mors animæ, quæ à Deo te ſeparauit, fors mors carnis, quæ animam à corpore diuidit. Non eſt, qui ſuſcitet eam ex omnibus filijs, quos genuit, & non eſt, qui apprehendat manum eius, ex omnibus filijs, quos enutriuit. Vt ſciamus, quàm neceſſarius fuerit Chriſti filij Dei aduentus.* Nullus equidem inueniri potuit inter puros homines, imò nec inter Angelos, tantæ virtutis, qui ſuſtinere poſſet animam peccatis deiectam, & infirmam, nec illi manum poſſet porrigere, vt faceret illam reſurgere. Solius Ieſu filij Dei infinita virtus id præſtitit, vt peccata tollerentur, & peccatores in vitam reſurgerent.

Iſai. 53.

Origen.

Iſai. 50.

Rupert.

§. VII.

Vbi confeſſio deeſt, peccata ſunt irremediabilia.

VErum dicit Cain, dum ait: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear*; non quòd ſit aliqua peccatorum immanitas tanta, quæ non poſſit à Deo miſericorde remitti, ſed quòd Cain, quæ fecit peccata, etiam requiſitus negauit, & noluit confiteri illa. Vbi autem deeſt confeſſio peccati, non poteſt eſſe illorum remiſſio. Cauebat lex Leuit. 6. *Anima, quæ peccauerit*, &c. *& quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus ſolent peccare homines*, &c. *Pro peccato autem ſuo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti*, &c. Nullum peccatum excipit hæc lex, ſed quodcumque illud commiſſum fuerit per arietem datum Sacerdoti aſſerit expiandum. Sed multæ aliæ leges inueniuntur in eodem Leuitico, quæ multa peccata ſine vlla expiatione fore proponunt, quæ morte, ferro & igne caſtiganda aſſerunt. Ergo lex hæc, quæ iubet quodlibet peccatum expiari per arietem exhibitum Sacerdoti, cõtraria eſt legibus decernẽtibus peccatũ aliquod ſine remiſſione plectendum capite? Negat Rupert. & vt has leges componat, dicit leges, quæ iubent peccata ſine remiſſione, puniri, agere de peccatis, quæ nulla ſunt reuelata peccatoris confeſſione; hæc enim peccata remitti non poſſunt, ſed currunt ad mortem. Peccata autem, quæ peccator agnouit, & confeſſus eſt, & ſe primus de illis accuſabit, hæc expiabilia ſunt per Sacerdotem. Rem exprimit exemplo Rupert. lib. 1. in Leuit. cap. 25. inquiens: *Pone aliquem admiſiſſe adulterium à nullo deprehenſum, nullis teſtibus coarguendum, ipſum ſui fieri accuſatorem, hic ex lege præſenti, quam miſericordia condidit, admittitur, & per ſacrificium mediante Sacerdote remiſſionem lucratur. Cæterùm, ſi patrato ſcelere deprehenditur, per alium fuerit cognitus, occiditur, lapidatur,* Quippe qui peccatum admiſſum celet, nec ipſe confitetur illud, nec primus ſe accuſat coram Sacerdote, is ab alio cognitus, ſine vlla venia percutitur. Vbi autem ipſe primus ad accuſationem, & confeſſionem ſui peccati accurrit, Sacerdote mediante veniam lucratur.

Leuit. 6.

Rupert.

§. VIII.

In Chriſti vulneribus peccatoribus contritis, & pænitentibus ſecuritas.

HOc erat dolori Caino, quod ait: *Ecce ejicis me à facie terræ.* Verum eſt enim, quod coruus, quòd peccator impœnitens eiicitur à præſidio terræ illius diuiniſſimæ, nempe humanitatis Chriſti. Ad huius enim aſylum, non coruus impœnitens, ſed gemens, & pœnitens columba admittitur. Ait Cant. 2. *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Ille a facie terræ excluditur, hæc vocatur in viſcera terræ viuificæ, in qua illi mille parantur refugia. Vt meritò ad hæc dicat Guerricus Abbas ſerm. 4. in Ramis palmar. *Ecce hodie in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ vox columbæ reſonat. Benedictus, qui vt nidificare poſſem in foraminibus petræ, manus, pedes, & latus perforari ſibi tulit, & ſe mihi totum aperuit, vt ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abſcondito tabernaculi ſui. Opportunum quidem petra refugium erinaceis, ſed habitatio grata columbis: cuius foramina tot vulneribus toto ferè corpore patentia, & veniam offerunt reis, & gratiam conferunt iuſtis. Imò verò tuta habitatio, turriſque fortitudinis, Chriſti Domini vulneribus immorari.* O peccator, ne coruus ſis procraſtinans pœnitentiam, ſed gemens columba, gemens, inquam, pro peccatis tuis, & minimè eiicieris à terra, quia in illa terra virginea humanitatis Chriſti habes foramina, quibus ſecuriſſimè nidifices. Quot vulnera in Ieſu, tot tibi ſunt præſidia, tot fortalitia, quæ te protegant, & ſecurum teneant à iaculis inimici, ab ipſa Dei ira. Huc vocabat Iſaias cap. 2. *Ingredere in petram, abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini.* Circa quæ ait Guerricus vbi ſuprà: *Ingredere igitur in petra, ô homo, abſcondere in foſſa humo, pone tibi latibulũ in crucifixo. Ipſe petra, ipſe humus, quia Deus, & homo: ipſe petra forata, humus foſſa, quia foderunt manus meas, inquit, & pedes meos. Abſcondere, inquit, in foſſa humo à facie timoris Domini; hoc eſt ab ipſo fuge ad ipſum, à iudice ad Redemptorem, à tribunali ad crucem. Quin imò non ad ipſum tantùm, ſed in ipſum fuge, in foramina petræ ingredere, in foſſa humo abſcondere, in ipſis manibus forata, in foſſo latere te ipſum reconde.* Quid pulchrius? Proculdubio ab hac diuiniſſima terra eiiciuntur impij impœnitentes, ſed in illa admittuntur gementes columbæ, quæ ſua peccata lugent.

Cant. 2.

Guerric.

Iſai. 2.

Guerric.

§. IX.

§. IX.

Qui Ieſu firmiter adhæret, iacula inimicorum non timeat.

EX quo à Deo exulare ſe nouit Cainus, non inſipienter timet vitæ ſuæ, ait enim: *Ero vagus, & profugus in terra, omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Expende illud: *Ero vagus, & profugus*; qui vagus eſt, & profugus à Deo, in quo nullam habet firmitudinem, meritò timet ſibi ab hoſtibus; quorum iacula ille ſolus ridet, qui Deo firmiter adhæret. Quò ſpectans Dauid Pſalm. 10. aiebat: *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem ſicut paſſer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Erant Dauidi hoſtes plurimi, & ſagittas habebant paratas contra illum; ille autem in Domino confidebat, Deo firmiter hærebat, omnem transmigrationem à Deo, & vagationem cauens. Quid tunc? Dum non transmigrat, dum non vagat, nec à Deo profugit, ſed Deo firmiter hæret, ſecurus eſt ab hoſtibus ſagittantibus. Adhæc Diuus Hieronymus lib. 3. in epiſtol. ad Epheſ. cap. 6. dicebat: *Cùm ergo*, inquit, *confidam in Domino, quo mihi dotis ratione conſilium, vt non ſtem aduersùs inimicorum impetum, & iacula, quæ contra me in pharetris præpararant, volentes non ſolùm me, ſed etiam omnes rectos corde percutere? Ecce enim ſto ſuper petram, & non transmigro in montes tenebricoſos, & omnia tela hoſtium repulſa, in ipſos, qui dirigunt conuertuntur.* Expende illa verba, *ſto ſuper petram, & non transmigro*: hæc enim eſt tota ratio ſecuritatis, & immunitatis ab hoſtibus ſagittantibus, nimirum, quia non transmigrabat, nec vagabat, nec profugiebat à Deo, ſed in Deo, quaſi in petra firmiſſimè ſtabat. Profecturi ad deſertum Iſraelitæ iubentur calceatos habere pedes, ait enim Exod. 12. *Calceamenta habebitis in pedibus veſtris.* Verùm vbi Ieſus Naue terram promiſſionis intrauit, ſtatim iubetur pedes habere nudos; ait enim Ioſue cap. 5. *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Et cur illi cum calceis, iſte autem iubetur eſſe ſine calceis? In illis oſtendebantur, qui in deſerto huius mundi errant, à Deo peregrinantes, hi autem pedes calceis operiant, vt qui ſerpentum morſus poſſint timere. In hoc præmonſtrabantur, qui diuiniſſimæ terræ, nimirum Chriſti humanitati firmiter adhærent, qui nudos poſſunt habere pedes, vt qui, nil quod timeant, habent. Circa quæ ait D. Hieron. vbi ſuprà: *Qui ergo adhuc ambulat, calcietur. Qui verò iam Iordane transmiſſo terram repromiſſionis intrauit, nudet pedem. Si quis non eſt Ieſus Naue, nec Apoſtolus, calciet pedes ſuos. Si quis autem Apoſtolus eſt, &c. nequaquam tollat in via calceamentum ſuum; nec ad ſcorpiones, & colubros declinandos, calcaneum tegat, ſed iam conſummatus, atque perfectus ſtet in terra ſancta, & viuat in Chriſto, & ſequatur agnum quocumque vadit.* Ille timeat morſus ſerpentum, qui adhuc errat in deſerto, qui eſt ſine Chriſto, & quærat vnde poſſit liberari à morſibus illis. Verùm qui vt Apoſtolus, & Chriſti diſcipulus eſt, hoc habeat, vt adhæreat Chriſto, in eiuſque via firmiter ſtet, & nullos ſerpentum morſus timeat, etiamſi nudis pedibus ambulet inter illos.

Pſalm. 10. — Hieronym. — Exod. 12. — Ioſue 5. — Hieron.

§. X.

Gemitus contriti cordis ſaluti, & vita eſt.

VBi noſter ponit: *Ero vagus, & profugus in terra: Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Septuaginta poſuere: *Ero gemens, & tremens*, &c. & vtinam gemitus illi non ab impœnitenti corde, ſed ab animo contrito prodirent. Qui enim gemitus exeunt ab animo contrito, non mortis ſunt, ſed ſaluti, ſed vitæ. Dauid Pſalm. 6. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Quod in malum fuit datum Caino, nimirum; *Ero gemens*; id in bonum ſuum aſſumpſit Dauid, aiens: *Laboraui in gemitu.* Et quando gemitus pro morte Caino dantur, cur Dauid pro vita gemitus capit? Sunt gemitus inenarrabiles, quibus diuinus Spiritus pro nobis agit, qui gemitus vt ab animo contrito proficiſcuntur, ſic non à malo, ſed à bono ſpiritu commendationem habent. De iis ait Guerric. Abbas ſerm. 2. in Pentecoſt. *Et vos ipſi, fratres, ſi æmulari charismata meliora didiciſtis, optate gemitus huiuſmodi à Spiritu vobis infundi. Neſcio, ſi ſit in donis ſpiritus aliud conuenientius, aut commodius his, qui ſunt infirmitate, & miſeria circundati: neſcio, ſi Spiritui ſancto qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior ſit.* Cantatrices auiculæ ad ſui cantus imaginem cuulani, ſimilique modulamine capiuntur. Columba ad gemitus euolauit, vt diſcas, quo debeas tibi Spiritum diuinum acquirere, qui apparuit in ſpecie columbæ. Vnde meritò dicebat Eccleſiaſtes cap. 7. *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* Cur ad domum luctus? Ait Guerric. ſuprà: *Luctus ſiquidem pius, atque religioſus in doctrina Spiritus, & ordine primus, & vtilitate inuenitur præcipuus: quippe cùm ſit ſumma ſapientia Sanctorum, cuſtodia iuſtorum, ſobrietas modeſtorum: prima incipientium virtus, proficientium ſtimulus, perfectorum cumulus, pereuntium ſalus, periclitantium portus.* Ecce tibi quot bona in eo luctu ſunt, qui procedit de animo contrito. Qui, vt à diuino Spiritu primò infunditur, ſic nos deducit ad eumdem, in quo habeamus vitam.

Pſalm. 6. — Guerric. — Eccleſ. 7.

§. XI.

Summa malitia nec apud mundiales ſecura.

ILlud Cainus vel in re ſua didicerat, nempe in mundo non malos, ſed bonos, & iuſtos affligi, percuti, & occidi; cur ergo ſibi timet ab hominibus mundi, dicens: *Qui inuenerit me, occidet me?* Quis malus occiſus tibi apparuit? Nonne mali potiùs in mundo triumphant? Nonne malitia apud mundiales thronum habet? Cur ergo malus Cain timet ſibi ab hominibus mundi? Ea erat malitia blaſphemi, & parricidæ Caini, vt neque inter mundiales poſſet eſſe ſecura. In mundo enim quæ mediocria ſunt ſiue in bono, ſiue in malo, ſecuritatem habent; quæ autem ſunt ſumma, ea vſque ad mortem perſequitur mundus. Matth. cap. 27. poſt enarratam Ieſu crucifixionem ait: *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à ſiniſtris.* Et Ieſus innocentiſſimus crucifigitur, & latrones duo cum illo. Quòd Ieſus crucifigatur in mundo, non miror, nunquam enim mundus non eſt ſanctitati, & iuſtitiæ aduerſarius. At illud mirandum, quòd mundus latrones crucifigat, & cur magis latrones non triumphent in mundo? Erant illi in ſumma fœditate latrocinij, ideo occiduntur in mundo, qui vt ſummam ſanctitatem perſequitur, ſic & ſummam malitiam. Ait Origenes homil. 35. in Matth. *Mundus, & ſpiritus, qui in eo eſt, ſummos ſemper perſequitur viros, & punit; malitiæ quidem ſummos propter vtilitatem multorum: ſummos autem virtutis, quoniam non eſt dignus mundus eis, qui non conſiderant, quæ videntur, & contemnunt eum, ſicut olim Sancti, qui ambulant in melotis*, &c. Expende illa: *Malitiæ quidem ſummos*, &c. quippe ſunt, qui malitiam aliqua ſpecie honeſti, aut prætextu honoris, dignitatiſve temperant; & ſunt, qui illam in ſumma turpitudinis fœditate exercent, ij, vel à mundo puniuntur, crucifiguntur: illi in mundo proſperantur, & regnant.

Matth. 27. — Origen.

Geneſ. 4. Dixitque Dominus: Nequaquam ita fiet, ſed omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Poſuitque Dominus in Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum. Egreſſuſque Cain à facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam in Edem.

§. XII.

Peccator non breue ſpatium pœnitentiæ ſibi præſcribat.

MEtuebat Cain ſtatim interfici, ſed illi hunc metum eripit Dominus, dicens: *Nequaquam ita fiet, ſed omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur.* Hoc in Caino curauit miſericordia diuina, vt non impediretur temporis anguſtiis ad pœnitentiam agendam; ſed longiſſimam haberet vitam, quam vſque ad ſeptimam ætatem produceret, vt longum temporis ſpatium longæ pœnitentiæ daret occaſionem. Ait Diuus Hieronymus ad Damaſum, quæſt. 1.
Hieron. *Tradunt Cainum à clementiſſimo Deo, ideo vſque ad ſeptem generationes fuiſſe dilatum, vt ſaltem malæ ipſis, & longæuitate mærorii compulſus pœnitentiam ageret, vt mereretur abſolui.* Equidem miſericors Dominus longiſſimam fecit vitam Caino, vt ad pœnitentiam compulſus, non impediretur temporis anguſtiis, quo minus eam pœnitentiam ageret. quæ impetraret ſalutem. Nunquam enim non ſuſpectum debet eſſe peccatori, quod in temporis anguſtias differat pœnitentiæ ſtudium. Huc potiùs ſpectare debet, quiſquis non amat periclitari in ſalute, vt non breue, ſed longum tempus pœnitentiæ deſignet. Poſt hominum luxuriam
Geneſ. 6. explicatam Geneſ. 6. ait Dominus: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Eruntque dies illius centum viginti annorum.* Videt Deus homines carnalibus voluptatibus deditos, & eorum perditionem videns centum & viginti annos vitæ eis deſignat. Et cur Domine peccatoribus hominibus tam longum vitæ ſpatium præſcribis? Cur malè viuentibus non potiùs curtas vitam? Eò ſpectauit miſericordia diuina, vt peccatoribus hominibus non breue, ſed longum pœnitentiæ ſpatium relinqueret. Ait Diuus Baſilius Seleuc.
Baſil.Sel. orat. 5. *Erunt dies illius centum viginti annorum. Do,* inquit, *pœnitudinis tempus, vt videam morum conuerſionem, vnáque cum antegreſſa vitioſitate humanitatis meæ ſpatia produco. Quandiu malum obdurauit, tandiu pœnitudinis medicamen profero. Longa fuit ægrotatio, longa obeatur pœnitentia.* Hæc Deus ſaluti hominum ſtudens. Longum peccantibus, longum pœnitentiæ ſpatium proponit, vt videat peccator, quàm temerè peccatis longam tribuat vitam. & pœnitentiam dilatet in vltimas temporis anguſtias. Poterunt vel in momento ſufficientiſſimè pœnitere, non dubito, ſed metuo, ne anguſtiæ temporis omnia momenta abſumant, pœnitentiæque locum relinquant nullum.

§. XIII.

Signum crucis ad vitam & ſalutem.

VT ſecurum à morte redderet Cainum Dominus, poſuit in eo ſignum, dicente textu: *Poſuitque Dominus in Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis,* &c. Nouit ſemper Dominus ſigna dare; ſub quibus inimicæ poteſtates fugentur, & infirmi ſecuritatem inueniamus. Nonne tale ſignum habemus Chriſtiani in ſigno crucis?
Matth. 27. Matth. 27. poſt narratam Ieſu crucifixionem ait: *Erant autem mulieres ibi multæ à longe, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.* Sic Matthæus oſtendit ſanctas mulieres à longè eſſe in Caluariæ monte, ferociam carnificum, & militum, qui in Ieſu nece occupabantur, metuentes. At
Ioan. 19. Ioann. cap. 19. de eiſdem mulieribus locutus ait: *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene,* &c. Ecce tibi à Matthæo dicuntur ſanctæ illæ fœminæ à longè ſtetiſſe; à Ioanne autem dicuntur iuxta crucem eſſe. Quid ergo contrarius Matthæo Ioannes? Abſit, imò verum dicit vterque: ſi diſtinguas tempora. Dum opus crucifixionis feruebat, & crux adhuc iacebat, ſoliique carnifices, & milites videbantur, plenæ timoris fœminæ à longè erant, nec audebant ad tam nefarios hoſtes accedere. Vbi autem crux exaltata fuit, & ſignum illud eleuatum in medio terræ, ſub illo poſitæ fœminæ, ſecuritatem nactæ nullum hoſtem, nullum malum timebant. Ait Euthymius in Ioan. *Stabant verò iuxta crucem, tunc nactæ ſecuritatem, primum enim omnes diſcipulæ eminus conſpiciebant, veluti cæteri docuerunt Euangeliſtæ.* Euthym. Quæ antea militum audaciam timebant, & ideo à longè ſtabant, vbi ſignum crucis viderunt erectum, eò confugerunt, tunc nactæ ſecuritatem. Nihil enim ſub illo ſigno ab inimicis timebant. Fœlices, qui toto cordis affectu hoc ſignum crucis arripiunt, vix credi poteſt, quòd ſub illo vniuerſos hoſtes ſuos non perdant. Aiebat Pſalm. 5. *Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis* Pſalm. 5.
tuæ coronaſti nos. Scutum bonæ voluntatis tuæ vocat, quod nobis ſimul ſit corona. Et quod eſt ſcutum bonæ voluntatis? Audio ſcuta conflari ex ære, aut ferro: ex bona voluntate quale ſcutum conflectur? Crux Chriſti ex toto animo, & ex tota voluntate culta, & amara creditur ſcutum fieri, quòd ſic nos defendat ab hoſtibus, vt ſimul ſit corona, qua de illis deuictis triumphemus. Ait Theophylactus orat. in adorationem crucis apud Gretſerum tom. 2. vbi ſic: *Vocatur eadem crux ab his,* Theophyl.
qui nomen ſuum in Chriſti militiam dederunt, armatura bonæ voluntatis, qua Deus illis benignè fauere ſtatuit, data, & coronæ loco aduerſùs hoſtes, ſimul enim armat, & coronat. Quod militibus Chriſti datur ſignum crucis, ſcutum eſt, quod protegat, & defendat, ſimul & corona eſt, quæ iam hoſtes deuictos, & proſtratos oſtendat.

§. XIV.

Peccatori vnicum ſignum vitæ eſt pœnitentia.

DIcitur ſignum poſitum in Caino à Deo, ne interficeretur; quippe ait: *Poſuitque Dominus ſignum in Cain, vt non interficeret eum omnis,* &c. Et quale erat hoc ſignum, quod Cainum à morte defenderet? Planè peccatoribus hoc ſignum ſalutare inuenio, nimirum, ſi agant pœnitentiam. Procopius in Gloſſa: *Signum, quo* Procop.
ſignauit Cainum, eſt pœnitentia, quam ſi peccator apprehenderit, non facilè perimetur. Proh pœnitentiæ viuificum ſignum! Fallar ſi peccatori pro morte vitanda, pro vita obtinenda aliud ſignum ſit poſt baptiſmum certius!
Matth. 26. dicebat Dominus: *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Dum dicit, *dabit*, ad futurum Matth. 26.
iudicium ſpectat, quo tempore nullam aſſerit commutationem pro animæ vita æternanda inueniendam. Et cur iudicij tempore non inuenietur commutatio, qua animæ æternam vitam emercemur? Quia tunc non erit tempus pœnitentiæ, quæ niſi antecacta fuerit, peccatori nullum ſalutis ſignum erit. Ait Xiphilinus Patriar. Conſtantinopol. in orat. de adorat. crucis apud Gretſer.
tom. 2. *Aduerte, quemadmodum non dixit: Quam dat homo commutationem pro anima ſua, ſed, quam dabit. Tunc* Xiphil.
enim non habebit, quod det; nunc verò dat pœnitentiam, confeſſionem, gemitus, lachrymas, macerationem corporis, ſeueriorem viuendi rationem. Dum id non habet, quod det, nimirùm pœnitentiam, gemitus, lachrymas, non habet peccator, quo ſalutem, & vitam animæ poſſit emercari. Quando autem in præſenti pœnitentiam agit, dolet, gemit, lachrymatur, præclarum vitæ æternæ ſignum ſtatuit. Quò ſpectans Paulus ad Galat. cap. 5. ait: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Hoc eſt ſignum vitæ chriſtianæ, pœnitentia, gemitus, maceratio carnis, qua vita animalis crucifigitur, mactatur. Vt meritò dicat Theophylactus orat. de cruce apud Gretſer. tom. 2. *Non* Theophyl.
enim aliam notam habent, ex qua ad Chriſtum pertinere dignoſci queant, quàm ſi carnem cum vitiis, & concupiſcentiis crucifigant: cuius rei teſtis Paulus, qui cruce tanquam regio quodam inſigne gloriatur, & propter eamdem iam non Paulus, ſed quodammodo Chriſtus ipſe eſt. Viuo, inquit, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus: Itaque ait Theophylactus nullum ſignum, nullam aliam notam haberi à peccatoribus, qua clariùs oſtendatur pertinere ad vitam Chriſti, quàm carnis macerationem, & omnium concupiſcentiarum crucifixionem. Hanc qui habet, ſic tranſit in vitam Chriſti, quòd non tam videatur ipſe viuere, quam Chriſtus viuere in illo.

§. XV.

§. XV.

Nullum eſt malum, de quo bonum haurire non poſſimus.

POſuit itaque Deus ſignum in Cain, dicente textu: *Poſuitque Dominus ſignum in Cain, vt non interficeret eum omnis*, &c. Et quale ſignum in Caio poſitum eſt ad eius vitam protegendam? Seo à ſeoteotia Saliani, qui cum Hier. Theodor. Eucher. Rup. & aliis ſignum hoc extitiſſe in illo ipſo tremore corporis, & gemituum anxietate, quæ in peccati pœnam acceperat. Vbi enim noſter dicebat: *Eris vagus, & profugus*, dicunt Septuag. *Eris gemens, & tremens.* Tremor ergo & gemitus ille parricidæ perpetuus factus eſt à Deo in ſignũ, quo eius vita ſeruaretur. Vt hioc diſcamus homines, quàm facilè poſſimus, auxiliante Deo, mala etiam noſtra in vitæ, ſalutiſque remedia conuertere. Poſt *1. Reg. 17.* Goliath à Dauide proſtratum dicit text. 1. Reg. 17. *Cùm gladium non haberet in manu David, cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſthæum, & tulit gladium eius, eduxit eum de vagina ſuo, & interfecit eum, præciditque caput eius.* Prouidit Deus, oon ſolùm quòd Dauid interficeret Philiſthæum, ſed qoòd cogeretur vti gladio illius ad eum interficiendum. Et cur oeceſſom fuit, quòd Dauid ad Philiſthænm interficieodum vteretur gladio eius? Vt ab illo gladio mortem ſibi timuerant Iſraelitæ, ſic prouiſum eſt à Deo, vt idem gladius eſſet ſecuritatis, & ſalutis remedium. Vt hinc diſceremus omnes, quàm facilè poſſumus, auxiliante Deo, mala omnia, in ſalutis occaſiooes, & cauſas conuertere. *Machar.* Ait Macharius Philadelph. orat. in Exalt. crucis apud Grethſer. tom. 2. *Lapidis ictu talem ac tantum David proſtrauit: deinde micantem gladium eius vibrauit; eòque blaſphemum trucidauit, & abſtulit opprobrium ex Iſrael. Hunc in modum David Propheta ſimul, & Rex inſtrumentum, quod mortis alioquin cauſa erat, in præſidium ſalutis verti poſſe docuit.* Docuit equidem ſapientiſſimus Dauid, vt mortis inſtrumenta in præſidium ſalutis poſſimus vertere. Gemitus, dolores, & pœnas in oos vel à natura, vel à culpa dilapſas poſſumus coouertere in vitam, & ſalutem; & de amaris aquis calamitatum temporalium educere diuinæ gratiæ latices ſuauiſſimos. Et nullum eſt adeò magnum malum ſiue pœnæ, ſiue culpæ, quod non poſſimus facere, vt ſeruiat in occaſionem ſalutis. Latro ille crucifixus erat *Luc. 23.* ob latrocinia ſua, & dicebat ſocio Luc. 23. *Neque tu times Deum qui in eodem dãmnatione es? Et nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nil mali geſſit. & dicebat ad Ieſum: Domine memento mei.* Sic latro. *Chryſoſt.* De quo agens D. Chryſoſt. orat. 3. in Paraſceu. apud Grethſerum tom. 2. de cruce ait, *Video latronem, qui me aſſiduè per vim ad ſe rapit. Neque mirũ, etenim paradiſi portas per vim rapit, arte ad ſalutem verſo.* Quid pulchrius? Nouit fœlix hic latro totam malitiæ artem vertere ad confecotionem ſalutis. Vt ſciamus & nos, de malis etiam lethalibus educere pharmacum vitæ.

§. XVI.

Nulla eſt vera quies niſi in bonis ſpiritualibus.

POſt ſignum vitæ poſitum in Cain ait text. *Egreſſuſque Cain à facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam.* Chryſoſt. & Hieron. legunt: *habitauit in terra Nain*; Nain autem idem eſt, ac commotio. Et mirabar, quod egreſſns, & abiens Cain ſigno vitæ munitus, ne interficeretur, adhoc in commotione, & in quietudine verſatur. De *Geneſ. 28.* Iacob dicitur Gen. 28. *Igitur egreſſus Iacob de Berſabee pergebat Haram. Cùmque veniſſet ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere poſt Solis occabitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco. Viditque in ſomnis ſcalam*, &c. Et Cain, & Iacob egrediuntur à paternis liminibus; ſed Cain habitat in terra Naim, hoc eſt, in commotione, nullam quietem inueniens, etiam habens in ſui defenſionem ſignũ vitæ, Iacob autem ſtatim locum quietis inuenit, in quo quieſcit, & dormit ſecurus. Et quando totum illud vitæ ſignum non importabat quietem Caino, in quo ſigno potuit Iacob tantam ſibi quietem inuenire? Aiebat *Geneſ. 32.* ille Gen. 32. locutus de hoc egreſſu: *In baculo meo tranſiui Iordanem*, &c. ibat equidem Iacob cum baculo, hoc eſt, cũ ſigno crucis, quo Chriſtiani populi diuitiæ repræſentabantur. Vt autem Caini ſigoum ad vitam hanc temporalem tutandam pertinebat, ooo miror, quòd io eo requies non applauderet: quam facilè inueniebat Iacob, vt qui ligoo, & ſigoo crucis ad bona temporalia tendere nitebatur. *Machar.* Ait Machar. Philadelph. orat. de exalt. crucis apud Grethſerum tom. 2. *In baculo ſuo tranſiuit Iacob Iordanem: quæ res verè noos populi fortunam prænotabat, crucem, inquam, & baptiſmum. Hoc enim modo effugimus exitium, quod nobis imminebat ab eo, qui ab initio homicida fuit. Et in Charan tranſlati ſumus: non quia locum requiei ſignificet; ſed quia nullo fine terminandam iucunditatem contineat: quam & Iacob præfigurans in Charan venit, ibique feſſo membro ſomno refecit, ſcalãmque vidit*, &c. Non ſignum temporalis vitæ, non temporalium bonorum cumulus requiem nobis infert, ſed commotionem, ſed inquietudinem. Illud autem viuificæ crucis ſignum, in quo fortunæ ſpirituales populi Chriſtiani exprimuntur, illud inquam, & nobis quietem, ſomnúmque dulcem, & æternam iucunditatem adducit. Hinc Matth. 11. clamabat Ieſus: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* *Matth. 11.* Expende illa, *inuenietis requiẽ animabus veſtris*; nõ abſolutè promittit iouenieodam quietem, ſed quietem dicit iouenieodã, quæ animabus proſit, earúmque propria ſit. Et cur de ſola animarum quiete loquitur? Quietem animarum meminit, ne quid temporale intelligeretur, quod enim temporale eſt, non poteſt ſine motu intelligi. Ait ibi Chriſtiaous Druthmar. *Non promittit temporalia, ſed ſpiritualia, quia quæ videntur, corruptibilia ſunt, & citò tranſeunt.* *Druthmar.* Vbi à commotionis, & perturbationis ſuſpicione nos abducere voluit Dominus, nil temporale meminit, ſed quod ſpirituale eſt, propoſuit, ſola eoim bona ſpiritualia imperturbabilia ſuot, & quieta, & quæ nos ætoroũm comitari poſſunt. Crede mihi, non per temporale, ſed per ſpirituale ad requiem, & plenam quietem peruenire poteris. De Iſſachar dicebat Iacob Gen. 49. *Geneſ. 49.* *Vidit requiem, quòd eſſet bona, & terram, quod optima; & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum.* Vbi requiem vidit, illam elegit, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum. Et quid portaret humerus pro requie habenda? Ait D. Ambr. *Ambroſ.* lib. de Bened. Patriar. cap. 6 pro Iaſſachar intelligens Chriſtum: *Subiecit humerum ſuum ad laborandum, ſubiiciens ſe cruci.* Nobilis Imperator pro requie vera obtinenda non alia ſigna explicuit, ſed ſigoom crucis ſuſtulit, oon enim per temporalia, ſed per ſpiritualia ad quietem perfectam venitur.

Geneſ. 4. Cognouit autem Cain vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Enoch: & ædificauit ciuitatem, vocauitque nomẽ eius ex nomine filij ſui, Henoch. Porrò Henoch genuit Irad, Irad genuit Maniael, Maniael genuit Mathuſael, Mathuſael genuit Lamech. Qui accepit duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella.

Dixit autem Lamech vxoribus ſuis, *&c.* Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum, *&c.*

§. XVII.

Peccatum facit hominem in terrenis, & caducis radicare.

TOt ſcelerum reus Cainus eò primus applicuit animũ vt io terra ciuitatem ædificaret. Sic enim ait text. *Cognouit autem Cain vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificauit ciuitatem*, &c. Nec miror, ſic enim deprimunt peccata homioem ad hæc terrena, & caduca, vt nihil magis ament, quàm io his radices agere. Exod. 1. *Oderant Ægyptij filios Iſraël: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur*, &c. *Exod. 1.* *Ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithon, & Ramaſſes.* Ecce tibi Pharaonis tyranoidẽ in filios Iſraël: eos maximè vexabat, in terræ operibus, in faciendis lateribus, in conſtruendis vrbibus. Quid hæc?

quendis deſperatus, ſeſe caducis immerſit. Deſperati enim
hominis ſignum eſt, quòd ſeſe his vanis, & terrenis, & ca-
Pſalm. 4. ducis bonis tradat. Clamabat Pſalm. 4. *Filij hominum vſ-
quequò graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis
mendacium?* Quas voces Prophetæ notans D. Damaſ. putat
illas ad deploratos homines eſſe factas. Dicit enim lib. de
Damaſ. Barlaã, & Ioſaphat. *Anima enim, quæ ſemel de ſua ſalute de-
ſperat, habenaſque ſuas irrationabilibus laxat cupiditatibus,
vbique fertur. Propterea deflens Propheta circumfuſam ſtulti-
tiam huiuſmodi animabus, & adiacentis caliginis eius craſſitu-
dinem deflens, dicebat: Filij hominum vſquequò graui corde? Vt
quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* His equidem
animabus, quæ de ſalute deſperant, clamat Propheta, ne ſe
caducis immergant. Illarum enim animarum eſt ſe totas
immergere temporalibus, quæ de æternis deſperant. Vt
Ephеſ. 4. dicat de illis Paul ad Epheſ. 4. *Deſperantes ſemetipſos tradi-
derunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in aua-
ritiam.* Sic ibi.

§. XXI.

A laſciuia homicidia, & cædes.

IN proſapiá Caini inuenitur Lamech, qui priùs polyga-
miam inuenit. De quo dicit: *Lamech accepit duas vxores,*
&c. *Dixit autem Lamech vxoribus ſuis*, &c. *Quoniam occidi
virum in vulnus meum, & adoleſcentulum*, &c. Ecce tibi La-
mech apud vxores ſuas confitetur duo à ſe perpetrata ho-
micidia. Et cur ea magis apud vxores confitetur? An quia
ipſæ occaſiones fuerunt? Equidem vt cœpit Lamech libi-
dinosè ferri in illas fœminas, ſtatim maritos earum inter-
fecit, vt illas ſibi adiungeret; quippe vt tunc temporis na-
tura erat, ſingulæ fœminæ ſingulis viris coniugatæ naſce-
bantur, vt non poſſet vnus duas habere, niſi illi adnato
coniuge perempto. Lamech autem qui duas turpiter ama-
uit, vt libidine ardebat, ſic in homicidium exarſit, rarò
enim laſciuia non cædes, & homicidia parit. Quò ſpectans
Ephræm. D. Ephræm. apud Lyppom. ait: *Duas cædes perpetrauit La-
mech. Aliud enim vir, aliud eſt adoleſcens, & interfectorum à ſe
ſibi vxores copulauit, apud quas crimen ſuum ſaſſus eſt, non apud
viros. Multum verò per id tempus laſciuia vigebat, ob quam
multæ cædes committebantur.* Simul & laſciuia apparebat, &
cædes, & homicidia: per hæc enim laſciuus animus rapi-
tur ad conſequenda optata. De meretrice magna locutus
Apocal. 17. Apoc. 17. ait: *Et mulier erat circumdata purpura*, &c. *Et in fron-
te eius nomen ſcriptum, Myſterium, Babylon magna, mater forni-
cationum, & abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de
ſanguine Sanctorum*, &c. Ecce tibi, & ſimul meretrix hæc di-
citur mater fornicationum, & ebria de ſanguine Sancto-
rum, quaſi ſine cædibus non poſſet laſciuia conſeruari. Vt
Rupert. dicat ibi Rupert. *Illa non contenta talem ſe eſſe, qualem præ-
miſſa deſcriptio denotat, adiecit hoc aliud malum, vt ſanguinem
funderet Sanctorum, eo quòd videret illos non eſſe conſentientes
immunditiis fornicationum ſuarum.* Sæuit ſemper laſciuia,
imò & furit aduersùs eos, qui non conſentiunt, ſed poſ-
ſunt impedire eius voluptates. Crede mihi, laſciuus ani-
mus, vt optatos amplexus potiatur, nulli homicidio, aut
parricidio parcit. De parentum etiam ſanctiſſimorum ſan-

guine voluptates ſuas nutriet, qui laſciuia rapitur; & rarò
videbis ardere laſciuiæ fornacem, quin ſimul videas &
cædes, & homicidia frequentari.

§. XXII.

Signum ſalutis ex Deo maximè debet cordi eſſe.

CReditur Cainus occiſus à Lamech, cùm ipſe Lamech
fateatur: *Occidi virum in vulnus meum*, &c. Dum enim
Lamech feras inſequitur, putans ad vnam illarum iaculum
dirigere, Cainum inſcius vulnerauit. Quis hanc mortem Cai-
no metueret? Nonne ſignum ex Deo habebat, ne ab aliquo
occidi poſſet? Quomodo ergo potuit occidi tantum ſi-
gnum habens? Erat ſignum pro ſalute Caini datum, ſed ne-
fario homini minimè illud ſignum cordi erat, & ideò me-
ritò interfectus eſt. Signum enim ſalutis ex Deo datum,
tunc proficit, cùm illud habenti cordi eſt. Exod. 12. immo-
latur agnus, cuius ſanguis eſſet in ſignum ſalutis Iſraelitis,
pro quo ait text. *Sument de ſanguine eius, ac ponent ſuper
vtrumque poſtem.* Non in vno poſte reponendum erat ſi-
gnum ſanguinis, qui ferientem arceret Angelum, ſed in
duobus. Ne putaremus ſignum ſalutis ex Deo hominibus
profectuum, niſi intrinſecus in corde, & extrinſecus in
operibus affulgeat. Ex quo monebat Petrus Damian. ſerm.
de inuent. crucis: *Præferimus igitur crucem in fronte, ſed eam-* Damian.
*dem crucem multo ſalubrius recondamus in corde. In vtroque
poſte ſanguinem percuſſor Angelus videbat, vt excluſus euadat,
non perempturus irrumpat. Nec ſibi quiſpiam de ſola ſigno crucis
applaudat, ſi veritatem crucis in operibus non exhibeat. Crucem
nempe ille in ſuis moribus ſignanter expreſſerat, qui dicebat: Ego
enim ſtigmata Ieſu in corpore meo porto.* In vtroque poſte, hoc
eſt, in corde & in opere ſit ſalutare ſignum, quod percuſſor
videat, & fugiat. Niſi enim tibi cordi ſit ſalutis ſignum,
vix per illud ad ſalutem peruenies. Cant. 6. aiebat Ieſus
ſponſæ ſuæ: *Pone me, vt ſignaculum ſupra cor tuum, vt ſignacu-* Cant. 6.
lum ſuper brachium tuum. Non in brachio tantùm, ſed in cor-
de priùs amat imprimi Ieſus velut ſignum vitæ, vt profi-
ciat. Ait Guerric. ſerm. 2. de Annunt. Mariæ: *Ieſus quippe* Guerric.
*impreſſus in corde, expreſſus in opere, ſigillum planè, & munimen-
tum eſt inuiolabile.* Non ſi tantùm ſit in exterinis hoc diuiniſ-
ſimum ſignum, ſed ſi priùs in corde affectuosè habeatur,
munimen inuiolabile affert. Corde priùs excipiendum eſt
ſalutis ſignum, quod venit à Ieſu, qui niſi cordi ſit, non de-
tinetur, quin fugiat. Vt meritò de illo dicat D. Bernardus
ſerm. 2. in Aſſumpt. Mariæ: *Neque verò ingreſſum Ieſu exte-* Bernard.
*rioris poteſt conuerſationis tenuis ſuperficies ſuſtinere: quoniam
omnia penetrat, & in intimis cordibus eius habitatio eſt. Eſto
ſiquidem vt aliquando tanquam ipſa ſuperficie delectatus inci-
piat primum apponere pedem, ei qui huiuſmodi eſt, primam ali-
quam viſitationis ſuæ gratiam indulgendo; nunquid non reſiliet
illico cum indignatione? Nunquid non effugiet clamitans: Infixus
ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia? Virtutis enim ſpecies,
& non veritas, quaſi qualitas eſt, non ſubſtantia.* Sic quando
non corde, ſed externis operibus locus paratur Ieſu, illico
refugit, non habens, vbi requieſcat, vt qui in cordibus mo-
rari velit, & inde prodire ad externa, & ſic reddere homi-
nem hoſtibus inacceſſum.

F I N I S.

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ,
In quo magna pars illorum locorum apprimè enucleata.

Primus numerus paginam, alter verò paragraphum indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Geneſi.

CAP. 1. IN principio creauit Deus cœlum, & terram, pagina 24. paragrapho 25. & 32. 5. & 57.19
Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, &c. 24.26.55.11
Vt præſit piſcibus maris, &c. 64.37
Faciamus hominem ad imaginem, &c. 82.24.& 154.26. & 271.19
Dixit Deus: fiat lux. Et facta eſt lux, &c. 119.14
Creſcite, & multiplicamini. 258.1
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. 166.6
2 Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, &c. 7.9. & 10.& 9.15
Produxit Dominus Deus de humo omne lignum, &c. 21.18
Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. 197.1
Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi. 233.31
3 Vidit mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, &c. 2.2
Eritis ſicut dij. 29 38
Dominus eiecit Adam, &c. 29 39
Conſuerunt folia ficus, &c. 100.13.& 177.1
Adam vbi es. 119.34
Cùm audiſſent vocem Domini Dei, &c. 169.16
Aperti ſunt oculi amborum, &c. 179.4
Ipſa conteret caput tuum. 232.2d
Maledicta terra in opere tuo. 273.3
4 Adam verè cognouit vxorem ſuam Heuam, &c. 6.6.& 92.8
Ad Caim autem, & ad munera eius non reſpexit Dominus. 55.12
Sela quoque genuit Tubalcain, &c. 205.5
Tuliſque annulum de manu ſua, &c. 209.2
Conſurrexit Cain aduerſùs fratrem ſuum Abel, &c. 214.15
Cain de fructibus terræ, &c. 252.22
Septuplum vltio dabitur de Cain, &c. 273.3
5 Genuit filium ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, &c. 92.8
6 Videntes filij Dei filias hominum, &c. 153.3.& 252.21
Dixit Dominus ad Noë, &c. 157.14
Cumque vidiſſet Ieſus terram, &c. 238.44
Non permanebit ſpiritus meus, &c. 276.12
7 Ingreſſus eſt Noë, &c. 18.13
Ingredere, & omnis domus tua in arcam. 64.36. & 144.8
Vniuerſi homines, &c. 273.3
8 Cùm non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, &c. 70.6
Ædificauit Noe altare Domino, &c. 123.23
9 At verò Sem, & Iaphet, &c. 48.20
12 Dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis, &c. 45.12
Cùm ingreſſus eſſet Abraham Ægyptum, &c. 153.2
Quòd pulchra eſſet nimis. 177.1
Semini tuo dabo terram hanc, &c. 260.7
13 Surge, & perambula terram in longitudine, &c. 57.18
Eleuatis itaque Loth oculis, &c. 67.43
14 At verò Melchiſedech, &c. 272.2
15 Statim ſermo Domini ad eum factus eſt, &c. 75.5
17 Apparuit ei Dominus, &c. 67.43
18 Vbi eſt Sara vxor tua? 21.22
Apparuit ei Dominus in conualle Mambre, &c. 67.43 34
Cumque comediſſent, &c. 90.2
Habebit filium Sara vxor tua. 114.3
Reuertens veniam ad te tempore iſto, &c. 146.4
Commiſce tria ſata farinæ, &c. 234.33
19 Verſa eſt in ſtatuam ſalis. 64.36
Nolite, quæſo, fratres mei, &c. 219.7
Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, &c. 235.35
Viri ciuitatis vallauerunt domum illius, &c. 238.44
21 Ego fodi puteum iſtum. 198.4
Viſitauit Dominus Saram, &c. 259.4
22 Ne extendas manum tuam ſuam puerum. 204.2
24 Veni ergo hodie ad fontem aquæ, &c. 16.8
Rebecca veniebat cum filiabus ciuitatis haurire aquá. 125.27
Rebecca quoque conſpecto Iſaac, &c. 132.16
25 Duæ gentes ſunt in vtero tuo, &c. 6.6.& 112.43
Iſaac amabat Eſau, &c. 128.5.& 260.8.
26 Rurſus fodit alios puteos. 198.4
27 Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob, &c. 21.19
Quòd cùm audiſſet Rebecca, &c. 16.8
Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt, &c. 22.23
Venit germanus tuus fraudulenter, &c. 39.25
Oderat ergo ſemper Eſau Iacob, &c. 268.12
Occidam Iacob fratrem meum. 268.12

28 Iacob

Digitized by Google

28 Iacob tulit de lapidibus, qui iacebant, &c. 214.2
Profectus venit in Moſoporamiam, &c. 122.20
Surgens ergo Iacob tulit lapidem, &c. 126.30
Vidit in ſomnis ſcalam, &c. 134.21
Igitur egreſſus Iacob de Berſabee, &c. 277.16
29 Quam diligens Iacob, ait: Seruiam tibi pro Rachel, &c. 10.19
Adhuc ille loquebatur, & ecce Rachel, &c. 34.9
Lia lippis erat oculis, &c. 34.10
30 Da mihi filios, alioquin moriar. 28.36
Tollens Iacob virgas populeas virides, &c. 65.38
Dixit Iacob ſocero ſuo: Dimitte me, &c. 78.12
31 Rachel furata eſt idola patris ſui, &c. 34.10
Surrexit itaque Iacob, &c. 136.26
Tulitque omnem ſubſtantiam ſuam, &c. 186.22
Video faciem patris veſtri, &c. 215.15
Immolatiſque victimis, &c. 211.7
Miſit, & vocauit Rachel, &c. 256.4
32 Vidi Dominum facie ad faciem, &c. 35.10
Et ecce vir luctabatur cum eo vſque manè. 41.3
Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. 180.7
Iacob autem abiit itinere, &c. 217.1
34 Egreſſa eſt Dina filia Liæ, &c. 186.24
Turbaſti me, & odioſum feciſti me Chananæis, &c. 196.15
Placuit oblatio eorum Hemor, &c. 223.2
Et ſubſtantia eorum pecora, &c. ibid.3
35 Appoſitus eſt populo ſuo. 5.5
Abiit Rubeo, & dormiuit, &c. 224.6
37 Vidi per ſomnium quaſi florem, &c. 210.4
Venite occidamus eum. 268.12
38 Patiar quod vis, &c. 20.18
Inſtante autem partu, &c. 54.8
39 Vidi per ſomnium quaſi Solem, &c. 120.17
Nequaquam acquieſcens operi nefario, &c. 153.3
Qui relicto in manu eius pallio, &c. 179.4
Accidit autem quadam die, &c. 185.20. & 186.22. & 213.11
Illa apprehenſa lacinia, &c. 188.19
40 Et tamen ſuccedentibus proſperis, &c. 17.9
41 Reſpondit Ioſeph: Somnium Regis vnum eſt, &c. 8.12
Nunquid ſapientiorem, &c. 104.24
Vidit Pharao ſomnium, &c. 118.11
Cœperunt venire ſeptem anni inopiæ, &c. 191.12
42 Cui reſpondit Ruben, &c. 29.39
43 Attollens autem Ioſeph oculos, &c. 245.10
45 Sufficit mihi, ſi Ioſeph filius meus viuit. 125.3. & 244.12
Vadam, & videbo illum antequam moriar. 146.2
46 Onerantes iumenta ite in terram Chanaam, &c. 111.40
Deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ouium. 215.15
47 Quintam partem Regi dabitis. 88.38
Ecce filius tuus Ioſeph venit ad te, &c. 31.2
48 Benedixit filiis Ioſeph, &c. 39.26
Cúmque appropinquare cerneret Iſraël diem mortis ſuæ, &c. 77.12
49 Pulchriores ſunt oculi eius vino. 70.7
Aſer pinguis panis eius, &c. 82.24. & 83.17
Beniamin lupus rapax, &c. 83.25
Filius accreſcens Ioſeph, &c. 104.23
Catulus leonis Iuda. 134.19 & 231.24
Ruben primogenitus meus, &c. 223.3
Vidit requiem quòd eſſet bona, &c. 277.16
50 Timentes fratres Ioſeph, &c. 29.39
Ditatus eſt homo vltra modum, &c. 136.26

Ex Exodo.

1 Oderunt Ægyptij filios Iſrael, &c. 177.17
2 Egreſſus die altero conſpexit duos Hebræos rixantes, &c. 175.3
3 Cernens Dominus, quòd pergeret ad videndum. 9.13
Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi. 15.12. & 68.2
Vadam, & videbo viſionem hanc magnam. 53.7
Moyſes paſcebat oues Iethro ſoceri ſui. 57.17
Veni, mittam te ad Pharaonem, &c. 169.15
4 Obſecro, Domine, non ſum eloquens, &c. 21.19. & 178.2
Dixitque Dominus: Proiice eam in terram, &c. 165.7

Perge igitur, & ego ero in ore tuo, &c. 169.15
5 Poſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron. 21.19
Ipſi vadunt, & colligunt ſtipulas. 278.19
7 Faciam te in Deum Pharaonis. 6.5
Tulit Aaron virgam coram Pharaone, &c. 22.21. & 107.29
Proieceruntque ſinguli virgas ſuas, &c. 86.33
Tolle virgam tuam, &c. 136.25
Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. 157.13. & 263.5
Eleuans virgam percuſſit aquam, &c. 194.19
8 Extendit Aaron manum ſuper aquam, &c.
10 Ego induraui cor Pharaonis, &c. 272.8
12 Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias, &c. 7.11. & 256.3
Sic autem comedetis illum, &c. 108.33
Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, &c. 123.23
Calceamenta habebitis in pedibus veſtris. 275.9
13 Dominus præcedebat eos, &c. 33.8
Nunquid defuit columna nubis per diem, &c. 207.11
Nunciatum eſt Regi Ægyptiorum, &c. 265.2
14 Reuerſæque ſunt aquæ, &c. 120.15. & 147.8
Multò melius erat ſeruire Ægyptiis, &c. 136.26
Cùm extendiſſet Moyſes manum, &c. 163.11
Filij autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, &c. 236.37. & 245.3
Tollenſque ſe Angelus Domini, &c. 236.37
Perſequentéſque Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos, &c. 247.7
15 Qui oſtendit ei lignum, &c. 63.33
Venerunt autem filij Iſrael in Elim, &c. 81.24
Aſſumpſit ergo Maria Propheriſſa, &c. 131.14
16 Gomor per ſingula capita. 39.24
Aſcendens coturnix cooperuit caſtra, &c. 83.25
Veſpere comedetis carnes, &c. 171.22
Die autem ſeptima, Sabbatum eſt Domino, &c. 194.10
17 Aaron, & Hur ſuſtentabant manus eius. 105.25
Cùm leuaret Moyſes manus, &c. 125.27
Dixit Dominus ad Ioſue: Elige, &c. 145.1
Principium bellorum gentium Iſraeli, &c. 230.22
19 Totus mons Sinai fumabat, &c. 2.79
Eſtote parati in diem tertium, &c. 229.7
25 Duos quoque Cherubim aureos, &c. 103.10
Hæc ſunt quæ accipere debetis, &c. 106.27
Loquere ad filios Iſrael, &c. 143.5. & 6. & 261.12
Facies & menſam de lignis ſetim, &c. 82.24
26 Facies & tabulas ſtantes tabernaculi, &c. 98.2
28 Facies laminam de auro puriſſimo, &c. 56.16
29 Deorſum autem ad pedes, &c. 106.28
Fundeſque ſanguinem ſuper altare, &c. 272.22
32 Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas, &c. 38.21. & 102.26. & 162.11
Ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum, &c. 88.38, & 245.3
Proieci illud in ignem &c. 106.29
Dimitte me, vt iraſcatur furor meus, &c. 166.8
Sedit Populus manducare, &c. 192.2
Quod cùm vidiſſet Aaron, &c. 103.15
Feceruntque filij Leui iuxta ſermonem Moyſi, &c. 204.2
Dominus præcedebat eos, &c. 209.3
Fecerunt ſibi vitulum conflatilem, &c. 214.5
34 Filij autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, &c. 25.28

Ex Leuitico.

1 Homo qui obtulerit ex vobis hoſtiã Domino, &c. 31.4
6 Anima quæ peccauerit, &c. 274.9
10 Egreſſus ignis à Domino deuorauit eos. 200.13
Dixit Dominus ad Aaron, &c. 201.11
Arreptiſque Nadab, &c. 256.2
20 Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, &c. 57.16
24 Accipies quoque ſimilam, &c. 82.23. & 24
Quinum ſex altrinſecus ſuper menſam puriſſimam, &c. 82.24

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ,
In quo magna pars illorum locorum apprimè enucleata.

Primus numerus paginam, alter verò paragraphum indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Geneſi.

CAP. I. IN principio creauit Deus cœlum, & terram, pagina 24. paragrapho 25. & 32. 5. & 57.19
Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, &c. 24.26.55.11
Vt præſit piſcibus maris, &c. 64.37
Faciamus hominem ad imaginem, &c. 82.24.& 254.26. & 271.19
Dixit Deus: fiat lux. Et facta eſt lux, &c. 119.14
Creſcite, & multiplicamini. 258.1
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. 266.6
2 Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, &c. 7.9. & 10 & 9.15
Produxit Dominus Deus de humo omne lignum, &c. 21.18
Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. 197.1
Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi. 233.31
3 Vidit mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, &c. 2.2
Eritis ſicut dij. 29.38
Dominus eiecit Adam, &c. 29.39
Conſuerunt folia ficus, &c. 100.13.& 177.1
Adam vbi es. 119.34
Cùm audiſſent vocem Domini Dei, &c. 169.16
Aperti ſunt oculi amborum, &c. 179.4
Ipſa conteret caput tuum. 232.26
Maledicta terra in opere tuo. 273.3
4 Adam verè cognouit vxorem ſuam Heuam, &c. 6.6.& 92.8
Ad Caim autem, & ad munera eius non reſpexit Dominus. 55.12
Sela quoque genuit Tubalcain, &c. 205.5
Tulitque annulum de manu ſua, &c. 209.2
Conſurrexit Cain aduersùs fratrem ſuum Abel, &c. 214.15
Cain de froctibus terræ, &c. 252.22
Septuplum vltio dabitur de Cain, &c. 273.3
5 Genuit filium ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, &c. 92.8
6 Videntes filij Dei filias hominum, &c. 153.3.& 252.21
Dixit Dominus ad Noë, &c. 157.14
Cumque vidiſſet Ieſus terram, &c. 238.44
Non permanebit ſpiritus meus, &c. 276.12
7 Ingreſſus eſt Noë, &c. 18.13
Ingredere, & ómnis domus tua in arcam. 64.36. & 144.8
Vniuerſi homines, &c. 273.3
8 Cùm non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, &c. 70.6
Ædificauit Noe altare Domino, &c. 223.23
9 At vero Sem, & Iaphet, &c. 48.20
12 Dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis, &c. 45.12
Cùm ingreſſus eſſet Abraham Ægyptum, &c. 153.2
Quòd pulchra eſſet nimis. 177.1
Semini tuo dabo terram hanc, &c. 260.7
13 Surge, & perambula terram in longitudine, &c. 57.18
Eleuatis itaque Loth oculis, &c. 67.43
14 At verò Melchiſedech, &c. 272.2
15 Statim ſermo Domini ad eum factus eſt, &c. 75.5
17 Apparuit ei Dominus, &c. 67.43
18 Vbi eſt Sara vxor tua? 21.22
Apparuit ei Dominus in conualle Mambre, &c. 67.43 34
Cumque comediſſent, &c. 90.1
Habebit filium Sara vxor tua. 114.3
Reuertens veniam ad te tempore iſto, &c. 246.4
Commiſce tria ſata farinæ, &c. 234.33
19 Verſa eſt in ſtatuam ſalis. 64.36
Nolite, quæſo, fratres mei, &c. 219.7
Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, &c. 235.35
Viri ciuitatis vallauerunt domum illius, &c. 238.44
21 Ego fodi puteum iſtum. 198.4
Viſitauit Dominus Saram, &c. 259.4
22 Ne extendas manum tuam ſuam puerum. 204.2
24 Veni ergo hodie ad fontem aquæ, &c. 16.8
Rebecca veniebat cum filiabus ciuitatis haurire aquã. 125.27
Rebecca quoque conſpecto Iſaac, &c. 132.16
25 Duæ gentes ſunt in vtero tuo, &c. 6.6 & 112.43
Iſaac amabat Eſau, &c. 128.5.& 260.8.
26 Rurſus fodit alios puteos. 198.4
27 Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob, &c. 11.19
Quòd cùm audiſſet Rebecca, &c. 16.8
Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt, &c. 22.23
Venit germanus tuus fraudulenter, &c. 39.25
Oderat ergo ſemper Eſau Iacob, &c. 268.11
Occidam Iacob fratrem meum. 268.12

28 Iacob

28 Iacob tulit de lapidibus, qui iacebant, &c. 214.2
Profectus venit in Moſopotamiam, &c. 111.20
Surgens ergo Iacob tulit lapidem, &c. 126.30
Vidit in ſomnis ſcalam, &c. 134.21
Igitur egreſſus Iacob de Berſabee, &c. 277.16
29 Quam diligens Iacob, ait: Seruiam tibi pro Rachel, &c. 10.19
Adhuc ille loquebatur, & ecce Rachel, &c. 34.9
Lia lippis erat oculis, &c. 34.10
30 Da mihi filios, alioquin moriar. 28.36
Tollens Iacob virgas populeas virides, &c. 65.38
Dixit Iacob ſocero ſuo: Dimitte me, &c. 78.12
31 Rachel furata eſt idola patris ſui, &c. 34.10
Surrexit itaque Iacob, &c. 136.26
Tulitque omnem ſubſtantiam ſuam, &c. 186.22
Video faciem patris veſtri, &c. 215.15
Immolatiſque victimis, &c. 211.7
Miſit, & vocauit Rachel, &c. 256.4
32 Vidi Dominum facie ad faciem, &c. 35.10
Et ecce vir luctabatur cum eo vſque manè. 41.3
Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. 180.7
Iacob autem abiit itinere, &c. 217.1
34 Egreſſa eſt Dina filia Liæ, &c. 186.24
Turbaſti me, & odioſum feciſti me Chananæis, &c. 196.15
Placuit oblatio eorum Hemor, &c. 223.2
Et ſubſtantia eorum pecora, &c. ibid. 3
35 Appoſitus eſt populo ſuo. 5.5
Abiit Rubeo, & dormiuit, &c. 224.6
37 Vidi per ſomnium quaſi florem, &c. 210.4
Venite occidamus eum. 268.12
38 Patiar quod vis, &c. 20.18
Inſtante autem partu, &c. 54.8
39 Vidi per ſomnium quaſi Solem, &c. 120.17
Nequaquam acquieſcens operi nefario, &c. 153.3
Qui relicto in manu eius pallio, &c. 179.4
Accidit autem quadam die, &c. 185.20. & 186.21. & 213.15
Illa apprehenſa lacinia, &c. 188.29
40 Et tamen ſuccedentibus proſperis, &c. 17.9
41 Reſpondit Ioſeph: Somnium Regis vnum eſt, &c. 8.12
Nunquid ſapientiorem, &c. 104.24
Vidit Pharao ſomnium, &c. 518.11
Cœperunt venire ſeptem anni inopiæ, &c. 191.12
42 Cui reſpondit Ruben, &c. 29.39
43 Attollens autem Ioſeph oculos, &c. 243.10
45 Sufficit mihi, ſi Ioſeph filius meus viuit. 115.3. & 244.12
Vadam, & videbo illum antequam moriar. 146.2
46 Oberantes iumenta ite in terram Chanaam, &c. 111.40
Deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ouium. 215.15
47 Quintam partem Regi dabitis. 88.38
Ecce filius tuus Ioſeph venit ad te, &c. 31.2
48 Benedixit filiis Ioſeph, &c. 39.26
Cúmque appropinquare cerneret Iſraël diem mortis ſuæ, &c. 77.12
49 Pulchriores ſunt oculi eius vino. 70.7
Aſer pinguis panis eius, &c. 82.24. & 83.17
Beniamin lupus rapax, &c. 83.25
Filius accreſcens Ioſeph. &c. 104.23
Catulus leonis Iuda. 134.19. & 231.24
Ruben primogenitus meus. &c. 223.3
Vidit requiem quòd eſſet bona, &c. 277.16
50 Timentes fratres Ioſeph, &c. 29.39
Ditatus eſt homo vltra modum, &c. 136.26

Ex Exodo.

1 Oderunt Ægyptij filios Iſrael, &c. 277.17
2 Egreſſus die altero conſpexit duos Hebræos rixantes, &c. 175.3
3 Cernens Dominus, quòd pergeret ad videndum. 9.13
Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi. 35.12. & 68.2
Vadam, & videbo viſionem hanc magnam. 53.7
Moyſes paſcebat oues Iethro ſoceri ſui. 57.17
Veni, mittam te ad Pharaonem, &c. 169.15
4 Obſecro, Domine, non ſum eloquens, &c. 21.19. & 178.2
Dixitque Dominus: Proiice eam in terram, &c. 165.7
Perge igitur, & ego ero in ore tuo, &c. 169.15
5 Poſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron. 21.19
Ipſi vadunt, & colligunt ſtipulas. 278.19
7 Faciam te in Deum Pharaonis. 6.5
Tulit Aaron virgam coram Pharaone, &c. 22.21. & 107.29
Proiecerúntque ſinguli virgas ſuas, &c. 86.33
Tolle virgam tuam, &c. 136.25
Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. 157.13. & 263.5
Eleuans virgam percuſſit aquam, &c. 194.19
8 Extendit Aaron manum ſuper aquam, &c.
10 Ego indurani cor Pharaonis, &c. 272.1
12 Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias, &c. 7.11. & 256.3
Sic autem commedetis illum, &c. 108.33
Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, &c. 123.23
Calceamenta habebitis in pedibus veſtris. 275.9
13 Dominus præcedebat eos, &c. 33.8
Nunquid defuit columna nubis per diem, &c. 207.11
Nunciatum eſt Regi Ægyptiorum, &c. 265.2
14 Reuerſæque ſunt aquæ, &c. 120.15. & 147.8
Multò melius erat ſeruire Ægyptiis, &c. 136.26
Cùm extendiſſet Moyſes manum, &c. 163.11
Filij autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, &c. 236.37. & 145.3
Tollenſque ſe Angelus Domini, &c. 236.37
Perſequentéſque Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos, &c. 247.7
15 Qui oſtendit ei lignum, &c. 63.33
Venerunt autem filij Iſrael in Elim, &c. 81.14
Aſſumpſit ergo Maria Propheteſſa, &c. 131.14
16 Gomor per ſingula capita. 39.24
Aſcendens coturnix cooperuit caſtra, &c. 83.25
Veſpere comedetis carnes, &c. 172.22
Die autem ſeptima, Sabbatum eſt Domino, &c. 194.10
17 Aaron, & Hur ſuſtentabant manus eius. 105.25
Cùm leuaret Moyſes manus, &c. 125.27
Dixit Dominus ad Ioſue: Elige, &c. 145.1
Principium bellorum gentium Iſraeli, &c. 230.28
19 Totus mons Sinai fumabat, &c. 2.7.9
Eſtote parati in diem tertium, &c. 229.7
25 Duos quoque Cherubim aureos, &c. 103.20
Hæc ſunt quæ accipere debetis, &c. 106.27
Loquere ad filios Iſrael, &c. 143.5. & 6. & 261.12
Facies & menſam de lignis ſetim, &c. 82.24
26 Facies & tabulas ſtantes tabernaculi, &c. 98.7
28 Facies laminam de auro puriſſimo, &c. 56.16
29 Deorſum autem ad pedes, &c. 106.28
Fundeſque ſanguinem ſuper altare, &c. 272.22
32 Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas, &c. 38.21. & 102.26. & 162.11
Ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum, &c. 88.38, & 245.3
Proieci illud in ignem &c. 206.29
Dimitte me, vt iraſcatur furor meus, &c. 166.8
Sedit Populus manducare, &c. 192.2
Quod cùm vidiſſet Aaron, &c. 203.15
Feceruntque filij Leui iuxta ſermonem Moyſi, &c. 204.2
Dominus præcedebat eos, &c. 209.3
Fecerunt ſibi vitulum conflatilem, &c. 224.5
34 Filij autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, &c. 25.28

Ex Leuitico.

1 Homo qui obtulerit ex vobis hoſtiā Domino, &c. 32.4
6 Anima quæ peccauerit, &c. 274.7
10 Egreſſus ignis à Domino deuorauit eos. 200.13
Dixit Dominus ad Aaron, &c. 201.11
Arreptiſque Nadab, &c. 256.2
20 Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, &c. 57.16
24 Accipies quoque ſimilam, &c. 82.23. & 24
Quorum ſex altrinſecus ſuper menſam puriſſimam, &c. 82.24

Index locorm

Ex Numeris.

12 Locuta eſt Maria, & Aaron contra Moyſem, &c. 33.5. & 197.1

13 Abſciderunt palmitem, &c. 278.17

15 Cumque eum eduxiſſent foras, &c. 110.37

16 Præcipe Eleazaro, &c. 189.31

Ecce autem Core filius Iſaar, &c. 210.10

Sin autem nouam rem fecerit Dominus, &c. 245.3

17 Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, &c. 24.27

19 Iſta eſt religio victimæ, &c. 190.34

20 Dixitque Dominus ad Moyſem, & Aaron, &c. 255.1

21 Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, &c. 109.35

22 Venit Deus, & ait ad eum. 269.13

23 Sta Balac, & auſculta. 70.7

24 Cùm vidiſſet Balaam, &c. 141.3

Pergens ad populum meum, dabo tibi conſilium, &c. 199.6

Orietur ſtella ex Ioſeph, &c. 130.22

25 Ecce vnus de filiis Iſrael, &c. 181.9

Occiſi ſunt viginti quatuor millia virorum. 201.13

27 Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, &c. 105.25

31 Armare ex vobis viros ad pugnam, &c. 242.8

33 Profecti de Ramaſſe, &c. 51.2

Profectiſque de Phihahiroth, &c. 60.26

35 Si quis ferro percoſſerit, &c. 200.10

Ex Deuteronomio.

1 Non accipies cuiuſquam perſonam. 128.4

10 Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, &c. 52.4

11 Terrorem veſtrum, & formidinem, &c. 216.20

14 Non coques hœdum in lacte matris. 15.6

15 Non tondebis primogenita ouium. 180.6

21 Quando peccauerit homo, &c. 80.19

23 Non abominaberis Idumæum, &c. 89.1

25 Non ligabis os bouis terentis, &c. 142.3

28 Erit pendens vita tua ante oculos tuos, &c. 48.21

Benedicta horrea tua, &c. 126.1

32 Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia, &c. 5.3

Noui recenteſque venerunt, &c. 54.8

De vinea Sodomorum vinea eorum, &c. 85.30

Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, &c. 154.5

Ex Ioſue.

5 Vidit virum ſtantem contra ſe tenentem gladium euaginatum. 35.12

Solue calceamenta de pedibus tuis. 275.9

7 Lapidauitque eum omnis Iſrael, &c. 110.37

8 Attenderunt ergo tria millia pugnatorum, &c. 230.21

10 Percuſſitque Ioſue, & interfecit eos, &c. 141.2

Sol ne mouearis contra Gabaon, &c. 236.39

Ex lib. Iudicum.

7 Videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis, &c. 93.9

Lagenas vacuas, &c. 225.10

9 Ecce vna mulier fragmen molæ, &c. 250.26

13 Peperit itaque filium, &c. 12.22

16 Ferrum nunquam aſcendit, &c. 178.4

Ex Ruth.

4 Faciat Dominus hanc mulierem, &c. 55.11

Ex lib. I. Regum.

1 Orauit ad Dominum flens largiter. 9.16

Dominus mortificat, & viuificat. 100.12

Et vultus eius non ſunt amplius, &c. 150.14

2 Hoc autem erit tibi ſignum, &c. 45.13

Pars magna domus tuæ morietur, &c. 162.8

Veruntamen non auferam penitus virum, &c. 167.21

Erat ergo peccatum puerorum grande, &c. 168.14

Confirmatum eſt cor meum in Domino, &c. 209.3

3 In die illa ſuſcitabo, &c. 190.35

4 Currens autem vir de Beniamin, &c. 27.34

Hæc eſt vox quam audiſtis, &c. ibid.

Egreſſus eſt namque Iſrael, &c. 170.17

5 Duo quoque filij Heli mortui ſunt. 211.12

Pugnauerunt ergo Philiſthiim, &c. 203.16

Manè die altera, &c. 217.15

6 Tollentes duas vaccas, &c. 27.33

7 Egreſſique filij Iſrael de Maſpha, &c. 114.1

8 Rex erit ſuper nos, &c. 15.5

10 Hoc tibi ſignum, &c. 232.27

11 Perrexit omnis populus in Galgala, &c. 15.5

Cùm ambulares in ſolario domus Regis, &c. 19.14

12 Videte rem iſtam grandem, &c. 169.16

Nolite declinare poſt vana, &c. 87.326

13 Filius vnius anni erat Saul, &c. 172.23

14 Adiurauit autem Saul populum, &c. 19.15

Congregato exercitu percuſſit Amalech. 107.32

Ergo ne Ionathas morietur, &c. 110.37

Guſtans guſtaui in ſummitate virgæ, &c. 111.42

15 In fruſta concidit eum Samuel coram Domino. 153.4

16 Tulit ergo Samuel cornu olei, &c. 28.39

Adhuc reliquus eſt paruulus, &c. 37.18

Reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. 1.1

17 Ego venio ad te in nomine Domini, &c. 195.11

Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, &c. 227.14

Non poſſum ſic incedere, &c. 231.27

Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, &c. 252.10

Cùm gladium non haberet, &c. 277.15

18 Non habet Rex ſponſalia neceſſe, &c. 79.17

Miſit lanceam, &c. 268.10

23 Surrexit Ionathas filius Saul, &c. 259.6

24 Confregit illos ſermonibus. 38.20

Propitius ſit mihi Dominus, &c. 168.12

Ex lib. II. Regum.

3 Cumque ſepeliſſent Abner in Hebron, &c. 72.12

6 Dauid percutiebat in organis armigatis, &c. 114.3

9 Reſtituam tibi omnes agros Saul patris tui, &c. 74.2

Vnxi te Regem ſuper populum Domini Iſrael, &c. 207.6

11 Athalia verò mater Ochoziæ, &c. 44.12

Ponite Vriam ex aduerſo belli, &c. 198.4

Eo tempore quo ſolent Reges ad bella procedere, &c. 241.5

Quia habuiſti hoc apud te, &c. 194.8

12 Miſit ergo Dominus Nathan ad Dauid, &c. 163.2

Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, &c. 204.3

13 Cumque audiſſet Rex ſermonem hominis Dei, &c. 215.16

14 Omnes morimur, & ſicut aqua dilabimur. 120.17

Quia grauabat eum cæſaries. 174.2

Obſecro vt videam faciem Regis, &c. 211.7

15 Abſalon fecit currus, &c. 44.9

17 Non eſt bonum conſilium, &c. 224.6

18 Mulus cui inſidebat, tranſiit. 176.7

19 Accidit autem vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid, &c. 176.6

Factum eſt igitur in nocte illa, &c. 217.2

21 Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, &c. 69.4

Qui crucifixerunt eos in monte coram Domino, &c. 176.7

Dentur nobis ſeptem viri de filiis Saul, &c. 237.42

24 Et mortui ſunt ex populo à Dan, &c. 201.12. & 202.13

25 Non eſt qui te audiat conſtitutus à Rege. 175.4

Ex lib. III. Regum.

1 Dixit Nathan ad Berſabeth, &c. 2.5

Adorauit Rex in lectulo ſuo. 31.2

Ingreſſa eſt itaque Berſabee ad Regem, &c. 42.5

Adonias filius Haggith, &c. 44.9

3 Quæ non poſtulaſti dedi tibi, &c. 2.3

Quia poſtulaſti hoc verbum, &c. 81.20

Nec mihi, nec tibi, &c. 226.11

4 Et veniebant de cunctis ad audiendam ſapientiam Salomonis, &c. 7.3
5 Non eſt Satan, nec occurſus malus. 224.25
8 In arca autem non erat aliud, &c. 117.10
Non elegi ciuitatem, &c. 259.5
10 Magnificatus Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ diuitiis, & ſapientia, &c. 5.2
Fecit Rex Salomon thronum, &c. 235.35
11 Scindam regnum tuum, &c. 66.41
Cùm eſſet iam ſenex, &c. 68.2
12 Duriſſimum iugum impoſuit nobis. 2.4
Fecit duos vitulos aureos, &c. 224.5
13 Quicùm abiiſſet, inuenit eum leo in via, &c. 49.13
Poſuit cadauer eius in ſepulchro ſuo, &c. 60.26
Extendit manum ſuam de altari Rex, &c. 231.25
14 In illo tempore ægrotauit Abia, &c. 194.9
17 Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto, &c. 18.12
Hæc dicit Dominus Iſrael, &c. 259.5
Veruntamen mihi primum fac, &c. 261.5
18 Non ego turbaui Iſrael, &c. 157.13
Erat autem fames vehemens, &c. 162.10
19 Fecit duas columnas æreas, &c. 105.26
21 Fecerunt ergo ciues eius, &c. 210.5
Prædicate ieiunium, &c. 214.13
Aſcende, & dabit eam Dominus, &c. 221.12

Ex lib. IV. Regum.

2 Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus. 124.26
Cúmque pergerent, &c. 228.6
Aſcende calue, aſcende calue. 178.2
Leuauit pallium Eliæ, &c. 238.42
3 Mitte illuc equos, &c. 186.22
4 Vade, vende oleum, &c. 126.1
Cumque guſtaſſent de coctione, &c. 109.36
5 Lauare ſepties in Iordane. 112.42
Acceſſerunt ad eum ſerui ſui, &c. 248.10
6 Mons plenus equorum, &c. 178.3
Quæ reſpondit: Mulier iſta dixit mihi, &c. 234.33
9 Cur venit inſanus iſte ad te. 237.40
13 Cùm mortuus fuero, &c. ibid.
15 Filios Sedeciæ occidit coram eo, &c. 193.5
19 Vnus Angelus Domini percuſſit in caſtris Aſſyriorum, &c. 278.3
20 In tempore illo miſit Berodach. 252.20
25 Venit Nabuchodonoſor Princeps exercitus. 20.16
Venit Nabuzardan Princeps exercitus, &c. 99.10
Filios autem Sedeciæ occidit coram eo. 198.5

Ex I. Paralipomenon.

22 Quæ genuit filium, & vocauit eum Salomon 11.20
27 Chuſi Arachites amicus Regis. 81.21
29 Polliciti ſunt itaque Principes familiarum, &c. 2.4

Ex II. Paralipomenon.

2 Dixit autem Hiram Rex Tyri per litteras, &c. 104.24
8 Dixit Rex: Non habitauit vxor mea, &c. 129.7
Filiam verò Pharaonis tranſtulit de ciuitate Dauid, &c. 128.6
9 Duo altrinſecus brachiola, &c. 232.15
13 Percuſſit eos ergo Abias, &c. 244.1
14 Inuocauit Aſa Dominum Deum, &c. 245.1
19 Impio præbes auxilium, &c. 239.45
22 Filius qui naſcetur tibi, &c. 10.19
Sex annis quibus regnauit Athalia, &c. 44.11
24 Poſtquam autem Ioiada, &c. 211.7. & 231.24
28 Erat Propheta Domini, nomine Obed, &c. 251.18
35 Poſtquam inſtaurauit Ioſias templum, &c. 172.24

Ex I. Eſdræ.

1 Hæc dicit Cyrus, &c. 167.10
6 A me ergo poſitum eſt decretum, &c. 164.3

Ex II. Eſdræ.

4 Vna manu faciebat opus, &c. 90.3. & 91.4

Ex IV. Eſdræ.

8 Coram illo adſtat omnis Angelorum exercitus. 241.6
11 Vidi, & ecce in tempore ſequentes pennæ erigebantur, &c. 14.2

Ex Tobia.

10 Ego noui, quia pater meus, &c. 73.23
12 Quando orabas cum lachrymis, &c. 78.13

Ex Iudith.

2 Factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſor, &c. 135.23
7 Factus eſt fletus, &c. 229.19
9 Capiatur laqueo oculorum ſuorum in me, &c. 127.3
Domine Deus patris mei Simeon, &c. 196.14
10 Cùm ceſſaſſet clamare ad Dominum; &c. 229.25
11 Quoniam bona eſt promiſſio tua, &c. 223.2
14 Vna mulier Hebræa, &c. 241.6
15 Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, &c. 75.6
16 Iudith magna facta eſt in Bethulia, &c. 185.28
20 Exuit ſe veſtibus viduitatis ſuæ, &c. 279.5

Ex Eſther.

2 Ducta eſt igitur ad cubiculum Regis, &c. 185.18
3 Quod cùm audiſſet Aman, &c. 231.14
4 Ego igitur quomodo ad Regem intrare potero, &c. 18.13
Ego cum ancillis meis ſimiliter remanebo, &c. 151.14
10 Paruus fons, qui creuit in fluuium &c. 120.17
14 Ne trahas Domine ſceptrum tuum his, &c. 158.15
Cùm depoſuiſſet veſtes regias, &c. ibid.17
Noſti, quia oderim gloriam iniquorum, &c. 258.1
15 Die autem tertia Eſther depoſuit veſtimenta, &c. 213.10

Ex Iob.

1 Cùm quodam die filij, & filiæ eius, &c. 26.38
Vir erat in terra Hus nomine Iob, &c. 27.33. & 184.17
Chaldæi fecerunt tres turmas &c. 27.34
Nuntius venit ad Iob, &c. 71.10
Scidit veſtimenta ſua, &c. 149.12
Ecce vniuerſa quæ habet, &c. 260.8
2 Audientes tres amici Iob omne malum, &c. 10.18
Sciſſis veſtibus ſparſerunt puluerem; &c. 217.2
Exclamantes plorauerunt, &c. 118.3
Ecce in manu tua eſt. 254.24
3 Quare exceptus genibus, &c. 10.18
Paruus & magnus ibi ſunt &c. 116.8
Nunc enim dormiens ſilerem, &c. 154.4
4 In oculis eius quaſi hamum capiet eum. 85.32
Nunquid illudes ei tanquam aui, &c. 232.18
6 Conſiderate ſemitas Thema, &c. 47.18
Ecce non eſt auxilium mihi in me. 207.10
7 Cur non tollis peccatum meum, &c. 204.3
Quare poſuiſti me contrarium tibi. 207.10
9 Super aceruum petrarum, &c. 160.3
11 Cùm te conſumptum putaueris, &c. ibid.
13 Scribis contra me amaritudines, &c. 243.10
14 Lapides excauant aquæ, &c. 156.10
Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, &c. 156.15
15 Qui bibit quaſi aquam iniquitatem. 184.17
17 Innocens contra hypocritam ſuſcitabitur, &c. 159.2
18 Habitent in tabernaculo illius ſocij eius, &c. 179.4
20 Iſte moritur robuſtus, &c. 176.6

Panis eius in vtero illius vertetur in fel, &c. 136.26
21 Qui dicebant Deo: Recede a nobis, &c. 164.3
Dulcis fuit glareis Cocyti. 179.4
24 Subuerterunt pauperum viam, &c. 256.4
Si ſubitò apparuerit aurora, &c. 187.27
Maledicta ſit pars eius in terra, &c. ibid. 28
Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium. 188.28
28 Habet argentum venarum ſuarum principia. 97.6
29 In nidulo meo moriar, &c. 79.15. & 189.32
Quando procedebam ad portam ciuitatis, &c. 125.28
31 Semper enim quaſi tumentes fluctus, &c. 94.13
Si ſecutus eſt oculus meus cor meum, &c. 184.18
33 Per ſomnium in viſione nocturna, &c. 63.33
Abominabilis ei fit in vita ſua panis, &c. 187.27
34 Qui non accipit perſonas Principum, &c. 128.4
40 Ecce abſorbebit fluuium, &c. 214.14
Nunquid illudes ei quaſi aui, &c. 248.11
41 Cùm ſublatus fuerit, &c. 273.4
42 Et addidit Dominus omnia, &c. 188.5

Ex libro Pſalmorum.

1 Et erit tanquam lignum, &c. 25.28
Nolite fieri ſicut equus, & mulus. 25.37
Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum. 123.21. & 220.10
2 Ego autem conſtitutus ſum Rex, &c. 65.38
Poſtula à me, &c. 223.21
Quare fremuerunt gentes, &c. 224.25
3 Ego dormiui, & ſoporatus ſum, &c. 8.12
Pſalmus Dauid, cùm fugeret a facie Abſalon. 119.13. & 175.3
4 Filij hominum vſquequò, &c. 279.20
5 Perdes omnes qui loquuntur mendacium. 53.5
Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis, &c. 276.13
6 Erubeſcant, & conturbentur, &c. 198.4. & 208.13
Laboraui in gemitu meo, &c. 275.10
7 Lacum aperuit, & effodit eum, &c. 198.4
9 Et factus eſt Dominus refugium pauperi, &c. 228.17
10 In Domino confido, &c. 275.9
11 Labia doloſa in corde, &c. 211.7
12 Miſericordia tua ſubſequetur me, &c. 48.21
14 Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. 121.19
15 Dominus pars hereditatis meæ, &c. 275.2
17 Cum Sancto ſanctus eris, &c. 35.12
18 In Sole poſuit tabernaculum ſuum. 151.16
Dies diei eructat verbum, &c. 276.39
19 Clamauerunt, nec erat, qui ſaluos faceret, ad Dominum, &c. 178.2
26 Circuibo, & immolabo in tabernaculo Dei, &c. 98.7
28 Vox Domini confringentis cedros, &c. 91.7
Afferte Domino filij Dei, &c. 137.28
29 Auertiſti faciem tuam à me, &c. 207.10
31 Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, 30.41
33 Accedite ad eum, & illuminamini. 184.18
36 Vidi impium ſuperexaltatum, &c. 232.26
37 Et dolor meus in conſpectu meo ſemper. 22.23
Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. 108.34
38 Verumtamen in imagine pertranſit homo. 32.4
40 Magnificauit ſuper me ſupplantationem. 125.5
Qui edebat panes meos, &c. 214.13
Etenim homo pacis meæ in quo ſperaui, &c. 175.3
Vniuerſum ſtratum eius verſaſti; &c. 188.31
41 Introibo in locum tabernaculi, &c. 38.23
Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, &c. 170.15
44 Audi filia, & vide, &c. 38.22. & 55.10. & 241.6
Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu de aurato. 43.7
Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, &c. 107.31. & 182.13. & 186.25
Myrrha, & gutta, & caſſia, &c. 234.32
45 Adiuuabit eam Deus manè diluculo, &c. 270.17
Vacate, & videte. 240.1
47 In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. 248.8
48 Frater non redimit. 189.33
Homo cùm in honore eſſet, &c. 241.7
50 Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. 64.35
Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, &c. 136.24. & 137.27. & 28
51 Apprehendite diſciplinam, &c. 215.10
52 Dominus diſſipauit oſſa eorum, &c. 250.17
54 Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? 61.29
58 Lingua eorum gladius acutus. 50.26
Ne occidas eos, &c. 257.6
59 Dediſti metuentibus te ſignificationem, &c. 215.16
61 Diuitiæ ſi affluant, &c. 103.19. 148.7
64 Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, &c. 75.5
65 Tranſiuimus per ignem, & aquam, &c. 125.29
67 Si dormiatis inter medios cleros, &c. 101.14
68 In me pſallebant, &c. 128.5
72 Deieciſti eos, dum alleuarentur. 14.2
73 Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto! 175.3
Leua manus tuas in ſuperbias, &c. 250.17
75 De cœlo auditum feciſti, &c. 273.4
77 Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, &c. 26.30
Occidit in grandine vineas eorum. 48.10. 59.22.
79 Operuit montes vmbra eius, &c. 48.10
Qui ſedes ſuper Cherubim, &c. 217.10
Singularis ferus depaſtus eſt eam. 246.6
80 Benedixiſti Domine terram tuam, &c. 269.14
88 Et concidam inimicos eius à facie illius. 165.6
93 Beatus homo quem tu erudieris, &c. 171.22
Qui fingis laborem in præcepto. 206.9
101 Paucitatem dierum meorum nuntia mihi. 172.24
102 Illic naues pertranſibunt. 234.34
103 Amictus lumine ſicut veſtimento. 43.6
Super montes ſtabunt aquæ. 57.19
Aſcendunt montes &c. 200.13
Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, &c. 39.25
Saturabuntur ligna campi. 138.29
104 Eloquium Domini inflammauit eum, &c. 31.2
Miſit Rex, & ſoluit eum, &c. 66.39
Intrauit Iſrael in Ægyptum, &c. 159.2
105 Concupierunt concupiſcentiam in deſerto. 9.13
In ſeruum venundatus eſt Ioſeph. 12.22
Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem, &c. 109.36
106 Qui deſcendunt mare in manibus, &c. 105.28
109 Tu es Sacerdus in æternum, &c. 172.25
111 Paratum cor eius ſperare in Domino, &c. 22.20
112 Qui in altis habitabas, & humilia reſpicit. 51.3
113 Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, &c. 116.6
Simulacra gentium argentum, &c. 139.33
118 Fiant tanquàm fœnum tectorum, 143.7
129 Mirabilia teſtimonia tua Domine, &c. 146.3
130 Nec ambulaui in magnis, &c. 35.13
131 Memento Domine Dauid, &c. 35.12
Surge Domine in requiem tuam, &c. 46.16
Si introiero in tabernaculum domus meæ, &c. 65.40
Paraui lucernam Chriſto meo. 76.7
135 Eripe me Domine ab homine malo, &c. 268.10
136 Super flumina Babylonis, &c. 46.15
Cùm tu timeri vis à minore, &c. 159.2
138 Et dixi forſan tenebræ conculcabunt me. 86.34
Nox illuminatio mea in delicijs meis. 89.40
Proba me Domine, &c. 125.29
139 Habitabunt recti cum vultu tuo. 100.11
140 Pone Domine cuſtodiam ori ori meo, &c. 88.39
141 Quoniam altaris ſupplicio melior factus non eſt, &c. 215.16
144 Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, &c. 119.15
Fidelis Dominus in verbis ſuis, &c. 220.16

Ex Prouerbiis.

1 Ego quoque in interitu veſtro ridebo, &c. 250.15
Conuertimini ad correctionem meam, &c. 265.4
3 Honora Deum de tua ſubſtantia, &c. 226.1
4 Ego filius fui patris mei tenellus, &c. 3.8
Ne declines ad dexteram, &c. 59.25
Vias quæ à dextris ſunt, nouit Dominus. ibid.

Fauus

5 Fauus diſtillans labia meretricis, &c. 184.16
Deriuentur fontes tui foras, &c. 40.26
6 Si verò impiger fueris, &c. 83.55
6 Ecce occurrit illi mulier, &c. 213.10
7 Dominus poſſedit me. 259.5
9 Sapientia ædificauit ſibi domum, &c. 83.27
13 Vult, & non vult piger, &c. 32.4
Verbum mendax iuſtus deteſtabitur, &c 265.3
15 Os impiorum deuorat iniquitatem. 184.16
16 In hilaritate vultus Regis, &c. 170.17
19 Piger abſcondit manum ſuam, &c. 247.9
24 Per agrum hominis pigri tranſiui, &c. 59.22
26 Leo eſt in via. 134 21
27 Stillicidia eiiciunt hominem in die hyemali de domo ſua. 156.10
30 Et Rex, nec eſt qui reſiſtat ei. 224.25
31 Facta eſt quaſi nauis inſtitoris. 103.52
Confidit in ea cor viri ſui, &c. 235 35

Ex Eccleſiaſte.

1 Qui addit ſcientiam, addit & laborem, *alij*, dolorem. 58.21
Sapientis oculi in capite. 147.6
2 Coacernaui mihi argentum, &c. 140.38
Magnificaui opera mea, &c. 266.6
4 Stultus complicat manus ſuas, &c. 260.9
5 Vbi multæ ſunt opes, &c. 139.34
6 Eſt & aliud malum, &c. 247.9
7 Noli eſſe iuſtus multum, &c. 59.25
Melius eſt ire ad domum luctus, &c. 275.10
12 Verba ſapientum ſicut ſtimuli, &c. 97.6

Ex Canticis Canticorum.

1 Equitatui meo, &c. 55.59. & 28. 37. & 178. 3. & 193. 6
Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, &c. 38 5
Introduxit me Rex in cellaria ſua. 36.15
Oleum effuſum nomen tuum. 41.1
Ecce iſte venit ſaliens in montibus. 46.16
Indica mihi quem diligit anima mea, &c. 50 27. & 51. 1. 84.28. & 150.13. & 191.1
Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, &c. 61.29
Tigna domorum noſtrarum cedrina. 130.10
Trahe me, poſt te curremus, &c. 109.36. & 210.3
Oſculetur me oſculo oris ſui, &c. 163.1
2 Ego flos campi, &c. 62.35
En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, &c. 76.8
Ecce iſte venit ſaliens in montibus. 95.14
Sub vmbra illius, &c. 151.15
Oſtende mihi faciem tuam, &c. 179.5
Fulcite me floribus, &c. 210.3
Surge amica mea, &c. 274.8
3 Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, &c. 4.9. & 158.16
Inueni quem diligit anima mea, &c. 17.10
En lectulum Salomonis, &c. 68.1. & 93.9. & 241.4
Egredimini filiæ Sion, &c. 79.16. & 147.6. & 163.1
Per vicos, & plateas, &c. 88 11
Surgam, & circuibo ciuitatem, &c. 98.7
Tenui eum, nec dimittam, &c. 207 11
4 Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa, &c. 36.16. & 87.36
Hortus concluſus, fons ſignatus. 40.26
Sicut turris Dauid collum tuum, &c. 88.38. & 103.21
Mel & lac ſub lingua eius. 148.8
Vulneraſti cor meum ſoror mea, &c. 150.14
Dentes tui ſicut greges tonſarum, &c. 178.3
Capilli tui ſicut greges caprarum, &c. 179.6
Pulchra vt Luna, &c. 268.11
5 Species eius vt Libani, electus vt Cedri. 52.3
Labia eius lilia, &c. 88.39
Dilectus meus miſit manum per foramen, &c. 97.4
Caput eius aurum optimum. 102.16
Crura eius columnæ marmoreæ, &c. 105.26
Venter eius eburneus, &c. 130.12
Veni in hortum meum, &c. 235.35
6 Terribilis vt caſtrorum acies ordinata. 242.6
7 Manè ſurgamus ad vineas &c. 58.22
Collum tuum ſicut turris eburnea. 131.13
Guttur tuum ſicut vinum optimum, &c. 150.14
Naſus tuus ſicut turris Libani, &c. 204.4
Veni dilecte mi, &c. 268.11
8 Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, &c. 47.27
Ego murus, ſed vbera mea ſicut turris. 51 2. & 136.24
Lampades eius lampades ignis, &c. 76. & 7 179.5
Quid faciemus ſorori noſtræ in die, &c. 88.39

Ex Sapientia.

5 Spes impij tanquam lanugo eſt, &c. 267.9
7 Vapor eſt virtutis Dei, &c. 8.13
8 Habebo propter hanc claritatem ad turbas, &c. 3.6

Ex Eccleſiaſtico.

3 Quaſi appoſitiones epularum, &c. 247.9
5 De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu. 112.42
7 Melius eſt ire ad domum luctus, &c. 171.21
11 Qui obſeruat ventum, &c. 240.2
17 Quid lucidius ſole, &c. 231.25
19 Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, &c. 216.17
20 Sapientia abſcondita, &c. 67.cap.7
Concupiſcentia ſpadonis, deuirginabit iuuenculam, &c. 118 4
24 ſicut platanus exaltata ſum. &c. 69 5
Ego ex ore Altiſſimi prodiui. 133.17
26 Sicut Sol oriens in mundo, &c. 129.9
41 Non eſt bonum omnem reuerentiam obſeruare. 248.10
49 Ipſe eſt directus diuinitùs in pœnitentia gentis, &c. 91. 6

Ex Iſaia.

1 Væ genti peccatrici, &c. 155.8
Niſi Dominus exercituum, &c. 160.3
Quò mihi multitudinem victimarum? &c. 256. 3. & 263.16
Iſrael autem me non cognouit, &c. 257.5
Vulnus & liuor, &c. 273.5
2 Ingredere in petram, &c. 274.8
3 Dominus exercituum auferet à Ieruſalem. 115.4
Apprehendet enim vir fratrem ſuum, &c.
4 Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa, &c. 216.19
Si abluerit Dominus ſordes, &c. 55.12. &. 62.31
6 Sanctus, Sanctus, Sanctus. 110.16
Audiui verbum Domini, dicentis: Quem mittam? &c. 169.15
Seraphin ſtabant ſuper illud, &c. 269.14
7 Ecce virgo concipiet, &c. 25.19. & 44.10
9 Vocabitur nomen eius, Admirabilis, &c. 44.10. & 225.8
Paruulus enim natus eſt nobis, &c. 19.14. & 563.15
10 Dixit enim in fortitudine manus meæ feci. 253.25
11 Habitabit lupus cum agno, &c 91 5
13 Dicebas in corde tuo, In cœlum conſcendam, &c. 220. 10
14 Quomodo cecidiſti Lucifer. 54.2. & 144.9
De radice colubri, &c. 266.6
23 Erubeſce, Sidon, ait mare. 138.31
26 Domine dabis pacem nobis, &c. 40.26
Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, &c. 137.27
27 Germinabit, & florebit Iſrael, &c. 260.7
33 Angeli pacis amarè flebunt. 234.31
35 Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos. 157.14
38 Ecce dies venient, &c. 135.23
40 Omnis caro fœnum, &c. 267.9
42 Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos, & extendens eos. 73.2
44 Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos, &c. 61.29
45 Rorate cœli deſuper. 535.16
47 Deſcende, & ſede in puluere, &c. 587. 26
49 Reges videbunt, & conſurgent Principes, &c. 120.18
50 Eleuare, eleuare. 274.6
52 Quàm pulchri pedes euangelizantium pacem. 140 36
53 Generationem eius quis enarrabit? 89 40
In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus. 274.6
60 Mamilla Regum lactaberis. 36.16. & 91.5

61 Indumento

61 Indumento iuſtitiæ circundedit me, &c. 77.11
63 Torcular calcaui ſolus, &c. 227.14
64 Omnia deſiderabilia noſtra, &c. 194.3
65 Ecce ſerui mei comedent, &c. 234.33
Secundùm dies ligni, &c. 264.1
66 Lætamini cum Ieruſalem, &c. 42.4
Qui immolat bouem, &c. 263.16

Ex Ieremia.

1 A, a, a, Domine Deus, &c. 64.37
Priuſquam te formarem in vtero, &c. 258.3
Virgam vigilantem ego video. 265.3
Quid tu vides, Ieremia? 265.4
3 Patrem vocatis me, &c. 173.25
5 Equi amatores, & emiſſarij facti ſunt, &c. 25.29
6 Luctum vnigeniti fac tibi, &c. 229.19
7 Perdix fouit, quæ non peperit. 69.5
Sta in porta domus Domini, &c. 99.10
Bonas facite vias veſtras, &c. ibid.11
Tu ergo noli orare, &c. 199.8
11 Oliuam vberem &c. 219.6
17 Paueant illi, & non paueam ego. 200.9

Ex Threnis.

1 Vide, Domine, quoniam tribulor, &c. 198.3
2 Magna eſt velut mare contritio tua, 108.32
Matribus ſuis dixerunt: Vbi eſt triticum, &c. 193.5. & 204.1
3 Quia non repellet in ſempiternum Dominus, &c. 144.8
4 Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in in peccatis noſtris, &c. 9.15. & 148.7

Ex Baruch.

3 Diſce Iſrael, vbi ſit prudentia, &c. 157.15
Agglutinata ſunt nobis mala. 165.5

Ex Ezechiele.

2 Et vidi, & ecce manus miſſa, &c. 223.3
Et ſcriptæ erant in eo lamentationes, &c. 108.32
8 Ecce omnis ſimilitudo reptilium, &c. 109.36
13 Erit enim imber inundans, &c. 14.2
16 Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ. 153.1
17 Spreuerat iuramentum, vt ſolueret fœdus, &c. 19.16
23 Quorum carnes ſunt, vt carnes aſinorum, &c. 186.14
Ebrietate & dolore repleberis, &c. 236.38
24 Ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, &c. 114.1
27 In aquis multis adduxerunt te remiges tui, &c. 50.25
28 In deliciis Paradiſi Dei fuiſti, &c. 11.22
29 Ego ad te Pharao Rex Ægypti, &c. 214.14. & 266.6
34 Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, &c. 191.1
43 Et Ariel quatuor cubitorum. 134.19
44 Neque aſcendet ſuper quicquam laneum, &c. 97.5

Ex Daniele.

Vt introduceret de filiis Iſrael, &c. 160.4
Anno tertio regni Ioachim, &c. 168.11
Si viderit vultus veſtros, &c. 255.1
2 Daniel ingreſſus rogauit Regem, &c. 21.19
Ecce quaſi ſtatua vna grandis, &c. 118.11
Et abſciſſus eſt lapis ſine manibus. 133.19
Videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis, &c. 173.26
Ecce ego video quatuor viros ſolutos, &c. 219.8
3 Contemplabantur, quoniam nihil poteſtatis habuiſſet ignis, &c. 99.10
Vincti cum braccis, & tiaris, &c. 106.29
Vno ore laudabant, & glorificabant, &c. 119.13
Statim vt audierunt omnes populi ſonitum tubæ, &c. 148.9
Rex in æternum viue. 172.14
Ecce ego video quatuor viros ſolutos, &c. 253.25
Contemplabantur viros illos, &c. 201.12
Et nihil corruptionis eſt in eis. 406.8

Non oportet nos de hac re reſpondere tibi. 226.12
Ambulabant in medio flammæ, &c. 230.21
Erupit, & incendit quos reperit, &c. 247.8
4 Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius. 2.2
Reſpondit Baltaſar Regi, &c. 8.12
Magna arbor & fortis, &c. 21.18
Ego ſcio quòd ſpiritum ſanctorum Deorum habeas in te, &c. 61.30
Igitur poſt finem dierum, &c. 123.23
Germen radicum eius in terra ſinite. 172.23
5 Diuiſum eſt regnum tuum, &c. 224.4
6 Tunc Rex præcepit. 15.5
7 Aſpiciebam ergo in viſione noctis, &c. 78.14
Vidi quoniam interfecta eſſet beſtia, &c. 213.12
13 Cùm duceretur ad mortem, &c. 19.14
Excitauit Dominus ſpiritum ſanctum pueri adoleſcentis, &c. 71.8
Suſcitauit Dominus ſpiritum ſanctum, &c 131.12
14 Animaduerte, cuius veſtigia ſunt hæc. 226.12

Ex Oſea.

1 Accepit Gomer filiam Debelaim, &c. 13.24
Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, &c. 45.14. & 74.3. & 4.
Concepit adhuc, & peperit filiam, &c. 163.2
2 Et iudicabit gentes, &c. 74.10
Hæc vltio miſericordiæ plena eſt, &c. 77.10
Argentum multiplicaui ei, &c. 164.3
Indicate matrem veſtram, &c. 249.13
Sepiam viam tuam ſpinis, &c. 254.25
Ego dedi ei frumentum, &c. 210.9
4 Sicut vacca laſciuiens, &c. 47.18. & 163.2. & 164.4
Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos, &c 57.19
Super capita montium ſacrificabant, &c. 84.30. & 116.7
Et paſcet eos Dominus, &c. 166.9. & 197.1
Si fornicaris tu Iſrael, &c. 167.11
Quia tu ſcientiam repuliſti, &c. 257.5
5 Ephraim in deſolatione, &c. 195.13
6 Quid faciam tibi Ephraim, &c. 63.35. & 167.10
Ipſi autem ſicut Adam præuaricati ſunt pactum meum. 93.18
Ipſe cœpit, & ſanauit nos, &c. 127.2
7 Cœperunt Principes furere à vino. 128.5
In domo Iſrael vidi horrendum, &c. 214.4
Reuelata eſt iniquitas Ephraim, &c. 159.1
Ægyptum inuocabant, &c. 183.14
Non clamauerunt ad me in corde ſuo, &c. 190.34
In malitia ſua ædificauerunt Regem, &c 210.5
Operati ſunt mendacium, &c. 211.7
8 Omnes nequitiæ eorum in Galgal, &c. 15.5
Ipſi regnauerunt, & non ex me, &c. 120.17
Me inuocabant, Deus meus, &c. 121.18
Deuoratus eſt Iſrael, &c. 144.9
In gutture tuo ſit tuba, &c. 159.1
Argentum, & aurum ſuum, &c, 256.2
10 Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, &c. 11.21
Ex diebus Gabaa peccauit Iſrael, &c. 155.7
Diuiſum eſt cor meum, nunc interibunt. 245.2
11 Iudas autem teſtis deſcendit cum Deo, &c. 120.16
12 Ephraim paſcit ventum, ſequitur æſtum, &c. 9.14. & 153.1
Fugit Iacob in terram Syriæ, &c. 164.4
In vtero ſupplantauit fratrem ſuum, &c. 148.9
13 Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, &c. 15.5. & 16.7
De manu mortis liberabo eos, &c. 209.1
14 Ero quaſi ros Iſrael, &c. 77.11
Conuertentur ſedentes in vmbra eius, &c. 85.30

Ex Ioele.

2 Erit poſt hæc, effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, &c. 66.42. & 73.1
Nolite timere animalia regionis, &c. 87.37
4 Filij Sion exaltate, &c. 85.30

Ex Amos.

2 Stridebo ſuper vos, &c. 53.5
Propter hæc dicit Dominus, &c 224.7
3 Audite verbum quod locutus eſt Dominus ſuper vos, &c. 46.15
6 Sicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. 140.35

Væ qui opulenti eſtis in Sioo, &c. 152.1
Quoniam conuertiſtis in amaritudioem iudicium, &c. 164.4
8 Circuibunt quærentes verbum Domini. 215. 4
Iurauit Dominus in ſuperbia Iacob, &c 155.8

Ex Iona.

1 Factum eſt verbum Domini ad Ionam filium Amathi, &c. 129.7.
Et facta eſt tempeſtas magna in mari, &c. 246.6.

Ex Nahum.

1 Tremuit terra à facie eius, &c. 170. 27.

Ex Habacuc.

1 Aggrauas contra te denſum lutum. 140.36
Ipſe de Regibus triumphabit, &c. 222. 24. & 250. 25
2 Væ qui multiplicat non ſua, &c. 574. 2
Væ, qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, &c. 175. 2
3 Viam feciſti in mari equis tuis. 233.30
Aſpexit Deus, & diſſoluit gentes. 249. 12

Ex Sophonia.

1 Diſperierunt omnes inuoluti argento. 50. 27. & 140. 30
4 Viſitabo omnem, qui arroganter ingreditur. 50. 28.

Ex Aggeo.

1 Qoi merces congregauit, &c. 167.10
Et dixit Aggæus nnntius Domini, &c. 252. 20
2 Et veoiet deſideratus cunctis gentibus, &c. 92.5

Ex Zacharia.

3 Domine, opus tuum in medio annorum viuifica illud 19. 14
Ego cælabo ſculpturam eius, &c. 20.18
Dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic aſſiſtunt. 59. 22.
5 Ecce video volumen volans, &c. 20. 56
Ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ. 148. 18
Ecce duæ mulieres, &c. 278. 17
6 Factum verbum Domini ad me, &c. 158. 16
11 O Paſtor, & Idolum! 14. 4. & 135.21. & 251. 17

Ex Malachia.

1 Dixit Dominus, & dilexi Iacob, Eſau autem odio habui. 21. 19
2 Tu quoque ſi vis Cherubim fieri, potes. 102. 18

Ex I. Machabaeorum.

6 Vt audiuit Rex ſermones iſtos, &c. 236 38
13 Circumpoſuit columnas magnas, &c. 106. 29.

Ex II. Machabaeorum.

3 Apparuit autem illis equus, &c. 193 6
5 Iaſon verò non parcebat, &c. 251.18.
7 Iuſſit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam, &c. 80.18. & 165.5
Nouiſſimè autem poſt filios mater conſumpta eſt. 199.5. & 201.12. & 268.12.
Iuſſit ei, qui prior fuerat locutus, &c. 201.12.
Poteſtatem inter homines habens, &c. 214. 12
Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis, &c. 229.20

EX NOVO
Teſtamento.

Ex Matthaeo.

ABRAHAM genoit Iſaac, &c. 41.2. & 157. 22
Chriſti autem generatio ſic erat. 103. 20
Vidimus ſtellam eius in Oriente, &c. 34. 8.
Accipe puerum, & Mariam matrem eius, &c. 63.34
Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæotum? 90. 2. & 155. 15. & 226. 13
Ecce Magi ab Oriente venerunt, &c. 147.5
Iotrantes domum, inueneruot puerum, & Mariam matrem, &c. 147. 6.
Videntes ſtellam, &c. 147. 7
Gauiſi ſunt gaudio magno valde, &c. 148.8
Aurum, thus, & myrrham. 550.12
Reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, &c. 153. 2
Et tu Bethleem terra Iuda, &c. 212.9.
Ceoturio autem, & qui cum eo erat, &c. 270. 17.
3 Ecce vox de cœlo, &c. 58. 20
Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. 198. 3
Genimina viperarum. 212.8
4 Dic vt lapides iſti panes fiant. 33.6. & 96.2
Iterum aſſumpſit eum diabolus, &c. 49.24
Relictis retibus, & patre, &c. 54. 10
Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum, &c. 58.20
Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores, &c. 85. 31. & 109. 36
Tunc aſſumpſit eum diabolus, &c. 251.19
5 Pater noſter qoi es in cœlis. 105. 14. & 189.33
Beati pauperes ſpiritu, &c. 104.22
Ego autem dico vobis non iurare omnino. 121.19
Sit in ore veſtro Eſt, eſt, &c. 521. 20
Sanctificetur nomen tuum. 142.4
Audiſtis quia dictum eſt aotiquis, &c. 182. 11
6 Beati pacifici, &c. 11.20
Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum. 64. 37.
Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, &c. 70.6
Diligite inimicos veſtros, &c. 96. 3.
Solem ſuum facit oriri ſuper bonos, &c. 132.15
Beati pauperes ſpiritu. 149.11
Nec Salomon in omni gloria ſua veſtitus eſt, &c. 158. 17.
Quem ego decollaui Ioannem, &c. 271.20
7 Attendite vobis à falſis prophetis, &c. 41.2
Non omnis qui dicit mihi, Domine, &c. 60.27
Non eſt bonum ſumere panem filiorum, &c. 195.11
8 At illi exeuntes abierunt in porcos, &c. 201.14
9 Dicebat intra ſe: Si tetigero, &c. 32.3. & 44.8
Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis, &c. 83. 26.
Cùm traoſiret iode Ieſus, &c. 160.4. & 174.1
Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, &c. 197. 2
10 Quando perſecuti vos fuerint in hac ciuitate, &c. 122. 20
Veſtri capilli capitis omoes numerati ſunt. 279.5
11 Dauid autem Rex genuit Salomooem, &c. 54.9
Venite ad me omnes, &c. 94.13. & 98.8
Turbæ autem quæ præcedebant, &c. 221.11
A diebus Ioanois Baptiſtæ, &c. 50.225
12 Simile eſt regnum cœlorum homini Regi. 35. 12

Nou

Index locorum

Non legiſtis quid fecerit Dauid, &c. 52.3
Dico autem vobis, qnnd nmoe verbum otioſum, &c. ibid. 4.
Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, &c. 93 9
Venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. 146. 2
Regina Auſtri ſurget in iudicio, &c. 146. 4
Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti, &c. 221. 11
13 Simile eſt regnum cœlorum theſauro, &c. 268.11
14 Domine ſaluum me fac. 142. 2.
15 Ecce mulier Chananæa, &c. 59.9
16 Tu es Petrus, &c. 8.11
Tunc præcepit diſcipulis ſuis, &c. 29.9
Quem dicunt homines eſſe filium hominis. 42. 4. & 105. 26.
Si quis vult venire poſt me, &c. 215.3
Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, &c. 202. 14
17 Hic eſt filius meus dilectus, &c. 8. 11
Centurio autem, & qui cum eo erant, &c. 47.19
Reſplenduit facies eius ſicut Sol, &c. 107.30. & 177. & 180.7. & 182.13.
Aſſumpſit Ieſus Petrum, &c. 123. 22
Ecce nubes lucida, &c. 183.15. & 230.23
18 Quis putas maior eſt in regno cœlorum 49.24
Scio quòd Ieſum qui crucifixus eſt, quæritis, &c. 76.9
Vbi enim ſunt duo, vel tres, &c. 94.11
Egreſſus autem ſeruus illius, &c. 270.16
20 Dic vt ſedeant hi duo filij mei, &c. 11. 21
Ieſus autem vocauit eos ad ſe, &c. 14. 4
Sedere autem ad dexteram meam, &c 17. 10
Principes gentium dominantur eorum, &c. 18.11
Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c. 32. 3
Sedebitis & vos ſuper duodecim ſedes, &c. 17.10
Neſcitis quid petatis. 43.4
Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? 59. 24
Egreſſus circa horam tertiam, &c. 125. 27
Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi, &c. 212. 8
Exiit primo manè, &c. 262. 12
21 Hoc factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam, &c. 1.1. & 2.
Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, &c. 2. 3.
Adduxerunt aſinam, & pullum, &c. 2.4. & 5. & 147.4. & 209 1
Turbæ autem, quæ præcedebant, &c. 3.8.
Inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, &c. 19. 14
Plurima turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. 43. 6
Homo erat paterfamilias, &c. 46.26
Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus, &c. 79. 17
Auferetur à vobis regnum Dei, &c. 136. 25
Et areſacta eſt ficus. 100. 13
Cùm ergo venerit Dominus vineæ, &c. 255 1
Locauit eam agricolis. ibid.
Hic eſt hæres, venite. 270.18
22 Ligatis manibus, & pedibus, &c. 46.15
Erunt ſicut Angeli Dei. 202. 18
Dicite inuitatis, &c. 184.16
23 Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, &c. 112.43
Væ vobis ſcribæ, &c. 212. 9
Dum autem irent emere, &c. 262. 13
24 Poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur, &c. 10.18
Egreſſus Ieſus de templo ibat. 24. 25
Sicut autem in diebus Noë, &c. 26.30
Vbicumque fuerit corpus, &c. 27.35
Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, &c. 43.6. & 183.15
Sol obſcurabitur, &c. 60.26
25 Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas, &c. 4.9
Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam. 8.12
Statuet oues à dextris. 43. 6
Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. 84.29
Non ſumpſerunt oleum ſecum. 103.19
Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? 139. 33
Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. 159. 1
Quæ paratæ erant, &c. 161. 6
Simile eſt regnum cœlorum, &c. 225.10
Videbunt filium hominis venientem, &c. 230.23
Dum autem irent emere, &c. 262.14
26 Tunc dixit illis Ieſus: Omnes vos ſcandalum patiemini, &c. 14. 3
Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, &c. 53. 6
Vnus veſtrûm me traditurus eſt. 60. 26. & 168. 12. & 170. 18.
Erant autem ibi mulieres multæ à longè, &c. 71.9
Hic eſt enim ſanguis meus, &c. 83.26
Non bibam à modò de hoc genimine, &c. 83.26. & 84. 29. & 141. 2.
Egreſſus foras fleuit amarè. 201.25
Quid moleſti eſtis huic mulieri?
Veſpere autem facto diſcubuit Ieſus, &c. 128.5
Apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis. 129. 8
Amen dico tibi, &c. 149.10. & 201. 11
Verumtamen dico vobis, à modo videbitis, &c. 159. 2
Quid ad nos. 176. 7
Cœnantibus autem eis, &c. 207.12. & 233.30
Amice, ad quid veniſti? 219.6. & 219.7.
Confeſtim accedens ad Ieſum dixit, &c. 220. 8
Spiritus quidem promptus eſt, &c. 248. 11
Accepit Ieſus panem, & benedixit, &c. 252.22
Conuerte gladium tuum, &c. 263.15
Tunc cœpit deteſtari, &c. 265.3
Oſculatus eſt eum. 267.10
Non reſpondit ei verbum, &c. 5. 2
Tunc crucifixi ſunt cum eo latrones, &c. 25. 4
Sedente Pilato pro tribunali, &c. 20. 17
Non licet eos mittere in corbonam, &c. 36.16
Miſit ad eum vxor eius, dicens, &c. 47. 17.
Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me. 58.20
Plectentes coronam ſpineam, &c. 62.32. & 68.2
Sedente Pilato pro tribunali, &c. 76. 9
Chlamidem coccineam circundederunt ei, &c. 99.9. & 222. 14.
Ieſus emiſit ſpiritum, &c. 229.14
Ite, nunciate fratribus meis, &c. 129.8
Cùm guſtaſſet noluit bibere. 241.2
Prætereuntes autem blaſphemabant eum, &c. 148.8
A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt, &c. 162. 9. & & 217.2. & 126 .11.
Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, &c. 176.6
Erant autem ibi mulieres, &c. ibid. 7.
Suſcipientes Ieſum in prætorium, &c. 192. 2
Etiamſi oportuerit me mori tecum, &c. 256.12
Et terra mota eſt, &c. 198. 3
Prætereuntes blaſphemabant eum, &c. 202. 14
Accepto corpore Ioſeph, &c. 203. 16
Ecce velum templi ſciſſum eſt, &c. 215.16. & 240.2
Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram. 215. 17
Videns autem Iudas qui tradidit eum, &c. 236.38
Exuentes eum chlamydem, &c. 232. 26
28 Exterriti ſunt cuſtodes, &c. 16.6
Ecce Ieſus occurrit illis, &c. 17.10
Venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulcrum. 31. 3
Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, &c. 47. 19.
Tunc videns Iudas, &c. 48. 21
Conſilio inito emerunt ex illis agrum figuli, &c. ibid. 22
Baptizantes eos in nomine Patris, &c. 55.13
Ecce Ieſus occurrit illis, &c. 243.9
18 Aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini Regi, &c. 74. 2

Ex Marco.

1 Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, &c. 212.44
Fuit Ioannes in deſerto baptizans, &c. 271. 19

Quis

5 Quis tetigit veſtimenta mea? 105.26
9 Reſpondens Petrus ait Ieſu: Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe, &c. 115.5
13 De die autem illo, vel hora nemo ſcit, &c. 5.3
14 At ille negauit, dicens, &c. 215.5
Traditor autem dederat eis ſignum, &c. 275.4
15 Venit Ioſeph ab Arimathæa, &c. 228.18
16 In nomine meo dæmonia eiicient. 110.38

Ex Luca.

1 Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco 9.1
Miſſus eſt Angelus Gabriel, &c. 6.8.& 127.3.& 132.14.
Et ecce Eliſabeth cognata tua, &c. 33.6
Fecit mihi magna qui potens eſt. 53.7
Factum eſt autem cùm ſacerdotio fungeretur Zacharias, &c. 66.41
Aue gratia plena. ibid.& 90.3
Et regnabit in domo Iacob, &c. 68.2
Poſtulans pugillarem ſcripſit: Ioannes eſt nomen eius, &c. 73.1
Puer autem creſcebat, &c. 95.14
Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, &c. 114.3.& 118.10.
Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, 124.26
Quoniam virum non cognoſco, &c. 228.4
Ecce Ancilla Domini, &c. 232.16
Ingreſſus Angelus ad eam, &c. ibid.4
Intrauit in domum Zachariæ, &c. 185.19
Ecce eris tacens, &c. 204.3
Quid putas puer iſte erit, &c. 251.20
Manus Domini erat cum illo. 252.21
2 Inuenietis infantem pannis inuolutum, &c. 8.13
Et paſtores erant in regione eadem, &c. 22.20
Venit in ſpiritu in templum. 31.2
Ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, &c. 34.8
Nunc dimitte ſeruum tuum Domine, &c. 40.26
Quæ non diſcedebat de templo, &c. 37.17
Exiit edictum à Cæſare Auguſto, &c. 51.2.37.19.& 151.16.& 159.2.161.7
Cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, &c. 51.1
Ecce homo erat in Hieruſalem, &c. 66.40.& 94.11
Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit. 71.10
Reclinauit in præſepio, &c. 152.9
Tranſeamus vſque Bethleem, &c. 96.2
Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, &c. 105.25
Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, &c. 180.7
Tulerunt Ieſum in Ieruſalem, &c. 195.11
Peperit filium ſuum primogenitum, &c. 216.18
Claritas Dei circumfulſit illos. 11.26
3 Factum eſt cùm baptizaretur omnis populus, &c. 27.33.& 216.18
Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit. 71.9
Qui putabatur filius Ioſeph, &c. 157.12
4 Quid nobis, & tibi, Ieſu Nazarene. 128.16
Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, &c. 172.22
Hæc omnia tibi dabo, &c. 210.4
5 Qui relictis omnibus, &c. 270.17
7 Remittuntur tibi peccata, &c. 30.41
Ecce defunctus efferebatur, &c. 69.4
Stans retrò lachrymis cœpit lauare pedes eius. 89.41. & 101.15
Fides tua te ſaluam fecit, &c. 108.33
Vt cognouit quòd accubuiſſet Ieſus, &c. 171.19
Ecce mulier in ciuitate peccatrix, &c. 180.7.& 8
Vade in pace. 190.34
Cùm autem Ieſus appropinquaſſet portæ, &c. 259.4
Et lachrymis rigabat pedes eius. 270.16
9 Permitte mihi primum ire, &c. 70.6
Sunt aliqui hic ſtantes, &c. 94.11
Dico autem vobis verè, &c. 256.3
10 Quæ ſedens ſecus pedes domini, &c. 27.10
10 Neminem per viam ſalutaueris. 70.7
Et appropians alligauit vulnera eius, &c. 111.40
Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, &c. 130.11.& 133.17.& 141.1
Maria optimam partem elegit. 138.29
Videbam Satanam ſicut fulgur, &c. 213.11
11 Cùm immundus ſpiritus exierit, &c. 49.25
Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis, &c. 198.3
Noli mihi moleſtus eſſe, &c. 262.14
12 Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit, &c. 8.12
Deſtruam horrea mea, &c. 139.32
Conſiderate lilia agri, &c. 160.3
Multa bona repoſita in annos plurimos, &c. 237.40
13 Cùm adhuc longè eſſet, &c. 249.12
14 Amice, aſcende ſuperiùs. 60.26
Homo quidam fecit cœnam magnam, &c. 76.9
Quis Rex iturus committere bellum, &c. 240.2
15 Imponit in humeros ſuos gaudens. 29.39
Fili, multa bona recepiſti in vita tua, &c. 47.17
Benedicitur, quia profectus eſt. 49.22
Sanè diſſipauit ſubſtantiam ſuam, &c. 52.2
Adoleſcentior filius peregrè profectus eſt, &c. 72.11
Sepultus fuit in inferno. 140.36
Surgam, & ibo ad patrem meum, &c. 146.2
Vidit illum pater ipſius, &c. 189.33 & 207.12
Cùm autem longè eſſet, vidit illum pater ipſius, &c. 208.13
Epulari autem, & gaudere oportebat, &c. 143.12
Vidit illum pater ipſius, &c. 244.13
Diſſipauit ſubſtantiam ſuam, &c. 246.4
Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, &c. 246.7
Date anulum in manu eius, &c. 251.19
16 Cùm adhuc longè eſſet, &c. 111.41
Habeo quinque fratres. 181.8
17 Regnum cœlorum intra vos eſt. 107.30
18 Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, &c. 165.6
19 Cùm appropinquaſſet Ieſus ad Bethphage, &c. 3.7
Ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho, &c. 36.14
Ite in caſtellum, &c. 37.19
Vocatis autem decem ſeruis, &c. 110.38
21 Cùm audieritis prælia, & ſeditiones, &c. 1.1
Hæc quæ videtis, venient dies, &c. 37.27
Cùm videritis circundari, &c. 162.10
Trademini autem à parentibus, &c. 270.16
22 Vos autem ſedete in ciuitate, &c. 73.1
Areſcentibus hominibus præ timore, &c. 122.21
Et continuò adhuc illo loquente gallus cantauit, &c. 169.16.& 249.12.
Satanas expetiuit vos, &c. 104.10
His autem fieri incipientibus, &c. 243.9
Et cùm tetigiſſet auriculam eius, &c. 269.13
23 Et ſurgens omnis multitudo eorum, &c. 196.6
Pater dimitte illis, &c. 200.10.& 201.11
Qui erat propter ſeditionem quandam, &c. 205.5
Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. 216.20.& 261.10
24 Tu ſolus peregrinus es, &c. 62.32
Oſtendit eis manus, & pedes. 99.9
Ac illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, &c. 234.32

Ex Ioanne.

1 Lazare, veni foras, &c. 4.2
Verbum caro factum eſt, &c. 22.21.& 29.38
Ecce agnus Dei, &c. 33.7
Lux in tenebris lucet, &c. 40.26
Quotquot autem receperunt eum, &c. 42.4
Tu es Simon filius Ionæ, &c. 55.13
In propria venit, &c. 59.23
Vidi ſpiritum deſcendêtem quaſi columbam, &c. 70.6
Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. 93.10.& 129.8
Tu vocaberis Cephas. 12.18
In principio erat Verbum. ibid.
Venerunt, & viderunt, &c. 262.13
2 Quid mihi, & tibi, mulier. 53.7.& 68.2
Multi crediderunt in nomine eius, &c. 60.27
Erant ibi lapideæ hydriæ ſex, &c. 211.41
Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, &c. 152.18
3 Reſpondit Ieſus: Amen amen dico tibi, &c. 5.4
Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c. 6.7

Hic venit nocte ad Ieſum. 236.39
Illum oportet creſcere, me autem minui. 176.2
4 Venite, & videte hominem, *&c.* 12.23
Et nequaquam ego dabo ei, *&c.* 24.27.& 100.12
Venit Ieſus in ciuitatem Samariæ, *&c.* 34.9
Fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem. 96.3
Reliquit ergo mulier hydriam ſuam, *&c.* 108.33
Bene dixiſti quia non habeo virum. 211.39
Mirabantur, quòd cum muliere loqueretur. 118.12
Mulier da mihi bibere. 130.11
Si ſcires donum Dei, *&c.* ibid.
Quomodo tu Iudæus cùm ſis, *&c.* 166.8
5 Quomodo poteſtis vos credere, *&c.* 202.15
Poſtea inuenit eum Ieſus in templo 269.15
6 Facite homines diſcumbere, *&c.* 5.2
Qui manducat meam carnem, *&c.* 43.7
Nonne ego vos duodecim elegi. 55 13.& 176.5
Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, *&c.* 173.25
7 Si circumciſionem homo accepit, *&c.* 208.12
Nunquid ex principibus aliquis, *&c.* 271.21
8 Digito ſcribebat in terra. 5.2
Ille homicida erat ab initio. 41.2
Omnis, qui facit peccatum, *&c.* 266.5
10 Ambulabat Ieſus in templo, *&c.* 260.7
11 Vbi poſuiſtis eum. 5.3
Tollite lapidem. 39.9
Fremuit ſpiritu, *&c.* 45.14
Ieſus ergo, vt vidit Mariam plorantem, *&c.* 72.12
Infirmitas hæc non eſt ad mortem. 135.24
Erat quidam languens, *&c.* 180.8.& 181.10
Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine, *&c.* 211.6
Si dimittimus eum ſic, *&c.* 270.18
12 Turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſet, *&c.* 2.3
Phariſæi dixerunt ad ſemetipſos: videtis, *&c.* 3.6
Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. 9.14
Nunc iudicium eſt mundi, *&c.* 27.35
Maria accepit libram vnguenti nardi piſtici, *&c.* 53.6
Ieſus ergo ante ſex dies Paſchæ, *&c.* 141.1
Fur erat, & loculos habebat. 174.1
13 Sciens Ieſus, quia omnia ei dedit Pater in manus, *&c.* 5.4
Continuò poſt buccellam introiuit in eum Satanas. 21.20.214.13.& 267.10
Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, *&c.* 50. 27. & 116.7
Vos mundi eſtis, ſed non omnes, *&c.* 51.1
Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet. 55.12
Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus, *&c.* 108.33
Sciens Ieſus, quia venit hora eius, *&c.* 234.34
Cùm intinxiſſet panem dedit Iudæ. 239.46
15 Nolite mirari, ſi odit vos mundus, *&c.* 59.24
Hæc omnia facient vobis propter nomen meum. 206.9
Ego elegi vos de mundo, *&c.* 232.26
Nec enim Pater iudicat quenquam, *&c.* 249.13
16 Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. 30. 40
Expedit vobis vt ego vadam, *&c.* 218.5
17 Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, *&c.* 228.18
18 Vnus aſſiſtens miniſtrorum, *&c.* 190.36
Regnum meum non eſt de hoc mundo. 63.34
Sinite hos abire, *&c.* 233.30
Non hunc, ſed Barabbam. 205.5
Dixi vobis, quia ego ſum, *&c.* 226.13
19 Et milites plectentes coronam, *&c.* 29.38
Qui ſe Regem facit. 44.9
Stabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius, *&c.* 69.4. & 129.9.& 148.7.& 218.4 & 235.34.& 36
Venit autem Nicodemus, *&c.* 142.5
Maria ſtabat ad monumentum foris plorans, *&c.* 161.5
Velum templi ſciſſum eſt, *&c.* 166.9
Mulier, ecce filius tuus. 204.2.& 237.42
Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices, *&c.* 192.2
Vnus militum lancea latus eius aperuit, *&c.* 205.6.& 212.8
Tolle, tolle, crucifige eum, *&c.* 221.11.& 224.5
Et baiulans ſibi crucem, *&c.* 235.36
Scripſit autem & titulum Pilatus, *&c.* 254.26
20 Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans, *&c.* 218.5
Hoc cùm dixiſſet, inſufflauit, *&c.* 56.14.& 73.1.
Oſtendit eis manus, & latus. 99.9
Maria autem ſtabat ad monumentum, *&c.* 218.5
Ille alius diſcipulus, *&c.* 241.5
Vna autem Sabbathi, *&c.* 269.15
21 Paſce oues meas, paſce agnos meos. 57.17.& 110.38
Dixit Ieſus Simoni Petro, *&c.* 85.30
Tunica ſuccinxit ſe, *&c.* 108.32
Petre amas me. 191.1

Ex Apoſtolorum actibus.

2 Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, *&c.* 14.1
Factus eſt repentè de cœlo ſonus, *&c.* 61.32
Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, *&c.* 75.4
Vbi manebant Petrus, & Ioannes, *&c.* 117.9
Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, *&c.* 219.8
2 Non enim ſicut vos exiſtimatis, hi ebrij ſunt, *&c.* 77.10
Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, *&c.* 98.8
Cœperunt loqui variis linguis. 106.27
Erant omnes pariter in eodem loco, *&c.* 117.9
3 Aurum & argentum non eſt mihi. 101.16
5 Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, *&c.* 71.8
6 Viderunt faciem eius, ſicut faciem Angeli. 97.5
Intuentes eum omnes, qui ſedebant in Concilio, *&c.* 199.7
7 Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto, *&c.* 62.30.& 97.5
Audientes autem hæc, diſſecabantur cordibus ſuis. *&c.* 72.11
Salomon autem ædificauit illi domum, *&c.* 99.10
Ecce video cœlos apertos, & filium hominis, *&c.* 200.9
Viri fratres, & patres, audite: Deus gloriæ, *&c.* 219.7
8 Date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus, *&c.* 17.11
Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? 83. 27. & 103.21
9 Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, *&c.* 122. 21
10 Vidit cœlum apertum, & deſcendens vas, *&c.* 36. 15.
Aſcendit Petrus in ſuperiora, vt oraret. 79.16
Orationes tuæ aſcenderunt, *&c.* 150.14
Cùm eſſet plenus Spiritu ſancto intendens, *&c.* 161.5
12 Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regia, *&c.* 79.14.& 221.13
13 Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua, *&c.* 243. 10
17 Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, *&c.* 142.4
20 Beatius eſt magis dare, quàm accipere. 42.5
22 Ego ſum vir Iudæus, *&c.* 95.14

Ex Epiſtola Pauli ad Romanos.

2 Qui talia agunt, digni ſunt morte: non ſolùm, *&c.* 188 30
6 Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, *&c.* 115 5
7 Sentio aliam legem in membris meis repugnantem, *&c.* 68.1
8 Ipſi intra nos gemimus. 30.40
9 Si fuerit numerus filiorum Iſraël, *&c.* 127.2
Non enim omnes, qui ex Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ, *&c.* 220.8
Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis, *&c.* 227.14
Dicit enim Scriptura Pharaoni. *&c.* 249.14
10 Quàm pulchri pedes euangelizantium pacem. 140. 36
12 Obſecro itaque vos per miſericordiam Dei, *&c.* 169. 25

Non

Non ſuperbè ſapere, &c. 193.7
13 Reddite ergo omnibus debita, &c. 102.17

Ad Corinthios I.

1 Non in ſapientia Verbi, vt non euacuetur crux Chriſti, &c. 70.7
Stulta mundi elegit Deus, &c. 86.33
Gratias ago Deo meo, quod neminem veſtrûm, &c. 90.3
Videte vocationem veſtram, fratres, &c. 91.5
Viri caput Chriſtus eſt. 178.3
Fidelis Deus, per quem vocati eſtis, &c. 120.16
2 Nam ſi cognouiſſent, &c. 270.18
Sapientiam autem loquimur inter perfectos, &c. 57.16
3 Dominus nouit cogitationes ſapientium, &c. 253.24
7 Mulier innupta, & virgo cogitat, &c. 77.11
Vxori vir debitum reddat, &c. 127.3
Qui habent vxores, &c. 149.11
Qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur, &c. 147.7
9 Neque murmurraueritis, &c. 176.4.& 223.4
Neſcitis quòd hi, qui in ſtadio currunt, &c. 238.43
Scriptum eſt in lege Moyſi: Non alligabis os boui trituranti, &c. 192.3
10 Bibebant de ſpirituali &c. 111.41
Fugite fornicationem: omne enim peccatum, &c. 181.10
11 Qui enim manducat, & bibit indignè, &c. 116.5
12 Non poteſt dicere oculus manui: Opera tua non indigeo, &c. 7.9
15 Non prius, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, &c. 6.6.& 7

Ad Corinthios II.

2 Sufficit illi qui eiuſmodi eſt obiurgatio hæc, &c. 236.38
3 Ita vt non poſſent intendere filij Iſraël, &c. 199.7
4 Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, &c. 519.14
Quod momentaneum & leue eſt, &c. 165.5
5 Scimus enim, quoniam ſi terreſtris, &c. 61.28
8 Altiſſima paupertas illorum abundauit, &c. 143.5.& 6
11 Deſpondi vos vni viro, &c. 599.7
12 Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, &c. 68.1.& 113.44
Ego ſuperimpendar pro animabus veſtris. 124.24

Ad Galatas.

2 Legi mortuus ſum, vt Deo viuam, &c. 100.12
4 Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, 4.1
Miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, &c. 56.14.& 58.20.& 69.5

Ad Epheſios.

1 Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, &c. 237.42
2 Eſtis ciues Sanctorum & domeſtici Dei, &c. 38.22
Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, &c. 39.25.& 94.12
4 Vt eſſetis ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus, &c. 11.20
Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, &c. 3.8

Ad Philippenſes.

2 Dedit illi Deus nomen ſuper omne nomen, &c. 28.36
Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. 90.2
In nomine IESV omne genu flectatur, &c. 145.1
3 Sequor autem, ſi quomodo comprehendam, &c. 225.9

Ad Coloſſenſes.

1 Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, &c. 59.24
3 Mortui enim eſtis, &c. 100.12

Ad Theſſalonicenſes.

2 Factus ſum in medio veſtri ſicut nutrix ſedens, &c. 123.24
4 Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. 25.29
5 Cùm dixerint: Pax & ſecuritas, &c. 26.30

Ad Timotheum I.

3 Non Neophitum, ne in ſuperbiam elatus, &c. 35.13
5 Depoſitum cuſtodi, &c. 98.6

Ad Timotheum II.

2 In magna autem domo, &c. 150.12

Ad Hebraeos.

1 Multifariam multiſque modis olim Deus, &c. 66.42
7 Abrahæ namque promittens Deus, &c. 19.15
9 Arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, &c. 116.6
In quo vrna aurea non erat aliud, &c. 517.10
11 Moyſes grandis factus negauit, &c. 27.33 & 107.29
Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, &c. 97.5.& 180.6
Fide demoratus eſt in terra promiſſionis, &c. 161.7

Ex Iacobo Apoſtolo.

5 Agite nunc diuites, plorate vlulantes, &c. 140.36
Sufferentiam Iob audiſtis. &c. 141.2

Ex Epiſtola I. S.Petri.

1 Velox eſt depoſitio tabernaculi mei. 61.28
2 Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini, &c. 38.20
Quaſi modò geniti infantes, rationabile, &c. 95.1
Ad quem accedens lapidem viuum, eſt. 199.7
5 Neque dominantes in cleris, &c. 125.18

Ex Epiſtola I. S. Ioannis.

5 Eſt peccatum ad mortem, &c. 96.3

Ex Apocalypſi.

2 Habes tenentes doctrinam Balaam, &c. 93.9
3 Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, &c. 110.39
Habeo aduersùs te pauca, &c. 182.12.& 196.14.& 263.17
4 Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, &c. 75.6
Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum, &c. 108.33.& 173.26
6 Ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper illum, &c. 193.6
Vidi ſubtus altare, &c. 571.22
7 Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, &c. 112.43
Audiui numerum ſignatorum, &c. 122.22
9 Audiui vocem vnam, &c. 11.10
10 Vidi alium Angelum fortem, deſcendentem de cœlo, &c. 4.1
Iurauit per viuentem, &c. ibid.
12 Signum magnum apparuit in cœlo, &c. 62.31.& 132.15.& 259.6
Mulier amicta ſole. 133.18
Et in capite eius corona duodecim ſtellarum. 134.20
Venit ad me vnus de ſeptem Angelis, &c. 144.8

Index locorum ſacræ Scripturæ.

Cauda trahebat tertiam partem ſtellarum. 176.5
Audiui vocem magnam in cœlo dicentium, &c. 266.8
13 Agous, qui occiſus eſt ab origine mundi. 7.11. & 39.25
13 Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam, &c. 78.13.
Dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam, &c. ibid.14
Vidi de mari beſtiam aſcendentem, &c. 149.9. & 154.6
Quorum nomina ſcripta non ſont, &c. 271.10
14 Ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion, &c. 145.1
Vocem quam audiui, &c. 170.19
15 Vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, &c. 108.34
16 Beatus qui vigilat, &c. 188.19
17 Veni, oſtendam tibi, &c. 181.9. & 183.15. & 208.7
Et mulier erat circundata purpura, &c. 182.13. & 206.8
Poculum aureum habens in manu ſua, &c. 184.16
Beſtia, quam vidiſti, &c. 196.16
Quare miraris? 203.1
Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam, &c. 213.12. & 231.24
8 Et flebunt, & plaogent, &c. 181.8
De ira fornicationis eius, &c. ibid.9
Quantum glorificauit ſe, &c. 183.14
In poculo, quo miſcuit, &c. 193.6
19 Vide ne feceris, &c. 81.22
Iuſtitia indutus ſum, &c. 132.15
Et vox de throno exiuit, &c. 134.21
Et vidi vnum Angelum ſtantem in Sole, &c. 160.4. & 5
Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum, &c. 161.6
Gaudentes & exultantes, &c. ibid.
21 Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam. 37.19
Vidi cœlum nouum, &c. 273.26

INDEX

INDEX

Rerum, & verborum, quæ hoc quinto Tomo continentur.

Prior numerus paginam, poſterior paragraphum notat

A A

ARON. Aaronis hiſtoria, quando conieeit aurum in fornacem, & formauit vitulum. pag. 102. § 15

A B

Abitio, de morte & paſſione Domini. 77.10
Abſalon. Abſalonis ſymbola. 174. cap. 1
Abſalon occidit Amnonem. 191. cap. 3
Abſalonis reditus agitur. 197. cap. 4
Abſalon reducitur. 203. cap. 5
Abſalonis coniuratio. 208. cap. 6
Eius ruina. 244. cap. 10
Abſtruſum. Abſtruſa quæque manifeſtare diuini eſt Spiritus. 71. § 8

A C

Achitophel. Achitophelis conſilia. 222. cap. 8

A D

Adam. Adam Iſraelitis idololatris aſſimilatus. 93. § 10
Adoleſcens. Adoleſcentum culpæ veniabiles. 243.10
Adonias. Adoniæ conuiuium. 56. 31
Eius, & Iacobi mors. 40. cap. 5.
Adulatio, vide *Blanditiæ*.
Adulator. Adulatorum mendacium corda humana aufert ab obligationibus ſuis. 211. 7
Adulter. Adulter alienarum coniugum, propriæ coniugis adulteris publicis ſolet pnoiri. 224.7

Æ

Æmulatio. Nihil tam pronum ad ſimultates, quàm æmolatio 18.13
Ædificatio. In Chriſto ſingulis horis, & momeotis tota nobis cœleſtis ſurgit ædificatio. 95. 1
Ærumnæ, vide *Afflictiones*.
Ætas. Ætatis virilis facinora ſolet Deus in hominis pueritia præmonſtrare. 11.22
Nulla ætas deſpectui Deo, dum adſit virtus. 37.18
Æternitas. Æternitas tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. 165. 5

A F

Affectus. Affectus omnes humani prætereundi, vbi De cauſa præ oculis habetur. 504.2
Affectus ambientium, vide *Ambitio*.
Afflictio. Afflicti ones & ærumnæ non parum conducunt, vt à peccatis exeamus. 188.31
Afflictiones & luctus pro temporalibus infructuoſi, pro ſpiritualibus autem valde vtiles? 190. 34

A G

Ago. Chriſtianum eſt noo tam loqui, quàm agere. 105.26

A L

Alacritas. Alacritas mentis internæ ſolet corporis infirmitatem ſuperare. 31.2
Alexander M. Eius natiuitas. 11. 21

A M

Amaleſiuntha. Amaleſiuntha Regina, in educatione filij extollitur. 13. 24.
Ambitio. Ambitio lethalis. 14. 2
Ambitio rapit homines ad labores. 208. 8
Ambitione culminum tentus, vt multorum ſeruus fiat, neceſſum eſt. 210.4
Vbi ambitio regnat, diuinæ non ſuſtinentur dignitates. 210. 6
Non ſic virtus, vt ambitio homines muodiales ad labores trahit. 212. 9
Ambitio peſtis dicitur, quæ non ſiſtit io vno, ſed latè ad plures ſe extendit. 220.10
Ambitioſus. Ambitioſi noo tam verbo, quàm opere coercendi. 14.3
Ambitioſus de ſua gloria agit, etiam cum contemptu Dei. ibid. 4
Ambitioſus æquè ſubſcribit mendacio prudeotis, ac veritati. 210.5
Ambitioſi nunquam non iouenjunt ſectatores. 220.10
Ambientes. Ambientium affectibus noo fidendum, vt qui facilè rapiantur in contraria. 211.7
Ambitores nihil prius ſolent coneurere, qoàm ſuæ exaltationis principia. ibid. 8
Amicitia. Nunquam non regium hoſtes etiam in amicitiæ fœdera admittere. 74.2
Clariſſimorum Principum eſt amicitiam colere etiam cum ſubditis. 81.21
Amicitia cum Deo renouari debet, & luctu & lacrymis intercedeotibus. 197.2
Vanè amicitiam iactat, qui videos amicum in calamitate, non illam in ſe curat repræſentare. 217.2
Amicitia temporalis rarò non detrimentoſa homini. 238. 45
Amicus. Amicis iniquis damnoſè vteris. 182.12
Amor. Amoris carnalis affectus, vt faciat parentes coniuere ad errores filiorum; ſic illis exitialis eſſe ſolet. 190.35
Amoris carnalis affectus criminum opertorium. ibid.
Amor Chriſti io fratres, & hoſtes. 199. 7
Vide *Dilectio*.
Amplexus. Amplexus etiam licitus ad Dei præſentiam fugiendus.

Index Rerum,

giendns. 119.7

A N

Angelus. Angeli quatuor in flumioe Eophrate alligati, qui. 11.20
In ſortem Angelorum facillimè traoſitur. 102.18
Anima. Animæ mors, vide *Mors.*
Animus. Nihil ſic placet Deo in humaois obſeqniis, vt animus ſpootaneus,& voluntarius obſequentis. 35.11
Animus iogenuus ex quo aliquid accepit, noo poteſt & præſtare. 42.4
in Animi gratitudine molra fundantur bona. 67.43
Animi puritas Dco amabilis ſuper omnes diuitias. 142.5
Animi cœleſtes non niſi ad diuioa mouentur. 151.15
Animus laſciuus maximè in ſuperbiam abiit, imò in ſuperbiam caſtigandam. 183.14
Animi bona inde ſola æſtimanda,quia nobis per vim eripi nequeunt. 186.22
Non locus extrinſecus, ſed interna animi virtus facit hominem triumphare. 213.11
Anna. Eius lacrymæ. 9.16
Antichriſtus. De Antichriſto. 78.14

A P

Apoſtolus. Apoſtoli ebrietatis accuſati poſt aduentum Spiritus ſancti, defenduntur. 77.10.
Apoſtolici viri maximè extollootur propter paratum diuinum conuiuium. 82.23
Nullibi refectio vitalis, niſi vbi Apoſtolotum affulget doctrina. ibid.24
Apoſtolica virtus eſt, quòd non totum virtutis, quod habes,manifeſtetur extrinſecus. 97.5

A R

Arca Noë, de ooili Domioi. 19.13
Arca, de Maria Deipara. 46.16

A S

Affecta Chriſti, vide *Chriſtus.*

A V

Auaritia. Ex auaritia certiſſimus laqueus in ruinam. 49.25
Auaritia vna omnibus armata criminibus. 50.25
Auaritia impellit in mortem neſcientes. 50.27
Auaritia humana nullis terminis concluditur. 138.31
Auaritia in magnanimis largitatem æmulatur, vt in puſillanimis frugalitatem. ibid.32
Auaritiæ poodus grauiſſimum. 174.1
Auaritia Eccleſiaſticorum omnium peſſima. 174.2
Auaritia nullum non parit malum. 263.17
Aula. Aularum totum negotiom circa amores fœminarum. 153.2
Aura. Aurâ & fauore populati motus, Deum verum abnegabit. 202.15
Aurum niſi de beneficio fornacis, ferríve non ſpleodet 7.9
ex Auri contemptu verum aurum naſcitur in Chriſti Eccleſia. 101.16
Aurom totum abſumatur neceſſum eſt in ſui defenſionem. 135.2
Nullum facinus non æmulatur & patrat auri amator. 139.33
Auri inutilitas ad verum,& ſolidum hominis bonum ponderatur. ibid.34

B A

B*Aptiſmus*, & Pœnitentiæ lacrymæ nos in perfectiſſima quæque obtinenda deducunt. 137.29
Ab vndis Baptiſmi felix auſpicium humanæ vitæ 233.29
per Baptiſmum ab inimicis maximè protegimur. 235.37

B E

Beatitudo hominis quæ. 149.11
Bellua etiam ferociſſima cibo ſibi appoſito capitur, & manſneſcit. 85.31
Bellum. Bella & ſeditiones à mundo. 1.1
Belli caſus præcipites, & ambigui. 81.20
Bellum à finitimis Principibus virorum ruina, & calamitas vtriuſque partis. ibid.
Beneficium ſemel acceptum nullis aliis debet obliterari incommodis. 89.1
Benignitas. Solùm ibi benignitas Dei ſplendet, vbi Maria eſt. 117.9

B L

Blanditiæ. Validiſſima vis ad perdendum,quæ per ſimulatoria blanditiarum ſigna. 245.2
Blanditiarum obſequia ounquam non exhibenda humanæ infirmitati. 226.18
Blandimenta verborum validiſſima ad perdendos homines. 301.2

B O

Bonus. Booi ad humilia euolant, ad glorioſa pedetentim accedunt. 219.6
Bonorum propoſitum executioni maodare præſtantiſſimi viri eſt. 32.4
Bona. A bonis temporalibus terreniſve nunquam oon mors gignitur. 4.c
Bona maiorum noſtrorum peculiari bonore tractanda ſunt. 34.9.& ſeq.
Bona] parentum, maiorúmve ſucceſſorum animos afficiunt. ibid.
Miſerè falluorur impij, dum ſibi præſumuot ventura bona, quæ alijs euenere. 47.18
Bona temporalia vel dormienti largitur Deus, ſpiritualia autem regni cœleſtis, non niſi laboranti ſtrenuè. 62.32
Bona temporalia quàm vili æſtimentur à Domino. ibid.
Bona noſtra æſtimabiliora ſiunt, de aliorum viſis malis. 64.36
Bonorum ſoliditas in vno ſexu iouenitur. 77.11
Bona mundialia, vide *Mundialia.*
Bona temporalia ſine auaritiæ macula tenentur per timorem Dei. 102.17
Nullum boonm durabile oiſi in Deo. 120.17.& 157.15
Ea ſunt bona temporalia, quorum progreſſus nunquam non ſordidiſſimos fines habeat. 140.36
Bona tranſitoria nociuiſſima. 147.7
Vide *Tranſitoria.*
Tuoc bona temporalia non nocenc, quando præcipuè Deus ſpectatur in illis. 149.12
Bona remporalia pauciſſimis dantur à Deo, æterna ionumeris. 166.8
Vide *Sciſſura.*
Bonorum temporalium cumulus, aut defectus nihili ſunt apud Deum. 178.2
Bona delectabilia muodi non mandi, ſed ſorberi debent, vt amara purgationis potio. 184.16
Bona cœleſtia,& diuina quo manduntur, eo ſuauiora apparent. ibid.
Bona temporalia reproborum eſt nimium admirari, ab illiſque ſolidum aliquid ſperare. 203.1
A contemptu bonorum temporalium non perituri triumphi magis affulgent. 209.1
Quæ nos bona tempore fœlicitatis ornant, in aduerſitate vertuotur io inſtrumenta exitij. ibid.2.
in Bono noo creaturarum multitudo, ſed vnus Deus ante oculos poſitus nos firmat. ibid.3
Sapientis eſt io bonorum externorum perditione agnoſcere diuinam manum,& ſibi cauere,antequàm in ſe malum experiatur. 215.16
Ruinas internæ mentis & ſequuntur, & comitantur ruinæ externæ in bonis temporalibus. ibid.17
Bonis terrenis minimè fidendum, vt quæ neſciunt diu ſuos retinere. 221.12
Vera hominis fortitudo in repellendis bonis temporalibus. 248.12

Non

Non qui ſe oſtentat, ſed qui ſe abſcondit, bonis cœleſtis patris gaudet. 251.19
id Bonum maximæ æſtimationis & felicitatis eſt, quod non ab alio habetur, quàm à Deo. 259.4
in Bonis alterius dolere, & iraſci diabolicum. 264.2
Nulla vera quies, niſi in bonis ſpiritualibus. 277.16
Bonis terrenis immergi, deſperati eſt hominis. 278.20

C A

Cain. Eius ſymbola. 255.cap.1
Caini ſacrificium. 257.cap.2
Parricidium. 264.cap.3
Supplicium, & mors. 272.cap.4
Calamitas. Calamitas medus gaudiis immiſſa acerbior eſt. 26.§.32.
in Calamitate ſaltem reſipiſcere bonum eſt. 122.21
in Calamitatibus non parum leuantur iuſti, videntes ſuorum tyrannorum fines. 213.12
Calix. Calix ſanguinis, de nouo Teſtamento. 83.26
Caput. Capita populi, & Principes hoc propriiſſimum habeant, quòd iniuriarum, aut errorum ſubditorum, nec minimum ferueant veſtigium. 98.1
Caro. Vel minimum Dei præceptum ingentem carnis mortificationem indicit 97.4
Carnis virentia in nobis deſiccanda priùs vt inde pergamus in vitam. 234.2
Carnalia, vide *Terrena.*
Caſtitas. Caſtitatis triumphus. 25.29
a Caſtitatis triumphis maximè quis ſit conſpicabilis. 76.7
Imputribilis Caſtitatis pretium in Euchariſtico cibo. 93.9
in Caſtitatis virtute certæ ſunt menſuræ, certique limites minimè excedendi. 127.3
Caſtitatis ſpecies tres. ibid.
Caſtitas in iudice præfulgeat. 130.12
Caſtitas de cineribus viſis clarior affulget. 182.39
Caſtitatis vindex, validiſſimus pro victoriis reportandis. 196.14.
Vide *Pudicitia.*
Caſus ventoſæ vanitatis paſtum nunquam non loquitur. 9.14
Caſu nil homini coniunctius. ibid.
Caſus belli præcipites, & ambigui. 81.20
Cautela. A cautelæ legibus nec in minimis excedat qui noli culpâ implicari. 185.20

C E

Cedo. Vnius diuini Spiritus eſt, quòd ſciat cedere, & velle vinci. 41.3
Cellarium. Cellaria templi Hieroſolymitani, & Chriſtianæ Eccleſiæ diſſident. 36.15
Celſitudo. Ad Celſitudinis munera non recurrendum. 21.19

C H

Charitas. Præſtantiſſimi viri non niſi de magnis charitatis operibus cenſentur apud Deum. 101.15
Charitate ardens, vix externos ſentit ignes. 125.29.
Vide, *Vnio.*
Childebertus Galliæ Rex. 81.20
Chriſtianus. Chriſtianorum epulæ à cœlis. 36.15
Chriſtiani præſtantia, quòd nihil habeas tuum præter Deum. 54.10
Non terrenis hæreat, ſed ſupernis adnitet, qui in conflictu Chriſtiano victoriam ſpectat. 103.1
Chriſtianum eſt non tam loqui, quàm agere. 105.26
Chriſtianum eſt de ſe minimè loqui. ibid.
Chriſtus. Chriſti vmbra te diuino generi adiungit. 5.5
Felices Chriſti aſſeclæ, cuius vel in morte habent gloriam, & vitam. 20.18
Chriſti crux, & paſſio. 27.35
Chriſtus vbi apparet, venenum mulierum elanguet. 43.8
Chriſti Domini præcellentia ex Tertulliano. 55.13
Nil magnum niſi in Chriſto Ieſu. 63.35
Chriſti paſſi conſpectus maximè tenet hominem, ne exorbitet. 76.10
Chriſto qui adiungitur, nil aliud ſpectet niſi Chriſtum. 79.16
Chriſtus Ieſus verè cibus eſt Principum. 82.24
in Chriſto ſingulis horis, & momentis tota nobis cœleſtis ſurgit ædificatio. 95.2
Vbi vel membra Chriſti, ibi & ſplendet victoria eius per lignum. 103.20
in Chriſto Ieſu non ſola ſeueritas. 116.6
In ſolo Chriſto Ieſu lux, in aliis tenebræ. ibid.7
In nullo minus, quàm in Chriſti rebus laborandum. 127.2
Melius eſt ire ad Chriſtum etiam cum periculo cadendi, quàm ſtare in mundo. 149.10
Pereat neceſſum eſt, cui eripitur Chriſtus, à cuius conſpectu vita. 170.17
Ab vno Chriſto amor in fratres, imò in hoſtes. 199.7
Vbi Chriſtus eſt, ibi ſolùm vita eſt, & mors abeſt. 256.3
Chriſtus Dominus in ſuis patitur. 271.20
in Chriſti ſanguinis effuſione, & venia & remiſſio intelligitur omnium peccatorum. 271.2
in Chriſti vulneribus peccatoribus contritis & pœnitentibus ſecuritas. 274.8
vide *Ieſus.*
Chriſti paſſio, vide *Paſſio.*
Chuſai. Chuſai cum Abſalone. 217.cap.7

C I

Cibus. Chriſtus Ieſus verè cibus eſt Principum. 82.24
Nouitas vitæ neceſſaria ei, qui cœleſtes cibos tractat. 83.26
Vide *Conuiuium.*

C L

Clades. Clades communis multum hebeſcit in ſenſu. 10.18
Clades peccatorum antiquæ, & recentes. 78.13
Vide *Ruina.*
Clamor. Clamor Sodomiticus, id eſt, Pontificum clamor de crucifigendo Ieſu. 102.4

C O

Cœleſtia. Cœleſtibus, non ſæcularibus inhiandum bonis. 138.30
Cœlum. Cœlum cur primùm fecerit Deus, deinde terram. 24.25
Cognatus. Proſperitas de cognatorum malis orta nunquam non vertitur in confuſionem. 251.18
Cognitio. Cognitio ſui humilis nequit in homine eſſe infœcunda. 5.2
Colloquium. Ad apertum & ſingulare colloquium ſoli admittendi, qui præſtantia, & virtutis ſimilitudine emineant. 118.12
Honori gloriæque ducitur, quòd infimas perſonas in familiare colloquium non admittas. ibid.
Commoda, & incommoda. Commoda, aut incommoda temporalia apud Deum nihil fiunt. 178.2
Commune. Commune multum hebeſcit in ſenſu. 10.17
Compaſſio. Compaſſionis affectus in proximum. 72.12
Conclaue, de remotiori, & ſecretiori cubiculi parte. 185.20
Concordia, vide *Vnitas*, & *Vnanimitas.*
Confeſſio. Ex quo cœpit confeſſio, maximè per illam peccata leuantur. 108.34
Confeſſio ſalutaris. 194.8
Per pudorem confitentis peccata ſua, maximè peccata colluntur, & eorum reiteratio cauetur. 208.13
vbi Confeſſio deeſt, peccata irremediabilia. 274.7
Confeſſio peccatorum, vide *Peccatum.*
Conſanguinitas. Conſanguinitatis iura confringens nunquam non dat pœnas Deo. 250.16
Conſcientia. Conſcientiæ morſus intolerabilis. 265.5

Conſiliarius. Conſiliarius ille bonus, qui difficilia dati conſilij ſibi aſſumit. 76.8.& 225.8
Conſiliaris iniquis damnoſè vteris. 182.12
Conſilium. Conſilium Dei vel de minimis proſperatur. 16.8
Conſolatio. Spectaoti Deum graues ſunt conſolationes temporales. 220.5
Conſors. Regaliſſimi Principis eſt in principatu, & honore conſortes habere. 80.19
Conſtantinus Imp. 43.5
Continentia. Continentia validiſſimum munimentum aduersùs hoſtes. 137.27
Conuiuium. In conuiuiis maximè cauenda ſunt pericula. 21.20
Conuiuia impiorum frequentiſſimè turbari ſolita 26.31
Conuiuium Adoniæ nullo timore interrumpitur. ibid.
Maximè extolluntur Apoſtolici viri propter paratum diuinum conuiuium. 82.23
Nullibi refectio vitalis, niſi vbi Apoſtolorum affulget doctrina. ibid.24
Conuiuia officiunt. 128.5
Vide *Cibus.*
Cor. In corde prius faciendum, quidquid externè Deo facis. 119.14
Corona. Coronæ omnium iuſtorum Mariæ matri adſcribendæ 75.6
Corpus. Corpus ſapienti non eſt domus, ſed hoſpitium. 60.28.
Corporis mors, vide *Mors.*
Correctio. In correctione proximorum, maximè potentium, magna dexteritas, & ſapientia neceſſaria. 91.6
Correctionis ſeueritas fauoribus eſt circummollienda. 110.39
in Corrigendis potentibus te ipſorum Deum exhibebis. 157.13.

C R

Creator. Creator ſolus poteſt mentes humanas ab omni errore, & ignorantia cuſtodire. 55.21
Creatura. Creaturæ quæ iuſtis fauent, exitiales ſunt impiis. 247.8
Crimen. Crimina in animo veteraſcentia hominem in pœnam præcipitant. 246.7
Crux. Crux Chriſti, & paſſio Reges facit. 27.35
Sub vmbra Crucis Chriſti proſperitas plaudit, & felicitas. 264.1
Crucis ſignum ad vitam, & ſalutem. 276.13

C V

Culpa. Culpæ quæ aliquod virtutis ſpecimen præbent, magis ad veniam pertinent. 52.5
Culpa veniabilior quæ fit in ſolitudine. 199.8
Cultus. Cultus diuini ſtudium, & impenſæ valdè homini in ſalutem proficuæ. 158.16
Cultus Dei, vide *Religio.*
Deus non ſic ſuperbam templorum magnificentiam, vt intimam cultorum deuotionem, æſtimat. 37.20

D A

D*Aniel.* Danielis apud Babylonios Monarchas pretium. 15.5

D E

Decor. Decor natiuus, non aduentitius plurimi æſtimandus. 177.1
Decus. Decora temporalia potiùs ad ludibrium hominum, quàm ad eorum gloriam faciunt. 221.14.
Dedecus. Summum dedecus, quod in propriis accidit 237.41
Defectus. Defectus ſubditorum in Prælatis puniuntur. 255.1
Delectabile. Delectabilia mundi, vide *Mundus.*
Delictum. Delicta vt in præſtantioribus perſonis minus ſint diſſimulanda. 46.25
Deſperatio. Deſperati eſt, terrenis his, & caducis bonis immergi. 278.10
Deus. Si vel parum Dei pro te habeas, ſuperas maximas mundi poteſtates. 28.37
Quod mendaciter tibi à creaturis promittis, id veraciter in vno Deo inuenies. 29.38
Deo quæ committimus, iam certiſſimè tenemus. 29.40
Deus nunquam non profuſior in ſuos. 33.7
Qui claris oculis Deum noſcit, facile deſpicit vanitates mundiales. 34.10
Quales nos ſumus Deo, talem ſe nobis exhibet Deus. 35.12
Deus Moyſi oſtenditur in igne, & Ioſue in gladio, cur. ibid.
Id enixè curandum, quod internè Deo fias, quod illi in externis operibus exhibes. 36.17
Sanctiſſimi non plus pro Deo faciunt, quàm mundiales pro mundo. 38.21
ad Dei poſſeſſionem qui pertinent, benedictionibus cœleſtibus implentur, non ſic alieni. 39.26
Deus plauſtro onuſto fœno ſe comparat, & cur. 53.5
Deus dum ſe magis occulit in via, ſolet magis inflammare & implere humana corda. 62.31
Deus eo efficacior oſtenditur in tranſmutando hominem, quo magis ex animo & corde ab homine recipitur. 63.33
Deus non permanet niſi in Sanctis. ibid.34
Ille rectè perpendit Deo illatas iniurias, qui ſcit earum ſimiles in ſe ſentire. 74.3
Inter paſſionis ſuæ vulnera neſcit Deus non propitius apparere ſuis. 76.8
à Dei manu quæ veniunt, in æſtimatione ſunt magna apud virum ſapientem. 77.12
Deus vbi præſens, ibi maximè ſuos firmat. 99.11
Deus de præſtantiſſimis operibus ſecuriùs requiritur. 101.14
Nequit Deus ſic in occulto eſſe, quin aliquando & perſpicuus fiat. 108.33
Deum alicui creaturæ lethaliter exæquari 115.5
Deus talem ſe exhibet ſuis creaturis, quales ipſa erant. 116.8
In vno Deo miſericordia, & iuſtitia non ſe mutuo impediunt. 119.15
ad Deum pertinentia in primis, & de primis ſint. 126.1
ad Dei præſentiam vel licitus fugiendus amplexus. 129.7
Deum ille ad ſe trahet, qui omne impedimentum de gratiæ auxilio abiecerit. 132.16
Deus non tam in externis parietibus, quàm in internis noſtris animis ſanctificandus eſt. 141.4
Deus non tam in ambitioſo cultus ornatu, quàm in puritate inuentionis ſibi complacet. ibid.5
Deus nihil ſic æſtimat, quam id, quod vel poteſt præſtari à pauperrimo. 143.7
vnus Deus eſt, apud quem ſola hominis natura æſtimetur. ibid.
In vno Deo ſemper & patrem, & matrem habemus. 163.1
Ab vno parente Deo & immortalitas, & incorruptio inducitur. 172.25
In vno Patre Deo omnium malorum remedia. 189.33
Deum verum abnegat, qui aurâ mouetur populari. 202.15
Deus etiam maximè amicos trahit ad ſe flagellis. 206.8
a Deo deſpici morte ipſa durius. 207.10
vnum Deum ſpectanti oneri ſunt temporalia leuamina. 218.5
Deum habens, etſi ſolus ſit, de mundo triumphat & in inferno. 227.14
vnus Deus nouit ſuis in opportunitatibus adeſſe. 228.27
Dei virtutiſve cauſa facit homines & fortes & audentes ad magna. ibid.18
Deus quod vni ſemel dedit, idem aliis ſimilibus præſtabit. 233.30
Fœlix, qui extra Deum in nullo immoratur, ſiue bono, ſiue malo. 234.34
vnus Dei radius cordi affulgens hominis, eum excitat in ſalutem. 248.12
vna Dei manus regnum parat homini. 254.26

Non

Non paruom ſcelus eſt, quod Deum ignosare velis. 257.2
Quod à ſolo Deo habetur, ſummæ æſtimationis eſt. 259.4
Dei dona ſtabilia, & firma. ibid.5
quæ Dei ſuot in primis habita, ſalotaria, & auſpicata ſunt. 261.11
Maios conatus adhibendos eſt, vbi ſeriùs ad Deum accedimus. 262.14
in Deum ſumma reuerentia habenda. 269.15
Dei dominatus, & gubernatio, vide *Dominatus*.
Dei nomen, vide *Nomen*.
Dei ſedes, vide *Sedes*.

D I

Dignitas. Io dignitatibus, quæ à Deo non veniunt, nihil vtile præualet. 232.26
Nunquam non animaduertendum in præproperam ſolicitudinem de habeoda digoitate. 13.1
Vide *Honor*.
Dilectio. Dilectione Deus trahitur. 51.1
Dilectus. Io dilectis ſuis oihil Deus vacuum relinquit. 10.19
Diligentia. Diligentia ſeſtinata in re virtutis etiam, nunquam caſſa. 225.9
Diſcordia. Diſcosdism, diuiſionémve qui cauſant, diuiſione, diſcordiáve peribunt. 245.2
Diſſimulatio. Vt in præſtantioribus perſonis delicta minus diſſimulanda. 46.15
Diuinitas. Diuinitas maximè oſtenditus in booo ſucceſſose. 92.8
Diuina. De humilitate venit quòd aſcribatur diuinis. 5.5
Diuinorum vel vmbræ hominem implent. 66.42
Diuitiæ ſine ſubditorum lacrymis ortæ faciuot Principem conſpicabilem populis. 2.2
Diuitiæ vt fugaciſſimæ. 140.35
Diuitiis pauus adiungitur, & cor. ibid.
Diuitiæ ducunt homioem in mollem luxum. 140.38

D O

Do. Dat animos præcelſus quod accepit. 42.4
Glorioſior quis in dato, quam in accepto. ibid.5
Nil honoris & gloriæ datur à mondo, quod oon accipiendum ſit a Deo cumulatiſſimè. 43.6
Doctrina. Syneera doctrioa à ſaoctorum Patrum ſcriptis haurienda. 97.6
Dolor non miouitur, ſed augetur amieorum, dilectorú mve doloribus. 218.4
Domeſticus. Domeſtici Dei qui. 48.22
Dominatus. Domioatus, & gubernatio Dei in aperto & manifeſto modo procedendi cum ſubdito, ſiue ad damnationem, ſiue abſolutionem. 270.19
Dominus. Duriſſimum, & luctuoſiſſimom homini ſub illo domino eſſe, qui io miſeria ſit. 216.19
Domitianus Imp. 80.19
Domus feliciſſima in qua vnus filius perditionis ſolus eſt. 276.5
Domus pro corpore. 60.28
Donum. Dona ſpontanea lætitiam afferuot dooatori. 38.23
Dooa Dei vt adoleſcant, & effectum habeant, vnitas & concosdia ſequirenda. 39.25
Dona temporalia vel dormienti largitur Deus, ſpiritualia autem regoi cœleſtis, ooo niſi laboranti ſtrenuè. 62.32
Dona larga Deo exhibita minimè affesant licentiam peccandi. 243.6
Dona quæ à Deo veniunt, longam habent permaoeotiam. 259.5

E B

E*brius*. De ebrio cantatiſſimo epigramma. 77.10

E C

Eccleſia. Væ quos peccata ooo ſinunt eſſe in intimis Eccleſiæ. 50.28
Eccleſia pacis tempore Principum, oobiliúmqoe ornatur religione. 91.5
Eccleſia Chriſti oon ferro, ſed voce ædificatus. 98.8
Eccleſiæ præſules, vide *Præſules*.
Eccleſiaſticus. Eccleſiaſticorum auaritia culpatur. 274.2

E D

Educatio domeſtica, & quieta ſub prudenti matre Principi viliſſima. 12.24

E F

Effœminatus. Effœminati & molles quamprimùm io Deum inſurgunt. 163.2

E L

Electio. Electio, quæ per homines adminiſtsatus, nunquam noo capit dignos, & indignos. 112.43

E P

Epula. Epulæ Chriſtianorum vnde. 36.15
Epulæ diuinæ maximè in oobis Deo habitaculum parant. 96.2

E S

Eſau. Eius virtutes quæ. 16.8
Eſculenta, & poculenta. Eſculenta, & poculenta non parum iuſtitiæ officiunt. 128.5

E T

Ethnicus. Ethnicorum ſecta metricè depicta. 54.8

E V

Eucharistia. De Eucharistia. 21.20 & 62.31 & 83.27
Plus contulit nobis Dominos ſe nobis donans in Eucharistia, quàm faciens noa aſſidese ſibi. 43.7
ad Eucharistiæ frequentiam magna puritas oeceſſaria. 141.1
Eunuchus. Eunuchi illius potentiſſimi hiſtoria Act. 8. 103.21

E X

Exactiones, & tributa, vide *Tributum*.
Exemplum fratres ædificans quaſi Sol ſtat dierum bonorum author. 171.22
Exercitus aduersùs Abſalooem. 239.46

E Z

Ezechias. Ezechiæ Regis Iuda hiſtoria, quando cinctus validiſſimo Aſſyriorum exercitu orauit ad Dominum. 217.1

F A

F*acinus*. Impius oihil videt in ſacris niſi facioora ſua, ſub quibus pereat. 48.21
Fallax. Fallaci ſemel, & duro tibi, oe te committas. 29.39
Familia. Multò ſordet ad imperium familia, in quá fœmina dominatos. 207.6
Familiaritas, vide *Amicitia*.
Fauorabilia omnia deſerunt impium, dum pergit ad ſupplicium. 176.6

F E

Ferculum Salomonis. 4.9
Feſtinatio. Nihil tam arduum, quò diligens feſtinatio oon pertingat. 225.9
Feſta paſtorum, vide *Paſtor*.

Index Rerum,

F I

Filius. Filij perditio nunquam de paternis viſceribus venire ſolet. 72.11
Filij à parentum virtutibus degeneres Deo maximè odioſi. 155.8
Filiorum monſtroſa facinora nullam parentibus notam inurunt. ibid.9
Filiis Dei illata mala inde contemnenda, quia finem habent. 196.16
Certum eſt exeidium filiis, qui in parentes peſſimi ſunt. 243.11
Vide *Parens.*
Firmitudo. Firmitudinem ſolus habet qui Deum ſpectat. 203.1

F O

Fœdus. Nunquam non regium decus, hoſtes in fœdera amicitiæ admittere. 74.2
Fœlicitas. Magnæ, & præſtantis virtutis indicium, quòd in temporali fœlicitate non cadas. 148.9
Fœlix, cui cœleſtis ros ſuppetit, quo carnis ardores temperentur. 25.28
Fœlix, cui ſtrictæ iuſtitiæ Dei tuba non in medio fœlicitatis temporalis, ſed in fine intonat. 26.30
Fœlix, non qui viſu tantùm, ſed qui & paſſionis experientia percipit labores Chriſti. 46.17
Fœlix, qui in aliorum periculis ipſe cauet. 136.25
Fœlix filius, cui bonus pater adeſt. 157.14
Fœlix, qui extra Deum in multo immoratur, ſiue bono, ſiue malo. 234 34
Fœmina nullo prætextu virorum congreſſum non caueat. 21.22
Fœminis ciuium vel abſolutio, vel damnatio dabatur. 23.24
Fœminarum virus elanguet, vbi Chriſtus apparet. ibid.
Fœminarum lis de filio. 67.cap.7
Fœmina vbi interuenit, nulla præuentio, aut admonitio ſufficit, ne cadas à cœleſtibus. 156.12
Sub fœminarum ſpecioſo ornatu lethalis dolus abſconditur. 199.6
Vt voluptas eſt vbi fœmina, ſic & mors, & interitus adeſt. 207.5
Multò ſordet ad imperium familia, in qua fœmina præcellit. 205.6
Fœmina vbi adeſt, facili negotio vniuerſæ & naturæ, & religionis leges contemnuntur. 223.2
Virtus diuinæ potentiæ eſt, maxima quæque per fœminam perficere. 232.28
Vide, *Mulier.*

F R

Fructus. Verus fructus à ſolo Ieſu percipitur. 84.30

G E

Gemitus. Gemitus contriti cordis ſaluti, & vitæ eſt. 275.10
Genus. Generi diuino vel Chriſti vmbra ſe adiungit. 5.5
Generi ſordes, vide *Sordes.*

G L

Gloria. In gloriam non niſi per profectum venimus. 6.7
Gloria illa præſtantiſſima, quæ non nititur externis, ſed intima homini eſt. 107.30
Gloria & triumphi non ab homine, ſed à Deo veniunt. 251.20
In nullo gloriatur vanè homo, quod ei non deficiat tempore periculi. 250.25
Vide *Honor.*
Gloria mundialis, vide *Mundialia.*

G R

Gratia. Gratiæ per peccatum impeditæ reſtauratio debet eſſe laborioſior. 91.4
Gratiæ actæ Deo in tribulationibus, illum faciunt nobis aſſidere. 118.13
Apud Deum abſcondita & latens gratia & pulchritudo efficacior. 198.4
Gratitudo. In gratitudine noſtra multa bona fundantur. 67.43

G V

Guberno, vide *Moderor.*

H E

Heliodorus. Eius hiſtoria. 193.6

H O

Homo. Vnus Deus præcipuè ſpectatus tenet hominem, vt inter mundialia negotia labatur. 9.15
Ad fœlicitatem hominis pertinet, quòd vni Deo debeat promotionem ſuam. 17.9
Hominum ingeniis qui proſperè amat vti, eorum ſequatur indolem. 24.27
Eò Deus efficacior oſtenditur in tranſmutando homine, quo magis ex animo & corde ab homine recipitur. 63.33
Neſcit Deus vocare ad munus hominem, ad quod omnia conuenientia non tribuat. 64.37
Supra homines eſt, qui à propria voluptate, & vtilitate abſtinet pro aliis. 65.40
Homini nuſquam non labor, & onus, vel in vitiis, vel in virtutibus. 94.13
Homo animalis Angelis æquatur à ſacramentis Chriſtianis. 112.44
Homo talem ſe exhibere ſolet, qualis apparet. 116.8
Hominis firmior magnificatio, non tam in temporalibus bonis, quàm in humilitate conſiſtit. 151.17
Homo per plura voluptuoſa obiecta vagatus faciliùs perit. 153.4
Exitiale eſt homini, quòd in proximi clade non quod luctuoſum, ſed quod lucroſum aſpiciat. 195.13
Præſtantiſſimum eſt homini, quòd alieniſſimus fiat impiis. 204.4
Vera hominis fortitudo in repellendis bonis temporalibus. 248.11
Vnus Dei radius cordi affulgens hominis, eum excitat in ſalutem. ibid.12
Homo in nullo vanè gloriatur, quod ei non deficiat tempore periculi. 253.25
Honor exhibitus maioribus fratribus ex ſe laudabilis. 26.31
Præcellenti perſonæ ſingularis habendus eſt *honos.* 33.8
Quicquid bonum maiorum noſtrorum eſt, peculiari honore colendum. 34.9
Honor habendus eo, qui religioſè, & piè occumbit. 49.23
Præſtantiſſimorum hominum contentio de honore, nociuiſſima religioſæ familiæ. 49.24
Honoris zelus, non parum proficit ad firmandum hominem in virtute. 60.26
Hoſtis. Regium eſt vel hoſtes in amicitiæ fœdera admittere. 74.2
in Hoſtibus benefaciendo diuina magnitudo clarè elucet. 167.12
Hoſtium mala conſilia oratione diſſipantur, bona conſilia trahuntur. 217.1
Hoſtes etiam honorificis vocabulis tractandi. 219.7

H V

Humana. Humanum eſt, non niſi per profectum venire ad palmas. 6.7
Humana rabies dæmonibus effrænatior. 267.10
Humilis. Stabilis ſedes à Deo non in ambientes, ſed in humiles venit. 17.10
Humilium fauor maximus ex Maria. 53.6
Humilitas nos generi diuino adiungit. 5.4
Supra humanas generationes nos eleuat. ibid.
Non parua celſitudo ab humilitate venit. 31.3

Idolo

I D

Idololatria libidini coniunctiſſima. 154.7
Idolum. Ablatis homani cædis Idolis, quàm facile itur ad Chriſtum. 68.3

I E

Ieiunium commendatur. 73.t
Ad non ignobile ieiunium pertinet, quòd non comedas niſi ex præſcripro Dei. 39.14
Ieſus. Ieſu ſingularis gloria. 2.3
Ieſu regnum decantatum à Prophetis hodiéque ſplendens. 2.5
Eius ſapientia quæ. 3.6
Ieſu gloria ab obedientibus ſubditis. ibid.7
Ieſus ornatis ferculis vt gaudeat, inſtar Salomonis. 4.9
Ab vnius Ieſu nomine latiſſima venit poſteritatis amplificatio. 28.36
Vnus Ieſus perfectionem dat rebus ſanctis. 36.14
Feliciores qui in vno Ieſu nituntur. 38.22
Ieſus ſolus protegit ſuos in vitam. 48.20
Ieſus Dei filius vnguento comparatus. 51.t
Comparatus cedro. 52.3
Ieſu filij doloribus non potueruot non correſpondere viſcera Mariæ. 71.9
In vno Ieſu bonorum ſoliditas inuenitur. 77.15
A ſolo Ieſu verum fructum poſſumus percipere. 84.30
Ieſu myſteria non tam intellectu, quàm affectu capienda. 88.40
Ieſu gloria inde præſtantior, quòd non acquiſita, ſed innata. 90.2
Ieſus mundo mortuis maximè ſalutaris. 100.12
Ab vno Ieſu maxima omnium lætitia. t14.3
In ſolo Ieſu lux, in aliis tenebræ. t16.6
Ieſus, quod ſibi decorum habet, id ſuis præſtat. t29.8
de Ieſu amicitia vanè gloriatur, qui cum in paſſione videns, nihil in ſe paſſionis aſſumit. 217.2
Cum Ieſu idem corpus & ſanguis fiont, qui cum illo tribulationes patiuntur. 237.42
Ieſus ſolus facit, ne importabilia ſunt peccata. 274.6
Ieſu firmiter adhærens, iacula inimicorum non timeat. 275.9
Vide *Salomon*.
Ieſu ſedes, vide *Sedes*.

I M

Imaginatio in re libidinoſa maximè caſum facit. 181.11
Immortalis. Immortales reddimur per profectum ex Clem. Alex. *6.7
Immortalitas & incorruptio ab vno parente inducitur. t72.25
Imperator ſine plebe nihil. 7.9
Impietas. Vbi impietas regnat, nullum malum deficit. t62.10
Impius. Impij miſerè falſi, dum ſibi præſumunt ventura bona, quæ aliis euenêre. 47.18
Impius nihil videt in ſacris niſi facinora ſua, ſub quibus pereat. 48.21
Impiorum multitudini rarus obſiſtit, quin rapiatur ad facinora. 154.6
Impiorum vnitas cauenda. 162.11
Impium omnia deſerunt fauorabilia, dum pergit ad ſupplicium. 176.6
Impius nihil habet, quod perdere, debeat metuere. 178.4
Impio peccata inſtar conuiuij ſunt. t84.17
Impiorum non mediocre ſupplicium eſt, quòd à contrariis in contraria curant. t87.28
Impij nil citiùs peſſundant, & deſtruont, quàm ſuarum cupiditatum fomenta. 206.7
Impij nunquam magis exculluntur, quàm vbi ſe Deo propinquos audiunt. 221.13
io Impios etiam inſenſibilia armantur. 246.6
Impij eò deuenire ſolent, vt vel facile, & promptum remedium accipere nolint, vel attoniti hæreant. 247.9
Impiorum perditio riſum facit & bonis dyſcolis. 249.15
Impiorum incolumitas à Deo prouidetur, vt proficiat iuſtorum ſaluti. 257.6
Impij vbique circundantur hoſtibus. 278.18
Vide *Peccator*.
Impugnatio crebra & aſſidua, vel validiſſimum animum infirmat, & expugnat. 156.10

I N

Inæqualitas fauorum erga ſubditos excuſabilem facit eorum malitiam. 239.46
Incorruptio & immortalitas ab vno parente Deo venit. 172.25
Indulgentia pretioſa quæ & veniam præſtet, & medicinam. 30.41
Infirmitas. Non ſic, quæ in externis eſt, vt quæ in internis eſt infirmitas præcauenda. 135.24
Ingratitudo. Perditiſſimæ ingratitudinis eſt, quòd acceptis donis abutaris in damnum donatoris. 164.3
Vide *Remuneratio*.
Inimicus. Ab inimicis maximè protegimur per Baptiſmum. 235.37
Iniquus. Iniqui vt timere ſibi debent à Sanctorum conſortio. 216.20
Nec iniquis ſe Deus aliquando indicare detrectat. 268.13
Iniquus in Deum, in fratres erit iniquus. 269.16
Iniuria. Iniurias obliuiſci, proprium eſt Principum. 74.2. & 98.9
Ille rectè perpendit Deo illatas iniurias, qui ſcit earum ſimiles io ſe ſentire. 74.3
Rarum & inauditum eſt, quod mediis iniuriis quis bilem prorſus contineret. 190.36
Prudentis eſt non exaggerare, ſed minuere iniuriatum illatarum mala. t95.1t
Cauendum ſemper ab illo, cui aliquando fuiſti iniurius. 222.2
Iniuria à filiis, ſeu fratribus illata non omnion intolerabilis eſt. 224.6
Vide *Offenſa*.
Innocens. In vnius innocentis vindicta ſolet tota regni vniuerſitas flagellari à Deo. 195.12
Inſenſibilia. Vel inſenſibilia armantur in impios. 246.6
Inuidia. Inuidiæ morbus ægrè, & difficulter tollitur. 270.17
Inuidia neſcit moderari. ibid.
Inuidus non vult agnoſcere ea ipſa, quæ agnoſcit, & videt. ibid. 18
Inuidi nolunt agnoſcere, & ſcire, ea ipſa, quæ agnoſcunt, & ſciunt. ibid.
Inuidus indignior veniâ. 272.1

I O

Ioabus. Ioabi mors. 40.cap.5
Ioannes Euangeliſta. Ioannes ſummi Regis familiariſſimus. 81.22
Dilecti nomine vocatur. ibid.
Ionathas. Ionathæ filij Saul hiſtoria. t10.37.
Ioſeph. Eius hiſtoria. t2.23

I V.

Iudæus. Iudæorum ſymbola. 255.cap.t
Iudas. Iodæ ſymbola. 574.cap.t
Iudex. In iudice præfulgeat caſtitas. 230.§.12
Iudicium. Iudicij extremi ratio, ſi attentis oculis inſpiceretur, nullus eſſet qui vellet in Eccleſia dominari. 110.38
in Iudicio Patris nil eſt ad ſalutem non conducens. 244.13
Iudicia plebeiorum ſolent eſſe ſaniora, & magis conformia diuinis, quàm iudicia potentium. 27t.2t
Iuramentum. Iuramenta pro illis ſolùm emittenda, quæ in tui ipſius poteſtate ſunt. 19.15

Iura

Iuramentum Saulis & ſtultum, & temerarium. ibid.
Iuramenti violatio lethaliſſima eſt domibus, vrbibus, regnis. ibid.16
Iuſtitia. In vno Deo iuſtitia, & miſericordia non ſe mutuo impediunt. 119.15
Iuſtitiæ integritas integritati virgineæ ſimilis. 118.4
Eſculenta, & poculenta non parum iuſtitiæ officiunt. ibid.5
Vbi iuſtitia & virtus, mala non perſeuerant. 242.8
Iuſtus. Iuſtorum omnium coronæ Mariæ Matri adſcribendæ. 75.6
Iuſtis ingens gaudium in cœleſtibus venit nuptiis. 161.6
Iuſto omnia fauorabilia præhabita, comitantur etiam in periculo. 176.7
Iuſti non parum leuantur in calamitatibus, videntes ſuorum tyrannorum fines. 213.12
Iuſtorum conſortium ſceleratis, & impiis maximè pauendum. 216.10
Iuſtus in ſumma etiam deſolatione regium ſeruat ſplendorem. 226.12
Cum Iuſto, qui è vita eripitur, meliùs, & tutiùs agitur. 268.12

L A

L*Abor* gratus homini, qui Deo eſt communis. 58.22
Labor Deo, & mihi communis, expetibilis fit. 59.24
Per labores, & ſolicitudines acceditur ad regnum Dei. 62.32
Nuſquam non labor, & onus homini, vel in vitiis, vel in virtutibus. 94.13
S. Franciſcus Xauier in exemplum adducitur. ibid.
In nullo mitiùs, quàm in Chriſti rebus laborandum. 127.2
Labores validiſſimi, vt homines reducant ad Deum. 144.8
Laborandum, non otioſis ſecreta cœleſtia aperiuntur. 146.3
Labor pro temporalibus euanidus, & irritus apud Deum. 167.10
Labor ex ambitione prouenit. 2104
ad Labores non ſic virtus, vt ambitio homines mundiales rapit. 212.9
Labor induſtrioſus fundamentum, & ſtabilimentum Reipublicæ eſt. 260.9
Vide *Otium.*
Lac cur matri datum. 15.6
Lacrymæ. Illæ compunctionis lacrymæ veræ cenſentur, quæ non facilè admittunt riſum inanem. 9.16
Annæ lacrymæ vnde probatæ. ibid.
Lacrymæ Mariæ V. filium meruerunt tenere rediuiuum. 72.13
Per lacrymas ad Deum accedendum eſt. 198.3
Vide *Luctus.*
Lætitia. Non niſi magnorum criminum rei in cladibus communibus admittunt lætitiam. 10.17
Maxima omnium lætitia ab vno IESV. 114.3
Laſciuia vbi apparet, nullum malum non timetur. 44.10
Laſciuia non vincitur niſi à multitudine virtutum. 107.31
Laſciuia exuperans omnia hominis bona perdit, abſumit. 164.4
Laſciuiæ ardor pietatis nomina abſumit. 180.8
Laſciuia plus deſæuit in nobilibus, & Principibus. 181.9
Laſciuiæ facinus ad brutam pertinet ſtultitiam. 186.24
In re laſciuiæ ne dormias, niſi ſpoliari ames, & perdi. 188.29
à Laſciuiâ homicidia, & cædes. 279.21
Laſciuus ſui ipſius interemptor eſt. 181.10
Laſciuus animus maximè in ſuperbiam abiit, imò in ſuperbiam caſtigandam. 183.14

L E

Lex. Legum capitalium rigores ex circunſtantiis temperandi. 200.10
Legiſlator. Legiſlatoris, & Principis ea fortitudo ſit, quæ tranſgreſſores minimè relinquat impunitos. 131.13

L I

Libido. Libidinis flamma ardentiſſima, quæ in homine nihil virtutis non abſumit. 154.5
Licita. In multis licitis, & honeſtis cauendum, vt magis lapſus in illicita caueatur. 121.19
Lingua. Linguæ vitium. 50.26
Gladios ſuperat. ibid.
Non paruus ornatus Eccleſiæ eſt in linguarum variarum malitia. 106.27
Vide *Maledicus.*

L O

Locus. Loco, & ſtatui noſtro debemus conformari. 8.13
Logium, idem quod Rationale. 56.15
Logium, ſapientiæ indicium. ibid.

L V

Lucerna virginitatis virtuti tribuitur. 76.7
Lucra per vim illatam, & coactionem acquiſita, à Deo aliena ſunt. 263.15
Luctus. Luctu & lacrymis amicitia cum Deo renouari debet. 197.2
Luctus pœnitentiæ, vide *Pœnitentia.*
Luxuria. Luxuriæ peccatum non inuenitur ſine aliis plurimis. 153.3
Luxuria ignis ardentiſſimus, qui homines adurit. 154.5

M A

M*Achabæi.* Machabæorum ſeptem fratrum hiſtoria. 165.5
Magiſter. De Magiſtris, vt Prælatis irrationale murmur exitiale eſt. 175.4
Magna. Magnis rebus ſtruendis moroſior, & diuturnior debetur præparatio. 7.11
Nil magnum niſi in Chriſto IESV. 63.35
Magnitudo ſeſe coarctans, & anguſtans in paruo, efficaciùs rapit corda humana. 147.6
Maiores. Quicquid bonum maiorum noſtrorum eſt, peculiari honore colendum. 34.9
Malum. Ad leuamen pertinet, quòd mala non iunctim, ſed per partes ſubeantur. 165.5
Malum, ſeu vitium diuiſim, & per partes ſumptum faciliùs perditur. 165.6
Mala per chariſſimos nobis illata, duriora ſunt. 175.3
In vno Patre Deo habemus omnium malorum remedia. 189.33
Ad Dei nutum validiſſimum quæque mala diſparent. ibid.
Prudentis eſt non exaggerare, ſed minuere accidentia mala. 195.11
Mala quæ filiis Dei inferuntur, inde contemnenda, quia finiuntur, & tranſeunt. 196.16
Stultiſſimi homines, vt vni medeantur malo, malis duplicatis ſe deuouent. 200.9
Mala quæ neceſſariò ventura ſunt, paruipendendum eſt, quòd citiùs veniant. 277.2
Mala paruipendenda, quæ maioribus bonis reſarcienda ſunt. 201.12
Mala externa ab internis oriri ſolent. 215.17
Malum, quod ab alio ebibiſti, rarò in te non augetur. 224.5
Mala temporalia bonorum temporalium abſorbent commoditates. 226.13
Nullum eſt malum, de quo bonum haurire non poſſimus. 277.25
Maledicus. Maledici lingua omni gladio lethalior. 50.26
Malitia ſumma, nec apud mundiales ſecura. 275.11
Vide *Vitium.*
Manus non hominis, ſed Dei interſit, vt exitialia mala propulſentur. 253.24
Vna manus Dei regnum parat homini. 254.26
Mare, de pœnitentia. 107.32
B. Maria. Per Mariam veri Salomonis matrem omnia ſalutaria. 41.1

Maria oſtenditur dediſſe carnem Deo, quam ille ſibi vniuit. 43.7
in Maria ſalus noſtra tutiſſimè cuſtodita. 46.16
Maria humilibus maximè fauet. 53.6
Omnia magna Mariæ adſcripta, ibid.7
Mariæ V. lacrymæ meruerunt filium tenere rediuiuum. 72.13
Mariæ Matri adſcribendæ omnium iuſtorum coronæ. 75.6
Vbi Maria, ibi Dei benignitas. 117.9
Mariæ laus ex Epiphania. ibid.
Per Mariam habemus quod parentum virtutibus addamus, & in maiora eamus. 124.16
Tota triumphantis, & militantis Eccleſiæ domus ſingulariter eſt Mariæ data. 129.9
Maria vt in corporis incorruptione poſt mortem debuit filio aſſimilari. 130.10
B. Maria nullam nouit maculam originalem. 133.17
Maria omnium maximè proxima diuinitati. ibid.18
Mariæ in conceptione præcipua Dei cuſtodia, ne labem incurreret. ibid.19
à Maria Apoſtoli IESV robur, & virtutem acceperunt. 134.20
Per Mariam vel infirmiſſimi homines habent acceſſum ad Deum, quem habent validiſſimi ſpiritus. ibid.21
in Mariæ Deiparæ manibus non poſſumus non admitti à Deo. 150.13
Mariæ Deiparæ petenti nil nouit Deus denegare. ibid.14
Per Mariam peccatoris reſtitutio in vitam. 197.1
Mariæ interceſſio non ceſſat, vſque dum nos in perfecto aſſerat. 207.11
Maria cibum protulit, quo nos à morte protegeret. 233.31
Sub Maria fames nulla. 234.33
Vel ex abyſſi profundo per Mariam exibimus. 235.35
Maria nobis liberum ad Deum facit acceſſum. 235.36
Vna Maria ſufficit loco totius Sanctorum collectionis aduerſus diabolum. 241.6
Mariæ patrocinium erga ſuos nullibi deeſt. 268.11
à Maria venit, quo velare, & operire peccata poſſimus. 269.14
Marius Imp. Marij Imp. tribunus, ſimul & propinquus. 155.9
Mater IESV bis dicitur vocata mulier à filio. 45.12
Veræ Matris affectus nec à filio ſeparatur defuncto. 69.4
Matthias. Matthiæ nobilis cuiuſdam à tyranno damnati vnà cum filiis hiſtoria. 71.10

M E

Meditatio. Meditationis receſſus aptiſſimus, vt Chriſti Domini cognitionem indat. 95.14
Mendacium adulatorium; vide *Adulatio.*
Mens. Mentium humanarum ſordes vnus Creator abluit. 55.11
Mentis alacritas, vide *Alacritas.*

M I

Militia. Militares animi vbi metuunt, Deum ſpectant. 47.19
in Militia ſpirituali multa conſideratione vtendum eſt. 239.1
Miſericordia virtutum cœleſtium vita. 102.19
Totum virtutum cor cenſetur eſſe miſericordia. 103.19
Miſericordia Dei in nos moras abrumpit præueniens nos. 111.42
In vno Deo miſericordia, & iuſtitia non ſe mutuo impediunt. 119.15
In re miſericordiæ bonitas & perfectio in eo eſt, quòd non poſſit ſemper, & omnibus parcere. 249.13

M O

Moderamen. In omnibus certæ moderaminis leges ſeruandæ. 59.25
Moderari omnia pro libito & appetitui proprio, non regium, ſed pecuinum eſt. 242.7
Moroſitas multum officit. 262.13
Mors. Mortis ignorans extrema, nil mirum, quòd ignoret cætera. 5.3
Mortis præparatio. 7.11
Mortem corporis parui pendet Deus, non ſic animæ. 201.13
Mortale. A Chriſti luce venit, quòd mortalia hæc vt aliena abiiciamus. 70.6
Mortuus. Mortuorum vita penitùs euanet. 100.12
Mortui Mundo, vide *Mundus.*
Mos. Qualis cultura ſermonis habenda in componendis humanis moribus. 87.36

M V

Mulier ne vnquam Senatum ingrederetur, Senatuſconſulto cautum. 23.24
Mulier coniugata felicior videtur Auguſtino, quàm virgo, quæ cogitat, & ſperat nuptias. 187.26
Vide *Fœmina.*
Multitudo. Quò multitudo creaturarum te occupauerit, clarior tunc apparebit perditio. 230.23
Mundialia. In mundialibus bonis non poteſt non apparere finis. 78.14
Præſtantem Dei ſponſam dedecent quæ mundialibus ſunt communia. 79.17
Mundialia bona cauenda. 106.28
Mundialis ſuperfluitas, & vitioſa prorſus tollenda eſt, vbi datur locus Chriſto. 178.3
Mundiales dignitates, & ſplendores nihil intrinſecùs boni ponunt, ſecùs cœleſtes. 182.13
Mundialis ſapientia nihil nouit æſtimare, præter hæc præſentia. 237.40
Mundiales plauſus auidè ſibi venantes, nunquam non in ruinis confunduntur. 250.17
Bona mundialia, & gloria mundialis, feris, & irrationabilibus abſumenda dantur. 267.9
Mundiales Principes, vide *Principes.*
Mundiales res, vide *Res.*
Mundus. Mundo, & vitiis, non credamus nos. 29.39
Mundo mortuis IESV maximè ſalutaris. 100.12
Mundi delectabilia bona non mandi, ſed ſorberi debent vt amara purgationis potio. 284.16
Vide *Temporale.*
Munus. Neſcit Deus vocare ad munus hominem, ad quod omnia conuenientia non tribuat. 64.37
Muneri proprio maximè quiſque ſtudeat, ne ſe aliò diuertat. 90.3
Munus ciuile, & ſacerdotale vt difficile poſſit ab vno rectè adminiſtrari. 105.25
Munus eccleſiaſticum; vt in illo labores, non vt in illo delicieris. 109.36
Munera celſitudinis, vide *Celſitudo.*
Murmuratio falſa & temeraria de magiſtris, Prælatis, Rectoribus murmuratori nunquam non exitio eſt. 275.4

N A

N*Abuchodonoſor* in proceriſſimæ arboris ſpecie effigiatur à domino. 2.2
Natura. Naturæ cognatæ vis. 26.33
Sola natura hominis apud Deum æſtimabilis eſt. 160.4

N I

Nicodemus. Nicodemo Ieſus ignorantiam obiicit. 5.4
Nil adeò vile, & abiectum eſt in viro iuſto, quod non veniat in gloriam eius. 6.8
Nil adeò vile, in quo non poſſis inuenire aliquid, quo excedaris. 7.9
Nimietas nunquam non exitialis. 193.7
Etiam in re virtutum moralium. ibid.

N O

Nomen Dei nuſquam ſine re virtutis. 122.18
Vbi nomen Domini, nulla audet laſciuia. 206.2
Nouitas Nouitatis ſpecies maximè humana corda rapit. 227.16.

Index Rerum,

N V

Nullus adeò magnus, qui vel in infimis non debeat ſuſpicere aliquid, quo ipſe careat. 7.9
Numerus. Numero duodecimo IESVS gaudet, & cur. 55.13
Nuptiæ luctibus propinquiſſimæ. 45.12
Nuptiarum infelicitas. 77.11

O B

Obedientia. Prouinciæ ruina eſt, vbi Princeps nil aliud quærit, quàm obedientiam. 134.22
Obſequium. Obſequia Deo commendabilia ſunt, non ex alio, quàm ex affectu præſtantis. 261.12

OE

OEconomus Regum Gothorum. 82.23

O F

Offenſa. Non eſt patientiæ humanæ iteratas offenſas præterire. 45.14
Officium. In accepto officio manifeſtè oſtenditur qualis debeat eſſe remuneratio. 130.11

O N

Onus, vide *Labor*.

O P

Operatio. Operationum externarum pretium de robore intimarum virtutum ſumitur. 137.28
Opifex. Summa præſtantia in eo, quòd primi opificis lineamentis inſiſtas. 55.13
Quod ſemel Deus in homine fecit, & iterum in eodem reficere non grauatur. 56.14
Opportunitas. In opportunitatibus vous Deus nouit adeſſe. 228.17
Opus. Nemo non magis afficitur ad promouendum rem operis ſui. 19.14
Id enixè curandum, quòd internè Deo fias, quod illi in externis operibus exhibes. 36.17
Non naturæ, nec nomini, ſed operibus fidendum, vt parentum dignitatibus adſcribamur. 60.27
Deus in præſtantiſſimis virtutum operibus ſecuriùs requiritur. 101.14
Magiſtri bonorum operum non immeritò cenſentur parentes noſtri. 104.23
ad Opera præcepta difficilius ferimur, quàm ad ſpontanea. 169.15
in Operibus maximè ſolet repræſentari operantis virtus. 252.22
Nullum opus Deo commendabile, in quo non affulget Agni immaculati Chriſti ſanguis. 263.16
Opus charitatis, vide *Charitas*.

O R

Ordo. Ordines præfixos immutare, non limitatæ poteſtatis eſt, ſed infinitæ. 32.5
Ordinem quis immutare valeat. 33.5
Oratio. Orationi inſtandum. 125.27
Oratione mala conſilia hoſtium diſſipantur, bona conſilia trahuntur. 217.1
Orantes nunquam non comitatur Angelus optimus conſiliarius. ibid.11
Oratio valentior armis. 219.21
Ornamentum, vide *Decus*.

O S

Oſtentatio. Non qui ſe oſtentat, ſed qui ſe abſcondit cœleſtis Patris bonis gaudet. 251.19

O T

Otium. Parentes plus à filijs, quàm à ſeruis otia arceant. 58.20
Sapientiæ inimicum otium, labor amicus. ibid.22

P A

Pabulum. Pabulo feriſſimi quique capiuntur. 85.31
Palea. Diuini ſpiritus eſt, nec paleam accipere ſine remuneratione. 93.10
Palma. Ad palmas non niſi per profectum venimur. 6.7
Panis. In panibus propoſitionis numerus Apoſtolorum ſignabatur, & cur. 82.23
Panes ſeni iubentur poni in menſa, cur. 82.24
Panis cœleſtis ex ſe nulli non abundat. 83.25
Paradiſus. Eò nobis ſpectandum, vt ad priſtinam Paradiſi patriam regrediamur. 161.7
Paralyticus. Paralytici hiſtoria. 270.15
Parens. Parentum, maiorúmque bona afficiunt ſucceſſorum animos. 192.3
Nullo magis parentes familiæ ſplendorem æternant, quàm dum filium erudiunt in amore, & timore Dei. 51.2
Non naturæ, nec nomini, ſed operibus fidendum, vt parentum dignitatibus adſcribamur. 60.27
à Parentum virtutibus degeneres filij maximè Deo odioſi. 155.8
Parentis virtutes vt proſint etiam filiis malis. 157.14
Grauiſſima pœna parentis, quòd ſub eius conſpectu filij interimantur. 199.5
Parentes nihil æſtimant cætera omnia præ filiorum vita. 198.5
Parenti optimo vna filij vita ſufficit. 243.22
Vide *Filius*, *Pater*.
Particeps, vide *Conſors*.
Parum quod ex Deo habeas, ad magnum perueniet. 220.9
Paſſio. Non qui viſu tantùm, ſed qui & paſſionis experientia percipit labores Chriſti, is felix. 46.17
Paſſio Chriſti in Maria omnes alios dolores proprios ſeducit. 71.10
Inter Paſſionis ſuæ vulnera neſcit Deus non propitius apparere ſuis. 76.8
De Paſſionis Chriſti conſpectu vel infirmiſſimi vires accipiunt, vt alios acquirant Chriſto. ibid.9
Chriſti paſſi conſpectus maximè tenet hominem, ne exorbiter. ibid.10
Paſſio Chriſti mundiſſimis labiis prædicanda. 88.39
Paſſio Domini non capitur niſi labiis mundiſſimis. ibid.
Paſtor. Paſtoris optimi gloria non ex tondendis, ſed ex paſcendis ouibus. 191.1
Paſtorum feſta, & deliciæ armari ſolent in Dei filium. ibid.2
Pater. Patrum antiquorum virtutibus reſpondere ſumma laus eſt. 3.8
Pater, vnde dicatur homo. 35.12
Tunc cœleſtis Pater integro filiorum numero certiùs gaudet, cùm eius Filius hominibus adiungitur. 59.23
in Patris iudicio nihil eſt ad ſalutem non conducens. 244.13
Paterfamilias in concordia domeſticarum fœminarum maximè elatus. 18.13
Patientia. Non eſt patientiæ humanæ iteratas offenſas præterire. 45.14
Pauo. Pauonis gloria. 140.35
Pauper. Nihil ſic Deus æſtimat, quàm id, quod vel poteſt præſtari à pauperrimo. 143.7
Pauperes beati qui. 149.11
Pax à Chriſto. 2.2
Pacis vinculum. 11.10
Pacis tempore Principum, nobiliſſimque religione ornatur Eccleſia. 91.5
Pacifici, filij Dei nominati. 11.10

P E

Peccator. Peccantium multitudo magis ad ſupplicij accelerationem facit. 238.44
Qui indigna, & indecora propter peccatores pertulit, acrior fiet in illos, niſi reſipiſcant. 74.4
Peccatorum corpora, ſepulcra mortuorum. 215.4

In

Digitized by Google

in Peccatores ſolùm ibi ſplendet Dei benignitas, vbi Maria eſt. 34.9
Nunquam magis deploratus peccator oſtenditur, quàm vbi abiecit peccandi verecundiam. 192.3
Qualia ſumit peccator arma aduersùs Deum talia opponit Deus, vt illum perdat. 193.6
Peccatoris reſtitutio in vitam, vt per Mariam. 197.1
Peccator per lachrymas accedere ad Deum debet. 198.1
Peccatoribus non ſolet pœna omninò tolli, ſed mutari in aliam. 204.3
Peccatori quanto citiùs adhibenda correctio ſalutaris. 265.3
Peccator ea blanditie corripiendus, & monendus, qua illi nec vulnus ſuum, nec diſcrimen abſcondatur. ibid.4
Duriùs caſtigantur, qui poſt nota aliorum ſupplicia adhuc peccant. 273.3
Peccator non breue ſpatium pœnitentiæ ſibi præſcribat. 276.12
Peccatori vnicum ſignum vitæ eſt pœnitentia. ibid.14
Peccatum. Vbi peccata iterata recolis, neceſſum eſt, vt magis turberis, & magis ad Deum fremas. 45.14
Væ quos peccata non ſinunt eſſe in intimis Eccleſiæ. 50.27
Peccatorum clades antiquæ, & recentes. 78.13
Chriſti ſpiritus eſt vt nudemus paccata noſtra in ſalutem. 100.13
Maius negotium facit Deo peccatorum noſtrorum ſuſtinentia, quam mortis tolerantia. 96.3
Pro tollendis peccatis pœnitentia non parua procuranda. 32.107
Ex quo cœpit confeſſio, per illam peccata maximè leuantur. 108.34
Peccata commiſſa licèt ſemel, & iterum ad confeſſionem deducta, ſemper ſunt metuenda. 113.42
Chriſtianæ perfectionis eſt proximis, peccandi occaſionem abripere, etiam proprio incommodo 121.20
Peccatum notum omnium in ſe trahit odium, & iram. 159.1
Quo diutiùs quis in peccato exiſtit, eo ad pœnitentiæ fructus difficilior. 169.14
Peccata impio inſtar conuiuij. 184.17
Peccati intrinſecùs virus, dum ablatis extrinſecis notis, magis ſeruatur, in maiora mala exurget. 192.3
Deplorati eſt hominis, quòd non vereatur publicè peccare. ibid.4
Peccatorum confeſſio ſalutaris. 194.8
Peccata ſuorum quàm boni Principes dolere debeant. 200.11
Peccatum aptius ad perdendum, quàm ad roborandum hominis ſtatum. 253.3
Poſt peccati pœnam in aliis viſam; qui peccat, maiori & certiori tenetur ſupplicio. ibid.4
Peccatorum præteritorum occaſiones qui fugit, ſe à peccatis exiſſe oſtendit. 241.5
Qui primi venenum peccati experti ſunt, ſolent primi præſentiæ remedium. 243.9
Vt vnicus peccati actus poteſt hominem perdere; ſic vnicus virtutis actus valet hominem ſaluare. 261.10
Peccatum nequit eſſe ſolum, ſed multa alia & maiora parturit. 266.6
Peccati defenſio lethalis. 273.5
Solus Ieſus facit, ne importabilia ſint peccata. 274.6
Peccata ſunt irremediabilia, vbi confeſſio deeſt. 274.7
Peccatum facit hominem in terrenis, & caducis radicare. 277.17
Peccatum homines ad leuiſſima, inaniſſimáque captanda impellit. 278.19
Perditio. Validiſſima vis ad perdendum, quæ per ſimulatoria blanditiarum ſigna. 41.2
Perditionis ſpiritus eſt, quòd deſpectis propriis totus feraris ad extraneos. 69.5
Perditio eſt, vbi prima poſtponuntur ſecundis. 266.7
Perdix. Perdicis etymon. 69.5
Perfectio ab vno Iesv proficiſcitur. 36.14
Perfectionis Chriſtianæ eſt, proximis peccandi occaſiones abripere, vel proprio incommodo. 121.20
Periurium, vide *Iuramentum*.
Perſæ nouorum ſuppliciorum commentores. 193.5
Perſecutiones, vide *Mala*.
Phœnix caſtitatis ſpeculum. 189.32
Pigritia, vide *Otium*.
Placentia inconſultiſſimè creduntur ab hominibus. 221.12

P O

Pœna. Pœnæ peccatori debitæ in charioribus animi pignoribus fundari ſolent. 194.9
Pœna peccatoribus non ſolet omnino tolli, ſed in aliam mutari. 204.3
in Pœnis Iesv timeat homo ſuas, quas dabit Deo. 218.3
Ad maiorem patientis pœnam facit nouum & inuſitatum genus mortis. 246.5
Pœnitentia in finem vitæ dilata ſuſpecta ſit. 48.22
Pœnitentia mare dicitur, & cur. 108.32
Pœnitentia non parua, ſed magna pro tollendis peccatis procuranda. 107.32
Pœnitentia potens ingenita mala temporalia tollere. 123.23
Pœnitentiæ lacrymæ, & Baptiſmus nos in perfectiſſima quæque obtinenda deducunt. 137.29
Pœnitentia omnis ſera ſuſpecta. 170.18
Pœnitentia feſtinata multum ſaporis & dulcedinis habet. ibid.19
Pœnitentiæ luctus, ſeu lacrymæ, acuunt oculos, vt videant diuina. 171.20
in Pœnitentiæ luctu magna hominis ſapientia. ibid.27
Pœnitentiæ luctus hoſtium incredibili multitudini præualet. 228.19
Peccatori vnicum ſignum eſt pœnitentia. 276.14
Populus. Nihil magis regium, quam id, quod populi vtilitati conducit. 65.38
Præſtantiſſimum Principem decet populum ſuum non ſolùm ad temporalia, ſed ad æterna ducere. 65.39
Qui vulnere ſuo ſalutem inferat populis, non ſeruilis naturæ, ſed regiæ eſt. 226.13
Potens. In corrigendis potentibus te ipſorum Deum exhibebis. 157.3
Potentiores Sanctis ſunt exitiales. 254.4
Potentia. Potentiæ virtus maximè ex longanimitate elucet. 249.14
Poteſtas. Ordinatæ, prudentiſve poteſtatis non eſt, omnia à ſuo nutu velle immediatè pendere. 240.3

P R

Prædeceſſor, vide *Succeſſor*.
Præfecti menſæ Salomonicæ extolluntur. 82.23
Prælatus. De Prælatis falſa & temeraria murmuratio exitialis. 175.4
in Prælatis ſubditorum puniuntur defectus. 255.5
Præſules Eccleſiæ non ſolùm ſpiritualia, ſed & temporalia ſubſidia debent ſuis. 36.16
Præſules nihil ſuum in ſubditis reſpiciunt. 57.17
Principatus. Fœlicitas ſumma Principatus, quem pacifici, & quieti extollunt. 81.20
Tota Principatus firmitas à Religione veri Dei. 168.14
Princeps vnde populo fiat conſpicabilis. 1.2
Principes mundiales ſuos in perditionem, Deus ſolus in ſalutem ducit. 15.5
Principis ſapientis eſt fœmineis votis non moueri. 22.24
Principum magiſtri puritate caſtitatis conſpicui ſint. 31.1
Principis ſui virtutibus inhærendum. 52.3
Princeps, qua ſapientia pollere debeat. 57.19
Regaliſſimi Principis eſt in principatu conſortes habere. 80.19
Clariſſimorum Principum eſt amicitiam colere etiam cum ſubditis. 81.21
Chriſtus Ieſus verè cibus eſt Principum. 82.24
Princeps vt ſit partiarius in fouendis ſubditis. 84.28
Principum proprium ſit, vt obliuiſcantur iniurias. 98.9. & 74.3
in Principe laudabila, quòd in familiaribus ſuis potiùs naturæ, gratiæve dotes, quàm fortunæ ſpectet. 104.24

Index Rerum,

Ex Deo habet Princeps, quod nihil ſibi retineat, ſed totum ſe impendat pro vtilitate ſubditorum. 123.14
Princeps ille inuincibilis, qui per ſe inſtituit populares. 124.25
Princeps ſubditorum forma. 125.28
Principis & legiſlatoris ea fortitudo ſit, quæ transgreſſores minimè relinquat impunitos. 131.13
In Principe patentiſſimus animus ſit, vt omnes excipiat, amplexeturque. 132.15
Prouinciæ ruina, vbi Princeps nihil quærit quàm obedientiam. 134.22
Principis gloria non in congerendis diuitiis, ſed in communicandis. 152.18
Principes nunquam ſoli pereunt. 162.9
Nil aſperius Principi, quàm ſuorum perditio. 162.9
Præſtet in ſe Princeps, quidquid vult à ſubditis præſtari. 194.10
Optimo Principi non mediocri dolori ſint ſuorum peccata. 200.11
Vbi Princeps populi à Deo tenetur, facili negotio vniuerſos populares ad ſe trahit. 227.15
Principi mundiali maximè cordi eſt, quòd ſolus in honoribus ſit. 231.24
Miſeris Principibus ea habetur reuerentia, qua certiùs pereant. 247.10
Probra non exaggeranda, ſed minuenda ſunt. 195.11
Profana. A profanis vt cauendum. 128.6
Profectus. Per profectum reddimur immortales, ex Clem. Alex. 6.7
Promiſſum. Non niſi à magna ſanctitate prouenit, quòd quis promiſſis ſtat. 120.16
Promotio. In promotione non nudè ſpectandum, quod ad poteſtatem facit; ſed magis, & priùs, quod facit ad ſalutem animæ. 17.11
Prophetæ halant regnum IESV. 2.5
Propinqui Iuſtorum vniuerſas eorum glorias participant quaſi ſuas. 117.10
Proprium. Summum dedecus quod in propriis accidit. 237.41
Proſperitas de cognatorum malis orta nunquam non vertitur in confuſionem. 251.18
Prouincia. Prouinciæ ruina eſt, quando in ſuis nihil aliud requirit Princeps, quàm obedientiam. 134.22
Proximus. Qui pro bonis proximorum orat, & quæ ſibi non petit, accipit ex Deo. 66.41
Magna dexteritas neceſſaria eſt, vt proximi vtiliter corripiantur. 91.6
Exitiale eſt homini, quòd in proximi clade non quod luctuoſum, ſed quod lucroſum aſpiciat. 195.13
Prudens. Prudenti non omnia conſideranda, ſed multa Deo permittenda. 240.2

P V

Pudicitia. Pudicitiæ ſuæ haud parum detrahit, qui temperatè ſe gerit in peritorem impudicum. 186.23
Pudicitia vbi vindicatur, nullius ſeruatur reuerentia. 196.15
Pudor. Pudori virgineo nunquam non timendum vel ab officioſis verbis erga viros. 184.19
Pudoris virginei totus ſplendor in intima voluntatis integritate conſeruari poteſt. 186.25
Pulchritudo latens efficacior apud Deum. 192.3
Apud Deum abſconſa pulchritudo, & gratia efficacior. 198.4
Pulchritudo temporalis brutorum cibus. 246.4

Q V

QVaſi-ſimilem ſe effingat potentibus in ſententiis, qui illos trahere amat in bonam frugem. 21.21
Quies. Nulla vera quies niſi in bonis ſpiritualibus. 277.16

R A

R*Ationale*, veſtis genus. 56.35

R E

Rebellio Adad, & Razon. 258.cap.16
Rebellio Ieroboam. 263.cap.17
Regina Saba. 3.5.7
Regnum IESV à Prophetis decantatum hodiéque ſplendet. 2.5
Regnum, & Rex cœlorum homini comparatur & homini facienti nuptias filio ſuo. 35.12
Qui habenas regni tenuit, idoneus ad regnum inuadendum. 44.11
Regni amicis ſpecialis honor deferendus. 81.22
Tota regnorum fortitudo ex religione. 113.1
Regnum terrenum pauciſſimis tribuitur à Deo, cœleſte multis. 166.8
Regna temporalia feliciùs citò exuuntur. 272.24
Religio & in Salomone, & in IESV libentiſſimum nudat populum. 2.3
Religio fundamentum regnorum, & totius proſperitatis. 83.25
Veri Dei religio totam hominum antecedit originem. 53.8
Religio terræ inuecta, non rarò eiuſdem terræ dominium inuectori ſuo præbet. 57.18
Principum, nobiliúmque religione ornatur Eccleſia tempore pacis. 91.5
à Religione veri Dei tota principatus firmitas. 168.14
Nullus dolus potentior ad trahendos homines, quàm qui religionem prætendit. 212.10
Religio bonum regni auſpicium. 232.27
Remiſſio ſceleris paruum eſt beneficium, vt mens peccatoris non ſanetur. 30.42
Remuneratio. Diuini ſpiritus eſt, nec paleam accipere ſine remuneratione. 93.10
Vide *Officium.*
Res. Rerum mundialium ordo, vt carnales primas referant. 6.6
. Probatur res, quæ vſitata ſcitur. 33.6
Rerum perfecta conſummatio ab vno IESV venit. 36.14
Res ſuas alienis Deus tradit, quando illarum melior conditio non ſperatur apud ſuos. 68.13
Rerum magnarum certitudo tunc omnibus innoteſcit, quando tranſmittitur per eos, qui Deo ſunt adiuncti. 219.8
Reſipiſcentia. Reſipiſcere ſaltem in calamitate bonum & ſalutare eſt. 122.21
Reſtauratio gratiæ, vide *Gratia.*
Reuerentia. Ea habetur reuerentia miſeris Principibus, qua certius pereant. 247.10
Summa in Deum reuerentia habenda. 269.15
Reus. Honor habendus reo, qui religioſè & piè occumbit. 49.23
Rex. Crux Chriſti, & paſſio Reges facit. 27.35

R V

Ruina. Ruinæ præſtanti virtuti in gloriam proficiunt. 80.18
Ruinæ bonorum temporalium, vide *Bona temporalia.*

S A

S*Aba.* Sabæ Reginæ aduentus. 145.cap.14
Vide *Regina Saba.*
Sacerdos vt ſæcularis militiæ negotiis turpiter præficitur 241.4
Sacerdotium fundamentum populi. 24.25
Sacrum. Sacrorum abuſus lethalis. 35.6
Impius nihil videt in ſacris, niſi facinora ſua, ſub quibus pereat. 48.21
à Sacris nequiter peractis in horrenda crimina ruitur. 214.13
Sacramentum. Sacramenti Chriſtiani ſonus vniuerſum peruadit orbem. 109.35
Sacramenta Chriſtiana non ſolùm vulneribus medentur, ſed & nos in ſalutem portant. 111.40
à Sacramentis Chriſtianis animalis homo Angelis æquatur. 112.44
Sæcularis pompa regni affectati ſymbolum. 44.9
Sæculum. Sæculi dignitates viæ tritiſſimæ ad mortem. 45.13

Salomon

Salomon, ſiue Ieſus triumphans Hieroſolymis. 1
Salomonis, & Ieſu ſymbola in triumpho Hieroſolymitano. ibid.cap.5
Salomonis gloria ſingularis. 5.§.2
Salomonis ſapientia quæ. 3.6
Salomonis gloria ab obedientibus ſubditis. ibid.9
Eius ferculum. 4.9
Salomonis natiuitas, & educatio. ibid.cap.2
Salomon quid. 10.§.19
Salomoni duo nomina. ibid.
Eius natiuitas. 11.21
Salomonis inauguratio in Regem. 13.cap.3
Salomonis inauguratio ſecunda. 30.cap.4
Salomonis nuptiæ, & familia. 73.cap.8
Salomon ad Hiram. 89.9
Salomonis templum. 95.cap.10
Salomonis Regia, thronus & claſſis. 126.cap.12
Salomoni Deus ſecundò apparet. 140.cap.13
Salomonis lapſus. 152.cap.15
Salomonis mors. 163.cap.17
Salus noſtra in Maria tutiſſimè, & ſecuriſſimè cuſtodita. 146.§.16
Vitæ ſanctitati ſtudendum eſt illi, qui ſecuram ſalutem amat habere. 99.10
Salus vel inter mortis fauces ſolet eſſe peccatoribus præ manibus. 253.23
ad Salutem qui pertinet, vehementiſſimè cruciatur in venturi Dei expectatione. 259.6
Serò accedens multa faciat, vt ſalutem teneat. 262.12
Salutis ſignum ex Deo, maximè debet cordi eſſe. 279.22
Salutare eſt, ſaltem in calamitate reſipiſcere. 222.21
Samaritana. Samaritanæ laſciuia. 12.23
Sanctus. Deus non niſi in Sanctis permanet. 63.34
à Sanctorum conſortio vt iniqui ſibi timere debeant. 216.20
Sanguis. Vnus ſanguis Chriſti Domini nuſquam non veniam, & miſericordiam clamat. 271.22
à Sanguine Chriſti accepto benedictionibus implemur. 272.2
Sanitas. Vna ſanitas, quæ à Deo venit, totum implet hominem. 207.12
Sapiens. Sapientis eſt non alligari vnius magiſtri placitis, in rebus, quæ ad fidem non pertinent. 186.35
Sapiens nec viliſſima contemnit. 89.41
Sapientia Salomonis quæ. 3.6
Sapientiæ ſigna cum puritate, & ſanctitate vitæ coniuncta. 12.23
Sapientiæ conquiſitio. 51.cap.6
Sapientia diuinis ſedibus aſſiſtrix eſt. 56.§.15
Omnia euaneſcunt, niſi in ſapientia, quæ Deum ſpectat, fundentur. 56.16
Inde tota ſapientiæ præſtantia, & firmitas, quòd cœleſtia in primis reſpiciat. 57.19
Princeps qua ſapientia pollere debeat. ibid.
Quo maior ſapientia eſt, eo in ærumnis doloris aculeos magis acuit. 58.21
Sapientiæ triumphalis ſpecimen maximè datur in victoria de carnali voluptate. 68.1
Sapientia diuina ex nullo alio, quàm ex virtute commendanda. 70.7
Quæ à Ieſu verè ſapientia, omnem mundialem ſapientiam ſuperat. 86.33
De diuina ſapientia venit, quòd nullis malorum, bonorúmve incurſibus frangaris. ibid.34
Altiora ſapientiæ myſteria non niſi ſapientibus dicenda. 87.37
Sapientiæ ſermo Eccleſiæ firmitudo, & animarum. 115.4
In veræ ſapientiæ via infirmiſſimus quiſque proficit. 146.2
Sapientiæ ſalutaris ſecreta non deſidibus, ſed laborantibus aperiuntur. ibid.3
Qui verè ſapit, non viſibilibus his, ſed inuiſibilibus bonis magis capitur. 147.5
Sapientiæ fœmineæ, & leuiſſimæ eſt ſolos externos verborum ſplendores attendere. 148.8
Sapientiæ ſtudio laborantes nunquam primas non teneant in Politia Dei. 150.12
Sapientia mundialis honoris imminutionem credit eſſe intolerabiles calamitates, non ſic cœleſtis. 236.39
Sapientia mundialis nihil nouit æſtimare præter hæc præſentia temporalia. 237.40

S C

Scelus. Sceleris remiſſio, vide *Remiſſio*.
Scito. Scit ille ſolus aliquid, qui mortis extrema nouit. 5.3
Scipio Africanus. 89.1
Sciſſura. Sciſſuræ in bonis temporalibus opportunæ ad ſalutem. 166.9
Vide *Labor*.
Scriptura. In Scripturarum ſcientia validiſſimum Eccleſiæ tutamen eſt. 103.21

S E

Sedes Dei inde naſcitur quòd nunquam ab illa vera abſit ſapientia. 56.15
Præſtantior Dei ſedes non tam in multitudine, quam in paucorum deuotione. 93.11
Ieſu propria ſedes ab vnitate, & concordia. 94.12
Seditioſos expectat à terrâ vindicta. 245.3
Senatuſconſultum ne vnquam mulier Senatum ingrederetur. 23.24
Senectus. Senectuti nec nimis fidendum, nec deſperandum de iuuentute. 37.18
Senſus. Omnium ſenſuum cuſtodia præualeat in eo, qui amat Deo maximè placere. 88.32
Sententia. Sententiam quam dederis in alienis, eandem in tuis dabis. 203.16
Seruitus fugienda viro ingenuo ſupra omnia temporalia. 136.26
Seruiendum non ſolùm in proſperis, ſed & in difficillimis ſub vexillis Chriſti. 226.11
Seruus. Seruus ſatur, domini gloria eſt. 83.27

S I

Simile. Per ſimile ſimiles conuincuntur, & in bonam frugem conuertuntur. 22.28
Simon Magus, illiúſque damnatio. 18.11
Simonis nomen cur mutatum in Petrum. 55.13
Simultas. Nihil tam pronum ad ſimultates, quàm æmulatio. 18.13
Siniſtrum initium vel fortiſſimorum corda infirmat. 229.22

S O

Sodomita. De Sodomitis. 85.30
Solitudo. In ſolitudine perpetrata, venerabiliora ſunt. 199.8
Sordes generis virtutum floribus obteguntur. 54.9
Sordes humanarum mentium vnus creator abluit. 55.11

S P

Spiritualia, non temporalia Deus reſpicit. 142.3
Spiritualia bona quo plura, eo nos magis eleuant in ſublimia. 179.5
Spiritualium bonorum præſtantia notior ex ſeceſſu. ibid.6
Spiritus. Spiritûs opus eſt, quòd terrenis inhæreas, nec carnalibus. 61.29
Ab vnius Spiritûs ſancti lumine res manifeſtantur, ficuti ſunt. ibid.30
Spiritûs diuini eſt abſtruſa quæque manifeſtare. 71.8
Qui Spiritu Dei aguntur, in rebus fictis, & ludicris nihil pati volunt, ſed in veris. 165.9
Splendor temporalis nullus æſtimandus poſt Ieſu œconomiam viſam. 180.7
Sponſa. Sponſæ Chriſti à cineribus præſtantiſſimam fœcunditatem trahunt. 79.15
Præſtantem Dei ſponſam dedecent, quæ mundialibus ſint communia. 79.17
Spontaneum. Illud in te præcipuum, quod magis ſpontaneum, & voluntarium eſt. 35.12

S T

Studium laborioſæ induſtriæ, & fundamentum, & ſtabilimentum Reipublicæ eſt. 160.9

S V

Subditus. Clariſſimorum Principum eſt amicitiam etiam cum ſubditis colere. 81.21
in Subditis fouendis Princeps ne ſit partiarius. 84.28
Subditorum vtilitas quaſi propria habetur à bono Principe. ibid.29
Optimis Principibus non mediocri dolori ſunt peccata ſubditorum. 200.12
Inæqualitas fauorum erga ſubditos excuſabilem facit eorum malitiam. 239.46
Subditorum defectus puniuntur in Prælatis. 255.2
Vide *Princeps*, *Populus*.

Succeſſor. Vnius diuinitatis opus eſt, quòd tibi bonus ſucceſſor accidat. 92.8
Summa poteſtas excuſabilem facit hominem in facinoribus. 172.23
Sumptus facti ob temporalia ruinam pariunt, facti ob æterna, re Deo non abſimilem efficiunt. 106.29
Superbia. Superbiæ comes laſciuia. 152.1
Superfluitas mundialis, & vitioſa protſus tollenda, vbi datur locus Chriſto. 178.2
Supplicium. Suppliciorum nouorum apud Perſas commenta. 193.5
Supplicium, quod in tremore, & metu conſiſtit, non tam damnationem, quàm medelam ſolet parere. 273.4

S Y

Symbola Salomonis & IESV in triumpho Hieroſolymitano. 1.cap.1
Syphax Rex Numidiæ. 89.§.1

T A

T*Abernaculum*, pro corpore. 60.28

T E

Templum. Templi Hieroſolymitani dedicatio. 113.cap.1
Templum fortitudo Iudæorum dictum. 114.1
Templorum ædificator & ſe, & alios in viam trahit ſalutis. ibid 2
Templa non ſolùm lapidibus, ſed & virtutum exemplis conſtruenda. 126.30
Temporalia pauciſſimis dantur à Deo, æterna innumeris. 166.8
Vide *Labor.*
in Temporalibus nihil non inane. 273.26
Labor pro temporalibus eſt euanidus. 167.10
Temporalia de facili largitur Deus, non ſic æterna. 61.29
Sumptus ob temporalia facti, vide *Sumptus.*
Deus non temporalia, ſed ſpiritualia reſpicit. 142.3
Nil temporale magnum, ſed & paruum, & leuidenſe. 183.15
Temporalia ne cordi ſint, ſed diuina. 184.18
Tentationes ſubitæ, & extemporaneæ excuſabiliter vel validiſſimum abripiunt. 156.11
Terra. Non niſi abiecta terra præualebis apud Dominum. 260.5
Terra maximè aduerſatur factionariis, & ſeditioſis. 245.3
Terrena. Spiritus opus eſt, quod terrenis non hæreas, nec carnalibus. 61.29

T H

Thamar. Thamari vis illata. 177.cap.2
Theodoſius Imperator. 81.21

T I

Timor. Per timorem Dei tenentur bona temporalia ſine auaritiæ cultu. 102.17

T R

Traianus prædeceſſorem ſuum inter Deos retulit. 92.8
Tranſitoria vt nocent humanis cordibus. 147.7
Tremor, & metus in iis, qui ſapiunt, maximè ad medelam conducit, & ſalutem. 273.4
Tribulatio. Nunquam non tribulationes, & mala plures Deo, & ſaluti pepererunt. 122.22
Tribulatio præſentis vitæ momentanea, & cur. 165.5
Qui tribulationes patiuntur cum IESV, idem corpus, & ſanguis ſiunt cum illo. 237.42
Tributa Principem non conſpicabilem faciunt populo. r.2
Trinitas. Sub diuinæ Trinitatis auſpicio nihil non bonum plaudit. 55.12
Triſtes. Triſtibus nuntiandis accurrere puſilli, & infirmi eſt animi. 27.34
Triſtitia. Exundantibus triſtitiæ fluctibus maximus quiſque poteſt penitus abſorberi. 236.38
Triſtitia ſuperabundans homines in perditionem rapit. ibid.
Triumphus, vide *Gloria.*
Tuum id verius putes, in quo obſequium Deo præſtas. 260.7

T Y

Tyrannus. Inter tyrannorum triumphos non parum leuantur iuſti in calamitatibus. 213.12
Tyranni animus eo magis permulcetur, quo maior eſt ſanguinis profuſio. 230.14

V A

VÆ quos peccata non ſinunt eſſe in intimis Eccleſiæ. 50.28
Validiſſima quæque ad Dei nutum diſpareant. 231.25
Vanitas nunquam non parit exterminium, & perditionem. 9.14
Qui claris oculis Deum noſcit, facilè deſpicit vanitates mundiales. 34.10

V E

Venia. Nunquam non datur à Deo aliquid veniæ temporalis reo, ob priſtinas virtutes, vel ipſius, vel parentum eius. 167.11
Verbum. Verbo diuino viri præſtantes maximè capiuntur. 92.7
Verborum ſplendor, vide *Sapientia.*
Veritas nunquam à vera Dei ſede abſcedit. 56.15
Veſtes pretioſæ, & ſpecioſæ non parum impediunt mentis contritionem. 258.17

V I

Victoria ab vno Deo veniunt. 251.20
Victoriæ non penes eum, qui valentiorem, & numeroſiorem exercitum habet, ſed penes eum, qui habet ſibi Deum. 244.1
Vigilans. Vigilantis animus à difficillimis liberatur. 3.6
Vigilantis animus difficilia quæque ſuperat. 229.20
Vilitas. Vilitatis propriæ humilis cognitio firmat gratiarum excipiendarum fundamentum. 4.2
Vindicta. In vindicta vnius innocentis, tota regni vniuerſitas à Deo flagellari ſolet. 195.12
Vir. Viri miſericordis eſt non omnibus parcere. 249.13
Viri præſtantis eſt ea perficere, quæ non ab homine, ſed à Deo videantur fuiſſe. 252.21
Virginitas efficaciſſima ad impetrandum. 28.12
Virginitatis virtuti lucerna tribuitur. 76.7
In Virginitatis puritate materies eſt præſtantiſſimis omnium operibus efficiendis. 131.14
Virginitatis affectus adeò validus, vt vix vinci poſſit. 187.26
Virginitas vix ſeruari poteſt cum aliis peccatis. 258.3
Virgo. Virginum laus. 77.11
Virgini æquè ſunt periculoſa, quæ dat viro dona, quàm quæ accipit. 185.21
Virgineo pudori vel ab officiis debitis timendum. 184.19
Virginei pudoris totus ſplendor in intima voluntatis integritate poteſt conſeruari. 186.25
Cum virgineo pudore nullum verbum compatitur, quod Venerem oleat. 258.2
Virtus. Certiſſima eſt ruina illi, qui præſtantes virtute viros in malum prouocat. 16.7
Virtutum ſacrarum abuſus lethaliſſimus. 25.6
Virtutum externæ operationes cum internis comparatæ. ibid.
Magno virtutis robore indiges ne ſub præpropera, & ſubita dignitate euaneſcas. 35.13
Non annorum ætas æſtimanda apud Deum, ſed virtus. 37.18
Nulla ætas deſpectui eſt, dum adſit virtus. ibid.
Non tam in blandis, quàm in duris & aſperis firmatur virtus. 68.2
Ex virtute commendatur diuina ſapientia. 70.7
Virtus quæ in externis etiam operibus conſpicitur, ſtabilior eſt. 73.1
In primis virtutum floſculis non parua iam ſeges fructuum ſentitur. 75.5
Præſtanti virtuti ruinæ in gloriam proficiunt. 80.18
Apoſtolica virtus eſt, quòd non totum virtutis, quod habes, manifeſtetur. 97.5
Sanctorum vitas inſpiciat, qui amat in virtute proficere. 98.7
Virtutum opera vſque ad vltimum deducenda. 141.2
Virtutum proprij effectus, in quocunque illæ ſint, inueniuntur. 146.4
Magnæ, & præſtantis virtutis indicium, quòd in temporali fœlicitate conſtitutus non cadas. 148.9

Sola

Sola, quæ à Deo, virtus eſt, poteſt vniuerſam terram peruadere. 151.16
Virtus authoris, & patris nunquam non proficua filiis, etiam malis. 157.14
Virtus ſola valens in nobis æternare bona. ibid.15
Virtutis Chriſtianæ cultor nunquam non reuireſcit à malis. 159.3
Peccaminoſæ materiæ odium non mediocre iuuamen ad virtutem. 188.30
Virtutum exceſſus nimis damnoſiſſimus. 193.7
Stabilitas & firmitudo in virtute Dei amica, & ſocia. 201.14
Nunquam virtus non malè olet apud ſceleſtos. 214.15
Virtus vbi alicubi oritur, ferè nunquam non oritur & vitium iuxta. 220.8
Ibi virtutis triumphus, vbi inuaſio, vel violentia reperitur. 225.10
Virtutis Deive cauſa facit homines & fortes & audentes ad magna. 228.18
Virtus illa præſtantior, quæ communi ſeruit ſaluti. 258.1
Virtus illa ſecurior, & laudabilior, quæ nullo fauore nititur humano. 260.8
Vide *Iuſtitia*.
Virtus animi, vide *Animus*.
Virtutum opera, vide *Opus, Virtus*, & *Vitium*.
Quantus in vitiis amplectendis fuiſti, tantus ſis in virtutibus conſequendis. 85.32
Vita humana, ſomnus. 8.12
Vitæ nouitas Ieſu placet. 37.19
Vitæ ſanctitati ſtudendum eſt illi, qui ſecuram ſalutem amat habere. 99.10
Vitæ ſola puritas in altis non valet firmare. 144.9
Vitæ humanæ ea eſt conditio, vt qui modò timet, & tremit, ſub virga alicuius, poſſit ſtatim ipſe ſuperpoſitus etiam timorem, & tremorem incutere. 159.2
Vita ibi ſolùm, vbi Chriſtus eſt. 256.3
Vitiges Rex Gothorum. 84.28
Vitium. Vitiis noo te eredas. 7.11
Vitium vbi ſecatur, & diuiditur in partes, iam eius perditio nuntiatur. 165.6
Vbi vitium & malitia viget, ibi ſequacium magna multitudo. 214.14

V M

Vmbra Chriſti te diuino generi adiungit. 5.5

V N

Vnanimitas in virtute inuincibilis, triumphatrix eſt. 238.43
Vnio, & charitas fraterna maximè ad ſalutem conducit. 266.8
Vnitas & concordia requirenda, vt Dei dona adoleſcant, effectũmque habeant. 39.25
Vnitas, & concordia commendata. ibid.
Iesv propria ſedes ab vnitate, & concordia. 94.12
Vnus. Non omnia ab vno occupanda; ſed locus aliis dandus. 24.26
Vni quæ aliquando Deus dedit, eadem aliis ſimilibus ſolet præſtare. 233.30

V O

Voluntarium. Illud in te præcipuum, quod magis voluntarium eſt, & ſpontaneum. 35.11
Voluptas. Supra homines eſt, qui à propria voluptate, & vtilitate abſtinet pro aliis. 65.4
Voluptates mundiales ſæpiſſimè in contraria vertuntur. 187.27.

V S

Vſus. Vſus communis nullo prætextu immutandus à ſapiente moderatore. 7.10

V T

Vtilitas, vide *Voluptas*.

VV

Vulnus. In vulneribus Chriſti peccatoribus contritis, & pœnitentibus ſecuritas. 274.8

V X

Vxor. Vxoris afflictio maximè virum emollit. 20.17

X A

S. X*Auerus*. 94.13

Z E

Z*Ebedæus*. Zebedæi filij ſedes petunt dextras & ſiniſtras. 28.11

Z O

Zoroaſtes naſcens riſit. 10.17

F I N I S.

G 18903

Digitized by Google